5-3-6

Digitized by Google

8
1 M.
10

THEOLOGIÆ
SACRAMENTALIS
SCHOLASTICÆ ET MORALIS
PARS PRIMA,

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in ſpecie

AD MENTEM

DOCTORIS SUBTILIS
IOANNIS DUNS
SCOTI,

D. Auguſtino conformem.

AUCTORE

F. IOANNE BOSCO

Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovanienſi S. Theologiæ Lectore Jubilato.



LOVANII,

Typis HIERONYMI NEMPÆI

Anno M. DC. LXV.

DEO.

UBITANTI aliquando mihi, ac studiosè mecum disquirenti, utrum hominibus studia mea consecrarem, opportunè occurrit, & veluti se ingessit devotissima oratio Sanctissimi P. N. Francisci: *Deus meus & omnia.* Quâ penitiùs introspectâ, haud diutiùs fluctuandum existimavi, sed illico cum Propheta Regio exclamandum: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Psalm. 72. v. 28.

Quis namque potest melius facere mihi Dominus aut servus? Dives aut pauper? Procul dubio tam Dominus, quàm Dives. Cur ergo relinquam pro servo Dominum, & pro paupere homine Divitem Deum? In te Domine speravi, non relinquam Te, *Deus meus & omnia*, in æternum.

Igitur quantâ potest demissione animi filius Patri, servus Domino, & creatura Creatori, tantâ ego, minor nihilô, Te Deus alloquor, & in Te omnium perfectionum eminentem abyssum veneror & adoro. Ad Te confugio, & supplex tua numina posco. Te in Magistrum & Conductorem eligo, atque omnem doctrinam meam gratissimo animo in obsequium tuæ doctrinæ captivo: verba enim vitæ æternæ habes.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire, à quo *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est*, qui non despicit deprecationem pauperis, sed dat omnibus affluenter sapientiam: *Vtique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.* Eccle. 1. v. 2. Jac. cap. 1. v. 17. D. August. lib. de Nat. & Grat. c. 17.

Peto Domine, utinam sic petam, & tantum petam, quomodo, & quantum res tanta petenda est: peto, inquam, sapientiam *Non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur*, sed sapientiam, de qua scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini.* 1. Cor. 2. v. 6. Eccli. 1. v. 16.

Et amabo quæ illa? *Perfecta Charitas, quæ foras mittit timorem* hujus sæculi & Principum hujus sæculi, qui destruuntur. *Charitas*, quæ *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Joan. 4. v. 18. 1. Cor. 13. v. 4, 5, 6, & 7.

Hanc sapientiam postulo à Te *Deus meus & omnia*; tu enim dixisti: Jac. 1. v. 5. *Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo.* Ecce servus tuus inutilis indiget sapientiâ.

1. Cor. 13. v. 1. 2. & 3. Nam *si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Hâc me dirige *Deus meus & omnia*, ut vivam doctiùs, hoc est, sanctiùs, ut moriar doctior, hoc est melior: nam licèt ars bene vivendi & bene moriendi sit obscura & difficilis, equidem ubi spiritus perfectæ Charitatis Magister est, tam citò discitur, quàm docetur. Hoc confidenter oro, hoc spero & polliceor, me tuam Majestatem & Bonitatem gratiarum actione laudaturum, non solùm quamdiu vixero, sed quamdiu fuero.

D. August. conc. 2. in Psal. 70. *In altis* quidem *Cœli sunt, in altis Angeli sunt*, in altis sancti homines sunt, sed *tibi* non sibi *debent quòd sunt, tibi* non sibi *debent quòd vivunt, tibi* non sibi *debent quòd justè vivunt, tibi* non sibi *debent quòd beatè vivunt.* Quapropter hæc est & erit nostra omniumque Sanctorum hominum & Angelorum in conspectu Throni procidentium confessio: Apoc. 7. v. 12. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen.*



LECTO-

LECTORI.

Eatus Paulus Apostolus Corinthios exhortando ad imitationem eorum, qui in stadio currunt, inquit: Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? *Et continuò attexit:* Sic currite ut comprehendatis. *Cucurri in stadio Theologiæ Scholasticæ & moralis viginti quatuor continuis annis, & cùm manum meam extendo ut bravium accipiam, vix Theologi nomen mereor. Profectò verus Theologus non est, qui quamvis multa de Deo disserat, corde tamen fixus in terra est.* 1. Cor. 9. v. 24.

Quomodo ergo audebo calamum stringere, & suscipere provinciam typis scripta mandandi, cuilibet etiam subtilissimo & sanctissimo merito hodie formidandam? Haud equidem ignoro tam difficile esse omnium ingenijs & affectibus acceptum librum edere, quàm omnium palato probatum condire cibum, aut omnium staturæ & membris unam tantummodo accommodatam vestem concinnare.

Quid igitur? Stringo calamum non scribendi ardore, sed sincero animo & discreto zelo, justitiæ utique ac pietatis lege, vindicandi Doctorem Subtilem Scotum, Magistrum meum ac Invictissimum Theologorum Principem, vindicandi, inquam, à sententijs, quæ falsò ei imponuntur ab Adversarijs, quorum infinitus penè est numerus.

Nam etsi scriptum sit: Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum; *placuit tamen eis in faciem resistere; siquidem in hoc Religionis candor non inficitur, nec morum integritas violatur, cùm Apostolus ad Galatas 2. sibi laudi vertat hæc verba:* Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Psalm. 63. v. 8. Ad Gal. 2. v. 11.

Sanè reprehensibiles sunt, qui in Scotum (quem fortè numquam vel à limine salutarunt, vel proprijs oculis inspexerunt, vel saltem in manus assumpserunt) invehuntur, cùm ferè omnia Scoti ex D. Augustino sint hausta. Equidem in solis quatuor libris sententiarum nonaginta & quinque sententias Sanctissimi Patris tuetur.

Quidni tueretur doctrinam, quam Romana sequitur & servat Ecclesia? Doctrinam, inquam, D. Augustini, de quo sanctissimo juxta ac doctissimo Præsule extat hoc Elogium: Quicumque de Christo, de fide, de Religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, ut nihil penè ex sacris litteris possit, nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam Auctore factum, ut nec Philosophis sapientiam invideamus, non Oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus; non denique nobis acumen Aristotelis necessarium, non Platonis eloquentia, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non

non cujusque illius generis hominum scientia ac virtus documento esse debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces refert, idem omnium Scripturarum sensum exprimit. Unus postremò omnium Patrum, Sapientiumque ingenia ac studia exhibet. Si veritatem quæritis, si doctrinam, si sapientiam, si pietatem, quis doctior, quis justior, quis, ut ita dicam, sanctior Augustino? *Martinus Papa V. Serm. de Translatione S. Monicæ.*

Nemo ergo miretur, si inhærens vestigiis Magistri mei, frequentiùs recito verba sanctissimi juxta ac doctissimi hujus Præsulis; verba, inquam, prorsus invariata, non alienis, sed proprijs oculis inspecta. Quod etiam observandum duxi in alijs Sanctis Patribus, Scripturis sacris & OEcumenicis Concilijs, immo Auctoribus Scholasticis, ex quorum verbis pro magna parte hoc opus contexui: verbis, dico iterum, plerumque invariatis, ne, ut sæpiùs aliquibus contingit, immutando verba, immutarem sensum, &, quod illi clarè dixerant, obscurè referrem, ac quasi propria statuerem, quæ verè erant aliena. Laborem examina, corrige & vale.

FACULTAS

FACVLTAS

Reverendissimi Patris Commissarij Generalis.

THeologiæ Sacramentalis Scholasticæ & Moralis Pars prima, à R. Adm. Patre F. JOANNE BOSCO Ordinis nostri Seraphici almæ nostræ Provinciæ Fratrum Minorum inferioris Germaniæ S. Theologiæ Lectore Jubilato &c. sic elaborata, ut à Theologis ejusdem Ordinis & Provinciæ examinata, non tantùm approbetur, sed etiam laudetur singulariter, atque grata & utilis futura speretur; cum Sanctæ Obedientiæ merito typis mandari poterit, accedente eorum licentiâ, quorum interest. Datum Mechliniæ in Conventu nostro Fratrum Minorum 18. Martij 1665.

F. JACOBUS DE RIDDERE *Commissarius Generalis FF. Minor. Nationis Germano-Belgicæ.*

FACULTAS

Reverendi admodum P. Ministri Provincialis.

UT *Pars prima Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ & Moralis, in qua tractatur de Sacramentis in genere, & duobus primis in specie*, à Reverendo Patre F. JOANNE BOSCO Ordinis Seraphici S. Theologiæ Lectore Jubilato, ac Provinciæ nostræ olim Definitore composita, ac à Theologis Ordinis probata & laudata, publici juris fiat, accedente calculo Censoris Apostolici vel Ordinarij, virtute præsentium concedo facultatem; eò propensiùs, quòd durante multorum annorum convictu, & Cathedræ Theologicæ consortio, in Authore singulare studium veritatis & Doctrinæ soliditatem clarè perspexerim. Datum Bruxellæ in Conventu nostro Fratrum Minorum sub meo Chyrographo officijque sigillo minori, Anno Domini 1665. Mensis Martij die vigesimâ.

F. GUILIELMUS HERINCX *Minister Provincialis Germaniæ Inferioris.*

APPROBATIONES

Theologorum Ordinis.

INfrascriptus ingenti cum animi voluptate perlegi *Partem primam Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ & Moralis* à Reverendo Adm. Patre F. JOANNE BOSCO Seraphici Ordinis nostri S. Theologiæ Lectore Jubilato, ac Provinciæ nostræ olim Definitore compositam. Siquidem eam inveni compertæ Auctoris eruditioni, profundæque doctrinæ (quam sedecim annorum, quibus ipsum in docendo Collegam habere merui, experimento probavi) per omnia consentaneam. Singulariter mihi placet in ipso, quòd sacras divinæ Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum auctoritates fidelissimè referat, juxta quod proprijs oculis conspexit in probatis exemplaribus eorumdem. Ex quo consequi est necesse, doctrinam ipsius, ut S. Scripturæ, Concilijs, Sanctisque Patribus & præsertim Augustino conformem, nil fidei aut bonis moribus contrarium continere. Doctorem quoque Subtilem, Aquilam Theologiæ, fortissimè vindicat à falsis & absurdis opinionibus, quæ non rarò eidem ab æmulis (eum in fonte legere dedignantibus) imponuntur. Ob quas causas hoc opus prælo ac publicâ luce dignissimum censeo. Datum Lovanij 27. Martij 1665.

F. HENRICUS IONGHEN *S. Theol. Lector Iubilatus & Provinciæ Definitor.*

Theologiæ

THeologiæ Sacramentalis Scholasticæ & Moralis Pars prima, in qua tractatur de Sacramentis in genere & duobus primis in specie, à Reverendo Admodum Patre F. JOANNE BOSCO Ordinis Fratrum Minorum in alma Universitate Lovaniensi S. Theologiæ Lectore Jubilato, nec non Provinciæ Germaniæ inferioris Diffinitore concinnè & eruditè elaborata nihil fidei moribusque contrarium continet; sed ipsam Catholicam de Sacramentis veritatem ex definitivis Conciliorum sententijs solidè confirmat: D. Augustini aliorumque Patrum de iisdem mentem & doctrinam sincerè proponit: ipsius quoque Doctoris Subtilis sententiam, à communi non alienam, dilucidè & nervosè exponit. Proinde Partem hanc, non modò Scoticæ Doctrinæ, sed quibuscumque sinceritatis & veritatis Amatoribus gratam & utilem fore confidentes, censuimus dignam & luce & prælo. Datum Lovanij 31. Augusti anni 1663.

F. PETRUS DE VRIESE
S. Theologiæ Lector.

F. COSMAS MEERSMANS
S. Theologiæ Lector.

F. GUILIELMUS VAN SICHEN
S. Theologiæ Lector.

CENSVRA.

HOc opus Reverendi Patris JOANNIS BOSCO *de Sacramentis in genere, Baptismo & Confirmatione* doctrinam sanam continet, & publicâ luce ac prælo dignam. Dat. Lovanij die 7. April. 1665.

JACOBUS PONTANUS *S. Theol. Doctor & Librorum Censor.*

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

VIrtute Privilegij S. Cæsareæ Majestatis super impressione & distractione librorum per Fratres Minores Regularis aut Strictioris Observantiæ concessi, facultatem facio *Hieronymo Nempeo* Typographo Lovaniensi, ut imprimat ac distrahat hanc primam Partem Sacramentalem Auctore Reverendo Admodum Patre F. JOANNE BOSCO Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ Provinciæ nostræ Inferioris Germaniæ S. Theologiæ Lectore Jubilato, cum plenario usu Privilegij Cæsarij præfati, idque pro prima illius editione. Actum Mechliniæ in Conventu nostro Fratrum Minorum Regularis Observantiæ die 24. Martij Anno 1665. sub nostra signatura Officijque sigillo minori.

F. JACOBUS DE RIDDERE *Commissarius Generalis Fratrum Minorum per Germaniam, Belgium & Provincias annexas.*

INDEX

INDEX ET ORDO DISPUTATIONUM, SECTIONUM, ET CONCLUSIONUM,

Quæ in hac prima Parte continentur.

DISPUTATIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

** Concl.

SECTIO QUARTA.

De Causalitate & Effectu Sacramentorum. *pag* 57.

SECTIO QUINTA.

De Dispositione requisita ad gratiam Sacramentorum. *pag.* 107.

SECTIO SEXTA.

De Reviviscentia Sacramentorum. *pag.* 124.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De Ministro Sacramentorum. pag. 142.

SECTIO OCTAVA.

De Suscipiente Sacramentum. pag. 210.

DISPUTATIO II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QUARTA.

CONCL.

SECTIO QUINTA.

De Ministro Baptismi. *pag. 348.*

SECTIO SEXTA.

De Ceremonijs Baptismi. *pag. 378.*

SECTIO SEPTIMA.

DISPUTATIO III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO

PRIVILEGIUM
REGIS HISPANIARUM.

PHILIPPI IV. Regis Hispaniarum &c. Privilegio cautum est, ne quis *Theologiam Sacramentalem*, *Scholasticam & Moralem Auctore* F. JOANNE BOSCO *Ordinis FF. Minorum S. Theologiæ Lectore Iubilato* in toto vel in parte, conjunctim vel divisim imprimat, aut alibi impressam, in hasce Ditiones importet, retineat, vel divendat, præter Typographum Juratum ab eodem Auctore deligendum; idque sub pœna confiscationis & amissionis Librorum, & insuper aliâ gravi mulctâ; ut latiùs patet in litteris patentibus desuper Bruxellæ in Supremo Consilio Brabantiæ expeditis die 11. Junij Anno 1665. de more sigillatis & signatis.

LOYENS.

VIRTUTE præmissi Privilegij Regij do HIERONYMO NEMPÆO Typographo Lovaniensi facultatem imprimendi ac distrahendi Primam Partem meæ *Theologiæ Sacramentalis* primæ Editionis. Datum Lovanij die 23. Junij Anno 1665.

F. JOANNES BOSCO.

REVE-

REVERENDO PATRI

F. JOANNI BOSCO,

Ordinis Seraphici FF. Minorum Reg. Observantiæ,

S. THEOLOGIÆ LECTORI JUBILATO,

ABSOLUTUM OPUS,

THEOLOGIÆ SACRAMENTALIS,

PUBLICI JURIS FACIENTI.

ALLUSIO

ad præfixum libro totius Ordinis Symbolum,

STUDIO & PIETATE.

M*Agnus honor* studium; pietas *laus major: honoris*
Omne tulit punctum, qui simul ambo tulit.
Grandis apex, celsumque decus! sed scansile solis
Grandibus, & paucis, nec sine Marte, datum.
Hunc tamen in paucis sibi vendicat Ordo decorem,
*Ordo, * sacri florens Ordinis ipse decor.*
Nemo roget, quis hic Ordo? suæ satis ordine vitæ
Noscitur, & radijs claret abunde suis.
Hic est, qui sociâ studium pietate *maritat:*
Quàm non Francisco *degener Ordo Patri!*
His subit ardentes pro plebe Deoque labores,
His dogma exemplo, dogmate miscet opus.
Sic Patrem Ordo refert habitu, *sed veriùs actu:*
Quod docet, ipse facit; quos monet, ipse prait.
Zelus hic, hac ardens pietas, studiumque *docendi*
Seraphicum *verè Te, Sacer Ordo, facit.*
O benè! dum studij *&* pietatis *Symbola gestas,*
Symbola, quæ gestas, gesta probata probant.
Et probat ante alios hodie scribendo JOANNES,
Non minimus turmæ BOSCO Minoris *honos.*
Nam quis huic scripto scopus est & origo? fidelis
Cum studio pietas, *cum* pietate *Deus.*
Ædificat pietate *liber, pugnatque Novantûm,*
Qui liquidâ pugnant cum pietate, *libris.*
Sacramenta, Sacræ pietatis viscera, pandit:
Quid studio *tali sanctius esse potest?*
Argumenta sacræ sophiæ subtilia promit:
Quid studio tali doctius esse potest?
Perge pares dare, BOSCO, *libros: deflectere nescis,*
Dum calamum studio, *Te* Pietate *regis.*

* Ecclesiastici.

GRATVLATVR GYMNASION SANCTÆ TRIADIS.

PRÆFA-



PRÆFATIO TOTIVS OPERIS.

Eus qui ab initio *fecit hominem rectum*, *ac per hoc voluntatis bonæ*, etiam dedit gratiam, *in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem* (quod ad salutem pertinet vitæ æternæ) *nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*, hoc est, à Deo. *Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est.* D. Aug. lib. 14. de Civit. cap. 11. Lib. de Correp. & grat. cap. 11.

Et si quidem in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est angelorum; nonne meritò fieret, ut natura, quæ Deum deseruit, quæ præceptum sui creatoris, quod custodire facillimè posset, suâ malâ utens potestate calcavit atque transgressa est, ... universa in æternum desereretur ab eo, & pro suo merito pœnam penderet sempiternam? Planè ita faceret, si tantùm justus, non etiam misericors esset, suamque indebitam misericordiam multò evidentiùs in indignorum potiùs liberatione monstraret. Enchr. cap. 27.

Placuit itaque universitatis creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret; quæ autem cum Deo illa deserente perstiterat, de sua certissimè cognita semper futura felicitate secura gauderet: alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque supplicijs & originalibus, & proprijs tota perierat, ex ejus parte reparata, quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret. Enchr. cap. 29.

Enchirid. c. 30. *Verùm hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operari potest perditus, nisi quantùm à perditione fuerit liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit: nam libero arbitrio malè utens homo & se perdidit & ipsum.*

Arauſ. cap. 21. Siquidem *Hoc prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.*

Ephef. cap. 2. v. 4. D. Aug. lib. de Catech. rudibus cap. 26. Ea propter *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos*, volens omnes salvos fieri, *Si sibi ipsis non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum, ... ut quemadmodùm per unum hominem, qui primus factus est, id est, Adam, mors intravit in genus humanum; .... sic per unum hominem, qui etiam Deus est Dei Filius, Jesum Christum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur.*

Hic est ille pijssimus Samaritanus, qui spoliatum videns hominem & atrociter sauciatum, miserationis affectu compatiens medicinam attulit efficacem, quâ curatis ipsius vulneribus, ac plenâ redditâ sanitate, in sui principium, à quo descendens deviaverat, finaliter reducatur. In cujus persona Eccli. 38. nunc dicitur: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis & unctiones conficiet sanitatis.* Eccli. 38. v. 7. hoc est, instituet Sacramenta suavia seu odorifera & salutifera: odorifera quidem respectu Dei, quoniam eum suâ suavitate placant & placando faciunt propitium; salutifera verò respectu ægroti curandi, quoniam impetrant gratiam & vestiunt hominem expoliatum & hominem infirmum curant suâ virtute.

Igitur Christus Dominus perfectus erat pigmentarius, qui non aliundè mendicabat odorem, sed ipse in se redolebat: & ut odor iste, quo plenus erat, in alios derivaretur, obtulit semetipsum Deo & Patri pro omnibus, secundùm illud Ephes. Ephef. 5. 5. v. 2. *Dilexit nos & tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Tunc de hac plenitudine accepimus omnes, dum non solùm placatur Deus ex ipsa passione, sed etiam in memorialibus passionis; & non tantùm passio fit pigmentum suavitatis,

ſuavitatis, imò etiam memorialia, ſanctiſſima, inquam, Eccleſiæ Sacramenta, paſſionem præteritam ſignificantia, *Per quæ*, ut ait Trident. Seſſ. 7. in procœmio, *omnis vera juſtitia, vel incipit, vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur*. Trident.

Hæc ſunt uberrimi illi fontes, de quibus cecinit Iſaias cap. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Enimverò gratiam, quam ſignificant, continent & conferunt ſemper & omnibus ritè ſuſcipientibus & non ponentibus obicem. Iſai. 12.

Ergò quantùm in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult. Poculum quippe immortalitatis quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit: ſed ſi non bibitur, non medetur. Mors etenim Filij Dei Domini Jeſu Chriſti *non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandus non erat pertineret: ſed ita, ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare Sacramentum celebraretur in ſingulis.* D. Auguſt. tract. 12. in Joan. D. Proſp. reſp. 1. ad object. Vincent.

Sacramenta habent quidem in ſe ut omnibus proſint, ſed ſi non ritè ſuſcipiuntur, non medentur. *Scienti* enim *bonum, & non facienti, peccatum eſt illi gratia.* Scienti Sacramentum & indignè adminiſtranti aut recipienti, venenum potiùs, quàm medicamentum eſt. D. Bern. ſer. 1. in Paſc. ter.

Porrò nolunt homines quod ſanctum eſt ſanctè tractare, ſive quia latet an ſanctum ſit, ſive quia non delectat. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi ſint propter iniquitatem ſuperbiæ: ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filij ſint miſericordiæ. Ideò pro hac re nec ſuperflua, nec impudens domino immolatur oratio.* Licet enim peccata præterita non expientur, nec futura vitentur *niſi voluntas adſit, tamen ut fiat, voluntas ſola non ſufficit.* D. Aug. lib. 2. de peccat. merit. c. 17. Lib. de nat. & gra. c. 18.

Quid igitur? *Talis medicina cælitus venit: ad elatum hominem per ſuperbiam, Deus humilis deſcendit per miſericordiam*, & appropinquans vulnerato, curationi ejus Sacramentorum alligamenta adhibuit, quia contrà originalis peccati, & actualis vulnera Sacramentorum remedia inſtituit, de quibus in præſenti opere diſputationem inſtituimus, cuique Sacramento ſuam aſſignantes, ita exigente materiæ amplitudine & varietate. Lib. 2. de peccat. merit. cap. 17.

Cùm autem distincta cognitio minùs universalium dependeat à cognitione distincta magis universalium; nam magis universalia sunt partes minùs universalium; partes verò priùs oportet cognoscantur distinctè, quàm distinctè cognoscatur totum, quod ex illis componitur; Hinc erit

DISPVTATIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

1. Sacramentum dicitur, quod ad sacrandum institutum sit.

SACRAMENTUM apud Auctores cùm prophanos, tum sacros varias habet significationes; ea tamen etymologiæ vocis, Scripturæ ac Sanctorum Patrum doctrinæ videtur maximè conformis, quâ dicatur Sacramentum, quod ad sacrandum seu sanctificandum institutum est, prout in decursu hujus operis sole meridiano clariùs apparebit.

Velut id quod medetur, medicamentum.

Et verò nemo ignorat medicamentum dici id, quod medetur, nocumentum id, quod nocet &c. Quid ni igitur Sacramentum id, quod sacrat sive sanctificat? Ita planè sentiendum existimo, & loquendum cum Scriptura ac SS. Patribus, universisque Theologis; nequidquàm ringentibus, frendentibus, oblatrantibus hæreticis nostri temporis, qui absurdè omninò usurpant hanc vocem pro signaculo justitiæ per fidem acceptæ.

A quo loquendi modo, & Catholico sensu deviant hæretici.

Undè factum est, quòd deserendo Catholicum loquendi modum, etiam sensum deseruerint, & solâ voce Sacramenti retentâ, omnem Sacramentorum vim evacuaverint, in numero etiam varient, & in definitione inter se dissentiant, de quibus videri potest Bellar. Præfatione in 2. Tom. Controv. & in libris sequentibus; non enim est operæ-pretium ijs hic inhærere, quia sparsim in sequentibus tradentur. Sit itaque

Bellarm.

SECTIO PRIMA.

De Essentia Sacramenti.

2. ETSI tenuissimæ voluptatis sit de Religionis dogmatibus cum ijs hominibus velitari, qui communis sensûs fidei velut expertes, opinionum suarum modulo Christianæ fidei, Scripturæque sensa metiuntur, & universalis Ecclesiæ judicio authoritateque repudiatâ suo tantùm se duci spiritu, suoque quodammodò genio indulgere gloriantur: equidem quia perfecti Theologi est non solùm dogmata fidei proponere, sed etiam stabilire, & admotâ veritatis luce dispellere quidquid eis nebularum offundere adversarij potuerint: hinc priusquàm Catholicè definio Sacramentum, libet paucis pro ratione nostri instituti refutare errorem Acatholicorum hujus ævi.

Lutherus lib. de Captivitate Babylonica cap. ultimo dicit Sacramentum esse promissionem (gratiæ) signo externo annexam. Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 14. §. 1. externum symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientijs nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo & angelis, quàm apud homines testamur. Suinglius lib. de vera & falsa religione, oppignorationem quamdam, quâ homo sese Christo obligat, ejusque militiæ nomen dat. Breviter, docent Sacramentum esse signum prædestinationis, vel benevolentiæ, seu gratiæ collatæ per fidem specialem, quâ credimus nobis esse remissa peccata, ad quam Sacramentum movet seu excitat. Inter quos Lutherus, Calvinus & alij

Sed quid ad hæc Concil. Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nova legis non continere gratiam &c. quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratia, vel iustitia, & nota quadam Christiana professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Et can. 8. *Si quis dixerit per ipsa nova legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divina promissionis ad gratiam conse-* A Tridentina anathematizati.

consequendam sufficere; anathema sit.

3\. Porro absurditas hujus acceptionis ostenditur Primò ex Baptismo parvulorum, dum enim Lutherani baptizant suos parvulos non excitant in eis statim fidem: dicere autem cum Luthero parvulis tunc concedi usum rationis, est asserere continuum miraculum sine ullo ejus indicio.

Confutantur; cùm in parvulis non excitetur fides, nec pro tempore baptismi usus rationis concedatur. Alias enim parvuli peccarent renitendo. *S. August.*

Et certè si hoc foret verum, graviter tunc peccarent, ejulando, renitendo, & quantùm in ipsis est subtrahendo se ablutioni, teste D. Augustino epistola 106. ibi, *Quandoquidem tantum beneficium* (regenerationis) *non solùm non libentibus* (parvulis) *verùm etiam reluctantibus datur, quod eis ad magnum imputaretur sacrilegium, si tam in iis aliquid valeret voluntatis arbitrium.* Imo Baptismus eorum esset invalidus, ut inferiùs edissero sect. 8. Conc. 1.

Imo baptismus eorum esset invalidus.

Et quamvis in Baptismo adultorum soleant præmittere concionem excitativam fidei, ea tamen in multis idiotis non habet effectum; neque in Catholicis, qui talem fidem non eliciunt dum baptizantur, & tamen baptizantur validè etiam in sententia Lutheri & Calvini, qui proindè eos non rebaptizant, si declinent ad eorum sectam. Adde multa esse, per quæ commodiùs fides excitari possit, quæ tamen ab ipsis non dicuntur Sacramenta, ut sunt observantia mandatorum Dei, & alia pia opera.

Neque semper adulti talem fidem eliciunt dū baptizantur, & tamen validè baptizantur.

4\. Ostenditur Secundò ex generali institutione Sacramentorum, etiam pro reprobis: alioquin non bene Christus præcepisset Apostolis suis Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quis enim ambigat multos ex Gentibus fuisse vocatos, paucos verò electos? *Si à me*, inquit D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 8. *quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua Christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo.* Si Christianè vivit, qui perseverantiam non accepit, quidni validè & licitè suscipiat Sacramenta?

Confutantur etiam ex generali institutione Sacramentorum, etiam pro reprobis. *Matth. 28.* *S. August.*

Argumenta hæreticorum, eorumque solutiones, vide apud Bellarminum lib. 1. de Sacramentis cap. 17. Nunc pro doctrina Catholica erit

Bellarm.

CONCLUSIO PRIMA.

Sacramentum congruentissimè ad usum modernum Ecclesiæ definitur: Res, vel cæremonia sacra, sensibilis, legitimè ac stabiliter instituta ad significandam veram sanctitatem, vel gratuitum Dei effectum, & ad conferendam, vel eam, vel saltem convenientem statui Ecclesiæ tunc existentis.

Hac definitione seu descriptione continentur omnia & sola, quæ hodie ab Ecclesia pro Sacramentis sive novis, sive veteribus habentur. Explico singulas ejus partes. 5.

Res, vel cæremonia sacra. Per *rem* intellige Sacramentum Eucharistiæ, quod consistit in re permanente, speciebus scilicet consecratis; per *cæremoniam* reliqua Sacramenta, quæ solummodò sunt actiones aliquæ transeuntes.

Definitio per partes explicatur.

Illa autem *res*, vel *cæremonia* dicitur sacra, quæ à Deo instituta est ad suum cultum. Defectu hujus sanctitatis non fuerunt Sacramenta veteris legis, manna & aqua miraculosè ex petra in deserto data, transitus maris rubri, & nubes, quæ ducebat filios Israël per desertum; quamvis teste Apostolo 1. Cor. 10. significaverint spiritualem ablutionem, potum & cibum; adeoque nostrum Baptisma, & Sacramentum Eucharistiæ; exhibebantur quippe solùm ad usum illius populi. Quamquam & aliâ ratione excludi possint; quia nimirum nullam contulerint sanctitatem.

Est res sacra, à Deo instituta ad cultum suum.

Hinc varia veteris legis excluduntur. 1. Cor. 10.

Propter eamdem rationem Martyrium non est Sacramentum novæ legis: enimverò si spectetur ut est actio inferentis, est illicitum homicidium, & à Deo prohibitum: si verò ut passio sustinentis, indubiè placet Deo in tantùm ut quasi ex opere operato conferat gratiam sanctificantem. Ast ubi Deus illam passionem instituit ad sui cultum? Quin imò putant aliqui nec institui potuisse, cùm ad illud perveniri non possit sine actione intrinsecè mala.

Prout & Martyrium.

Quod aliqui putant nec institui potuisse.

Contra: mors Christi fuit verum Sacrificium adeoque instituta ad cultum Dei; quid ni ergo & passio, & mors Martyrum potuerit institui? Ad rationem dico, aliud esse, Deum providere peccata, eaque ordinare ad suum cultum; aliud de peccatis providere, eorumque effectus bonos instituere in protestationem divinæ excellentiæ: *Multum siquidem diversum est, quod in*

Sed malè, cùm mors Christi instituta fuerit ad Dei cultum.

S. Leo.

malignitate Iudaeorum est praecognitum, & quod in Christi passione est dispositum, inquit D. Leo ser. 16. de passione. Et Sanctus Prosper ad excerpta Genuen. dub. 7. *Herodes & Pilatus & populus Israël fecerunt quanta manus Dei, & consilium praedestinavit fieri.* Si mors Christi fuit praedestinata & ordinata in protestationem summae Dei potestatis in mortem & vitam, quae tamen sine crimine non erat complenda; nihil impedit actio Tyranni intrinsecè mala, quin similiter bona passio Martyris ad cultum Dei potuerit institui.

S. Prosper.

Verumtamen non fuisse sic institutam, ut per modum signi sacri conferret gratiam justificantem ex opere operato, satis probatur ex Martyrio Innocentium; quippè ad valorem Sacramenti requiritur intentio ministri, utiquè faciendi quod facit Ecclesia. Et haec ubi? Certè non in Tyranno, qui in hoc unicum collimat, ut occidat & perdat, ac occidendo contra Ecclesiam praevaleat: non etiam in ipso Martyre, qui potest defectu usus rationis esse incapax propriae voluntatis. Plura de hac re disp. 2. sect. ultimâ quae est de Martyrio.

Non fuisse autem martyrium sic institutum satis probatur ex martyrio Innocentium.

6. Sequitur in definitione ly *Sensibilis*: aliquo scilicet sensu externo, saltem secundariò ratione alterius, cui substat. Et quidem de facto Deum instituisse signa sensibilia, non est qui dubitet.

Sacramentum est res sensibilis, saltem secundariò.

Ex varijs congruentijs hujus institutionis, unam adfero, quae fundatur in unitate Ecclesiae visibilis; quia nimirum Dei cultores erant in unam visibilem Ecclesiam congregandi, & discernendi à Gentilibus; impossibile autem est homines convenire in unam sive veram, sive falsam Religionem sine signis sensibilibus, utpotè qui mutuos internos conceptus percipere nequeant, propter dependentiam intellectûs à phantasmate.

Quòd autem ratio Sacramenti non repughet signo insensibili, v. g. piae cogitationi Angeli vel hominis, à plerisque docetur; quamvis negent fore Sacramentum ejusdem rationis cum illis, quae de facto instituta sunt; nam potius esset Sacramentum divinum vel Angelicum, quàm humanum; quandoquidem homines per tale signum non possent, ut dictum est, in unam aliquam Religionem colligi & convenire; neque certi possent esse se suscepisse illud Sacramentum; cùm actum aut habitum internum non satis cognoscant.

Rationem tamen Sacramenti non repugnare signo insensibili, plerique docent.

Quidquid sit de nomine, clarum est, quòd tota res Sacramenti in tali signo inveniretur, scilicet significatio & collatio gratiae: quòd enim illa significatio sit respectu hominum, vel Angelorum, aut Dei, non videtur includi in essentia Sacramenti. Porrò Theologi locuti sunt secundùm id, quod de facto contigit, & quod congruum erat, ut fieret.

Tota res Sacramenti in tali signo invenitetur.

Defectu sensibilitatis potest excludi ab hac definitione contritio, cui ex promissione divina infallibiliter annectitur gratia sanctificans; licet enim se quandoque prodat exteriùs, istud tamen sensibile signum impertinens est ad effectionem gratiae; quippè contritio merè interna aequè efficax est. Equidem non ideò contritio efficit, quia significat; sed potiùs è converso, ideò significat, quia efficit; quemadmodum causa naturalis significat suum effectum.

Defectu sensibilitatis potest excludi contritio.

7. Tertia pars definitionis est: *Legitimè ac stabiliter instituta. Legitimè* quidem; quia non cujusvis est instituere Sacramenta, ut constabit sect. sequenti: *stabiliter* verò; quia cùm Sacramenta sint quaedam caeremoniae sacrae & communes, per quas fideles in unam Ecclesiam coalescant distinctam à caeteris institutis, necessè est, quod permaneant, quamdiu permanet idem Ecclesiae status.

Sacramentum est res legitimè ac stabiliter instituta.

Quod addo; quia Sacramenta veteris legis modò desierunt, quemadmodum & ipsa lex vetus desijt esse; verùm sicut interitus legis veteris non obstat stabilitati requisitae ex communi sententia ad rationem legis propriè dictae; ita neque interitus Sacramentorum legis Mosaicae aufert ab illis rationem propriè dicti Sacramenti pro tempore & loco, quo lex vetus obligavit. Sufficit igitur stabilitas respectiva pro loco, tempore, ac personarum circumstantijs.

Et hinc gesta Patriarcharum, quantumcumque res sacras praefigurarent, non fuerunt tamen Sacramenta vetera, quia non fuerunt caeremoniae institutae ut stabiliter, & ordinatâ lege frequentarentur. Similiter ablutio pedum, insufflatio in Apostolos, verba dicta paralytico *Remittuntur tibi peccata tua*, quibus Christus usus est ad sanctificandum, non solent vocari Sacramenta novae legis; quia non sunt stabili usu ad sanctitatem significandam & conferendam instituta.

Defectu perfectioris conditionis gesta Patriarcharum, ablutio pedum &c. excluduntur.

Objicit Cardinalis Lugo de Sacramentis disp. 1. sect. 3. n. 49. Sicuti Sacramenta pertinent ad cultum Dei, quem Ecclesia exhibet, sic & sacrificia: unde non minus debent convenire fideles in modo & ritu sacrificiorum, quàm in Sacramentis; & tamen in novo testamento Christus sacerdos ex praecepto Patris obtulit sacrificium cruentum in cruce, quod non transijt in exemplum, neque stabilitum fuit per legem

Nec obstat quod sacrificiū cruentum non fuerit stabilitum; Lugo.

gem permanentem: ergo similiter posset Deus instituere aliquod Sacramentum extraordinarium pro una vice, quod pertineret etiam ad cultum Dei.

Quia nec solet vocari Sacrificium novæ legis.

Respondeo concedendo totum; verumtamen quemadmodum sacrificium cruentum non solet vocari sacrificium novæ legis; quia in lege nova non stabiliter institutum; ita neque sacrificium extraordinarium, quamvis rem Sacramenti novæ legis contineret, efficaciam videlicet & significationem gratiæ sanctificantis; nomine tamen illo nec deberet, nec posset gaudere. Colligo; quia ipsa lex nova secundùm omnes dicit permanentiam & stabilitatem; ergo etiam Sacrificium & Sacramentum, quæ sunt quasi fundamentum & substantia legis novæ.

8. Sacramentum est res instituta ad significandam veram sanctitatem vel gratuitum Dei effectum.

Quarta pars: *Ad significandam veram sanctitatem, vel gratuitum Dei effectum.* Ex quo apparet Sacramentum esse sacrum, non solùm ratione principii à quo, & finis ad quem; verùm etiam ratione significati, quod est sanctitas spiritualis hominis, vel accidentalis sivè inhærens, ut est gratia justificans, & auxilia gratiæ actualia; vel substantialis sivè subsistens, qualis est ipse auctor gratiæ Christus Dominus, qui significatur per illam particulam, gratuitus Dei effectus, de quo conclus. sequenti.

Significare gratiam probatur. Trident.

Jam autem Sacramenta significare gratiam docet Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant* &c. De Sacramentis veteribus ita loquitur Euge. IV. (Florent.) in decreto sive institutione Armenorum: *Novæ legis septem sunt Sacramenta &c. quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant.* Quod testatur Apostolus 1. Cor. 10. v. 4. (1. Cor. 10.) *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus* &c. Et infra v. 11. *Omnia in figura contingebant illis.*

9. Explicatur ultima definitionis pars.

Additur pro fine definitionis: *Et ad conferendam vel eam, vel saltem convenientem statui Ecclesiæ tunc existentis.* Quippè Sacramentum non modò debet esse Sacramentum ex parte rei significatæ; sed etiam in se; hoc est, debet illos qui suscipiunt aliquo modo sanctificare, vel vera sanctitate, vel legali & convenienti illi statui, in quo habet rationem Sacramenti.

Fundatur in vi nominis: nam Sacramentum dictum est à sacrando, sivè initiando, vel consecrando; siquidem idem significat quod *mysterium*; hoc autem ex prima sua origine significat aliquid ad Religionem pertinens, quo homines sanctificentur & consecrentur. Procedit enim à verbo Græco μυῶ, quod latinè est, *initiari sacris. Inde*, inquit D. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 26. (S. Aug.) *Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur*, id est, consecrantur sive sanctificantur. Certum autem est illa omnia quibus homines consecrantur, afferre illis aliquam sanctitatem saltem imperfectam.

Igitur sicuti status veteris legis erat figura statûs gratiæ, sic ei conveniebat, & propria erat sanctitas quædam, quæ erat umbra veræ sanctitatis, & consistebat in quibusdam justitiis carnis, ut docet Apostolus ad Heb. 9. (Hebr. 9.) putà in carentia legalis immunditiæ, quæ contrahebatur ex contactu mortui, & similibus, & per lustrationes præscriptas diluebatur: at vera sanctitas non pertinebat ad veterem legem ut sic; nec acquirebatur per cæremonias legales ut sic, sive ut pertinentes ad vetus testamentum; sed per opera pia ex contritione seu charitate profecta, & quatenus illas cæremonias piè & ex fide in Christum obibant, & sic quodammodò spectantes ad novum testamentum, ut fusè D. Aug. (S. Aug.) lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. Contrà verò statui gratiæ vera sanctitas propria est, desinentibus jam umbris. Joannis 1. v. 17. (Joan. 1.) *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

Per illam excluduntur Primò Sacramentalia.

Hinc excluduntur à ratione Sacramenti Primò Sacramentalia, v. g. aqua benedicta, benedictio Abbatis & Abbatissæ, prima Tonsura, Professio religiosa &c. quæ licet significent & conferant aliquam sanctitatem; non tamen convenientem statui præsentis Ecclesiæ, id est, gratiam justificantem.

Enimverò cùm Sacramenta sint signa practica alicujus sanctitatis, quâ populus Dei ab aliis distinguitur; necessariò debent practicè significare, & suo usu conferre sanctitatem statui illius populi propriam; unumquodque enim per id quod est sibi proprium, & in suo esse constituitur, & ab aliis distinguitur; atque ita Sacramenta nova & vetera per hoc in suo esse constituuntur & inter se distinguuntur, quòd utraque ex opere operato sanctitatem suo statui propriam conferant.

10. Secundò sacrificia veteris legis.

Excluduntur Secundò Sacrificia veteris legis, præsertim ea, quæ non fiebant ad expianda certa peccata talibus vel talibus cæremoniis. Quæris rationem limitationis? Non video, inquit Lugo dis. 1. de Sacramentis n. 12. cur illa (quæ videlicet fiebant ad expianda peccata talibus vel talibus cæremoniis)

Licet essent omnia excludenda, non videt Lugo.

cæremonijs) non debuerint appellari Sacramenta. Nam inprimis significabant veram sanctitatem nobis dandam per mortem Christi & redemptionem crucis, & simul conferebant aliquam sanctitatem & expiationem in suo usu legalem ijs, quibus applicabantur, quem effectum habebant infallibiliter ex divina institutione. Ita Ille contra Suarium de Sacramentis disp. 1. sect. 1.

Qui respondet: Sacrificium quidem & Sacramentum convenire in ratione signi sacri, tam ex parte cæremoniæ, quia utrumque esse debet cæremonia religiosa; quàm ex parte rei significatæ, quia in utroque esse debet res sacra: differre tamen; in re significante; quia Sacrificium continet supremum Dei cultum, id est, immediatè instituitur & refertur ad tribuendum cultum Deo, quocumque titulo Religionis, vel justitiæ tribuatur: Sacramentum verò immediatè refertur ad ipsos cultores Dei, quos disponit seu sanctificat ad cultum Dei. Undè fit ut Sacrificium consistat in actione aliqua seu oblatione, quæ ad Deum refertur: Sacramentum autem in receptione, seu quasi passione, quæ in Dei cultoribus aliquo modo suscipiatur. Et hinc etiam oritur ut idem Sacrificium possit à multis offerri, & omnibus prodesse; unum verò Sacramentum, seu usus Sacramenti tantùm in uno recipiatur, eique tantùm prosit. In re autem significata differunt: quia Sacrificium per se & ex intrinseca ratione sua solùm requirit, ut significet divinam excellentiam & cultum, qui illi præstatur; Sacramentum verò potiùs ordinatur ad significandam sanctificationem eorum, qui Deum colunt. Hactenùs Suarius.

;videt tamen Suarius; cũ immediatè instituantur & referantur ad tribuendum cultũ Deo; non sic Sacramenta.

Sed contrà, inquit Card. suprà n. 13. licèt Sacrificium ordinetur ad significandum cultum Dei; non tamen repugnat, quòd ipsemet cultus Dei rursùs assumatur ad significandam sacramentaliter sanctificationem ipsius colentis Deum; sic enim de facto actus contritionis, qui de se tendit in Deum & ejus bonitatem, est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & assumitur ad significandam hominis pœnitentis sanctificationem. Item forma extremæ Unctionis est deprecatio, & per consequens actus orationis & religionis ordinatus de se ad colendum Deum: & tamen hic ipse actus religionis, & cultus Dei assumitur ad significandam Sacramentaliter sanctificationem, quam operatur in ægroto, qui ungitur. Cur ergo non poterit similiter aliquod Sacrificium, quod ex se esset cultus Dei & ordinatum ad significandam Dei excellentiam, assumi tamen ad significandam sacramentaliter (hoc est, ad significandam & ex vi significationis conferendam) sanctificationem illius, cui applicatur? Etenim si Sacerdoti pœnitenti pro sacramentali pœnitentia injungatur oblatio Sacrificij; tunc Sacrificium novæ Legis, utpotè pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, significabit sacramentaliter aliquam sanctificationem illius pœnitentis, scilicet expiationem à debito pœnæ temporalis. Sic ergò potuisset secundùm se institui aliqua oblatio Sacrificij pro actione & ritu consecrandi & ordinandi Sacerdotem; ita ut quando pro aliquo offerretur tale Sacrificium, ille maneret ordinatus & consecratus Sacerdos, ac per consequens illud Sacrificium posset tunc esse simul verum Sacramentum Ordinis.

Replicat Lugo non repugnare quod ipsemet cultus Dei assumatur ut Sacramentaliter significet sanctificationem colentis Deum.

Respondeo, quidquid sit de possibili, 11.
an videlicet in eadem actione seu re materiali simul possint inveniri ratio Sacrificij & Sacramenti, quod facilè admitteremus; equidem non dubitamus, quin rationes illæ formaliter distinguantur; ideoque sacrificium quà tale nullatenus dici posse Sacramentum & è converso. Ratio est manifesta; quia essentia Sacramenti est practica significatio gratiæ, essentia verò Sacrificij significatio divinæ excellentiæ & nostræ submissionis per cultum, qui Deo in Sacrificio exhibetur. Ut proindè occisio Agni Paschalis fuerit propriè Sacrificium veteris Legis; ipse verò Agnus occisus, ejusque comestio, Sacramentum.

Quidquid sit de illo; equidem rationes illæ distinguerentur formaliter.

Cæterùm, an Sacrificia expiatoria veteris Legis debuerint appellari Sacramenta, quæstio est de nomine, & ideò non immoror. In Ecclesia nova non solet vocari Sacramentum, nisi illa actio, quæ primariò instituta est ad significandam & conferendam in suo usu & applicatione sanctitatem.

An Sacrificia expiatoria veteris legis debuerint appellari Sacramenta, quæstio est de nomine.

Undè Sacrificium novæ Legis, quamquàm materialiter sumptum pro hostia quæ in eo offertur, verè sit & ab omnibus vocetur Sacramentum; imò formaliter in quantum effectivum Corporis & Sanguinis Christi, aliquâ ratione dici posset Sacramentum, ut patebit ex dicendis conclus. sequenti; equidem communiter non dicitur: quia ut sic principaliter non est institutum ad internam hominis sanctificationem per collationem gratiæ justificantis; sed in signum protestativum summi dominij Dei in vitam & mortem.

Atque hæc sufficiant pro explicatione definitionis seu descriptionis Sacramenti in genere;

genere; progrediamur ad definitionem Sacramenti novæ Legis, quæ talis est.

CONCLUSIO II.

Sacramentum novæ Legis est signum practicum gratiæ sanctificantis, vel gratuiti Dei effectûs.

12. *Scotus.*

COlligo ex Scoto 4 dist. 1. quæst. 2. n. 9. ibi: *Eo modo quo potest esse definitio Sacramenti hæc est*, inquit, *eius definitio, scilicet signum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Quæ definitio satis est explicata præcedenti conclusione, exceptâ illâ particulâ, *gratuiti Dei effectus*, quam aliqui putant non solùm non necessariam, sed potiùs contrariam.

Rejicitur ab aliquibus definitio propter additum vel *gratuiti Dei effectus.* Quia sic non foret una definitio.

Fundantur Primò, quia sic non est una definitio. Respondet Doctor suprà n. 7. *Quòd cùm in ratione prædicta, formale intelligatur esse signum, & etiam illa, quæ per se determinant rationem signi, cuiusmodi sunt ex institutione & efficaciter, alia duo quæ sunt ibi, scilicet, sensibile & effectum Dei gratuitum, sunt ibi ut additamenta: primum ut subiectum, sive ut fundamentum: secundum autem ut correlativum pluralitas autem quæcumquè, vel subiecti in se, vel correlativi ad correlativum non prohibet relationem esse definibilem simpliciter: ergo nec excludit à Sacramento habere definitionem propter non unitatem.*

Sed respondet Scotus pluralitatem quamcumque vel subjecti in se, vel correlativi ad correlativum non obstare quin relatio sit definibilis simpliciter.

Sed contrà: Hîc non solùm est pluralitas subjecti & correlativi; verùm etiam correlativorum sive signatorum; unum quippe significatum est gratia inhærens, aliud gratia subsistens, sive gratuitus Dei effectus; atqui illa sunt plura; ergo etiam rationes signorum.

Sed urgent hic etiam esse pluralitatem correlativorum.

Respondeo concedendo totum. Et hinc est, quòd Sacramentum Eucharistiæ specie differat ab alijs Sacramentis, non solùm propter diversum sensibile, sed etiam propter diversum significatum. Baptismus & Pœnitentia nonnè habent diversum significatum, videlicet deletionem originalis & actualis peccati? Eo tamen non obstante conveniunt univocè in ratione Sacramenti in genere; ita & Eucharistia cum alijs Sacramentis.

Respondetur, hinc Eucharistiā differre specie ab alijs Sacramentis.

Hanc convenientiam & distinctionem significat Trident. sess. 13. cap 3. ibi: *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis symbolum esse rei sacræ & invisibilis gratiæ formam visibilem: verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor antè usum est.*

Quod etiā indicat Concil. Tridentinum.

Convenit igitur Eucharistia cum reliquis Sacramentis in eo, quòd sit signum rei sacræ, sive gratiæ invisibilis, prout hæc significat donum aliquod naturæ superadditum, institutum ad hominis salutem sive sanctificationem; differt autem in principali significato, quod est donum sive gratia substantialis, id est, auctor gratiæ Christus Dominus, cùm reliqua Sacramenta principaliter significent gratiam accidentalem, hoc est, inhærentem seu justificantem.

Illa ergo particula, *gratuitus Dei effectus*, non facit rationem formalem Sacramenti esse multiplicem sive æquivocam; sed solùm significat diversitatem specificam aliquorum Sacramentorum, quæ reverà subest; siquidem Eucharistia est Sacramentum permanens; adeoque debet habere effectum permanentem sive subsistentem; cætera autem sunt Sacramenta transeuntia & ita habent effectum transeuntem in suscipientem.

Particula itaque prædicta solùm significat diversitatē specificam aliquorum Sacramentorum.

Ex his deducitur alterutram particulam potuisse omitti salvâ bonitate definitionis; per *gratiam* namque potest intelligi & accidentalis & substantialis; atque rursus utraque rectè dicitur *gratuitus effectus.* Majoris itaque claritatis gratiâ Doctor Subtilis utramque gratiam distinctè posuit; idque quia communiùs ly *gratia* apud Theologos significat solam gratiam accidentalem.

Ostenditur alterutram particulam potuisse omitti, salvâ bonitate definitionis.

Fundantur Secundò; quia sic difficulter excluditur à definitione forma consecrationis; quæ si admittatur esse Sacramentum, jam plura erunt Sacramenta quàm septem, contrà definitionem Ecclesiæ in Concil. Trident. sess. 7. can. 1. ibi: *Aut esse plura vel pauciora quàm septem* &c. 13.

Impugnatur secundò definitio quia sic difficulter excluderetur forma consecrationis. Si nō excludatur, non solùm septem erunt Sacramenta. *Trident.*

Respondeo Primò consecrationem fortè non debere excludi. Ita Gabr. 4. dist. 8. q. 1. l. F. in fine ibi: Sed ad dubium cum timore respondeo, quia non legi illud à Doctoribus decisum: non itaque asserendo, sed tanquàm examinandum corrigendumque à peritioribus offero. Consecratio Eucharistiæ est Sacramentum propriè; quia omnes definitiones Sacramenti datæ à Sanctis & Doctoribus sibi conveniunt.

Respondetur primò, Consecrationem fortè non debere excludi. *Gabriel.*

Et tunc erit unum Sacramentum cum Eucharistia unitate ordinis.

Ad illationem respondeo, consecrationem esse unum Sacramentum cum Eucharistia unitate ordinis; quippè ordinatur ad spirituale convivium, sicut appositio cibi. Aliàs neque Sacramentum Sanguinis secundùm Scotum est unum cum Sacramento Corporis unitate indivisibilitatis; sed solùm integritatis. Accedit quòd septem Ordines constituant unum Sacramentum unitate ordinis; quidni etiam consecratio & Eucharistia?

Objectio ex Scoto.

Objicies auctoritatem Scoti 4. dist. 6. q. 7. n. 3. ibi: *Illa prolatio verborum, quibus Eucharistia consecratur, non est Sacramentum, sed consecratio sacramentalis.* Rursus dist. 8. q. 1. n. 5. ibi: *Vnde usus huius Sacramenti non est Sacramentum: usus enim verborum sacramentalium est quadam via ad Sacramentum, quia in termino prolationis verborum incipit esse Sacramentum; sed usus & perceptio istius Sacramenti est quadam dispositio Sacramentalis, seu via quâ hoc Sacramentum applicetur Ecclesiæ.* Pro explicatione

Solvitur; eo quòd loquatur de Sacramento Eucharistiæ permanente.

Nota duplex esse Sacramentum Eucharistiæ, unum permanens, alterum transiens: permanens ordinariè & principaliter significatur; & de hoc loquitur Scotus; nam consecratio si est Sacramentum, est transiens. Colligo ex Report. primo loco n. 2. ibi: *Dico quòd Sacramentum Eucharistiæ, quod est species panis & vini, non est iterabile in eadem hostia.*

Scotus.

14. **Responde tur secundò ad objectionem principalem, consecrationem significare gratuitum Dei effectum, ut hostiam sacrificij.**

Interim quia fortassis alicui hæc responsio nova & minùs probabilis videri posset, hinc ad objectionem principalem Respondeo Secundò, consecrationem non significare gratuitum Dei effectum per modum pastûs spiritualis; sed ut hostiam sacrificij, quę non ordinatur proximè ad hominis sanctificationem, sed protestationem summi dominij Dei; quippe consecratio propriè est Sacrificium; ut suo loco dicemus: porrò species consecratæ, quæ sunt primarium Sacramentum Eucharistiæ, significant corpus Christi per modum cibi spiritualis.

Infertur, saltem perceptionem Eucharistiæ fore verum Sacramentum: Scotus.

Si inferas: Ergo usus saltem sive perceptio Eucharistiæ erit verum Sacramentum; siquidem significat spiritualem nutritionem, ut habet Scotus 4. dist. 8. q. 1. n. 5. ibi: *Bene poßible est in utroque usu* (scilicet consecratione & perceptione) *si dignè fiat gratiam conferri utenti: sed hoc non est formale & primum significatum Eucharistiæ, sed quidam actus sacramentales, in quibus bene potest gratia recipi, si dignè fiant: magis tamen in perceptione, quàm in consecratione, quia actus perceptionis significat spiritualem nutritionem, qua est per gratiæ collationem.*

Sed malè: cùm vi suæ significationis non causet.

Respondeo non sufficere ad Sacramentum, quòd significet gratuitum effectum, sed insuper requiritur (ut patet ex definitione assignata) quòd eumdem vi suæ significationis causet; jam autem usus sive perceptio solùm est conditio vel applicatio specierum consecratarum, quæ sunt vera causa moralis istius nutritionis.

Certum etiam est ante usum dari verum Eucharistiæ Sacramentum. Trident.

Et quidem certum in primis est ante usum dari verum Sacramentum Eucharistiæ. Trident. sess. 13. cap. 4. *Si quis dixerit peractâ consecratione in admirabili Eucharistia Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantùm in usu* &c. Florentinum in instructione Armenorum de Sacramento Euch. ibi: *Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.* Ratio à priori: quia est cibus spiritualis animæ, & causat gratiam sanctificantem per modum cibi; sicut ergo cibus naturalis ante manducationem habet virtutem adæquatam nutriendi, ita etiam Eucharistia.

Florent.

Secundò indubitatum est Eucharistiam non causare gratiam sanctificantem sine usu, neque hunc sine illa. Restat sola difficultas, unde colligatur illam manducationem non esse causam moralem gratiæ (ut dictum est) sed conditionem solùm sine qua non, sive applicationem causæ moralis. Respondeo id fundari in institutione hujus Sacramenti per modum cibi spiritualis: quemadmodum enim manducatio cibi naturalis non est causa physica nutritionis naturalis, sed solùm conditio sine qua non; ita etiam manducatio cibi spiritualis non debet dici causa moralis nutritionis spiritualis, sed solùm conditio sine qua non. 15.

Manducatio non est moralis causa gratiæ; prout nec manducatio cibi naturalis est causa physica nutritionis naturalis.

Argumentum à simili de extrema Unctione.

Sed contrà: Extrema Unctio instituta est per modum medicinæ; ergo sicut in naturalibus unctio sive applicatio olei non est causa sanitatis naturalis; ita etiam unctio in spiritualibus solùm erit conditio & non pars Sacramenti. Respondeo unctionem non esse institutam in ratione Sacramenti per modum medicinæ adæquatè causantis; bene Eucharistiam per modum cibi. Ostendo; quia Eucharistia à quolibet applicata habet suum effectum; unctio verò requirit certum ministrum & determinata verba, adeoque etiam partialiter significat ex Christi institutione internam curationem.

Solvitur.

Arguis iterùm: Eucharistia posita in stomacho sine manducatione non operatur suum effectum; ergo manducatio est vera 16.

causa

Sicut & illud; quòd Eucharistia posita in stomacho sine manducatione non operetur suum effectum Joannis 6.

causa moralis. Antecedens probas ex Joannis 6. v 54. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam* &c. Respondeo negando Antecedens; quis enim credat partem hostiæ sacræ immissam cælitus D. Bonaventuræ per latus apertum instar rosæ, inibi non causasse ex opere operato gratiam sanctificantem?

Ad probationem dico, illis verbis exigi manducationem tanquam conditionem regulariter necessariam; quemadmodum ad Sacramentum Unctionis requiritur adductio presbyteri: *Infirmatur* (inquit Apostolus Jacobus Epistola Cathol. c. 5. v. 14.) *quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ* &c. & tamen nemo docet inductionem illam esse causam, aut conditionem essentialiter requisitam ad effectum Sacramenti. Accedit illo loco Joannis agi de omni gratia justificante, quâ ille caret, qui non adimplet præceptum communionis quando potest; non impletur autem communiter sine manducatione.

Jacob. 5.

Alia verba ibidem v. 59. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, solùm asserunt gratiam dandam manducanti, non autem negant illi, qui viâ extraordinariâ Sacramentum reciperet. Sicut de ligno vitæ dici poterat: *Qui comedit ex hac arbore, vivet*; & tamen procul dubio fructus ille haberet eundem effectum positus intra stomachum, etiam sine manducatione.

Lugo.

Hæc fusiùs Card. Lugo de Euch. disp. 1. sect. 7. n. 140. & sequentibus. Cæterùm quia hæc doctrina nova est, aliud discrimen assignat idem Auctor ibidem, & alibi inter causam moralem & conditionem sine qua non; videlicet quòd illa debeat esse moraliter actio Christi; qualis non est manducatio aut contactus sacræ hostiæ (de quo posset esse eadem difficultas & major; quia sine illo absolutè Sacramentum non operatur) sed solùm est conditio; quâ positâ movetur Deus ab ipso Sacramento & ab operatione morali Christi ad dandam gratiam: sed de hoc alibi latiùs.

Assignatur discrimen aliud inter causam moralem & cōditionem sine qua non.

Quæris à me, cur usus in hoc Sacramento non sit institutus ad dandam gratiam, sicut in alijs Sacramentis? Responsio in promptu est; quia Eucharistia instituta est per modum cibi, alia non. Secundò: quia hoc Sacramentum est permanens, alia transeuntia, ut dixi.

Datur ratio, cur usus non æquè in hoc, ac alijs Sacramentis sit ad dandam gratiam institutus.

17. Oppugnatur tertiò eadem particula definitionis;

Fundantur tertiò: quia videtur illa particula apponi ad includendam Eucharistiam; quasi hæc non haberet vim significandi & causandi gratiam sanctificantem ante usum; nec nisi mediante usu: sed sic sumptio potiùs Sacramentum esse debet, quàm ipsa Eucharistia. Repugnat etiam Tridentino, quod sess. 13. c. 3. & aliquot can. sess. 7. omnibus Sacramentis effectum gratiæ in suscipiente tribuit ex opere operato: imò ipsa Eucharistia excluditur, si solæ species sint Eucharistiæ Sacramentum.

Item ex Tridentino.

Et ex eo, quòd & ipsa Eucharistia excluderetur.

Ut ab ultima parte hujus debilis fundamenti incipiam, respondeo nihil præter species consecratas reperiri in hoc Sacramento, per quod corpus Christi permanenter nobis significetur; quippe non per verba consecrationis, cùm illa transeant; neque per seipsum, cùm modo invisibili ibi existat; ergo per species, prout super illas forma verborum prolata est; & quandoquidem signatum non sit de essentia signi, liquet corpus Christi non ingredi essentiam Eucharistiæ, utpotè quæ debeat esse aliquod signum sensibile, vel pars illius.

Solvitur objectio.

Ad primam partem dico, non ideò præcisè poni illam particulam; sed ut definiatur Eucharistia per ordinem ad suum primarium & principalem effectum, qui non est gratia inhærens, sicut aliorum Sacramentorum; sed subsistens. Quæ etiam est ratio quare alia Sacramenta semper actu alicui significent & conferant gratiam, nisi ponatur obex; secùs Eucharistia; quam nihilominus asserimus habere vim significandi ante sumptionem; imò & efficaciam quantum est ex se, hoc est, vim efficiendi gratiam habitualem: at verò negamus propterea præcisè dici Sacramentum; sed potiùs, quia actu semper significat practicè effectum gratuitum, Corpus scilicet & Sanguinem Christi.

Et quamvis possit fieri, quòd actu & proximè non significet alicui homini, eo quòd non sentiatur sive videatur; tamen semper est signum actuale, hoc est, tale, quod ad significandum institutum est; non autem merè habituale, quod videlicet posset institui ad significandum. Porrò talis actualis significatio sufficit ad rationem Sacramenti & competit Sacramento Eucharistiæ, etsi nullam causet in aliquo subjecto gratiam sanctificantem; alia autem Sacramenta eo ipso, quo sunt talia signa, efficiunt necessariò gratiam in subjecto disposito; siquidem ante usum non sunt, uti est Eucharistia: atque ita per illam particulam indicatur (ut dixi) distinctio inter Sacramentum Eucharistiæ & alia Sacramenta.

Interim nullus negat, quin Eucharistia in suscipiente dignè illam causet gratiam justificantem (ut Trident. suprà in locis citatis docet) quàmvis existimemus illam non esse primarium effectum omnium Sacramentorum, cujus contrarium Trident. nullibi vel verbo insinuat, multò minùs definit.

Disputant hîc plerique, utrùm Sacramenta veteris Legis univocè conveniant cum nostris; adeoque sint propriè dicta Sacramenta? Quæstio parùm utilis & idcircò breviter dico.

CONCLUSIO III.

Sacramenta veteris Legis (exceptâ forsan Circumcisione & alio remedio peccati originalis) solùm analogicè conveniunt cum nostris in ratione Sacramenti. Equidem quodam sensu propriè sunt Sacramenta.

18. DE Circumcisione & alio remedio peccati originalis ex professo sectione sequenti. Modò quod attinet reliqua Sacramenta veteris Legis, probatur prima pars conclusionis; quia essentialis ratio Sacramenti est significatio & efficientia alicujus sanctitatis; atqui sanctitas, quam effecerunt Sacramenta vetera & quam nostra efficiunt, analogicè conveniunt in ratione sanctitatis: ergo &c.

Probatur prima pars conclusionis.

Minor patet; quæ enim potest esse univoca convenientia inter sanctitatem veram & spiritualem, quâ Deo grati sumus & filij ejus efficimur, & sanctitatem legalem seu cæremonialem, quæ non est nisi umbra veræ sanctitatis & consistit in munditia quadam corporali, aut remotione quarumdam legalium irregularitatum?

Conceptus univocus & communis à Lugone abstractus.

Dices cum Lugone suprà n. 47. Quamvis sanctitas dicatur analogicè de sanctitate gratiæ habitualis & sanctitate legali; possumus tamen ab utrisque Sacramentis abstrahere conceptum univocum & communem; quem quidem non explicemus per nomen sanctitatis, sed per nomen consecrationis, aut dedicationis & conjunctionis peculiaris cum Deo, ita ut esse Sacramentum sit cæremonia sacra in suo usu consecrans, dedicans, conjungens subjectum peculiariter cum Deo.

Dissolvitur, primò. Dicastillo.

Sed contra primò: Gratìs assumit (inquit Joannes de Dicastillo Tract. 1. de Sacramentis disp. 1. n. 26.) unam vocem esse analogam & alteram univocam; quod non probat, nec probare poterit. Nam sicut agnoscit solam analogiam in ratione sanctitatis, ita debuisset eandem agnoscere in ratione consecrationis, vel ostendere cur consecratio sit univoca, potiùs quàm sanctitas.

Secundò.

Respondeo secundò plura fuisse Sacramenta in veteri Lege, per quæ homo specialiter non consecrabatur Deo, sed solùm mundabatur ab aliquibus immunditijs legalibus. Quæ certè mundatio, imò & omnis consecratio illius legis solùm erat ens aliquod morale; cùm tamen sanctitas & consecratio, quæ est effectus proprius Sacramentorum novæ Legis, sit qualitas aliqua physica & permanens. Quæ autem univocatio inter ens physicum & morale?

19. Venio ad probationem Majoris, quæ plana est ex definitionibus Sacramenti suprà assignatis. Enimverò Sacramenta debent aliquo modo pertinere ad eos, quorum Sacramenta sunt; & proindè Sacramenta vetera non integrè absolvebantur (quidquid aliqui contradicant) per significationem gratiæ, quæ nobis filijs novæ Legis reposita erat, sed in eorum essentia involvebatur efficientia alicujus sanctitatis pertinentis ad carnalem Israël.

In essentia Sacramentorum veteris Legis involvebatur efficientia alicujus sanctitatis.

Quòd formale Sacramenti consistat in sola ratione signi.

Dices: Efficientia alicujus sanctitatis non habet se nisi materialiter ad rationem Sacramenti; interim formale Sacramenti videtur consistere in ratione signi tantùm; atqui Sacramentum in genere non significat determinatè gratiam sanctificantem præsentem vel futuram, sed solùm dicit rationem signi gratiæ in confuso, quæ utique participatur æqualiter ab antiquis Sacramentis juxta ac novis: ergo &c.

Improbatur.

Respondeo negando Majorem. Etenim cur magis ratio signi, quàm ratio causæ erit essentialis, cùm utraque in omni Sacramento reperiatur sine mutua subordinatione? Nam potest aliquid esse signum gratiæ, & non causa, ut patet in exemplis primâ conclusione allegatis; & similiter potest aliquid esse causa gratiæ, & non signum, ut liquidò constat ex actibus internis, contritione v. g. vel amore Dei super omnia, qui verè causant gratiam & tamen eam non significant, saltem hominibus, qui eos non cognoscunt.

Si verum est Sacramenta veteris Legis tantum mediatè significasse justificationem, non propriè significavêre sanctificationem veram; Regius.

Adde; quòd si verum est, quod docet Regius ad quæst. 60. art. 4. dub. 2. n. 10. Sacramenta veteris Legis significasse justificationem tantùm mediatè, quatenus scilicet significabant proximè mundationem legalem, hæc verò præfigurabat seu significabat gratiam justificantem, liquet profectò non propriè significasse sanctificationem veram, & sic non convenisse in communi ratione Sacramenti, quæ in objectione dicebatur (sed falsò) consistere in significatione gratiæ sanctificantis.

Probatur consequentia assumpti; quia licèt

Sicut vox, homo pictus, non propriè significat hominem vivum. licèt homo pictus significet seu repræsentet hominem vivum; hæc tamen vox *homo pictus*, non propriè dicitur significare hominem vivum, quamvis eum repræsentet mediante picturâ.

Nec satisfacit Regius. Nec obstat, quod objicit idem Auctor n. 28. quòd imago imaginis sit univocè imago cum imagine prototypi si quis v. g. depingat imaginem Romanam, quam pinxit S. Lucas: nam ratio diversitatis est manifesta, quòd imago imaginis non solùm imaginem, sed etiam ipsum prototypum immediatè repræsentet.

20. *Hinc patet evidentia consequentiæ.* Sic ergo probatâ Majori & Minori principalis argumenti, quid restat nisi ut consequentia sit evidens? Quippe efficientia eamdem sortitur analogiam, quam sanctitas, cujus est efficientia; nam ipsam sanctitatem essentialiter in suo conceptu in obliquo involvit; adeoque analogia ejus essentialem conceptum ipsius efficientiæ ingreditur.

Objectioni, quòd varia analogicè solùm convenientia in uno, in aliis conveniant univocè. Dices: Licèt risus plantæ & risus hominis conveniant analogicè in ratione risus; equidem vita, quæ est causa utriusque, univocè dicitur de vita hominis & vita plantæ. Et similiter quàmvis canis terrestris & canis marinus sint analogicè canis, Deus tamen univocè dicitur creator respectu eorum; ergo non obstante quòd effectus inter se solùm analogicè conveniant in sua entitate; possunt nihilominus univocè convenire in ratione effectus: & sic Sacramenti efficacia potest esse univoca respectu sanctitatis legalis & sanctificantis, quàmvis hæ non sint nisi analogicè sanctitas. Quod maximè verum est in nostra sententia, quâ docuimus tam nova, quàm vetera Sacramenta solùm causasse gratiam moraliter, adeoque eodem modo; & sic hi effectus conveniunt univocè in modo quo causantur, ac proindè in ratione effectûs.

Confirmatur: quàmvis actio, quæ pro termino habet substantiam, & actio, quæ pro termino habet qualitatem, non habeant terminos univocè inter se convenientes; non rectè inde inferes, actiones inter se univocè non convenire. Idem argumentum fieri potest in relationibus ad terminos genere diversos; idem etiam in scientijs ad objecta genere diversa. Ergo pari ratione ex eo, quòd sanctitas significata & collata per Sacramenta veteris legis non conveniat univocè cum sanctitate Sacramentorum novæ legis, non rectè argumentamur non posse in ratione signi & causæ moralis univocè convenire.

21. *Satisfit primo: quia in-de ad summum sequeretur, quòd utraque sanctitas univocè conveniat in ratione effectus ut sic.* Respondeo: si argumenta ista aliquid concludant, ad summum convincere, quòd sanctitas legalis & nostra conveniant univocè in ratione effectûs ut sic; & ita Sacramenta vetera & nova convenire univocè in ratione signi & causæ ut sic, quod libenter admittimus; sed negamus propterea univocè convenire in ratione signi & causæ gratiæ, per quam tamen formaliter & essentialiter constituitur Sacramentum; consequenter negamus convenire univocè in ratione Sacramenti.

Respondetur secundò; Dixi ad summum convincere &c. quia revera nec hoc convincunt: nam ratio diversitatis est, quòd effectus qui in argumentis allegantur sint entia quædam physica (substantiæ, vel accidentia, nihil refert) adeoque univocata vocis ens secundùm Doctorem Subtilem 1. dist. 3. q. 3. n. 9. *Scotus.* inter quæ proinde facilè intelligitur convenientia in modo quo causantur: at sanctitas novæ legis est ens physicum; antiquæ verò morale solùm, inter quæ sicut univocatio nequit intelligi, sic nec in productionibus eorum.

Nec obstat moralis gratiæ productio. Nec obstat, quòd utraque sanctitas solùm moraliter produci dicatur à Sacramentis: siquidem antiqua sicut physicè non est, sic nec physicè ullo modo produci potest; nova verò & physicè est & physicâ actione producitur, quàmvis hæc actio solùm moraliter imputetur Sacramento.

Responsio in forma ad argumentum Regij. In forma itaque ad primum argumentum; quod est Regij, Respondeo, risum hominis & plantæ, item canem terrestrem & marinum convenire univocè in ratione effectûs ut sic; sed non in ratione effecti-risûs, vel effecti-canis, & sic nec vitam esse univocè causam risûs, nec Deum creatorem canis respectu prædictorum, licèt sint univocè causa ut sic. Sicut etsi videns hominem ridentem & videns pratum ridens conveniant univocè in ratione videntis, non tamen in ratione videntis risum; uti nec ipse risus uterque convenit.

Solvitur etiam argumentum Dicastillonis. Ad secundum argumentum, quod est Dicastillonis, patet responsio ex dictis: quid enim miramur quòd actiones illæ genere distinctæ univocè conveniant inter se in ratione actionis ut sic, cùm etiam substantia & accidens, quæ genere distinguuntur, conveniant in ratione entis ut sic? Imo licèt ens æquivocè vel analogicè diceretur de substantia & accidente, adhuc actio ut sic univocè prædicaretur de istis actionibus; quia utraque est accidens reale & physicum.

Idem dicito de relationibus & scientijs, quæ quidem genere inter se distinguuntur, univocè tamen conveniunt in ratione relationis & scientiæ ut sic. Quippe relatio non

non est aliud, quàm realis & physica habitudo unius ad alterum; scientia autem cognitio certa & evidens, acquisita per discursum ex causa proxima & adæquata. Et dubitare aliquis potest, quin habitudo univocè dividatur in paternitatem, similitudinem &c. cognitio in cognitionem substantiæ, accidentis &c. sicut substantia dividitur univocè in corpoream & incorpoream, animal in hominem & brutum?

Quia Sacramentum non dicit rationem causæ ut sic, sed essentialiter est signum & causa gratiæ.

Porrò Sacramentum non dicit rationem causæ ut sic, sed essentialiter est signum & causa gratiæ. Sicuti ergo ipsa gratia nullatenus est univoca respectu gratiæ sanctificantis & gratiæ legalis; ita neque Sacramentum ut sic univocè dividitur in Sacramentum novum & antiquum.

Hæc itaque Sacramenta se habent, sicut homo verus & homo pictus.

Enimvero hæc Sacramenta non se habent sicut Deus & creatura, substantia & accidens; sed potiùs sicut risus hominis & risus plantæ, pes hominis & pes montis, homo verus & homo pictus: sanctitas quippe legalis solùm erat figura & umbra veræ sanctitatis.

22. Vetera tamen Sacramenta propriè talia vocantur; eo quod sanctitas umbratica conveniens & solùm illi statui debita fuerit;

Equidem (& hæc sit probatio secundæ partis conclusionis) quoniam illa sanctitas umbratica erat conveniens & solùm debita illi statui; idcirco Sacramenta veteris legis absque ulla metaphora vel improprietate sermonis, sine addito simpliciter vocantur Sacramenta tum ab Eugenio IV. in Concil. Florent. tum ab alijs Patribus ac Concilijs.

Sicut & quodlibet signum rei sacræ Sacramentum dicitur.

Prout etiam juramentum, mysterium, imo quodlibet signum rei sacræ & omnia alia, pro quibus aliquando à Scriptoribus tum profanis tum Ecclesiasticis vox Sacramentum usurpatur, absque improprietate sermonis, simpliciter & sine addito Sacramenta dicuntur; quis tamen propterea dixerit illa omnia univocè convenire in ratione Sacramenti, in ratione signi & in ratione gratiæ?

Nec obstat communis Philosophorum locutio.

Cæterùm quoties ejusdem vocis plura sunt significata univocè inter se non convenientia, unum principalius, alterum minus principale, dicunt communiter Philosophi ejusmodi appellationem alteri significato non propriè convenire, non quòd velint aliquam subesse grammaticalem sermonis improprietatem; sed quòd eam significationem vocent propriam & veram, quæ dignior est. Atque ita impræsentiarùm dici posset solùm Sacramentum novæ legis propriè & verè dici Sacramentum, quia significatum principalius & dignius.

Pergis contendere de voce? Non ago pugnaciter, voca ly *Sacramentum* univocum, æquivocum, analogum, parùm curo, dummodò in rem consentias.

Quæris, quis sit hujus rei institutor? Pro responsione erit

SECTIO SECUNDA.

De Sacramentorum Institutione.

1. Sacramenta tam nova, quàm vetera, fuerunt signa ad placitum.

SUPPONO ex communi sententia omnia Sacramenta tam vetera, quàm nova, fuisse signa ad placitum instituta; nec ex natura sua habere quòd practicè significent gratiam: nam (ut benè Doctor Subtilis 4. dist. 1. q. 3. n. 3.) *Tale signum* (scilicet efficax gratiæ) *non potest esse aliquid sensibile significans naturaliter, quia nullum sensibile habet efficaciam naturalem ad effectum invisibilem.* Intellige de factò. An autem repugnet tale sensibile, quis nobis edisseret? difficulter repugnantiam ostendes.

Objicitur Augustinus.

Porrò contra communem sententiam opponi solet locus D. Aug. Epistola 23. ad Bonifacium, ibi: *Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent:* atqui omnis similitudo naturaliter repræsentat rem, cujus est similitudo; ergo &c.

Sed respondetur primò solùm intendere quod Sacramenta necessariò habeant vim repræsentandi, sive physicam, sive moralem.

Respondeo primò D. Aug. per similitudinem non aliud intendere, quàm quòd omnia Sacramenta necessariò habeant vim repræsentandi seu significandi, sive vis illa seu similitudo sit physica, sive moralis: ut autem aliqua similitudo naturaliter repræsentet, debet esse physica & perfecta. Ablutio quidem corporis in Baptismo v. g. est quædam physica similitudo ablutionis animæ à peccatis, sed nimis imperfecta: undè etiam non repræsentat ijs, qui Christianâ religione imbuti non sunt. Et sanè non video quam majorem proportionem habeat contractus Matrimonij ad significandam gratiam, quàm reliqui contractus humani; nam materia ejus & forma ex se indicant merum contractum humanum.

2. Respondetur secundò Augustinum comparare Sacramentum

Meliùs ergo respondetur Aug. loco citato non loqui de similitudine inter signa Sacramentalia & effectus illorum, sed comparare Sacramentum ut Sacramentum est,

ut Sacramentum est cum suo effectu. Quod ex eodem Augustino colligitur.

est, cum suo effectu. Colligo ex sequentibus: *Sicut* (inquit) *secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est; Sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei* (hoc est Baptismus) *fides est*: scilicet per repræsentationem; quia significat & causat fidem; sicut quâlibet die dominicâ dicimus: *Hác die resurrexit Dominus*, scilicet repræsentativè, quod exemplum adfert ibi Aug. in quo manifestum est non attendi ad similitudinem aliquam, quam hæc dies materialis habet cum resurrectione Christi.

Et esto loquatur D Aug. de similitudine inter signum Sacramentale & effectum ejus, dico debere intelligi de sola proportione & aptitudine radicali; non autem de repræsentatione proxima & formali, quam habet ex institutione divina; quæque est formalis & essentialis ratio Sacramenti; Scoto quidem 4. dist. 1. q. 2. n. 7. & 11. relatio rationis; alijs autem ens reale; sed controversia est de significato nominis, quæ parvi momenti est, quando constat de re. Scotus.

3. Scotus non requisivit quid ficti ad rationem Sacramenti.

Certum est Scotum non requisivisse ad veram rationem Sacramenti quòd intellectus actu fingat aliquid intrinsecum ipsi signo sensibili; sed tantummodò voluit voluntatem instituentem esse fundamentum sufficiens, ut concipiatur in re, quæ signum est, aliquis respectus intrinsecus, seu virtus interna ad significandum & efficiendum, qualem aliæ causæ habent ad producendos suos effectus.

Virtus interna Sacramenti ad significandum non solet definiri; cùm sit quid unum.

Hæc autem virtus est, quæ solet definiri, cùm illa sola sit quid unum, quale oportet esse definitum propriè dictum. Ceterùm fundamentum illius relationis, etiam in sententia Scoti, est quid reale; unde non est ens rationis merè fictum, sed cum fundamento in re; ita quòd, etsi nullus cogitaret de tali relatione, tale signum nihilominùs à parte rei verè esset Sacramentum; quamvis non ut tale verâ definitione posset definiri.

Et si quæras, quæ sit ista res? Respondeo; ablutio v.g. in Baptismo, cum certa forma verborum &c. & institutio divina, quæ secundùm se nequeunt unâ definitione definiri, benè in quantum sunt fundamentum unius relationis rationis: *Quia* (ut inquit Scotus suprà n. 11.) *quantumcumq; diversa possunt concurrere in fundamento unius relationis rationis: non enim oportet nisi quòd multa ibi concipiantur, quasi unum in ordine ad aliquod signatum. Hoc patet quia huius relationis unius, quia est signare mustum bonum, bene potest esse fundamentum totum istud, scilicet circulus coopertus folijs bedera in cruce positus* &c. Scotus.

Hanc verò relationem rationis non consequi fundamentum ex natura rei, disertis verbis docet Scotus suprà n. 7. ibi: *Tertiò dico quòd in ratione nominis* (Sacramenti) *prædicta, includitur aliquid, quod dicit ens rationis; scilicet hoc, quod est signum ex institutione: nam ista relatio non consequitur fundamentum ex natura rei; quia etsi in re sit aptitudo ad signandum effectum signatum, tamen actualis significatio non convenit ipsi nisi per actum imponentis.* Scotus.

Suppono secundò Sacramentorum institutionem post peccatum maximè congruam fuisse ad salutem; pro nullo tamen statu simpliciter necessariam. Ita Scot. 4. dist. 1. q. 3. n. 2. *De primo* (inquit) *dico, quòd Sacramentum debere institui non potest probari necessariò, neq; à priori, quia Deus extra se nihil agit necessario: neq; à posteriori, sicut à fine quia absolutè possibile esset effectum invisibilem haberi sinè tali signo. Sed quòd congruum fuerit Sacramentum institui, probatur ratione* &c. *Congruum enim est effectum invisibilem causandum à Deo, ordinantem hominem ad salutem significari per aliquod signum sensibile, ut viator inquirens cognitionem ex sensibilibus effectum illum invisibilem certiùs cognoscat.* 4.

4. Sacramentorum institutio post peccatum maximè congrua, numquam tamen fuit necessaria. Scotus.

Institutionis congruentiam docet Scotus.

Prosequitur: *Nec solùm congruit esse signum huius effectus quasi speculativum, per quod scilicet possit haberi conceptus in intellectu de illo signato, ut homo signat naturam humanam sed signum quasi practicum, scilicet quod signat signatum esse vel fieri. Nec adhuc signum practicum dubium, seu æquivocum vel incertum; quia etsi per tale signum duceretur homo in cognitionem fieri huius effectûs, non tamen appeteret illud signum sibi adhiberi, propter incertitudinem signi respectu fieri signati: ergo talem effectum signari per signum practicum certum & efficax fuit congruum, ut & homo ex tali signo effectum cognoscat & in tali signo effectum ardenter quærat.*

Videlicet signi certi & practici.

5. Aliam ibidem adfert rationem illius congruentiæ ex parte totius communitatis: *Congruum est* (inquit) *omnibus viatoribus unius sectæ, aliquibus signis exterioribus communicare & convenire, per quæ etiam ab alijs alterius sectæ distinguantur: nam ex talibus signis noscit homo quis est sua secta & quis alterius: hoc autem expedit, quia qui sciunt se eiusdem sectæ, iuvant se mutuò ad observationem eius; & qui sciunt se dissimilis sectæ, vitant se mutuò tanquam mutuò se impedientes. Tale autem signum unitivum eorum, qui sunt eiusdem sectæ & distinctivum ab alijs, expedit esse practicum respectu alicuius effectûs invisi-*

invisibilis pertinentis ad observationem sectæ.

Loquitur autem de statu post peccatum.

Quòd autem Doctor loquatur de statu post peccatum patet ex n. 7. *De tertio* (inquit) *articulo apparet ex primo, nam pro quocumque statu, in quo est morbus, necessaria est medicina; & pro quocumque statu viæ (maximè post lapsum) congruum est hominem manu duci ad invisibilia per aliquod sensibile: sed in omni statu viæ (maximè post lapsum) morbus est in natura: ergo pro omni illo congruum est aliquod institui Sacramentum.* His suppositis sit

CONCLUSIO I.

Auctoritas instituendi Sacramenta nequit ullâ potentiâ competere puræ creaturæ.

6. Aliunde habet signum practicum quòd practicè significet signatum & aliunde quòd sit certum. Scotus.

PRo clariori intelligentia, Nota primò ex Scoto 4. dist. 1. quæst. 3. n. 4. *Aliundè signum practicum habere quòd significet practicè signatum & aliundè quòd sit certum signum: quod patet, quia possibile est quandoq; aliquem non veracem uti illo signo: signationem enim habet ex institutione, sed quod sit certum, non habet nisi ex determinatione alicuius causæ cooperantis illi signo ad causandum significatum v. g. si ab aliquo legislatore instituatur in politia sua pro signo pacis, tactus manûs vel huiusmodi, etsi ex ista impositione habet istud signum quòd practicè significet pacem: tamen si alius non verax potest uti isto signo, istud signum non est certum ex impositione legislatoris, sed remanet æquivocum; quandoq; scilicet verum, quando habet concomitans signatum quandoq; falsum: falsus enim utitur isto signo sine signato, sicut uteretur signo speculativo benevolentiæ sine signato, dicendo,* concedo tibi dilectionem meam, *habens aliud, scilicet oppositum, in mente.*

Nota secundò ex eodem ibidem n. 5. *Sacramentum & practicè significare effectum practicum causari in illo, cui adhibetur & sic signare, quòd est signum certum ut in pluribus, sive regulariter, quantùm est ex parte eius.*

7. Declaratur assertio ex Scoto; quia non potest dare certitudinem signo practico, nisi in cujus potestate est causare signatum illius signi.

Nunc declaro assertionem ex Doct. Subtili loco suprà citato n. 5. *Quantùm* (inquit) *ad signationem, possibile esset quòd institueretur ab aliqua creatura* (Sacramentum) *quia sicut posset homo imponere signum speculativum effectûs Dei, ut patet de ista oratione,* Deus causat gratiam in anima, *ita posset imponere signum, quod practicè signaret, Deum invisibiliter agere; sed non posset dare illi signo, quòd esset regulariter certum: non enim potest dare certitudinem alicui signo practico, nisi in cuius potestate est posse causare signatum illius signi: solus autem Deus potest se determinare ad causandum effectum sibi proprium: ergo solus Deus potest dare certitudinem signo practico sui effectûs. Sic ergo patet, quòd à Deo solo potest institui Sacramentum, quantùm ad signum certum.*

Ex quo deducit id soli Deo competere:

Et infrà n. 6. ibi: *Quòd si hoc* (signum certum) *est de ratione Sacramenti, uti videtur ex illa particula,* efficax, *sequitur, quòd de ratione eius propriè dicta, est, quòd à solo Deo possit institui. Si autem non est de ratione eius &c.* Ex quo benè scolium ante n. 4. Apparet non certò Doctorem hoc tenuisse; quia non est hîc clarus; neque hîc est in re controversia, sed in voce; quia negantes potestatem instituendi Sacramentum posse communicari, intelligunt per hanc potestatem independentem ab alio quoad executionem. Et hoc sensu conclusio est verissima, neque indiget ullâ probatione.

Rectè tamen advertit Scoliastes non certò Scotum hoc tenuisse.

Certum quoque est, Deum posse puræ creaturæ committere designationem alicujus signi practici, ad cujus præsentiam ipse infallibiliter conferat gratiam. Igitur præsens dubitatio est, an sufficiat talis designatio, ut homo designans propriè dicatur instituere Sacramentum.

Certum est, posse committi creaturæ designationem signi practici, ad cujus præsentiam infallibiliter conferatur gratia.

Card. Lugo de Sacramentis disp. 7. sect. 2. postquàm n. 19. citasset Doct. Subtilem 4. dist. 1. quæst. 3. §. *De secundo dico*, pro sententia negativa: n. 22. sic ait: Scotus dist. 2. q. 1. §. *Ex his*, innititur potissimùm huic argumento, quòd si creatura haberet illam potestatem, sequeretur Deum determinari à creatura ad conferendam gratiam, & per consequens Deum esse causam secundam respectu creaturæ in productione illius gratiæ. Quod quidem fundamentum debile est. 8.

Malè Scotum à Lugone intellectum esse.

Hanc verò debilitatem probat in primis, quia hæc causalitas creaturæ esset solùm moralis; & licèt esset physica, non argueret Deum esse causam secundam: nunc enim determinatur Deus à voluntate nostra ad concurrendum ad amorem potiùs, quàm ad odium, & tamen Deus est causa prima; quia de ratione causæ primæ est, quòd sit universalissima ad omnes effectus; quòd sine illâ nulla causa possit operari, quòd ipsa det virtutem omnibus ad operandum, quòd ipsa applicet omnes causas secundas ad operandum: non tamen quòd ipsa determinet omnes; potest enim aliquam causam secundam applicare indifferenter, à qua rursùs determinetur

concursus

concursus Dei ad hunc potiùs, quàm illum effectum. Ita hic Auctor.

Ostenditur: eo quòd loco citato non assignet rationem conclusionis.

Sed quid mirum si erret in refutando fundamento, qui erravit in assignando? Neque enim Scotus loco ab ipso citato assignat rationem, quare Deus non possit potestatem instituendi Sacramenta communicare puræ creaturæ (quippè illam assignaverat dist. 1. loco à nobis supra commemorato) sed dicit, quòd Sacramenta novæ legis à solo Deo habeant efficaciam tanquàm à causa principali & physica; non quia creatura nequeat Deum determinare ad ullum effectum: sed *quia* (inquit) *solus Deus instituit hæc Sacramenta, & efficacia Sacramenti non potest esse ab aliâ causa inferiore, eam instituente*: quippè *solus Deus determinat se ad effectum causandum sibi proprium* (qualis non est amor aut odium) *si enim posset ab alio* (tanquàm à causa principali & physica) *determinari ad agendum, iam esset causa secunda respectu eius: effectus autem significati per Sacramenta sunt proprij soli Deo.* Ita docet Doct. Subtilis. Judicet æquus Lector, an refutatio non sit debilior, fundamento refutato.

9\.

Examinatur sententia affirmativa, quam communem asserit Lugo & conformem modo loquendi Theologorum & Patrum,

Restat ut examinemus sententiam affirmativam; quam asserit Card. supra n. 24. esse communem & conformem modo loquendi Theologorum & Patrum, quando dicunt simpliciter Christum instituisse omnia Sacramenta novæ Legis: loquuntur enim de Christo ut homine; alioquin non oportebat nominare Christum, sed omnes personas Trinitatis; & constat ex ipso modo loquendi: nam eodem modo tribuunt Christo Sacramentorum institutionem, quo actiones humanas, per quas Sacramenta instituit.

Et ipsius Ecclesiæ,

Sic enim loquitur Ecclesia de institutione Eucharistiæ in hymno festi Corporis Christi: *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum, dicens: accipite quod trado vasculum, omnes ex eo bibite. Sic Sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit solis Presbyteris &c.* ubi idem qui protulit illa verba: *Accipite & bibite*, dicitur instituisse Sacrificium & Sacramentum. Certum autem est, quòd illa verba: *Accipite & bibite*, protulit ut homo: imò Sacrificium ut tale debuit ab ipso offerri ut homine; ergo ut homo debuit etiam instituere illud; quia per suam institutionem ordinavit eisdem verbis Apostolos in Sacerdotes, ut ejus vice offerrent, quæ omnia fecit ut homo: ut sic enim est sacerdos in æternum offerens per alios ministros. Ergo si per eadem verba instituit Sacramentum, oportet quòd Sacramentum instituerit ut homo.

Etiam Concilij Tridentini,

Eodem modo loquitur Trident. sess. 13. c. 1. ibi: *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis viniq; benedictionem, se suumq; ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Et cap. 2. ibi: *Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit*; atqui loquebatur ut homo, discessurus erat ut homo: ergo etiam ut homo Sacramentum instituit.

10\.

Eandem conclusionem probat ratione.

Probatur ratione: quia ad hoc, ut aliquis simpliciter & absolutè dicatur aliquid instituere, non requiritur, quòd nullo modo acceperit potestatem ab alio id faciendi, nec quòd alius saltem in communi non habuerit decretum aliquod circa illam rem: (enimverò S. Franciscus dicitur auctor & institutor suæ regulæ, licèt eam Deus dictaverit & Pontifex confirmaverit) sed sufficit, si ipse fuerit primus determinans vel reducens ad executionem, facultatem & potestatem illam, quæ de se erat indifferens, ut haberet vel non haberet effectum. Accedit, quòd Ecclesia dicatur instituisse cæremonias sacramentales, quàmvis id fecerit potestate sibi à Christo datâ, quæ proindè pendet & ducit exordium à primo Christi decreto circa cæremonias. Ita ferè Lugo.

Objectioni in contrarium respondet, assignando rationem duplicem, quâ Deus potuit se habere in delegatione hujus potestatis,

Si autem objicias singulos homines in lege naturæ potuisse determinare signum justificationis parvulorum. Respondet, dupliciter Deum se potuisse habere in delegatione facienda: Primò applicando efficaciam signo, quod homo designaverit. Secundò, dando homini potestatem, ut ipse faciat illud signum efficax. Primus modus non sufficit ut homo dicatur instituere Sacramentum; siquidem de facto Sacerdos designat materiam Eucharistiæ v. g. vinum album vel rubrum, eligens unam ex duabus à Christo sub disiunctione institutis. Similiter in lege naturæ erant plura signa sub disiunctione à Deo ad significandam gratiam imposita: quare qui unam ex illis exercebat, non imponebat illi significationem, sed eligebat eam, quæ jam ex Dei institutione habebat vim significandi. Quod à posteriori constat, quia non posset tunc aliquis apponere illam materiam cum omnibus requisitis & nolle causare gratiam: sicut nec potest nunc aliquis velle facere contractum legitimum Matrimonij & non efficere Sacramentum, saltem probabiliùs. At verò in secundo casu relinqueretur homini non

solùm electio materiæ, sed etiam communicatio efficaciæ & impositio significationis.

11. *Differentiam autem illarum rationum multis declarat,*

Hanc differentiam declarat multis exemplis. Primò Episcopi concedentis potestatem præcipiendi sub excommunicatione, & præcipientis sub excommunicatione, ut Petrus v. g. obediat Paulo. Secundò Confessarij, qui alicui in pœnitentiam imponeret, ut faciat quod mater designaverit, quæ propterea non dicitur imponere pœnitentiam. Tertiò Domini præcipientis servo, ut faciat quidquid Petrus dixerit; ad hoc autem non oportet quòd Petro det jus ullum super servum. Et ita in præsenti, si Deus imponat significationem & efficaciam illius signi, quod homo elegerit, non instituit homo Sacramenta; si verò det homini potestatem imponendi significationem, tunc homo exercet actum potestatis & instituit ex Dei delegatione: sicut Adam imposuit nomina omnibus creaturis per auctoritatem à Deo acceptam & tribuit illis vim significandi.

Et differentiam ostendit inter potestatem datam ad designandam materiam & potestatem imponendi significationem,

Porrò differt potestas data ad designandam materiam, à potestate imponendi significationem ex concessione Dei, in hoc, quòd designans nullo modo est causa, quòd Deus se obliget ad dandam gratiam; sed est obligatus antecedenter: at verò imponens significationem est causa, quòd Deus de novo se obliget ad conferendam gratiam cum hoc signo: hoc autem est dare homini auctoritatem ad instituenda Sacramenta; dare scilicet ei jus & auctoritatem, quâ pro sua voluntate possit obligare seu facere, quòd Deus se obliget ad assistendum infallibiliter cum talibus signis.

Nec sufficit obligatio prior, quâ Deus se jam obligaverat, quando concessit homini auctoritatem instituendi Sacramenta; illa enim fuit obligatio quasi remota, quia proximè non se obligaverat ad dandam gratiam, sed ad obligandum se ad dandam gratiam, positâ hominis voluntate obligandi Deum: atque adeò homo est causa, quòd Deus se obliget ad dandam gratiam. Hæc latiùs Card. Lugo supra, quæ, quia acuta sunt (ut ait Dicastillo disp. 3. n. 27.) juverit quamplurimùm eorum examinatio.

12. *Ratio differentiæ, à Lugone allegata, discutitur.*

Et primò quidem quid refert sive Deus dicat: *Ego iam me obligo ad conferendam gratiam ad quodcumque signum, quod tu elegeris*; sive: *Ego me postea obligabo quando eliges signum*? Hoc quippe nihil aliud est, quàm: *Ego iam me obligo, quòd postea obligabo me*; quæ multiplicatio obligationum, utpotè ad nihil serviens, non videtur in Deo asserenda. Quando igitur Deus concessit Christo potestatem talem qualem potuit instituendi Sacramenta, de facto se obligavit ad conferendum infallibiliter gratiam ad quodcumque signum, quod Christus elegisset, seu potiùs instituisset designando materiam & formam, nequidem à Deo sub disiunctione, sive indeterminatè antea assignatam.

Et disparitas aliquorum ab ipso non perspecta salvatur.

Ex quo, etiam seclusâ novâ obligatione, adhuc manet distinctio inter Sacerdotem v. g. eligentem vinum rubrum & Christum instituentem vinum pro materia consecrationis: quòd enim sit album vel rubrum, planè extrinsecum est rationi Sacramenti; esse autem vinum, essentialem constituit materiam. Quid ergo mirum, si Christus dicatur institutor, secus autem Sacerdos?

Profectò Christum fuisse auctorem & institutorem Sacramentorum novæ Legis, nullus Catholicorum ambigit, ita definiente Trident. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta* &c. At verò Christum instituisse Sacramenta præcisè secundùm humanitatem, non lego apud Sanctos Patres vel Concilia Ecclesiæ; neque satìs colligitur ex superiùs allegatis: nam propriissimè dicitur Christus secundùm divinitatem tunc instituisse Sacramentum v. g. Eucharistiæ, quando disertis verbis, post panis, vinique benedictionem testatus est se suum ipsius corpus ac sanguinem illis præbere: quemadmodùm bene dicitur Deus dedisse legem populo Israëlitico, quando per Moysen illam promulgavit; tunc quippe & non antea, voluntas Dei Israëlem obligabat. Similiter quàmvis ab æterno voluerit signis Sacramentalibus annectere infallibilem efficaciam gratiæ, tamen non nisi pro tempore, in quo per Christum Jesum, qui simul erat homo & Deus, ejusmodi signa per actionem humanam determinarentur. 13.

Trident.

Christum instituisse Sacramenta præcisè secundum humanitatem, ex allegatis à Lugone non colligitur.

Inferet fortè aliquis: Ergo sicut Moyses non fuit legislator, sed solùm promulgator; ita Christus non erit institutor, sed solùm promulgator Sacramentorum. Respondeo negando consequentiam. Disparitatem assigno, quòd in Christo fuerit natura divina, quæ signis ab humanitate determinatis poterat, & de facto annectebat efficaciam gratiæ. Verissimè itaque dixit 14.

Objectioni quod Christus aliàs solùm erit promulgator Sacramentorum, occurritur primò.

S. Ambros.

S. Ambrof.

S. Ambrof. *Auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus*, quà homo designans materiam & formam essentialem & quà Deus tribuens effectum gratiæ? Ex quo patet, quare potiùs Christus dicatur auctor Sacramentorum, quàm tota Trinitas; quamvis & hæc posset dici auctor, ut concedit Lugo supra n. 25.

Occurritur secundò.

Adde, quòd in humanitate Christi fuerit dignitas aliqua excellentiæ (ut vocant) respectu Sacramentorum, quæ non erat in Moyse respectu legis veteris; neque esset in homine, cui committeretur à Deo designatio materiæ & formæ, etiam essentialis; quia Christus de condigno meruit, ut & Deus ipsi hoc officium imponeret, & invocatione nominis ejus gratia in Sacramentis daretur.

15. Ad Sacrificium ex natura rei institutio divina non requiritur.

De Sacrificio quid dicam? certum videtur ex natura rei ad illud non requiri institutionem divinam; siquidem (ut dixi sect. præcedent.) non operatur immediatè gratiam sanctificantem, sed solummodò est signum ad placitum supremæ Dei potestatis in vitam & mortem: non repugnat autem talem significationem ab hominibus imponi.

Hinc licèt Christus quà homo instituisset sacrificium, non tamen Sacramentum.

Quapropter esto Sacrificium Christus quà homo instituisset (quod tamen non rectè infertur ex hoc, quòd ut homo debuerit sacrificare; nam in veteri Lege homines offerebant Sacrificia à Deo instituta) non dubito, quin ut Deus instituerit Sacramenta.

Qualiter de institutione utriusque æqualiter loquatur Ecclesia, demonstratur.

Equidem Ecclesia eodem modo loquitur de institutione Sacramenti & Sacrificij, quia Christus Jesus, qui Deus & homo est, utrumque potestate proportionatâ instituit; quæ autem potestas ad hanc vel illam institutionem esset requisita, Ecclesia ibi non determinavit. Et quidni etiam auctoritas divina fuerit necessaria ad Sacrificium novæ Legis, quod immediatè & infallibiliter quà satisfactorium tollit in homine justo pœnas peccati remissi?

Auctoritativa gratiæ promissio, quæ est soli Deo propria, in institutione Sacramenti involvitur. Et hinc ad quædam argumenta Lugonis respondetur.

Concludo hanc controversiam de nomine, & dico, propriè dictam institutionem Sacramenti involvere auctoritativam gratiæ promissionem, quæ est propria soli Deo, sicuti propria est physica gratiæ productio. Et quia hæc non includitur in institutione regulæ S. Francisci, neque in institutione cæremoniarum Ecclesiæ; multò minùs in impositione nominum facta ab Adamo; ideò S. Franc. per potestatem à Deo acceptam propriè dicitur instituisse regulam, Ecclesia cæremonias, & Adamus imposuisse nomina omnibus creaturis: pura autem creatura Sacramentum nec potuit, nec unquàm poterit propriè instituere.

16. Objectio, quòd physica productio gratiæ communicari possit creaturæ.

Dices: Productio physica gratiæ non est ita propria Deo, quin eam communicare posset creaturæ: nam si quidpiam obstaret, esset supernaturalitas gratiæ; atqui illa non obstat, ergo &c. Minor, quæ sola potest negari, probatur: quia de facto creatura producit actum supernaturalem, v. g. intellectus actum fidei & voluntas actum spei ac charitatis; quid ni etiam possit producere habitum?

Solvitur.

Respondeo: quia hoc est hoc & illud est illud; id est, quia habitus supernaturalis dicitur, qui à solo Deo potest infundi; actus verò supernaturalis, qui non potest produci à causa secunda nisi communicetur ipsi aliquod conprincipium physicum supernaturale.

Enimverò omnis actus vitalis intrinsecum & essentialem dicit ordinem ad potentiam vitalem tamquam principium suum efficiens connaturale. Quid ergo miramur, si intellectus & voluntas habeant virtutem inchoatam ad producendos actus supernaturales? At verò habitus supernaturalis, qui se habet instar potentiæ, quoniam dat simpliciter esse; quo fundamento dicitur effici posse vel à potentia naturali, vel ab actu supernaturali?

Quia (inquis) per potentiam obedientialem potest quidlibet quodlibet producere. Credat qui volet; ego meam fidem fidei hujus commenti numquam obstringam.

S. August.

Finio hanc conclusionem verbis D. August. Tract. 5. in Joannem. *Tale Baptisma Domini, qualis Dominus: ergo Baptisma Domini divinum, quia Dominus Deus. Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret Baptismum suum tanquàm vice suâ, & transferret à se baptizandi potestatem & constitueret in aliquo servo suo, & tantam vim daret Baptismo translato in servum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino:* sed noluit. *Ideo* (teste S. Doct. ibidem) *ut in illo spes esset baptizandorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo.* Quod D. Aug. de Baptismo, eâdem ratione & congruentiâ asserimus de omnibus Sacramentis novæ Legis, putà

CONCLUSIO II.

Omnia Sacramenta novæ Legis immediatè instituit ipse Christus.

17. Congruum fuiſſe inſtitui Sacramenta in nova Lege, idque perfectiſſima, docet Scotus 4. diſt. 2. q. 1. n. 2. quia eſt cæteris perfectior; quia in profectu poſterior; & quia ejus cauſa meritoria eſt perfectiſſima, ſcilicet Chriſtus complens curſum ſuum & exhibens pretium.

Scotus. Rogas Doctorem, quis ſit eorum inſtitutor? Reſpondet citiùs n. 4. *Omnia inſtituta ſunt à Chriſto, vel à Deo pro tempore iſtius legis. Quod breviter* (inquit) *oſtendo hîc, quia de ſingulis in locis eorum proprijs pleniùs apparebit. De Baptiſmo patet: quia fuit inſtitutus à Chriſto vivente, quia diſcipuli baptizabant, ut Ioan.* 3. *& præceptum fuit ut publicè prædicaretur, Matth. ultim.* Ite docete omnes gentes, baptizantes eos &c. *De Euchariſtia patet eius prædicatio diffuſa Ioan.* 6. *ſed inſtitutio in cœna Matth.* 26. *De Confirmatione patet inſtitutio, Ioan.* 20. Accipite Spiritum Sanctum &c. *vel in die Pentecoſtes Actuum* 2.

De Pœnitentia dicitur, quòd eſt inſtituta Iacobi 5. Confitemini alterutrum &c. *ſed hoc non videtur probabile ex proceſſu litteræ, quia ſtatim ſequitur:* Orate pro invicem, &c. *Manifeſtum eſt enim, quòd per illud ſequens non intendebat aliquod Sacramentum inſtituere, nec promulgare: nec etiam erat apud Iacobum auctoritas inſtituendi aliquod Sacramentum, ſicut poſt tangetur in ratione ponenda ad iſtam concluſionem. Meliùs ergo eſt, ut dicatur inſtitutum fuiſſe Ioan.* 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. *Et promiſſum Matth.* 16. Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque ligaveris, &c. *Iſta enim poteſtas non erat principaliter dimittendi peccata, quod eſt Dei proprium: ſed arbitrandi de dimiſſione peccati, arbitrio approbato à Deo; ſic autem arbitrari eſt in foro Pœnitentiæ ſolvere vel ligare.*

De Extrema Vnctione dicitur Iacob. 5. Infirmatur quis in vobis, &c. *ſed licèt ibi promulgaverit illud Sacramentum: eſt meliùs dicere, quòd fuerit inſtitutum à Chriſto. Legimus enim Marci* 6. *quòd Apoſtoli ungebant oleo multos infirmos & ſanabantur: conſtat, quòd hoc non fecerunt, niſi in virtute Chriſti, qui inſtituerat illam unctionem virtuoſam.*

De Matrimonio apparet Matth. 19. Non legiſtis (*ait Chriſtus*) quia maſculum & fæminam fecit eos, *ſupple Deus*, & dixit, *ſupple per os Adæ*: Quamobrem relinquet homo, &c. *ubi Chriſtus approbat & ratificat id, quod Deus in ſtatu innocentiæ per os Adæ publicavit.*

De Ordine Matth. 26. Hoc facite in meam commemorationem. *Et Ioan.* 20. Quorum remiſeritis peccata, &c. *Hæc enim duo pertinent ad ordinem ſacerdotalem, ſcilicet poteſtas reſpectu corporis Chriſti veri & poteſtas reſpectu corporis Chriſti myſtici; ut dicetur in materia* de Ordine.

Quod autem hæc omnia à ſolo Deo fuerint inſtituta, patet per illud, quod tactum eſt in generali de inſtitutione Sacramenti: nulli enim competit ſignum inſtituere practicum, niſi vel reſpectu alicuius actûs ſui proprij, vel reſpectu alicuius, qui ſubeſt ſibi, quantùm ad illum actum; Sacramentum autem eſt ſignum practicum reſpectu effectûs Dei propriè, & Deus non poteſt in actu ſibi proprio, alicui alij ſubeſſe: ergo, &c. Hactenùs Scotus.

Profectò ipſum Chriſtum inſtituiſſe omnia Sacramenta novæ Legis definit Concil. Tridentinum ſeſſione 7. de Sacramentis in genere canone 1. hiſce diſertiſſimis verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto, Domino noſtro, inſtituta*; &c. *anathema ſit.* Omnia novæ Legis Sacramenta à Chriſto inſtituta eſſe, docet Tridentinum.

Sed numquid ideo concluſio noſtra eſt fidei? Nemo hodiè ambigit eam eſſe theologicè certam: equidem ſunt, qui non audent aſſerere certitudinem fidei, eo quòd in Concilio Tridentino non inveniatur illa particula, *immediatè*. Verùm eam ſubintelligi manifeſtum fit ex eodem Concilio ſeſſione 14. canone 1. *Si quis dixerit Extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum & à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum* &c. *anathema ſit.* Ubi Concilium promulgationem tribuit Apoſtolo, negat inſtitutionem, utique immediatam de qua dubitabatur maximè, eamque tribuit Chriſto. Particulam, *immediatè*, ibi neceſſariò ſubintelligendam, probatur ex eodem Concilio.

Confirmatur: quia Concilium numquam dixit Chriſtum inſtituiſſe cæremonias Eccleſiaſticas, quas tamen Eccleſia per poteſtatem à Chriſto acceptam inſtituit. Undè etiam Eccleſia agnoſcit in ſe poteſtatem circa ritus vel cæremonias, non circa ſubſtantiam Sacramentorum. Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. *Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum ac locorum* 18. Confirmatur. Triden.

locorum varietate magis expedire judicatur.

Apost. 1. Cor. 4. Quod probat ex Apostolo 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum*, hoc est, Sacramentorum, *Dei*. Ergo hæc immediatè à Christo instituta sunt; eâdem alioquin potestate, quâ Ecclesia instituisset, posset & hæc ipsa mutare; quæ tamen mutatio minùs congruit stabilitati & firmæ unitati fidei Catholicæ; Sacramenta siquidem sunt columnæ septem, quas sibi increata sapientia excîdit, quibus innititur tota Ecclesiæ structura. Plures congruentias hujus immediatæ institutionis vide apud Card. Lugo disp. 7. sect. 1. n. 7. Nihilominus pro mediata institutione aliquorum Sacramentorum, quam Emin. suprà n. 2. dicit non videri displicuisse D. Bonaventuræ 4. dist. 7. q. 1. & dist. 23. art. 2. q. 2.

19. *Locus Augustini Objicitur.* Objicitur primò auctoritas D. Aug. 3. de doct. Christiana c. 9. ibi: *Quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima & intellectu augustissima & observatu castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina.*

Et solvitur. Respondeo: disciplina non significat institutionem, sed instructionem de modo ministrandi & suscipiendi.

Conformiter ad verba sequentia. Colligo ex verbis sequentibus: *Sicuti* (inquit) *est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini*; certum autem est, etiam ex sententia D. Aug. (ut statim patebit) illa duo Sacramenta à Domino immediatè fuisse instituta. Aliqui sic locutum interpretantur D. Aug. quia partim ex verbis Domini, partim ex traditione Apostolica nobis innotescit institutio quorumlibet, etsi non ab Apostolis, sed à Christo facta.

20. *Objectio secunda ex eodem.* Objicitur secundò idem Sanctus Doctor Epistola 118. c. 1. ibi: *Primùm tenere te volo, Dominum nostrum Iesum Christum levi iugo suo nos subdidisse & sarcina levi. Vnde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, dignitate præstantissimis servitutem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipsius & si quid aliud in canonicis scripturis commendatur* &c. *illa, quæ non scripta, nempe in sacris litteris, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque instituta retineri.*

Solvitur primò. Vasq. Respondet Vasq. hic disp. 135. c. 1. n. 9. potiùs ex illo loco probari immediatam institutionem omnium Sacramentorum, quandoquidem omnia in sacris litteris commendentur, licèt aliquorum institutio non omnino clarè ponatur. Neque illa verba: *& si quid aliud*, dubitativa sunt, sed assertiva communi modo loquendi. Ita Petrus Matth. 14. v. 28. *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas*: ac si diceret: *quia tu es Dominus, iube* &c. *Matth. 14.*

Respondeo secundò D. Aug. per ly *si quid aliud*, intelligere alia præcepta, quæ in scripturis habentur, ut præceptum confessionis Joannis 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Præceptum confessionis antè Communionem illis verbis Pauli 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem se ipsum homo* &c. Præceptum insuper indissolubilitatis Matrimonij Matth. 19. v. 6. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Circa alia verò Sacramenta Christus nihil præcepit. *Solvitur secundò. Ioan. 20. Apost. 1. Cor. 11. Matth. 19.*

Colligo: quia Aug. eo loco vult ostendere suavitatem legis Euangelicæ, in qua Christus sublatis gravissimis præceptis legis antiquæ, paucissima & suavissima imposuit, scilicet Baptismi, Eucharistiæ & si quid aliud &c. Alia autem præcepta universalia Ecclesiastica sunt; *Sicuti* (inquit) *quòd Domini passio & resurrectio & ascensio in cœlum & adventus de cœlo Spiritûs Sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur.* *Et ex ipso Augustino colligitur.*

Objicitur tertiò auctor sermonis de ablutione pedum nomine Cypriani (non tamen est Cypriani, ut notat Lugo suprà n. 15. adeoque parùm curandus) ibi: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor, in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere doctorem.* Respondeo in cæteris, id est, in cæremonijs, vel alijs præceptis divinis, quæ instinctu Spiritus Sancti magìs explicitè Apostoli proposuerunt: indubitatum quippe est apud omnes Catholicos, imò etiam hæreticos, baptismum esse à Christo institutum. 21. *Objectio tertia ex Cypriano (si illius sit) solvitur.*

Porrò quod attinet sententiam D. Bonaventuræ 6. parte Breviloquij cap. 4. sic inquit Doctor Seraphicus: *Hoc tenendum est, quòd septem Sacramenta legis gratiæ Christus instituit tanquam novi testamenti mediator & præcipuus lator legis, in qua vocavit ad promissa æterna, dedit præcepta dirigentia & instituit Sacramenta significantia.* Et infrà: *Instituit autem prædicta Sacramenta diversimodè. Quædam scilicet ex eis confirmando, approbando & consummando, ut Matrimonium & Pœnitentiam. Quædam autem insinuando & initiando, ut Confirmationem & Vnctionem* 22. *Sensus divi Bonaventuræ in hac materia expenditur; & ex ipsius verbis colligitur sententia affirmans.*

Vnctionem extremam. Quædam verò initiando & conſummando & in ſemetipſo ſuſcipiendo, ut Sacramentum Baptiſmi, Euchariſtiæ & Ordinis.

Quæ ſecundùm apparentiam 4. diſt. 7. q. 1. habet contraria, ad verum ſenſum reducuntur.

Quando ergo 4. diſt. 7. q. 1. dicit: *Illud Sacramentum* (Confirmationis) *Chriſtus nec diſpenſavit, nec inſtituit*; intellige, per ſe conſecrando ejus materiam & utendo formâ, quamvis illa inſinuaverit: nam loquens de materia quæſt. 2. *Chriſtus* (inquit) *non inſtituerat, nec vim ei dederat, ſecundùm quod ipſe contactu mundiſſimæ carnis dederat aquis; ut ipſe conficiendo corpus ſuum inſtituit elementum ſive materiam Euchariſtiæ, ut panem & vinum.* De forma autem ait: *Formam Confirmationis non legitur Chriſtus inſtituiſſe; immo pueris tantùm manum impoſuiſſe.* Et infra: *Ipſe tamen formâ illâ non fuit uſus imponendo manus pueris.*

Contra: dicit, nec Apoſtolis formam reliquiſſe. Reſpondeo, quâ neceſſariò uterentur pro tunc, ſed videtur diſpenſaſſe ſecundùm multorum opinionem, ut Sacramentum tempore Apoſtolorum ſolâ manuum impoſitione conferretur; ſicut multi docent Chriſtum diſpenſaſſe, ut initio Eccleſiæ fideles baptizarentur in nomine Chriſti tantùm.

Sicut & quæ habet diſt. 23. art. 2. q. 2.

Simili modo benignus interpres facilè exponet quod idem Sanctus docet de Extrema Unctione 4. diſt. 23. art. 2. q. 2. ibi: *Probabiliùs alij dicunt & Magiſter videtur hoc ſentire, imò apertè dicit, quòd Spiritus Sanctus per Apoſtolos hoc Sacramentum inſtituit*; ergo Chriſtus non inſtituit.

Reſpondeo: per ſe exhibendo, concedo; non inſtituit inſinuando, nego: nam infra dicit: *Ideo hæc duo Sacramenta* (Confirmationis & Extremæ Unctionis) *à Chriſto fuerunt inſinuata, ſed poſt à Spiritu Sancto inſtituta. Nec ſunt duo legiſlatores Chriſtus & Spiritus eius.*

Contra: Dicit Apoſtolos potuiſſe inſtituere, quod Chriſtus inſinuavit; ſicut formam Baptiſmi à Chriſto inſtitutam & confirmatam, Spiritu Sancto dictante ad tempus mutaverunt. Reſpondeo: quemadmodùm Apoſtoli non mutaverunt formam Baptiſmi auctoritativè, ſed ſolùm promulgarunt diſpenſationem Chriſti ſeu Spiritûs Sancti; ita etiam inſtituerunt materiam & formam Extremæ Unctionis & Confirmationis.

Ut ex ibidem ſubjectis deducitur.

Deducitur ex illis, quæ ibidem ſubjicit Seraphicus Doctor: *Ad aliud quod objicitur, quòd per ſemetipſum, dicendum, quòd ipſe immediatè loquebatur Moyſi & poſt Moyſes præcipiebat populo, ſicut nuntius Dei & miniſter. Sic Spiritus Sanctus Apoſtolis & ipſi ut miniſtri populis exponebant. Vnde Sacramentorum inſtitutionem non attribuimus niſi Deo, vel per Filium, vel per Spiritum Sanctum. Nec credendum eſt quemquam Apoſtolorum hoc per ſe inſtituiſſe, ſed totum collegium. Sed Iacobus promulgavit, ſicut ſententiam tulit de obſervantia legalium Act. 15. & per hoc patet ſequens, quòd ſicut Deus operatur principaliter, & Sacerdos ut miniſter; ſic inſtitutio Sacramentorum reſpicit Deum ut auctorem & Apoſtolos reſpicit ut miniſtros in promulgando.* Huc uſque Bonaventura: adeoque benigni non ſunt, qui eum paſſim quaſi Tridentino materialiter in hoc contradicentem allegant.

23. Ex dictis hâc ſectione infertur, quid ſit dicendum de Sacramentis legis naturæ & legis veteris, maximè ſi quæ fuerint efficacia gratiæ ſanctificantis ex opere operato, videlicet non potuiſſe inſtitui niſi à Deo, vel ſaltem ex poteſtate à Deo conceſſa. Quin imò non legitur de facto ullum fuiſſe inſtitutum ab homine. An autem Deus aliqua inſtituerit, quæ & qualia, ſive pro ſtatu innocentiæ, ſive pro ſtatu legis naturæ aut Moſaicæ, controvertitur inter Doctores: pro quo pono ſequentes concluſiones.

CONCLUSIO III.

Pro ſtatu Innocentiæ nullum fuit inſtitutum Sacramentum; neque eo perſeverante probabiliùs fuiſſet inſtitutum ex illis, quæ de facto ſunt vel fuerunt.

24. *Scotus.*

PRima pars eſt communis, pro qua citatur Scotus 4. diſt. 1. q. 3. §. *de tertio articulo.* n. 7. ibi: *Pro ſtatu etiam innocentiæ non fuit congruum inſtitui Sacramentum ſicut poſt lapſum: quia etſi tunc homo ex ſenſibilibus potuerit cognoſcere intelligibilia: tamen nullum ſenſibile fuit neceſſarium tamquàm conferens ad ſalutem, removendo aliquod impedimentum ſalutis, ut ſcilicet poſſit dici propriè medicina.*

Non negavit Scotus pro illo ſtatu congruitatem omnis Sacramenti; Sed iſtius ſolùmmodò quod poſſet dici medicina;

Quæ verba ſi penitiùs introſpiciantur, non negant congruitatem omnis Sacramenti, ſed illius ſolummodò, quod propriè dici poſſet medicina; hæc quippe ſupponit culpam ſive morbum, ut eodem numero docet Doctor, ibi: *Pro quocumque ſtatu in quo eſt morbus, neceſſaria eſt medicina.* Status autem innocentiæ excludit morbum

Licet & de congruitate posterioris videatur dubitare.

bum sive culpam; quàmvis & de hoc ipso videatur Scotus dubitare, dum ibidem subjungit: *Sed in omni statu via* (maximè post lapsum) *morbus est in natura*.

Nec immeritò.

Nec immeritò; quia Adamo non peccante perseverasset status innocentiæ, & tamen Eva jam mortaliter peccaverat, & secundùm multorum sententiam posteri Adami potuissent peccare. Quia verò Deus prævidit statum innocentiæ tam brevi tempore duraturum, noluit pro peccato Evæ aliquod Sacramentum medicinale instituere; neque in Scriptura aut SS. Patribus extat sufficiens fundamentum asserendi aliquod aliud fuisse institutum. Atque hæc sit probatio conclusionis pro prima parte.

Apost. ad Ephes. 5. Matrimonium inter Adam & Evam non fuit Sacramentum, cum non habuerit rationem causæ.

25. Contra: Matrimonium inter Adam & Evam significavit Christum & ejus unionem cum Ecclesia juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Respondeo: sola ratio signi non absolvit essentiam Sacramenti. Quid ergo? Ratio signi & causæ, ut patet ex definitionibus ejus sect. 1. assignatis: non est autem verosimile tunc per Matrimonium fuisse collatam gratiam sanctificantem ex opere operato: quippe secundùm D. Tho. solùm fuit institutum ad usum naturæ.

Et sanè Adam & Eva creati erant in gratia habituali & cum perfecta cognitione & scientia rerum naturalium: non ergo sine urgenti ratione asseri debet maximum opus gratiæ, præsertim accedente levitate oneris matrimonialis pro tali statu, etsi perdurasset.

Quod confirmatur ex Trident.

Confirmatur ex Concil. Trident. sess. 24. cap. unico de Sacramento Matrimonij ibi: *Cùm igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Christum gratiâ præstet; meritò inter nova legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia & universalis Ecclesia traditio semper docuerunt*. Et can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè ac propriè unum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum* &c. *anathema sit*. Ergo ante Euangelium non fuit Sacramentum propriè dictum, sed contractus merè civilis; quem in latiori significatione vocavit Apostolus Sacramentum, id est, mysterium sive signum rei sacræ.

Apostolus vocavit Sacramentum id est, signum rei sacræ. Fortè etiam locutus fuit de matrimonio novæ legis. Suarez.

Fortassis etiam Apostolus locutus fuit de Matrimonio novæ legis, ut proprio loco videbimus. Cæterùm bene notat Suarez disp. 3. sect. 3. illud conjugium non ita significasse Adamo Incarnationem, quàm eum ex scientia Incarnationis ante habitâ sub velamine rei sensibilis, mysterium futurum prædixisse.

26. Supponitur primò omnia Sacramenta novæ legis decreta fuisse post prævisionem peccati. quod & probatur. Trident.

Pro secunda parte conclusionis, suppono Primò omnia Sacramenta novæ legis decreta fuisse post prævisionem peccati: quod inde constat, quia totam suam vim & efficaciam habent ex meritis passionis Christi: *Meritoria* namque causa justificationis (inquit Trident. sess. 6. cap. 7.) *dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus: qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit*. Et infra: *Quamquàm enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur*. *Iustificantur* (inquam) per Sacramentum Baptismi, de quo ibidem pronuntiat: *Instrumentalis*, causa justificationis, *Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquàm contigit iustificatio*. Atque hic est communis sensus Patrum & Ecclesiæ, videlicet passionem Christi non esse decretam nisi in remedium peccati; Sacramenta verò, ut per ea tanquàm instrumenta passio Christi hominibus applicaretur.

27. Supponitur secundò, perseverante statu innocentiæ paucos fuisse mortaliter peccaturos. Inter eos autem nullus finaliter in peccato perseverasset. Scotus.

Suppono secundò perseverante statu innocentiæ, paucos ob integritatem naturæ fuisse mortaliter peccaturos. Inter eos autem nemo perseverasset usque ad mortem in peccato mortali; quia (ut docet Scotus 2. dist. 20. q. 2. n. 2.) in eo statu soli illi fuissent nati, qui nunc sunt electi.

Quod Adam pro posteris si non peccasset, retinuisset justitiam, à Scoto negatur. D. Anselmus.

Porro quod quidam dicunt, quòd sicuti Adam peccando amisit justitiam pro se & posteris; ita etiam retinuisset non peccando; negat Scot. ibidem q. 1. eo quòd filius non recepisset majorem gratiam, quàm pater; adeoque non fuisset natus confirmatus in gratia; sed sicut pater, teste D. Anselmo lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. si sic vixisset ut primò tentatus non succubuisset, accepturus erat donum confirmationis in gratia; ita ejus posteri tum demum fuissent in gratia confirmati, cùm primam tentationem superassent. Neque Adam justitiam ipsam seu gratiam habitualem transfudisset in posteros, seu meruisset illis; sed, utpote donum supernaturale, ex mera Dei liberalitate datum fuisset proli, sicut & datum fuit parenti. Vide Scotum supra n. 3.

28. Suppono tertiò ex tractatu de Incarnatione,

Supponitur tertiò, Christum, non peccante Adamo, equidem fuisse venturum. Scotus.

natione, Adamo non peccante Christum nihilominus fuisse venturum. Hæc est sententia Scoti 3. dist. 7. q. 3. n. 3. ibi: *Ergo à primo, priùs vult anima Christi gloriam, quàm prævideat Adam casurum.* His suppositis

Conclusio quoad Sacramenta vetera, videtur certa.

De veteribus Sacramentis conclusio videtur certa; si enim ob perfectionem statûs Evangelici modò abolita sint, quia imperfectiora erant; multò minùs decebant perfectionem statûs innocentiæ. Confirmatur: quia vetera Sacramenta & Sacrificia erant umbræ nostrorum: vel ergo nostra tunc non fuissent futura, adeoque non oportebat nec congruebat figuras eorum præmitti; vel fuissent, & nec tunc convenienter simul institutæ fuissent figuræ cum rebus figuratis.

Sicut etiam quoad Sacramenta & Sacrificium Legis novæ instituenda ex merito Christi passibilis &c.

Quantùm ad Sacramenta & Sacrificium novæ legis; extra dubium est non fuisse instituenda ex merito & propter gloriam Christi passibilis, neque in remedium peccati originalis, sive deletivum, sive præservativum, occurrendo scilicet corruptioni naturæ per illud peccatum inductæ.

29. Quæritur itaque, an instituta fuissent ob merita Christi impassibilis &c. Possibilitas non negatur; Sed actualis existentia.

Igitur sola controversia est, an eadem vel similia ob merita & gloriam Christi impassibilis, ac in remedium peccatorum actualium fuerint simul decreta cum Incarnatione Christi ante prævisionem peccati originalis? Et quidem possibilitas hujus decreti à nemine hactenus negatur. Porro actualis existentia cùm pendeat à libera voluntate Dei, neque in Scriptura aut SS. Patribus expressa sit, quis eam convincet?

Congruum fuit aliquod tunc futurum fuisse Sacrificium.

Congruum satìs apparet, quòd fuisset aliquis usus Sacrificij; cùm enim in eo statu maximè viguisset Religio vera, non videtur quòd defuisset principalis & primarius ejus actus, qui est Sacrificium: tantam quippe ratus est Apostolus esse Religionis cum Sacrificio connexionem, ut ad Hebr. 7. ex desitione Sacerdotij seu Sacrificij Aaronici, intulerit desijsse veterem Religionem seu legem: *Translato* (inquiens v. 12.) *Sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat.* ad Hebr. 7.

Quale autem fuisset, est incertum.

Quale autem fuisset, quis consiliarius Dei fuit? Saltem non Sacrificium hodiernum, utpote essentialiter rememorativum mortis Christi; per illud enim quantùm est ex vi verborum ponuntur separatim corpus & sanguis Christi sub diversis speciebus. Neque pro tali Sacrificio institui debuisset Sacramentum Ordinis; sicut nec fuit institutum pro Sacrificio legis naturæ; potuissent enim ali-

Neque pro tali Sacrificio institui debuisset Sacramentum Ordinis.

qui Sacerdotes sine Sacramento institui, vel Dei vel populi publicâ auctoritate, sicut factum fuit apud Ethnicos.

30. Non debuisset etiam in illo Sacrificio includi aliquod Sacramentum.

Præterea in illo Sacrificio non necessariò debuisset includi aliquod Sacramentum, quemadmodum in hodierno Sacrificio includitur. Res est clarissima; quia Sacrificium essentialiter non est aliud quàm signum externum protestativum summæ Dei excellentiæ ac potestatis in vitam & mortem. Quæ autem necessaria connexio hujus signi cum ratione Sacramenti? Et aliunde per Sacrificium, quod non fuisset Sacramentum, potuissent facilè homines in unam Religionem convenire.

Sicut de facto Matrimonium in illo statu nec Sacramentum fuit.

Denique de facto fuit Matrimonium in statu innocentiæ: equidem haudquaquàm Sacramentum, ut statim diximus. Unde ergo colligemus, quòd Sacrificium & Sacerdotium illius statûs fuissent Sacramenta? Certè non est major ratio de uno, quàm de alio.

Opponitur, quòd factū fuisset Sacramentum post adventum Christi impassibilis adeoque & alia signa gratiæ efficacia fuissent instituenda.

Dices: licèt Matrimonium à principio non fuerit Sacramentum, verùmtamen factum est Sacramentum post adventum Christi passibilis: ergo similiter Christus impassibilis post suum adventum illud elevasset ad dignitatem Sacramenti. Quidni & alia signa gratiæ efficacia instituisset? Nam & tunc fuisset caput hominum, & per consequens debuisset in illos spiritualiter influere; habuissent quoque ejus merita valorem & condignitatem infinitam. Sicut ergo de facto in præmium meritorum Christi passibilis instituta sunt Sacramenta; cur non similiter instituta fuissent aliqua Sacramenta in præmium meritorum Christi impassibilis?

Confirmatur.

Accedit, quòd etiam fuissent peccata actualia, ut patet ex secundo supposito; quodque remedium peccati sive præservativum, sive sublevativum non sit totale motivum institutionis Sacramentorum novæ legis; sed etiam ostensio divinæ charitatis erga hominem, sui ipsius corporalis conjunctio nobiscum, juxta illud Proverb. 8. v. 31. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; nec non perfecta & excellens sanctitas ac abundantia gratiæ, ipsâ veritate attestante Joannis 10. v. 10. *Ego veni ut vitam habeant & abundantiùs habeant.* Proverb. 8. Ioan. 10.

Unde Lugo verosimile judicat, adhuc fuisse instituendū Sacramentum Eucharistiæ, Et consequenter Ordinis.

Quare (inquit Card. Lugo disp. 3. sect. 1. n. 18. in fine) verisimile sit, quòd veniente Christo in illo statu adhuc institueretur Eucharistiæ Sacramentum, licèt non esset rememorativum passionis dominicæ: & consequenter Sacramentum Ordinis, quo homines disponerentur ad digniùs

dignius sanctiusque tractandum illud Venerabile Sacramentum; quod idem de alijs Sacramentis posset existimari propter similes rationes.

31. *Respondetur tamen solùm inde probari institutionis possibilitatem; non autem probabiliter inferri actuale decretum.*

Respondeo, rationes allegatas solùm probare possibilitatem, non autem probabiliter inferre actuale decretum: siquidem etiam non institutio suas habuit & fortè majores rationes soli Deo cognitas. Nam in primis gratiam & gloriam, etiam tunc influeret in homines per contritionem & amorem Dei super omnia, quæ totam suam efficaciam habent & habuissent ex meritis Christi.

Adjunge, si placet, gratias actuales, quæ tunc multò plures fuissent, modo eas impediente corruptione naturæ; cæteraque bona opera ex his procedentia & efficacia gratiæ ex opere operantis; & ecce sufficientissimum remedium & facillimum pro pauculis, illo tempore peccato personali fortè infectis, naturâ nec corruptâ, nec ad sensibilia radicaliter inclinatâ; propter quam corruptionem & inclinationem conveniens maximè fuit in lege gratiæ, alijs remedijs ex opere operato gratiam causantibus, homines juvare.

Queris abundantiam gratiæ? Amor Dei super omnia, in tali statu ex meritis Christi facillimus & frequentissimus, fons est uberrimus.

Manet igitur incertitudo institutionis; imo major probabilitas non institutionis Sacramentorum novæ ac veteris Legis pro statu innocentiæ, tametsi perseverasset: non quòd perseverantia illa fuisset causa non institutionis, sed quia negatio peccati Adæ concurrisset tanquàm aliquid removens causam instituendi Sacramenta. Hucusque de statu innocentiæ, fusiùs fortè quam res postulat; transeamus ad statum naturæ; qui proximè successit statui innocentiæ, & penitiùs introspiciamus illius Sacramentum.

CONCLUSIO IV.

In Lege naturæ nullum fuit Sacramentum propriè dictum, præter remedium peccati originalis.

32. *Assignatur triplex exponens conclusionis.*

HÆc conclusio triplicem habet exponentem. Prima est, in lege naturæ fuit aliquod remedium peccati originalis. Secunda, illud remedium fuit Sacramentum propriè dictum. Tertia, nullum aliud fuit Sacramentum propriè dictum. Indagemus veritatem singularum. Ut autem ab ultima (quæ minorem patitur difficultatem) exordiamur: Dico in lege naturæ præter remedium peccati originalis nullum fuisse pro omnibus institutum Sacramentum propriè dictum, etiam in latiori significatione, de qua sect. 1 conclus. 1. Quippe in Scriptura non reperitur; neque tunc dabantur, nisi necessaria ad salutem.

Excepto remedio peccati originalis nullum fuit pro omnibus institutum Sacramentum.

Sunt tamen qui existimant Sacrificium Melchisedech fuisse institutum Sacramentum pro particulari illa familia. Fundantur, quia significabat gratiam dandam in nova Lege per Sacrificium incruentum, seu Sacramentum Eucharistiæ, & conferebat aliquam gratiam legalem; etenim supponunt Patres illum panem & illud vinum datum Abrahamo in cibum & potum; quod non videtur factum ad meram refectionem corporalem; siquidem non erat decens adhibere cibum & potum consecratum ad usum prophanum, tum etiam, quia non est credibile Abrahamum divitem & spolijs onustum indiguisse pane & vino illo ad corporis refectionem.

Aliqui existimant Sacrificium Melchisedech fuisse Sacramentum pro particulari illa familia.

Respondeo, non satis constare ad quem finem Melchisedech *protulerit* (sic enim loquitur Scriptura) *panem & vinum*; fortè, quia Abraham lassus à cæde inimicorum, panem & vinum ibi non invenerat. Et David de panibus oblatis ad refectionem corporalem comedit; neque sanctitas panis comedentibus communicatur; quippe de facto per comestionem panis benedicti nulla confertur sanctitas, nequidem impropriè dicta.

Satisfit illorum fundamento.

Magis dubitat Card. Lugo disp. 3. sect. 2. num. 64 de ipso Sacerdotio illius temporis, quandoquidem significaret Sacerdotium Christi, & per consequens gratiam dandam per illud; ac aliunde sine dubio conferret aliquam imperfectam sanctitatem.

Magis dubitat Lugo de sacerdotio illius temporis, utpote significante Sacerdotium Christi.

Respondet n. 66. Melchisedech quidem fuisse verè Sacerdotem Dei, ut testatur Scriptura Genesis 14. v. 19. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*; sed habuisse illud ex electione populi, vel hæreditaria successione; atque adeò non potuisse esse Sacramentum propriè dictum; quia non ex legitima, hoc est, divina institutione; sed ordinatione humanâ (ut docet Anacletus Papa in Epistola 2. decretali) ubi dicit Sacerdotium initium sumpsisse ab Aaron; *quia licèt aliqui* (inquit) *priùs legantur Sacrificium obtulisse, ut Melchisedech, Abraham; hi tamen spontaneâ voluntate, non sacerdotali auctoritate hoc fecerunt.*

Genes. 14. Sed respondet non fuisse ex legitima, videlicet divina, institutione.

Anacletus Papa.

Porrò Apostolus Hebr. 7. præfert Sacerdotium

Cur Apostolus Sacerdotium Melchisedech præferat Levitico. dotium Melchisedech Sacerdotio Levitico non in omnibus, sed in aliquibus ibi enumeratis; & non ita secundùm id, quod re ipsâ habebat, quàm bene prout perfectiùs erat repræsentativum Christi & Sacerdotij ejus, ut patet consideranti.

Hæc de ultima exponente. Prima & secunda plùs difficultatis habent, si per Sacramentum intelligamus signum aliquod certum & determinatum, efficax gratiæ ex opere operato.

33. Non videtur sine temeritate negandum remedium pro justificatione parvulorum ante baptismi institutionem. *Innoc. III.* Profectò ante institutionem Baptismi fuisse aliquod remedium justificationis parvulorum, non videtur sine temeritate posse negari. *Absit enim* (inquit Innoc. in cap. Majores de Baptismo) *ut universi parvuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Unde Christus Apostolis suis dicebat Mar. 10. v. 14. *Sinite parvulos venire ad me .... talium enim est regnum Dei.* *Mar. 10.*

Nec obstant quædam loca Scripturæ *Ephes. 2.* Nascimur quidem omnes (Judæi, Gentiles, Christiani) filij iræ, juxta Apostolum ad Ephes. 2. c v. 3 *Eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri* Sed quid inde? Attende quod illicò subjungitur v. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccato, convivificavit nos in Christo, cuius gratiâ estis salvati* &c. Profectò incredibile videtur Deum fuisse imperaturum oblationem infantium in templo, si omnes mansissent filij iræ. Deindè quis credat sanctissimorum parentum filios Deo dicatos, v. g. Samuëlem infantulum ab anno 1. ætatis suæ in templo deservientem non fuisse justificatum, priusquam ratione utens se ad Deum converterit? Rationes pro conclusione adferuntur.

Audiamus Doct. Subtilem 4. dist. 1. q. 7. n. 2. *Respondeo* (inquit) *nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem, sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio originalis: ergo quocumque tempore aliquod remedium efficax erat ad hoc; etsi potuit deleri in adultis per motum bonum intrinsecum tamen in parvulis, in quibus talis motus est impossibilis, non potuit deleri per actum suum proprium; ergo per actum aliquem aliorum circa ipsos, vel ad ipsos relatum.* Ejusdem sententiæ est D. Aug. Greg. alijque SS. PP. ut in progressu liquidissimè patebit. *Scotus.*

34. Nec obstat, quòd etiam de facto parvuli in utero morientes careant remedio salutis. Nec obstat, quòd etiam de facto parvuli in utero morientes careant remedio salutis; nam illi pauci sunt respectu aliorum; neque Deus omni casui, etiam extraordinario, debuit remedium ordinarium providere. Quomodò ergo (inquies) Deus omnes homines salvos vult fieri, qui non omnibus illud tempus impertitur, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sunt capaces? Qualiter ergo velit Deus omnes homines salvos fieri.

Respondet S. Prosper lib. 2. de Vocatione gentium c. 23. *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum,* in vel ex utero, *homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ se per est in ensa universis nationibus: quâ utique si bene,* naturaliter & moraliter, *eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuvarentur. Omnia namque exordia parvulorum, totaq; illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest: & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut autem circa maiores, præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem, nec illis qui renati non sunt in parentibus defuit, sed ijs qui renati sunt pia parentibus affuit; ita ut multis sæpè, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.* Enodat D. Prosper.

Hoc certum. Prima dubitatio est an ante Circumcisionem remedium peccati originalis fuerit aliquod signum sensibile, certum & determinatum? Secunda, an Circumcisio sive in lege naturæ, in qua instituta fuit, sive in lege veteri, in qua permansit, fuerit tale signum? Pro prima dubitatione sit

CONCLUSIO V.

Remedium legis naturæ ante Circumcisionem consistebat in sensibili, certo ac determinato signo.

Sensibilitatem astruit D. August. lib. 5. contra Julianum cap. 9 aliàs 11. ibi: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit.* Porrò actus internus non latuit: constat siquidem, vel ex ipsis verbis mox citatis, fuisse fidem in Mediatorem venturum. 35. Sensibilitatem remedij legis naturæ astruit D. Augustinus.

Hanc

Quem sequitur Scotus.

Hanc opinionem D. Aug. sequitur Doctor Subtilis 4. dist 1. quæst. 7. num. 2. ibi: *Et magis probabile est, quòd per aliquod signum sensibile, quàm per aliquod signum intelligibile tantùm: quia pro toto statu naturæ lapsæ congruunt homini signa sensibilia respectu spiritualium.*

Rationes congruentiæ.

Ratio congruentiæ est, Prima, quia parentes non potuissent esse satis certi de signo merè interno fide v. g. formatâ vel informi; similiter neque parvuli postquàm adolevissent moraliter securi de remedio sibi adhibito. Modò constat de actione externa, & hæc præsumitur seria, potestque quis esse magis certus de intentione quàm de fide supernaturali, imò fortè naturali Christi venturi.

S. August.

Secunda, quia per illud remedium aggregabantur parvuli Ecclesiæ visibili; ut autem ait Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Qui plures congruentias voluerit, videat Suarium disp. 4. sect. 2.

Suarez.

36\. Fundamentum Lugonis, quod aliàs parvulis absentibus potuisset applicari.

Cardinalis Lugo supra n. 30. dicit se maximè moveri ex eo, quòd aliàs parvulis absentibus potuisset applicari; quippe actio interna non indiget proximitate sui objecti, ut feratur in illud. Quarè potuisset quilibet (saltem in casu necessitatis) omnes parvulos totius mundi, etiam in utero existentes, applicando actum fidei liberare à peccato originali; nam sicut distantia vel interpositio parietis non impediret efficaciam illius remedij merè intentionalis, sic nec interpositio uteri materni; adeoque Baptismus esset minoris efficaciæ, quod redundat in injuriam legis gratiæ; & ideo ab Auctoribus contrariæ sententiæ non conceditur.

Adeoque majoris fuisset efficaciæ, quàm baptismus.

Responsio aliquorum, improbatur.

Respondent autem aliqui, puerum in utero existentem non esse personam distinctam. Sed contra: hoc solùm refert in ordine ad actiones physicas sensibiles, non verò in ordine ad intentionales. Sicut ergo possum pro puero in utero existente orare, jejunare &c quarè non etiam fidem meam applicare?

Respondetur aliter, petendum ex libera voluntate Dei.

Respondeo, applicationem fidei non justificasse ex natura rei, sed ex libera voluntate Dei; potuit autem Deus instituere pro signo insensibili efficaci gratiæ, non quamcumquè applicationem fidei, sed applicationem puero extra uterum, ac corporaliter præsenti.

Ad Patres qui videntur solam fidem requirere.

S. Gregor.

Equidem quòd sola fides fuerit sufficiens videntur nonnulli Patres docere. D. Gregor. lib. 4. moralium cap. 2. ita scribit: *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus Sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis.* D Bernardus Epistola 77. ibi: *Adultos quidem fide & Sacrificijs credimus expiatos; parvulis autem etiam solam fidem profuisse, imo suffecisse credimus.*

S. Bernard.

Quod & rationi appareat consentaneum.

Et ratio esse potest, quòd status ille, utpote imperfectissimus quoad ea, quæ Dei cultum concernebant & viam salutis, nulla habuerit præcepta positiva; sed ijs tantùm regebatur, quæ lumen rationis naturalis, vel se solo, vel fide illustratum, absolutè & simpliciter necessaria dictabat ad salutem; atqui usus signorum sensibilium non est ita necessarius; ergo poterant homines in illo statu per internam fidem & charitatem; vel propriam, ut adulti; vel alienam, ut parvuli, à peccato originali justificari.

37\. Respondetur primò, aliquot videri fuisse in sententia pro quâ citantur, sed illis opponuntur alij Patres. Respondetur secundò ad D. Gregorium.

Respondeo ad PP. primò, aliquos videri fuisse in sententia pro qua citantur; sed illis opponimus alios æqualis auctoritatis cum majori probabilitate rationum. Respondeo secundò cum Scot. 4. dist 1. q. 7. n. 3. *Quòd Gregorius non intelligit solam fidem pro solo habitu, nec fortè tantùm pro actu interiori: sed pro actu exteriori sensibili protestante fidem: ille autem actus sufficienter potuit habere rationem Sacramenti: & sic distinguitur fides sola, id est, fides solitaria sine Sacrificijs contra fidem in Sacrificio protestatam.* Et simili modo exponi possunt alij PP.

38\. Respondetur ad rationem in contrarium allegatam.

Ad aliud ex ratione dico, lumen naturale fide illustratum dictare esse congruum, ut homo per signa sensibilia sanetur spiritualiter, constat ex dictis. Quod autem assumitur in argumento, nullum præceptum positivum pro statu legis naturæ datum à Deo, falsum est: fuit enim per internam inspirationem Dei fidelibus revelatum hoc præceptum positivum de adhibendo remedio peccati originalis. Porrò imperfectio illius statûs tantùm probat, tunc non tam multa debuisse dari præcepta positiva, sicut in lege scripta.

39\. Certitudo ac determinatio probetur ex D. Cypriano.

Ex his satìs manet probata sensibilitas hujus medij. Accedat nihilominus auctoritas D. Cypriani, & ostendo certitudinem ac determinationem. Hic Sanctus ante D. August. lib. de Cardinalibus Christi operibus cap. de Circumcisione Christi, sic ait: *Sanè originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari, licèt vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine.* Figura autem est signum sensibile, quod possit hominibus exteriùs significare aliquid mysticum.

Quidni ergo hæc figura ex mente S. Cypriani etiam certa fuerit ac determinata, quemadmodum mysticum figuratum certum est ac determinatum?

Etiam ex D. Augustino.

Si quælibet cæremonia externa suffecerit, quomodò D. Aug. in principio conclusionis citatus dicit, Scripturam latere voluisse quodnam fuerit illud Sacramentum? Potuisset quidem Deus de sua potentia absoluta infallibiliter annectere gratiam cuicumque cæremoniæ ab hominibus usurpandæ ad deletionem peccati originalis, quæ proinde verè fuisset Sacramentum; id tamen non fecisse, persuadent nobis sequentes rationes.

Potuisset quidem absolutè institutum fuisse signum indeterminatè. At non fuisse.

Probatur primò. Secundò

Prima; quia conformitas in exteriori cultu Dei est per se decentior. Secunda; quodammodò necessaria est conformitas in cæremonijs externis ad distinguendos fideles ab infidelibus: si enim passim liceret fidelibus sibi fingere ritus novos, sanè plerique rudes per imprudentiam facilè poterant incidere in ritus infidelium.

Tertiò.

Tertia; cùm, præsertim in statu legis naturæ, valde exigua esset rerum divinarum cognitio, periculum erat ne rudiores superstitiosis ritibus uterentur & vanis, ac religioso cultui minùs aptis. Denique non potuisset postea satis constare parvulis, an ob hunc vel illum finem, hæc vel illa cæremonia sibi fuisset adhibita; quia ponamus Noë filium suum Sem per Sacrificium suum sanctificasse, certè cùm Sacrificium etiam ob alios fines possit offerri, non potuisset Sem satis constare, an Noë sibi applicasset Sacrificium, an alteri fini: & idem est de alijs actibus Religionis; quia ex natura sua poterant ob fines varios exerceri.

40. Pro conclusione citatur Scotus;

Hujus opinionis videtur fuisse Scotus 4. dist. 1. q. 7. n. 2. ibi: *Cùm ergo non solùm adultis cultoribus suis providerit Deus de remedio necessario ad salutem, sed etiam parvulis eorum (& hoc de remedio, de quo parentes possunt esse certi pro parvulis) sequitur quod tempore illius legis naturæ, erat à Deo institutum aliquod remedium, vel signum certum & efficax deletionis originalis peccati.*

Sed videtur posse explicari,

Quibus verbis non ita significat certitudinem signi materialis, quàm bene infallibilitatem effectûs; nam immediatè præcedit: *Nullus potest esse certus quòd per aliquid attingat ad salutem, nisi sit certus quòd Deus acceptavit illud tanquàm sufficiens ad talem finem.*

Prout & idem alio loco,

Hinc alij allegant Doctorem n. 3. ibi: *Ad secundum potest dici uno modo, quòd potuit Deus tale Sacramentum revelasse alicui Patrum, cum quo tunc frequentiùs loquebatur, licèt cui & quando, Scriptura non dicat, quæ ab Adam usque ad Abraham satis succinctè pertransit.*

Sed & hæc possent explicari de aliquo signo externo in genere, dummodò esset protestatio fidei externa, & nullum alium haberet usum. *Fortè* (inquit Doctor eodem numero §. *Ad primum*) *ista protestatio fiebat in verbo aliquo invocandi Deum, vel offerendi parvulum Deo.* Quidquid sit de positiva mente Scoti, constat Doctorem nullibi vel leviter insinuare contrarium nostræ conclusionis.

Nullibi equidem contrarium conclusionis insinuat.

Restat hîc difficultas, an cum signo illo sensibili certo ac determinato debuerit conjungi fides ministri, ut haberet suum effectum? Suarez disp. 10. sect. 1. docet non aliam fidem fuisse requisitam in ministro Circumcisionis, aut remedij legis naturæ, quàm modo exigitur in ministro Baptismi. 41.

An debuerit ad effectum conjungi fides ministri?

Non aliam requirit Suarez, quàm modò exigitur in ministro Baptismi.

Probat primò ex D. Aug. lib. 1. contra Cresconium cap. 31. ubi æquiparat Circumcisionem in hoc cum Baptismo, quòd data à ministro infideli non magìs erat postea iteranda, quàm nunc sit iterandus Baptismus datus ab hæretico. *Circumcisionem* (inquit S. Doctor) *præputij in figura futuri Baptismi Christi ab antiquis observatam esse, negare, ut arbitror, non audetis. Nunquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Iudæus posset iterum circumcidi? Nonnè illius hominis error corrigeretur, signaculum autem fidei agnitum probaretur? Et nunc sunt quidam hæretici qui se Nazaræos vocant ..... & Circumcisionem habent Iudæorum & Baptismum Christianorum: ac per hoc quemadmodum si quis eorum ad Iudæos venerit, non potest iterum circumcidi, sic cùm ad nos venerit, non debet iterum baptizari.*

Quod probat primò ex Augustino.

Respondet Card. Lugo disp. 3. sect. 2. n. 42. Augustinum loqui de sola Circumcisione, quæ physicè nequit reïterari, etiam data sine intentione debita; non autem negat, quin debuerit ad justificationem talis parvuli, qui jam impleverat legem circumcisionis, adhiberi remedium legis naturæ, scilicet fides cum protestatione externa.

Respondet Lugo Augustinum agere de sola circumcisione, quæ physicè nequit iterari;

Sed contra: Ergo malè probat August. ex non iteratione Circumcisionis, non iterationem Baptismi; quia hic commodè iterari potest. Sed malè.

Probat secundò: quia Baptismus applicatus à ministro infideli est sufficiens remedium peccati; ergo & circumcisio, & remedium legis naturæ; nam illis successit juxta doctrinam SS. PP. & quoad effectum comparantur. Unde etiam parvuli 42.

Suarez secundò probat.

vuli

vuli in lege Euangelica dicuntur justificati in fide parentum, quemadmodum parvuli ante Christi adventum. Aug. lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 19. lib. 3. c. 2. Epistola 23. & 107. Justinus Martyr q. 56. ad Orthodoxos.

Respondet Lugo Patres nunquam dicere, parvulos de facto justificari fide suorum parentum.

Respondet Lugo supra n. 44. Patres nunquam dicere, parvulos de facto justificari fide suorum parentum. Verba Justini sunt hæc: *Eorum qui baptizati sunt, & eorum qui non sunt, hac dissimilitudo est, quod ij qui baptizati sunt, bona ea quæ Baptismus adfert, consequuntur: qui autem minùs baptizati sunt non consequuntur. Digni autem habentur ijs bonis, quæ Baptismus adfert, eorum fide, qui illos Baptismo offerunt.* In quibus (inquit) verbis non dicit parvulos justificari fide parentum, sed per Baptismum, ad quem consequuntur alia bona gratiæ & gloriæ.

Sed contrarium ostenditur.

Sed quod quæso majus bonum gratiæ, quàm prima justificatio? Ergo qui fide parentum accipit bona, quæ Baptismus adfert, accipit absque dubio primam justificationem ex sententia hujus Patris.

Responsio Lugonis, Augustinū solum velle parvulos credere fide eorum, qui dum eos portant, dicunt eorum nomine se credere. Quod ex varijs ejusdem locis conatur ostendere.

Ad Augustinum respondet Lugo n. 45. solùm velle, parvulos credere fide eorum, qui dum eos portant, dicunt eorum nomine, se credere. Sic quippe ait primo loco citato: *Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodò profitentur.* Et secundo loco: *Sicut ergo eorum per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem* &c. Porro in Epistola 23. aliam rationem adfert ob quam parvuli dicantur credere, ibi: *Itaq; parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit.*

Denique in Epistola 107. utramque rationem videtur reddere, ibi: *Scimus etiam parvulos secundùm ea, quæ per corpus gesserunt recepturos vel bonum vel malum; gesserunt autem non per se ipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus & renuntiare diabolo dicuntur & credere in Deum. Vnde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis:* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. *Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non recipiunt, contingit quod sequitur: Qui autem non crediderit, condemnabitur.*

Solvitur.

Sed contra: In sententia illa Salvatoris: *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, distincta sunt credere & baptizari: ergo præter Baptismum requirit Aug. in parvulis, quibus illam sententiam applicat, fidem; non propriam, quæ impossibilis est: ergo parentum vel ministri; sed nequit dici, quòd pro lege nova requiratur verus habitus aut fidei actus, ut proprio loco ostendemus: ergo neque ille fuit requisitus pro lege veteri aut naturæ. Verùm quemadmodùm jam sufficit fides Ecclesiæ, & intentio faciendi quod facit vera Ecclesia; ita & tunc sufficiebat, ut essent & dicerentur justificati per fidem; scilicet per fidem mediatoris sivè ex meritis Christi, quæ per Ecclesiam illius temporis illo remedio parvulis applicabantur. Unde & illud vocari poterat Sacramentum fidei, sicut modò appellatur Baptismus.

43. Probatio tertia Suarij. Lugo.

Probat tertiò Suarez suam sententiam ratione: quia aliàs remedium peccati originalis fuisset valde incertum & sæpe reiterandum. Respondet Lugo n. 46. Sicut nunc sine intentione debita Baptismus non esset validus, nec tamen ea de causa iterari debet, quam diu non constat de defectu intentionis; sic nec tunc deberet reiterari, quàm diu non constaret de fidei defectu: nam sicut nunc omnes Christiani non dubitamus de adventu Christi præterito, & indubitanter respondemus nos illum credere; sic illi antiqui certissimè credebant, Christum futurum, nec poterant prudenter dubitare de valore illius Sacramenti. Neque enim quando ad valorem illius Sacramenti petimus essentialiter fidem, intelligimus hoc de actu supernaturali fidei; hic enim fortasse ex multis capitibus posset hîc & nunc non exerceri, & redderetur minùs certus valor Sacramenti; sed loquimur de fide minus strictè, quatenùs significat assensum determinatum, sive naturalem, sive supernaturalem, sive explicitum, sivè confusum, qualem habet unusquisque dum recitat Symbolum, vel dum interrogatus an credat, respondet se credere.

Docet præterea Emin. n. 50. cum Suario supra, illam fidem non debuisse esse meritoriam de condigno aut de congruo; quin imò valuisse illud Sacramentum sicut modò valeret Baptismus, etiamsi actio illa hîc & nunc esset demeritoria & mala in genere moris. Quæ si vera sunt, certè nullo argumento probatur, requisitam fuisse aliam fidem præter objectivam; de qua intelligo Scotum 4. dist. 1. q. 7. n. 3. ibi: *Ad primum argumentum dico quod Gregorius non intelligit solam fidem pro solo habitu, nec fortè tantum pro actu interiori; sed pro actu exteriori sensibili protestante fidem.* Fidem, inquam, id est objectum fidei, Christum utique venturum.

Scotus.

44. Pro opposita sententia allegatur D. Aug.

Cæterùm Card. pro opposita sententia, quam n. 40. existimat verisimiliorem allegat D. Aug. lib. 2. de Nuptijs & concupiscentijs

cap. 11.

cap. 11. ibi: *Sed superioribus temporibus omninò latuit Sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis* &c.

D. Aug. loquitur de fide honesta

Sed contra: Aug. ibi loquitur de fide honesta; quippe illa sola poterat adultos iustificare, & tamen illa non requiritur ex sententia Lugonis ad iustificationem parvulorum. Respondet Emin. n. 54. Aug. non negare sufficientiam fidei informis & inhonestæ, imò debere asserere propter inconvenientia, quæ aliàs sequuntur.

Nec ex hoc sequuntur inconvenientia.

Contra: Illa inconvenientia vitantur, si dicamus Aug nihil aliud velle, quàm circumcisionem & aliud remedium legis naturæ vim iustificandi habuisse à fide Christi venturi, quæ erat in Ecclesia illius temporis, quamvis non in omnibus applicantibus illa remedia.

Porrò argumentum Lugonis n. 41. petitum ex ratione, videlicet; si sola illa intentio generalis absque ulla fide vel credulitate sufficeret, certè multò liberaliorem se Deus exhibuisset cum parvulis illius temporis, quàm cum nostris in lege gratiæ; liquet profectò in nostra sententia, quæ requirit cæremoniam determinatam, nullius esse momenti.

Hactenus de remedio legis naturæ quoad materiale ante Circumcisionem. Sequitur dicendum de Circumcisione & utriusque efficacia.

CONCLUSIO VI.

Probabilior est sententia affirmans Circumcisionem & aliud remedium peccati originalis fuisse Sacramentum efficax ex opere operato.

45. Circumcisio delevit peccatum originale ita Scotus.

Circumcisionem delevisse peccatum originale docet Scotus 4. dist. 1. q. 6 n. 2. *Hic* (inquit) *supponendum est tanquam certum, quòd per Circumcisionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritates Sanctorum.* D. Aug. diversis locis. lib. 4. de Baptismo cap. 24. sic ait:

D. Aug variis locis.

Veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit. Et infra: *Cur ergo ei* (Abrahamo) *præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multùm valebat?*

Libro tertio contra Julianum cap. 18. *Responde si potes, cur ipse Isaac, nisi Baptismatis Christi signo circumcisus octavo die fuisset, periisset anima eius de populo suo? Explica si potes, tantâ pœnâ quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur?* Lib. 16. de Civit. c. 27. ibi: *Ac per hoc quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immeritò parvulum propter originale peccatum quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi generatio liberet.*

D. Gregorius.

D. Gregor. comparat Circumcisionem Baptismo 4. moral. 2. *Quod autem apud nos valet* &c. vide supra. Similiter D Bernardus ser. 2. de Assumptione; ibi: *In Baptismo sola gratia lavat hanc maculam, quam olim rasit petra circumcisionis.* Idem docent Ambrosius, Cyprianus, Fulgentius & alij.

D. Bernardus

Ambrosius, &c.

Et ad hoc (inquit Scotus supra) *est ratio congrua quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum sine remedio necessario ad salutem, maximè illos quibus ipse legem dedit, ut per eius observantiam pertingerent ad salutem. Frustra enim fuisset data talis lex sine tali remedio: ergo tempore legis Moysaicæ dedit aliquod tale remedium observantibus huiusmodi legem. Non possunt autem attingere ad salutem sine deletione originalis culpæ: ergo in illa lege instituit aliquod remedium contra illam culpam: istud & non aliud, videtur esse ibi institutum, tanquàm tale remedium contra illam, iuxta illud Gen. 17. Masculus, cuius præputij caro* &c. 46.

Ratio congruentiæ ex Scoto.

In quo loco maximè se fundat D. Aug. quem cum 70. Interpretibus ita legit: *Et qui non fuerit circumcisus octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipavit.* Nec Aug. solus, sed etiam Ambro. Epist. 33. & Origenes lib. 2. in Epist ad Rom c. 3. Quæ lectio retenta fuit in nova editione 70. Interpretum jussu Sixti V. facta nisi quòd illud *octavo die*, non conjungatur cum *circumcisus*, sed cum *interibit anima* &c.

Porro hunc locum ita exponit idem S. Doctor lib. 16. de Civit. c. 27. *Idem* (inquit) *potest movere, quomodò intelligi poterat, quod hic dictum est:* Masculus, qui non circumcidetur carne præputij sui octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipavit. *Cùm hac nulla culpa sit parvuli, cuius dixit animam perituram, nec ipse dissipaverit testamentum Dei, sed maiores, qui eum circumcidere non cura-* 47.

Expositio D. Aug huius loci Genesis 17. *Masculus, cuius præputij caro* &c.

curarunt, *nisi quia etiam parvuli*, *non secundùm sua vita proprietatem*, *sed secundùm communem generis humani originem*, *omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt*, *in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei*, *exceptis illis duobus magnis*, *vetere & novo*, *quod licet cuiq; legendo cognoscere. Testamentum autem primum quod factum est ad hominem primum*, *profectò illud est*: *Quâ die ederitis*, *moriemini.* Et infra: *Sed intelligenda sunt hæc divina verba tanquam dictum sit*: *qui non fuerit regeneratus*, *interibit anima illa de genere ejus*, *quia testamentum meum dissipavit*, *quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccavit.*

48. Ab aliis rejicitur; eò quòd hæc verba: *octavo die* non habeantur in hebræo, neque vulgato textu.

Respondent contrariæ sententiæ Auctores, illa verba *octavo die*, neque in hebræo, neque in vulgato textu haberi; adeòque argumentum Aug. quod his verbis potissimùm nititur, corruere. Volunt ergo sermonem ibi dirigi ad adultum, qui nolebat circumcidi; aut non circumcidebat filium suum, in quem ibi feratur sententia mortis temporalis propter transgressionem pacti seu præcepti Circumcisionis.

Qui & volunt sermonem ibi dirigi ad adultum. Quod variè probant:

Quod probant; tum quia solus adultus capax est præcepti & pœnæ: tum maximè, quia cùm in superioribus dixisset: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, nullam pœnam apposuit, hîc verò pœnam adjicit.

Ex quo videtur colligi, agi de ætate distincta, & Deum nolle in sententia citata, eum, qui neglexerit Circumcisionem, puniendum morte æternâ, propter transgressionem præcepti dati primis parentibus in paradiso; sed solùm velle adultum negligentem Circumcisionem puniendum morte temporali: alioquin manifesta committitur æquivocatio in verbo *pactum*; siquidem immediatè ante dicitur: *Statuam pactum meum inter me & te & semen tuum* &c. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum* &c. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* &c. *Eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus sempiternum.*

Ubi manifestum est per *pactum* intelligi legem Circumcisionis & non pactum sive præceptum datum Adamo de non comedendo ligno vetito; ergo similiter in verbis sequentibus: *Masculus*, *cujus præputij caro circumcisa non fuerit*, *delebitur anima illa de populo suo*: *quia pactum meum irritum fecit* (sic habet vulgatus textus) per *pactum* intelligenda est lex Circumcisionis.

Sed contra: Illam legem non potuit parvulus irritam facere. Respondent intelligi de solis adultis. Contra: Jam erit etiam aperta æquivocatio; siquidem ille masculus periturus dicitur, si non circumcidatur; qui jubetur circumcidi. Respondent, Ambros. & alios legere: *Masculus*, *qui non circumciderit carnem* &c. quod nequit intelligi nisi de adultis. Contra: Licèt vox Græcâ & Hebraïcâ, imo & Chaldaica hanc lectionem admittant, tamen ex lectione vulgata satis intelligitur debere intelligi passivè.

Sed solvitur.

49. Respondent itaque secundò, illũ locum etiã intelligi de parvulis, intelligendo per mortem, separationem à populo judaïco:

Respondent ergo secundò locum illum commodè posse intelligi etiam de parvulis, intelligendo per mortem separationem à populo Judaïco, quam debebat subire parvulus, qui ob parentum culpam non fuerat die octavo circumcisus; cùm enim Circumcisio esset janua aliorum Sacramentorum veteris legis; meritò excludebatur ab illa lege, qui carebat illo charactere.

Sed non conformiter expositioni SS. Patrum.

Contraria est expositio SS. PP. & in primis D. Aug. supra, ad cujus sanè firmitatem (ut respondeam argumento principali supra posito) nihil referre videtur sive verbum *octavo die*, addatur, sive non; nam sententiam illam: *Masculus*, *cujus præputij caro* &c. universalem esse & extendi etiam ad parvulos (ut statim dixi) patet ex proximè antecedentibus: *Circumcidetur in vobis omne masculinum* &c. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, *omne masculinum in generationibus vestris.* Post quæ, cùm subditur: *Masculus*, *cujus præputij caro* &c. idem valet, atque: *omnis masculus*, *& infans octo dierum*, nisi (ut dixi) velimus admittere æquivocationem sine ulla ratione. Unde existimo verbum illud, *octavo die*, à septuaginta Interpretibus claritatis gratiâ fuisse additum ad explicandum ampliùs sensum suo tempore & in sua Ecclesia receptum.

Non refert utrum illud: *octavo die*, addatur: cũ præceptum etiam extendatur ad parvulos, ut ex antecedentibus constat.

Dicere autem octavum diem, non esse diem Circumcisionis, sed tempus solvendæ pœnæ, merè somnium est. Nam octavum diem tempus fuisse præfixum Circumcisionis parvulorum & non pœnæ adultorum, non solùm Theologi omnes, non solùm Patres; sed Scriptura ipsa satis declarat eodem loco, & Levit. 12. & Luc. 2. ubi dicitur: *Postquam impleti sunt dies octo*, *ut circumcideretur puer.* Levit. 12. Luc. 2.

50. Nec correctio Sixti V. præbet occasionem oppositæ suspicioni.

Nec correctio Sixti V. præbet occasionem, ut oppositum suspicemur; quippe si inter verbum *circumcisus* & verbum *octavo die*, supponitur comma, non ideo est, ut verbum *octavo die*, cum verbo *interibit*, construatur; sed quia interposita fuit parenthesis; *Masculus*, *qui non* &c. Quæ interpretatio colligitur, tum ex eo quòd in antiquioribus exemplaribus, v. g. impressis Basileæ anno 1526. & alibi, omissâ parenthesi

parenthesi habeatur comma post *octavo die*: tum maximè, quòd cùm tempore D. Aug. esset textus hebræus versus in latinum à D. Hieron. & omissa illa verba; nemo tamen vel Pelagianorum, vel Catholicorum existimavit argumentum Aug. ex hac parte non concludere; quod signum est antiquos omnes putasse sensum esse eumdem sive addantur, sive omittantur prædicta verba.

Parvulus est capax præcepti & pœnæ in alio. Ad probationem respondeo, parvulum esse capacem præcepti & pœnæ in alio: sic enim omnes in Adam peccavimus & obnoxij sumus pœnæ æternæ, saltem damni, si non etiam sensûs. Quòd autem non ubique pœna exprimatur, nemini mirum videri debet; nam cùm præceptum tulisset Dominus, recensitis omnibus, qui eâ lege tenebantur, tunc demùm congruenter pœnam adjunxit.

51. **Probatio Conclusionis ex Innocentio III.** Hæc pro expositione & sententia D. Aug. cui manifestissimum testimonium perhibet Innoc. III. cap. Majores de Baptismo ibi: *Ad id autem taliter respondemus: Quòd Baptisma Circumcisioni successit: (Absit enim ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio & Circumcisionem cum Baptismo servandam quoniam secundùm Apostolum dicentem ad Galatas: Si circumcidimini Christus vobis nihil prodest.) Cùm ergo circumcisio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne Baptismus, qui successit loco ipsius, & generalior tamen existit cùm tam viri quàm fœmina baptizentur, minoris vi egeatur effectûs, tam adultis, quàm parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat:* Anima, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; *ita nunc indistinctè vox intonat Euangelica:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei, *ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens. Cautè tamen notandum est, quantùm plùs Baptismus hodie conferat Christianis quàm quondam Iudæis Circumcisio contulisset: dictum est in fine prædictæ auctoritatis inducta de lege veteri:* Peribit de populo suo. *In Euangelica verò auctoritate subiunctum est:* Non intrabit in regnum Dei; *quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur* (quid clarius posset dici?) *non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum & ad regnum cælorum etiam pervenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit.*

Ex cujus mente, sicut Baptismus ex opere operato contulit gratiam, sic & Circumcisio. Igitur ex mente Innocentij, quemadmodum Baptismus est propriè dictum Sacramentum, quia delet peccatum originale, conferendo ex opere operato gratiam sanctificantem (nam de facto, quidquid sit de possibili, non remittitur peccatum mortale sine infusione gratiæ) ita pariter Circumcisio (eadem est ratio de alio remedio peccati originalis) olim delevit peccatum originale causando ex opere operato gratiam sanctificantem, ac per consequens fuit Sacramentum propriè dictum efficax ex opere operato. Patet ex verbis supra citatis.

Et expressè traditur à Scoto supra n. 11. ibi: *Sed præter ista in illa lege erat Circumcisio quæ fuit propriè Sacramentum. Vnde & Magister ab illa universali Aug. super Psal. 73. excepit Circumcisionem: Hæc enim per modum Sacramenti contulit gratiam ex virtute operis operati, non tantùm ex virtute operis operantis, scilicet ex motu interiori.* **Scotus.**

Respondet Vasq. disp. 184. de Legibus c. 5. in fine, Innocentium non disputasse de modo quo in Circumcisione dabatur gratia, sed solùm assumpsisse in illa dari: nos verò (inquit) contendimus illam non fuisse per se causam gratiæ. 52. **Vasquez respondet, non disputasse Innocentiū de modo, quo dabatur gratia.**

Contra hoc tamen inquit Lugo disp 5. sect. 4. n. 70. Innocentius videtur approbare explicationem Aug. Et quæ illa? Fatemur (loquitur Em. ibidem n. 66.) Aug. illa verba Genesis intellexisse quasi inducentia necessitatem Circumcisionis ad illum effectum; sed fundatur in falsa lectione illius textûs, additis illis vocibus *octavo die*, quæ tamen in vera littera non reperiuntur. **Cui opponit Lugo, Innocentiū videri approbasse explicationē Augustini; Licèt dicat Augustinū fundari in falsa lectione textûs.**

Obstupui quando legi: & quis non obstupesceret, quando audit: Aug. fundatur in falsa lectione illius textûs? Aug. (inquam) *cuius doctrinam* (teste Joanne II. Epistola 3. ad Avienum aliosque Senatores) *Romana sequitur & servat Ecclesia?* Aug. (teste Sixto IV.) *inter intemerata Ecclesiæ Doctores præcipuus & subtilissimus Euangelij ac sacrarum litterarum perscrutator?* Quò sanctissime Præsul perduxisti scrutationes tuas, quas perscrutans defecisti, ut falsò legeres: *Et qui non fuerit circumcisus octavo die, interibit anima illa de genere suo?* Absit à nobis ut tantum crimen gloriæ illius inferamus, *quem nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit*; ut testatur Cælestinus 1. Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 2. Sic ergo legit Aug. juxta versionem 70. Interpretum, quæ (ut diximus) retenta fuit 53. **Ioannes II.** **Sixtus IV.** **Cælestinus I.** **Sed malè: cum lege it jux a versionem 70. interpretū.**

fuit in editione Sixtina. Et quamquàm hodie sola editio vulgata sit indubitatæ auctoritatis; quis tamen adeò desipiat, ut propterea dicat omnem aliam lectionem, ei minimè contrariam, esse falsam? Accedit quòd (ut ostendimus) additio vel omissio illorum verborum nihil referat, ut expositio Aug. sit firma.

Responsio aliquorum, totam illam rationem non fuisse ab Innocentio definitã, admittitur.

Alij apud Vasq. supra n.47. respondent, totam illam rationem non fuisse ab Innocentio definitam, sed solùm adductam ad confirmationem conclusionis principalis, quam tamen alijs rationibus efficacioribus confirmavit. Quod, quia verissimum est, libenter ipsis concedimus; neque enim nos contendimus Innoc. illo cap. nostrã sententiam definivisse; sed tantummodò affirmasse suam circa hanc controversiam opinionem.

Quod dicit Lugo solùm ex aliorum sententia explicationem Pontificem permisisse, improbatur.

Respondet Card. supra n. 71. nequidem affirmasse; sed solùm ex aliorum sententia illam explicationem permisisse, ut ostenderet, etiam illâ doctrinâ & expositione admissâ, adhuc effectum Baptismi esse nobiliorem effectu Circumcisionis. Verùm ex quo colligat illam permissionem tantùm, non video, cùm nemo aliter possit aut debeat loqui, qui assertivè tenet illam sententiam; unde gratis conficta facilè apparebit lectori sedulò consideranti verba textûs supra citata.

His non obstantibus etiam contraria sententia est probabilis, pro qua

54. **Objectio prima ex Epist. ad Galat. 5. & 1. Cor. 7. Solvitur primò.**

Objicitur primò ex Scriptura: Ad Galatas 5. v. 6. ait Apostolus: *Neque Circumcisio aliquid valet.* Et 1. Cor. 7. v. 19. *Circumcisio nihil est.* Respondeo, quia status Circumcisionis exspiraverat. Colligo, quia additur: *Et præputium nihil est*: per quod sine dubio significatur status, & non actio.

Solvitur secundò.

Respondeo secundò; si circumcisus credat, currente Lege Euangelicâ, se aliter salvari non posse; etenim primo loco præmittit Apostolus v. 2. *Si circumcidamini* (scilicet credentes aliter non posse vos salvari, ut exponit D. Aug. 19. contra Faust. c. 17. ibi: *Unde est illud Apostoli*: Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. **S. Aug.** *Circumcidamini, scilicet sicut ipsi volebant, sicut eis à quibusdam depravatis persuasum erat, quod sine his legis operibus salvi esse non possent.*) *Christus vobis non proderit.* Similiter secundo loco subjungitur: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*: quia videlicet status Circumcisionis in Lege Euangelica nullam adfert præeminentiam, prout putabant Judæi.

55. **Solvitur locus Apostoli ex Epist. ad Romanos secundo, & tertio.**

Sed contra: Rom. 2. v. 25. *Circumcisio quidem prodest.* Et cap. 3. v. 1. & 2. *Quæ utilitas Circumcisionis? multùm per omnem modum*: ergo non loquitur Apostolus de Lege nova. Respondeo negando consequentiam: imò ideo potiùs loquitur de Lege nova; significat quippe Circumcisionem ante illam profuisse; nunc autem ampliùs non prodesse, ut Judæi falsò existimant.

56. **Item ex Epist. ad Hebr. 7.**

Contra: Ad Hebr. 7. v. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem.* Respondeo; quia parvam utilitatem (ut infra dicemus cum Scoto) adferebat; & quia sine fide & meritis Christi non poterat ad perfectum adducere. Ideo pro ratione subdit v. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Enimverò quòd non debeat intelligi de omnimoda inutilitate, patet, quia saltem conferebat gratiam legalem, seu convenientem statui illius Ecclesiæ.

57. **Ad Galat. 4.**

Contra: Ad Galatas 4. v. 9. *Quomodò convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* Respondeo primò cum D. Aug. Apostolum per elementum intelligere idola gentium; siquidem versu præcedenti ait: *Tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt Dij, serviebatis.* Unde verbis in objectione allegatis adjungitur: *Quibus denuò servire vultis?* & in confirmationem v. 10. subnectitur: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.*

Respondeo secundò, Apostolum loqui vel de statu Legis Euangelicæ, vel de infirmitate statim explicatâ.

58. **Et ad Rom. 3.**

Instabis rursum: Rom. 3. referendo utilitates Circumcisionis non meminit efficaciæ gratiæ. Respondeo, esse argumentum ab auctoritate negativa. Alibi, Gen. videlicet 17. ponitur; hic non pertinebat ad ejus intentionem, quæ erat pacificare superbos Judæos cum Gentilibus: *Quid ergo?* inquit v. 9. *præcellimus eos? Nequaquam &c. Quoniam quidem unus est Deus; qui iustificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem,* versu 30.

59. Contra: Ibidem v. 9. *Causati sumus*, id est, causam probavimus, *Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse*: Ergo quoad negotium justificandi non excedebat lex Judaïca. Respondeo: tantùm vult illos legem scriptam, hos naturalem non servasse; & ita neutros contra invicem posse gloriari, sed in Christo, cujus gratia necessaria est ad legis impletionem.

60. **Objectio secunda principalis desumpta ex SS. Patribus, diversimodè occurrit Scotus.**

Secunda principalis objectio desumitur ex auctoritate SS. PP. qui videntur Circumcisioni negare effectû gratiæ. Vide Lug. disp. 5. sect. 2. n. 14. Respondeo cum Scoto 4. dist. 1. q. 6. n. 11. ibi: *Et tamen si sint aliqua dicta Sanctorum, gratiam negãtium ab illis Sacramentis, loquẽdo non tantùm de cæremonijs,*

sed

ſed etiam de Circumciſione. Reſpondeo, dupliciter poteſt intelligi; vel quia parvam gratiam contulit Circumciſio reſpectu Baptiſmi; vel quia non contulit gratiam ut diſpoſitionem immediatam ad gloriam, quia non aperuit ianuam: ſed hoc non fuit ex defectu eius, ſed pro ſtatu temporis, quo pretium non fuit ſolutum. Vel tertio modo non contulit gratiam, quia non univerſaliter cuicumque ſuſcipienti. Determinabatur autem fortè ex inſtitutione ſua ad certum gradum gratiæ, ita quòd ultra illum gradum non poſſet nec intendendo, nec inducendo; & ita ſi tantùm gradum inveniret in ſuſcipiente, nihil ſibi conferret. Et iſte ultimus modus (inquit) *apparet eſſe de intentione Magiſtri; dicit enim quòd ſolùm peccata ibi dimittebantur, nec gratia ibi dabatur: & ſubdit ſtatim, ut in Baptiſmo, & modum ſtatim exprimit: quia quantumcumque iuſtus accedat ad Baptiſmum, uberiorem ibi recipit gratiam. Unde Baptiſmus generaliter intendit ibi gratiam, tam habitam, vel inventam. Sed non eſt ita in Circumciſione.*

61\. Falsò citatur Magiſter, quaſi docuiſſet circumciſionem ſine infuſione gratiæ remiſiſſe originale. Trident.

Falsò ergo citatur ab aliquibus Magiſter quaſi docuiſſet Circumciſionem remiſiſſe peccatum originale ſine infuſione gratiæ, contra definitionem Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ibi: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ* &c. Et can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ* &c. *anathema ſit.*

Explicat Scotus locum Apoſtoli ad Roman. 4.

Et juxta hunc ultimum modum explicat Scotus ſupra locum Apoſtoli ad Rom. 4. v. 9. & ſequentibus: *Dicimus quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodò ergo reputata eſt? in Circumciſione, an in præputio? non in Circumciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit Circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio* &c. *Unde* (inquit Doctor) *Abrahæ iam iuſtificato, ſignaculum tantùm fuit: nihil enim ſibi interiùs contulit; quia gratia Abrahæ iam attigerat vel tranſcenderat illum gradum, ad quem determinata fuerat Circumciſio. Et intelligo, nihil interiùs contulit per modum Sacramenti, ſive virtute operis operati: ſed credo, quòd ei contulerit per modum meriti, ſive virtute operis operantis: quia credo quòd actus circumcidendi ſe ex obedientia Dei & ex charitate procedens ei fuerit meritorius, ſicut & immolatio Iſaac.*

Inſtas: Ergo Circumciſio non eſt propriè Sacramentum; quia non eſt certum ſignum; quia non cauſat gratiam in omni ſubjecto non ponente obicem; ergo non ex opere operato. Reſpondet Scot. ſupra n. 12. *Quòd ſatis certitudinaliter ſignificat vel gratiam tunc in fieri, ſi non ſit obex, vel tunc in eſſe; ſicut ſi B. Virgo fuiſſet in conceptione Filij in ſumma plenitudine gratiæ, ad quam Deus diſpoſuit eam perventuram, ſi poſtea fuiſſet baptizata, nullam ibi gratiam recepiſſet de novo, tamen Baptiſmus non fuiſſet in ea ſignum falſum vel incertum; quia gratiam ſignificaret, vel tunc fieri, vel priùs datam tunc ineſſe.* Et objectioni contra illum tacitè reſpondet, certo ſignificare gratiam in fieri, vel tunc in eſſe. Et ita Christus per Euchariſtiam, quam ſumpſit in ultima cœna, non accepit augmentum gratiæ, & tamen erat verum Sacramentum.

62\. Sufficit ergo, ut Sacramentum cauſet gratiam ex opere operato, quòd cauſet gratiam præcisè ex vi ſuæ inſtitutionis, ſine ullo merito adminiſtrantis vel ſuſcipientis; adeoque in omni ſubjecto, pro quo eſt inſtitutum, ſi non ponatur obex; ſive (quod in idem redit) ſufficit, quòd ex vi ſua intrinſeca ſine ullo merito ſeu opere operantis cauſet gratiam, ad quam inſtitutum eſt, quando nullum reperit impedimentum.

Ita verò contigit in Circumciſione, quæ cauſavit gratiam in omni ſubjecto non ponente obicem, pro quo fuit inſtituta; fuit quippe inſtituta ſolùm pro iis, qui infecti erant labe originali, ſive ad cauſandam gratiam remiſſivam peccati originalis (quomodò multi Theologi contendunt Sacramenta vivorum, ut vocant, ſolùm cauſare augmentum gratiæ, ſeu gratiam in homine juſtificato, cum quo tamen admittunt, cauſare gratiam ex opere operato) & non aliam. Et ratio erat; quia cùm gratiæ plenitudo ſervaretur novæ Legi; congruum fuit ut eo tempore nulla gratia niſi prima, & ad ſalutem omninò neceſſaria ex opere operato conferretur.

63\. Profectò ſi Circumciſio, & aliud remedium Legis naturæ, ſolùm contuliſſet gratiam ex opere operantis, præterquam quòd nemo ſibi vel alteri poſſit promereri primam gratiam juſtificantem (ut traditur in materia de Gratia) valde malè proviſum fuiſſet parvulis, qui à malis parentibus, vel alijs miniſtris perverſis, quorum multitudo erat maxima, circumcidebantur; tacito, quòd inſtrumenta & media ſtabili ac publicâ lege ſancita à Deo ad ſalutem hominum, debeant habere ſtabilem operandi rationem, & uniformem quantùm eſt ex ſe, niſi ſit culpa & defectus ex parte ſubjecti; alioquin videbitur Deus aliquorum ſaluti deeſſe; & patet in Sacramentis novæ Legis, item in Sacrificijs & veteribus cæremonijs, quæ ſuo modo ſanctificabant æqualiter pro omni tempore, & reſpectu omnium perſonarum quantùm erat ex ſe. Inconvenientia, ſi Circumciſio ſolùm contuliſſet gratiam ex opere operantis

Nihilo-

Nihilominùs contra hanc causalitatem gratiæ ex opere operato

64. Objectioni tertiæ principali desumptæ ex Eugenio IV.

Objicitur tertiò definitio Eugenij IV. in Concilio Florentino in decreto seu institutione Armenorum ubi habentur hæc verba: *Sacramenta nova Legis multum differunt à Sacramentis antiquæ Legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Quæ doctrina confirmatur à Trident. sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit ea ipsa nova Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi; anathema sit.*

Et Concilio Trident.

65. Respondetur primò, non fieri ibi mentionem Sacramenti Legis naturæ; immo nec Circumcisionis.

Duplex ad hanc objectionem est responsio. Prima, nomine Sacramentorum antiquæ seu veteris Legis in illa definitione non comprehendi Sacramentum Legis naturæ, imo nec Circumcisionem, ut quæ ante Legem annis 400. instituta sit. Quæ responsio ex eo confirmatur, quòd licèt Circumcisio postmodùm legi fuerit inserta, ac præcipua ejus pars, ita ut esset illius legis professio & janua, quemadmodum Baptismus Legis Euangelicæ; adeoque per abolitionem legis censita sit & ipsa abolita; tamen quia legem Moysis præcessit, & fuit potissima ac difficillima lex positiva, quam Patres habuerunt tempore Legis naturæ; remansit usus loquendi, quo specialiter vocetur lex vetus seu scripta, reliqua pars legis Moysis à Circumcisione distincta, ut constat ex illo Christi apud Joannem cap. 7. v. 22. *Moyses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.*

Joan. 7.

66. Respondetur secundò, etiam dato Circumcisionem esse Sacramentum antiquæ Legis, non tamen comprehendi locutione generali, ut ex fine Eugenij, & Trid. constat.

Altera responsio aliâ viâ procedit, nimirum, quòd etsi hæc duo Sacramenta revera essent Sacramenta antiquæ Legis, tamen illam doctrinam sufficienter verificari ratione omnium aliorum Sacramentorum veteris Legis; cùm enim regulæ generales sæpè patiantur exceptionem, & Eugenius ibi tantùm obiter agat de Sacramentis antiquæ Legis (tantùm enim ex proposito ibi instruit Armenos de necessarijs creditu ad salutem; adeoque de Sacramentis novæ Legis Similiter Trident. solùm definit Sacramenta novæ Legis causare gratiam, quod hæretici negabant) credi posset ad hæc duo Sacramenta non respexisse; sed solùm voluisse exprimere, quod passim in Ecclesia dicebatur; non definiendo tamen quo sensu id intelligendum foret.

Quis enim dicat voluisse damnare Innocentiū, & alios?

Quis enim audeat dicere Eugenium, atque Concilium Trident. voluisse damnare Innocentium, Aug. aliosque SS. Patres supra citatos? Neque hoc favet hæreticis; siquidem volebant hi, nostra Sacramenta non causare gratiam, sed esse meras cæremonias instar Sacramentorum veteris Legis; quòd si hæc contulissent gratiam, vel saltem unum illorum, potiori ratione posset inferri contra ipsos, nostra conferre.

Maximè cùm nostra sententia non faveat hæreticis.

Et sanè mirum est, quosdam recentiores in tantùm urgere verba illius decreti adeo generalia, & tam parum moveri decretali Innoc. III. superiùs citatâ, quæ ejusdem planè est auctoritatis, & in particulari hanc quæstionem attingit; quamvis solùm occasionaliter ratione Baptismi parvulorum, de quo Innoc. consultus fuerat. Itaque cùm locus obscurus debeat per clariorem explicari, & verba illa Innoc III. *Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium*, sint clara; & verba Eugenij IV. *Sacramenta veteris Legis solùm figurabant gratiam dandam per Christum*, sint generalia, eoque obscura; sic interpretanda sunt, ut non inferatur Circumcisionem nihil omninò aliud fecisse, quàm figurare gratiam dandam per Christum; quippe sic falsum foret, quòd per illam originalis culpa remissa sit, quod Innoc. in terminis docet, tamquàm fundamentum, ex quo infert Baptismum in parvulis remittere peccatum originale; quia nimirum successit Circumcisioni, quæ ejusmodi effectum habebat. 67.

Mirum, quosdam moveri obscura locutione Eugenij contra sententiam nostram; relicta clariori Innocentij III. pro nostra.

Quòd si dicas, definitiones quidem Pontificum esse de fide, non autem rationes earum: Respondeo hoc ita quidem esse (ut supra dixi) sed tamen esse magnæ auctoritatis. Deinde addo Innocentium videri doctrinam illam adferre non solùm per accidens, tanquàm fundamentum intenti præcipui; sed etiam ex proposito; valde enim disertè agit Pontifex de Circumcisione; quo modo non agit Eugenius de Sacramentis veteris Legis, de quibus non erat controversia inter Latinos & Græcos, vel Armenos; porrò non omnia, quæ in decretalibus Pontificum habentur, sunt de fide, sed ea solùm quæ Pontifices ex proposito definiunt. 68.

Tertia responsio sit Lugonis disp. 5. sect. 3. n. 40. Circumcisionem quidem ex sua institutione nullam vim habuisse justificandi, vel tollendi peccatum originale, sed solùm fuisse datam in signum & characterem populi Judaïci, ac fidelis; regulariter tamen justificasse parvulos; quia remedium Legis naturæ, quod applicari debebat aliquo signo externo protestativo fidei internæ de Christo venturo, regulariter applicabatur per ipsam Circumcisionem, ut unâ & eâdem actione duplici præcepto satisfieret. 69.

Responsio tertia Lugonis.

Et hâc viâ hic Auctor PP. & Concilia in speciem pugnantia in concordiam addu-

Qui PP. & Concilia conatur reconciliare.

adducere conatur; sed frustra: nam (ut ipse fatetur n. 52.) D. Aug. aliquid plus voluit; etenim (ut vidimus) colligit efficaciam Circumcisionis ex illo loco Gen. 17. *Masculus, cujus præputii caro* &c. Similiter Innoc. ubi tamen primùm instituta fuit & præcepta Circumcisio; ergo ex institutione sua secundùm August. & Innoc. non solùm est signum fœderis, sed etiam remedium peccati originalis; adeoque justificativa, etiam formaliter sumpta, non præcisè in quantùm erat veteris Legis, sive professio & janua illius; sed potiùs in quantùm erat remedium Legis naturæ, determinatum à Deo & specialiter præceptum Abrahamo pro omnibus masculis, qui erant de ejus familia. Ita Scot. 4. dist. 1. q. 6. n. 2. ibi: *Quòd autem Deus voluit illud* (remedium originalis peccati) *instituere ante legem Moysis, arguit, quòd non sit remedium præcisè hujusmodi legis: sed nec lex illud evacuavit, sed confirmavit.*

Non satisfacit.

Scotus.

70. Responsio quarta ex eodem, quòd Circumcisio potius dicenda sit conditio sine qua non, quàm causa moralis gratiæ. 1. Cor. 4.

Quartam responsionem reperio apud Card. supra sect. 4. n. 61. ubi docet Circumcisionem & aliud remedium Legis naturæ posse dici conditiones potiùs, quàm causas morales gratiæ; quippe non erant actiones Christi, quemadmodum Sacramenta novæ Legis teste Apostolo 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*; & ideo Sacramenta nostra vocantur bursæ plenæ, quia continent valorem meritorum Christi.

Porro Circumcisio, quandoquidem Christus nondum ministros suos instituerat, erat mera conditio, quâ positâ movebatur Deus ad dandam gratiam, non propter Circumcisionem, sed propter suam promissionem & propter merita Christi futura, quæ erant causa moralis illius gratiæ. Sicut (inquit Lugo supra) galli cantus, quando Dominus præcepit famulo dare pecuniam Petro, quoties gallus cantat, non est causa moralis; sed conditio, quâ positâ, præceptum domini movet servum ad dandam pecuniam.

Diversimodè evellitur.

Sed contra Primò: Non omnis actio Christi est causa moralis gratiæ, ut patet in Sacrificio. Secundò: non omne Sacramentum novæ Legis est actio Christi, id est, secundùm Lug. supra, actio facta à ministro immediato, tanquam à ministro Christi, & per quem Christus loquitur & operatur: nam in matrimonio v. g. ministri sunt qui contrahunt, & non contrahunt in persona Christi, nec per illos dicitur Christus contrahere; sed Christus est, qui posuit hanc vim in illo contractu applicando ibi merita sua & potestatem, quam habuit instituendi Sacramenta cum ea efficacia saltem morali; quâ applicatione factâ, movetur Deus ad dandam infallibiliter gratiam. Si autem in hoc sensu velis esse actionem Christi, quidni & Circumcisio talis sit? Sicut enim Deus ex meritis Christi jam exhibitis movetur in Baptismo ad dandam gratiam; sic movebatur ex meritis prævisis, & exhibendis ad dandam gratiam in Circumcisione per quam applicabantur, sicut merita exhibita per Baptismum. Et sanè sicut Christus in nova Lege instituit ministros suos, per quos à Deo quasi petit & impetrat gratiam sacramentalem; ita tunc Deus instituit ministros Christi prævisi, qui per fidem in ipsum venturum propter merita futura peterent & impetrarent gratiam Circumcisionis.

Adde, quòd de facto Baptismus & Eucharistia ante passionem Christi, per quam tamen meritum ejus consummatum fuit, habuerint effectum gratiæ. Nihil simile invenitur in galli cantu respectu pecuniæ dandæ ex præcepto Domini. Ita ferè Dicastillo tract. 1. de Sacramentis in genere disp. 2. dub. 13. à numero 393. usque ad 402. ubi latiùs refutat illam doctrinam Lugonis.

Quidquid sit de nomine, de re ipse Cardinalis disp. 3. sect. 2. n. 55. fatetur remedium Legis naturæ habuisse ex Lege Dei certum & infallibilem effectum justificandi parvulum; nam (inquit) frequenter Sancti Patres appellant illud nomine Sacramenti; Sacramentum autem esse non potest, quod ex institutione divina non habet significare suum effectum sacramentalem, & per consequens infallibiliter, nisi adsit obex. Si significat effectum suum sacramentalem; ergo & ipsum est causa sacramentalis, & non solùm conditio. Si remedium Legis naturæ; ergo etiam Circumcisio (saltem materialiter sumpta) cùm & hæc sæpiùs ab Aug. in locis supra citatis expressissimè vocetur Sacramentum. 71.

Et hinc Lugo supra n. 26. rejicit hanc responsionem, inquiens: Concilium Florentinum non solùm exclusit omnem causalitatem physicam & moralem ab illis Sacramentis; sed omnem etiam prorsus utilitatem, seu modum conducendi ad gratiam; hoc enim sonant illa verba, quòd *solùm figurabant gratiam postea dandam per Christi passionem.*

Alibi etiam docet illa Sacramenta posse in latiori significatione appellari causas morales;

morales; nam illorum positioni tribuitur effectus, & ab illis dicitur causari: quod sufficit ad hoc ut Circumcisio dicatur causare gratiam ex opere operato, sive jam illud opus operatum dicatur conditio, sive causa moralis latè dicta, sive strictè dicta, ad quas appellationes non est verosimile Concilia attendisse.

Hactenus ad Scripturam, Patres & Concilia. Ex ratione.

72. Objectiones principales ex ratione. Objicitur 4. Remedium originalis peccati, sicut cætera salutis media, debet esse commune masculis & fœminis; Circumcisio autem fuit pro solis masculis. Secundò: remedium peccati originalis non erat fas differri in octavum diem, quia multi parvuli erant morituri ante octavum diem; atqui Circumcisio differebatur in octavum diem. Tertiò: Circumcisio fuit omissa in deserto 40. annis, ut habetur Josue 5. atqui non est verisimile Moysen permissurum fuisse, ut tanto tempore remedium labis originalis differretur; ergo signum nudum fuit distinctivum gentis istius à cæteris; quo proinde non sunt usi in deserto, quando non poterant cum reliquis gentibus misceri, donec transirent Jordanem.

Solvuntur. Respondeo: Iis, quibus non erat adhibenda Circumcisio, fuit adhibitum aliud remedium legis naturæ. Quòd autem Circumcisio fuerit omissa in deserto, ratio fuit non ea, quæ tangitur in objectione, nam Circumcisio occulta erat; adeoque potuissent faciliùs distingui per vestem, aut aliud signum forinsecus apparens, & secundùm eam rationem non debuissent etiam circumcidi in terra promissionis; quia præceptum erat eis Exodi 34. Josue 23. & alibi, ne paterentur secum habitare gentes, nempe in locis & civitatibus, quas ipsi possiderent.

Vera ergo ratio fuit, periculum, quod imminebat circumcisis ex profectione usque ad 4. diem; quia 3. post die dolor vulneris ingravescebat, ut dicitur Gen. 34. erant porro Hebræi in deserto continuò incerti de mansione vel profectione ad Dei nutum, qui nubis motu indicabatur Exod. 40. Nihilominus postea fuerunt circumcisi, ut habetur Josue 5. non ut justificarentur; sed ut implerent præceptum divinum Circumcisionis.

Et sanè omnia media salutis non debere esse communia, manifestum est ex lege nova: nam Sacramentum Ordinis, quod est medium salutis, licèt non necessarium, institutum est pro solis masculis. Nil ergo mirum, si etiam in lege veteri fuerit medium salutis solis viris proprium; neque enim erat medium omnibus necessarium; sed illis tantummodò, pro quibus erat institutum, aliis Deo providente per aliud remedium legis naturæ.

Si objicias: Ergo meliùs fuit consultum parvulis antiquæ legis quàm novæ, quia in defectum Circumcisionis poterant uti remedio naturæ. Respondeo, remedium nunc esse utilius & facilius, oportebat autem tunc ita institui Circumcisionem, quia hæc sæpe non poterat adhiberi. Sic tamen quòd etiam adultis aliquo sensu Circumcisio esset necessaria necessitate medii; quia videlicet nemo fuerit justificatus sine obligatione directâ ad illam, sicut nec modò sine obligatione consimili ad Baptismum.

Petes an ergo Circumcisio fuerit utilis etiam adultis? Respondeo affirmativè, saltem ad remissionem originalis. Videtur esse D. Aug. lib. 2. de Nuptiis & concupiscentiis cap. 11. ibi: *Ex quo enim instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei ad significationem* (aliàs sanctificationem) *purgationis valebat & parvulis originalis, veterisq; peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis ex quo institutus est.* Innocentius quoque capite *Majores* de Baptismo comparat Circumcisionem Baptismo quoad generalitatem effectûs: *Sicut enim* (inquit) *sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat*: Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; *ita nunc indistinctè vox intonat Evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.* 73. Circumcisio fuit utilis adultis, saltem ad remissionē originalis Videtur esse D. August. Et Innocentii.

Et hæc opinio apparet esse Scoti 4. dist. 1. quæst. 6. n. 11. vide supra in responsione ad secundam objectionem. Ubi etiam insinuat fortè non contulisse augmentum gratiæ; quare signanter in responsione dixi, *saltem ad remissionem originalis.* Et ratio esse potest imperfectio illius status, & excellentia Sacramentorum novæ legis, quibus hæc efficacia servabatur. Apparet quoque esse Scoti.

Contrariam sententiam post Suarium & alios tenet Lugo disp. 5. sect. 4 n. 73. Probat primò ex Scriptura ad Rom. 4. Ubi Apostolus dicit Abrahamum non fuisse justificatum in Circumcisione, sed ex fide. Responsionem invenies apud Scotum supra; ad summum ex illo loco ostenditur non contulisse augmentum, quod libenter admittimus. 74. Contraria sententia est Suarii & aliorum, etiam Lugonis, qui eam probat primò ex Apostolo ad Romanos 4.

Probat secundò ratione: quia in statu legis naturæ aut scriptæ non debemus ponere collationem gratiæ ex opere operato absque urgenti necessitate. Respondeo; necessitas Probat secundò: quia non debet poni talis efficacia sine necessitate.

necessitas hîc est auctoritas Scripturæ, Aug. & Innoc. attamen pro sola Circumcisione ut collativa primæ gratiæ. Quapropter asserimus aliud remedium legis naturæ, utì non necessarium, ita neque utile fuisse adultis: sed sufficiebat illis, & necessaria erat, formalis dilectio aut contritio; quidquid in contrarium videatur sensisse D. Grego. supra citatus, ut ipsum intelligit Scotus 4. dist. 1. q. 7. n. 3. ibi: *Secundum autem, scilicet fidem cum Sacrificijs pro adultis fuisse necessariam posuit.* Ubi n. 4. indicat fortassis illud Sacrificium fuisse Sacramentum: *Possibile* (inquit) *est, quòd aliquod determinatum Sacrificium foret Sacramentum; non est enim contra rationem Sacrificij, quòd ipsum vel oblatio eius sit Sacramentum.*

Remedium legis naturæ non fuit utile adultis, sed necessaria fuit formalis dilectio vel contritio.

Scotus.

75. Voluit autem Deus majorem efficaciam annectere Circumcisioni, tum quia præcepta; tum ob perfectionem majorem legis veteris, ad quam homines disponebat; reservando interim completam efficaciam, id est, collationem primæ gratiæ & augmenti ejus, legi novæ, in qua, *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu*, non unum tantùm Sacramentum remissivum peccati originalis, quemadmodum in lege naturæ & veteri (nam plura agnoscere, si non hæreticum propter definitionem Florentini, saltem temerarium est) sed septem instituit signa efficacissima ex opere operato omnis gratiæ & gloriæ.

Ad quorum proinde exactam cognitionem, tum in communi, tum in particulari, accedimus, omissis Sacramentis antiquæ legis, quæ *multa fuerunt* (inquit Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 10.) *scilicet purgationes ab immunditijs contractu secundùm legem, oblationes hostiarum* &c. pro tunc quidem efficacia gratiæ legalis, nunc autem lege veteri cessante, prorsus inutilia, imò mortifera. His itaque omissis, pro materia & forma Sacramentorum novæ legis ponitur *Scotus.*

SECTIO TERTIA.

De Materia & Forma Sacramentorum Novæ Legis.

1. Compositum artificiale & morale habent respectivè suam materiam & formam, & quidem ordinariè duplicē.

Quemadmodum corpus seu compositum naturale essentialiter constituitur materiâ & formâ naturali; ita compositum artificiale & morale suam respectivè habent materiam & formam; & quidem ordinariè duplicem. Sic in sede lignea v. g. lignum habet suam propriam materiam & formam, quæ simul sumpta sunt materia proxima sedis, cui accedit alia forma, scilicet figura ad sedem requisita. Similiter in moneta ærea est compositio ex ære & sigillo, à qua habet valorem; & reperitur compositio in ipso ære ex materia & forma ejus substantiali. Idem videre est in hac propositione: Petrus est albus; ubi subjectum & prædicatum se habent inter se ut materia & forma; nam prædicatum determinat subjectum ad certum conceptum; & tamen utrumque respectu significationis totius orationis habet se ut materia, super quam cadit tota significatio.

2. Hanc duplicē compositionem in signo Sacramentali, expressit Scotus.

Porrò hanc duplicem compositionem seu materiam & formam in signo, sive composito Sacramentali expressit Scotus 4. dist. 3. q. 2. n. 3. ibi: *Advertendum est, quòd propriè loquendo de formâ, prout est altera pars compositi, forma Sacramenti est ipsa relatio signi, quâ formaliter est tale Sacramentum: & materia est totum fundamentum ipsius relationis.* Ecce prima compositio ex Sacramento & Sacramentalitate, sive ex signo & significatione, de qua in præsenti non agimus; quia ab omnibus admittitur. Equidem controvertitur, an sit duplex significatio partialis, altera in materia, altera in forma; an verò unica & indivisibilis tenens se ex parte utriusque? Duplicem asserit Suarez disp. 2. sect. 1. Unicam verò Vasq. disp. 129. cap. 2. n. 20. & sequentibus, quem sequitur Lugo disp. 2. n. 42. Vide Auctores citatos, quia res non meretur longiorem discussionem.

An duplex sit significatio partialis, controvertunt Auctores.

Prosequitur Doctor Subtilis: *Verùmtamen si in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo fit unum Sacramentum, quæ non æqualiter se habent, sed alterum sit quasi prævium & determinabile; alterum quasi posterius & determinatio præcedentis; primum potest dici quasi materia per quamdam similitudinem ad materiam, & alterum forma: materiæ enim est præcedere secundùm originem & determinari: forma autem sequi & determinare. Similiter illud, quod principalius & actualius,*

actualitas, potest dici forma respectu potentialioris. Similiter quod est spiritualius potest dici forma respectu eius, quod est minus spirituale. Igitur ex mente Scoti illud est materia in fundamento relationis Sacramentalis, quod determinatur; hoc forma, quod determinat &c.

De hac compositione, sive materia, & forma quæritur primò, an reperiatur in omni Sacramento novæ legis? Pro resolutione sit

CONCLUSIO I.

Omnia novæ legis Sacramenta rebus ut materia, & verbis ut forma perficiuntur; non verò intrinsecè constituuntur.

3. Prima pars conclusionis est definita in concilio Florentino.

PRima pars est definita à Concilio Florentino in litteris Unionis ibi: *Hæc omnia Sacramenta* (agit de Sacramentis novæ legis; nam antiqua utpote obscuriora, quia & status obscurior, non exigebant aliqua determinata verba) *tribus perficiuntur, videlicet, rebus ut materia, verbis tanquàm forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

Et fundatur principaliter in voluntate Christi.

Principalis ratio est voluntas Christi, quæ colligitur partim ex Scriptura, ut in Baptismo & Eucharistia, partim ex communi consensu SS. Patrum, ac perpetuâ traditione Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum usa est rebus & verbis in administratione quorumcumque Sacramentorum. Congruentia est major explicatio effectûs gratiæ: cùm enim teste Apostolo & Euangelistâ Joanne cap. 1. sui Euangelij v. 17. Gratia & veritas per Jesum Christum facta sit; non abs re erat, quòd perfectissimis signis novi testamenti fidelibus innotesceret. Et quæ signa perfectiora, quàm res, quæ videntur, & verba, quæ audiuntur? Certè visus & auditus sensus perfectiores censentur.

Congruentia est major explicatio effectus gratiæ.

4. Verba secundum D. Augustinû obtinuerunt principatû significandi.

Quæris; res; an verba perfectiùs significent? Respondet D. Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 3. Verba *inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit.* Rationem inferiùs assignat: *Nam & illa signa omnia, quorum genera breviter attigi, potui verbis enuntiare, verba verò illis signis nullo modo possem.* Itaque per res intelliguntur illa etiam, quæ aliorum signorum, puta verborum, sunt objecta, quorum ut plurimum aliquis est humanus usus præter significationem, ut abluendi, ungendi & similium. Per verba intelliguntur voces impositæ ad significandum, ad quæ etiam revocari possunt nutus, & earum rerum signa, quarum nullus alius est communis usus præter significationem.

Ex quo cognoscitur, quare verba ordinariè obtineant locum formæ.

Ex quo festinè cognoscitur, quare verba ordinariè obtineant locum formæ, quia videlicet magis determinata in significando, & pars magis principalior, magisque spiritualis. Quamquam & contingere possit, prout contingit in Sacramento Pœnitentiæ, quòd aliqua verba, scilicet confessio oris, sint materia; utique quia per alia verba posteriora, scilicet absolutionem magis determinantur.

5. Objectio solvitur.

Et si objicias: Una est & indivisibilis vis significandi, & actualis significatio materiæ & formæ; quia una & eadem institutio divina indivisibiliter terminata ad significationem verborum & rerum, non enim priùs Deus instituit verba, posteà res, sed utrumque simul. Respondeo: equidem verborum significatio magis est determinata propter majorem aptitudinem, quam habent verba, ut à Deo instituantur ad significandum effectum Sacramentalem.

Et declaratur à simili.

Quid clarius, quàm in forma consecrationis? Quamquàm enim ex institutione Christi non priùs Sacramentaliter significet, id est, significet & simul efficiat præsentiam corporis & sanguinis, quàm ipsa species; liquet profectò vel ex sola institutione humanâ, ita determinatè significare hujusmodi præsentiam, ut falsa sint illa verba in ore Christi, nisi efficiant, quod sonant. Quid autem simile reperitur in speciebus, quæ ex natura sua repræsentant substantiam panis, & per ipsam formam, accedente voluntate divinâ, constituuntur in esse signi corporis & sanguinis Christi?

Lugo.

Unde rectè Lugo disp. 2. sect. 2. n. 48. Si sermo (inquit) fit de significatione, quam habent ex institutione; certum est tam species, quàm verba significare æquè præsentiam Christi, & nutritionem animæ; neque enim species sine verbis, nec verba sine speciebus aliquid horum significant, sed omnia simul indivisibiliter; sicut syllabæ omnes simul & indivisibiliter significant rem significatam per vocem; & sicut etiam in rebus sacris indulgentia, quæ conceditur jejunanti & danti eleemosynam, non

non reſpondet partialiter jejunio & partialiter eleëmoſynæ, ſed utrique ſimul & indiviſibiliter. Si autem loquamur de ſignificatione remota & fundamentali antecedente omnem inſtitutionem Chriſti, conſtat verba ſignificare præſentiam, ſpecies verò nutritionem. Sed hæc ſpeculativa pro clariori intelligentia Florentini.

6. Notandum primò Eugenium etiam loqui de materia remota Sacramenti.

Adverte primò, Eugenium in verbis præallegatis non minùs loqui, imò magis, de materia Sacramenti remota, quàm proxima. Nam (inquit) materia Baptiſmi eſt *aqua vera & naturalis*, materia Confirmationis *chriſma*, materia Euchariſtiæ *panis triticeus & vinum de vite*, materia extremæ Unctionis *oleum olivæ*, quæ omnes ſunt materiæ remotæ, ut infra proprijs locis explicabitur.

Notandum ſecundò non intendere Pontificem in omnibus Sacramentis, accipiendo pro ſingulis generum, requiri verba formalia.

Adverte ſecundò: Concilium non intendit, quòd in omnibus Sacramentis, accipiendo pro ſingulis generum, requirantur verba formalia ſive propriè dicta. Colligitur, quia §. Septimum eſt Sacramentum Matrimonij: *Cauſa* (ait) *efficiens Matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Ergo in caſu neceſſitatis, v. g. ſi contrahens eſt mutus, validè & licitè exprimitur per nutus, aut alia ſigna æquipollentia: nam exceptio firmat regulam in contrarium; & expreſsè deciditur cap. *Tuæ fraternitati* de Sponſalibus, ibi: *Nam ſurdi & muti poſſunt contrahere Matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis.* De quo latiùs in proprio tractatu.

Solum hîc nota ideo Pontificem uſum fuiſſe generali locutione; quia in ſolo Matrimonio erat exceptio, & nulla eſt regula tam generalis, quin aliquam patiatur, aut pati poſſit exceptionem.

7. Non poſſe pœnitentiã ſolis verbis perfici, ſufficienter docet Pontifex aſſignando pro quaſi materia cordis contritionem.

Enimverò quòd aliqui ſentiunt Pœnitentiam perfici poſſe ſolis verbis, oris ſcilicet confeſſione & abſolutione, ſatis improbat Concilium, quando pro quaſi materia aſſignat cordis contritionem, dicens: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito de cætero non peccandi.*

Qualiter & loquitur Concilium Trid.

Eodem ferè modo loquitur Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti pœnitentis actus, nempe contritio* &c. quam cap. 4. in principio definit: *Animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Quis autem ambigit dolorem illum, atque propoſitum eſſe actum voluntatis?

Objectioni occurritur.

Et ſi contra arguis; quia dolor ille non eſt ſenſibilis, niſi per verba. Reſpondeo, per alia ſigna poſſe fieri ſenſibilem: nam & ipſa confeſſio oris, quamvis ex conſuetudine requirat verba propriè dicta, indubiè tamen in defectum vocis fieri poteſt, imò & debet, nutu vel ſcripto.

Infert aliquis: Ergo ſicuti confeſſio oris quocumque ſigno externo fiat, cenſetur verbum, & non res; ita etiam contritio. Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd contritio formaliter ſit actus voluntatis; confeſſio autem externa enarratio peccatorum, quæ quia communiter fit verbis propriè dictis, ideo aliud quodcumque ſignum, quod in locum ejus ſubſtituitur, rationem obtinet verbi, & non rei; & per conſequens ſignum externum contritionis, tametſi eſſet verbum propriè dictum, magis res, quàm verbum cenſendum foret.

Contritionem & confeſſionem non eſſe eandem partem ex Florentino & Trid. conſtat.

Sanè ſi una & eadem eſſet pars contritio & confeſſio, malè diceret Florent. *Quarum prima eſt cordis contritio* &c. *Secunda eſt oris confeſſio.* Et Trident. perperam enumeraret tres actus pœnitentis, nempe contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem.

Taceo contritionem poſſe ſubſequi confeſſionem, ut dicam in materia de Pœnitentia. Certè clariſſimum eſt, materiam circa quam, ſive objectum abſolutionis eſſe peccata, quæ etſi ſolius oris eſſent, eſſentialiter tamen involvunt actum voluntatis, ut omnes fatentur cum D. Aug. lib. de vera Religione cap. 14 ibi: *Vſq; adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum* propriè dictum, *ſi non ſit voluntarium.* Unde ipſa veritas Chriſtus Matth. 15. v. 19. teſtatur: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemia: hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* S. Aug. Matth. 15.

8. Objectio deſumpta ex Sacramento matrimonij. Lugo.

Secunda objectio (inquit Lugo diſp. 2. ſect. 1. n. 7.) eſt ex Sacramento Matrimonij, quod ſolis verbis perfici videtur; illis ſcilicet quibus conjuges mutuum conſenſum exprimunt. Deus bone quàm hîc laborat Card. ut inveniat ſolutionem! Et poſtquam folia chartæ implevit verbis, vix tandem intentum aſſequitur. Aſt meo judicio, ſalvo meliori, res eſt facillima; quippe ſecundùm communem ſententiam, quam Lugo non negat, corpora contrahentium ſunt materia remota; quis autem ſanæ mentis aſſerit illa non eſſe res?

Solvitur; eo quòd corpora contrahentiũ ſint materia remota.

Illationi quòd contrahentes ſint miniſtri, adeoque nõ materia

Si dicas: contrahentes ſunt miniſtri, ergo non materia; enimverò Pontifex ponit miniſtrum tanquam diſtinctum à materia inquiens:

Respondetur primò. inquiens: *Hac omnia tribus perficiuntur materiâ, formâ & personâ ministri.* Respondeo primò, corpora contrahentium esse distincta ab ipsis contrahentibus, utì pars distinguitur à toto.

Respondetur secundò. Respondeo secundò cum Lugone suprà num. 32. sufficere distinctionem virtualem, quam nemo inficiatur reperiri inter contrahentes, ut sunt ministri, & eosdem, ut obtinent locum materiæ circa quam: sicut tutor vendens & emens rem pupilli sui duplicem virtualiter sustinet personam: & sicut legislator seipsum obligans aut secum dispensans, caput est, atque membrum communitatis.

9. *Fundamentum primum explicationis Florentini.* Fundamentum hujusmodi explicationis Concilij assigno Primum; quia non distinguit simpliciter inter materiam & ministrum; sed nominat personam ministri conferentis Sacramentum cum intentione &c. Clarum autem est, illam intentionem propriam esse soli ministro quà tali. Quidni ergo ratione illius sufficienter distinguatur à se ipso, ut suscipiente Sacramentum, vel ut materia circa quam?

Fundamentum secundum. Secundum; quia cùm assignasset Eugenius aliorum Sacramentorum materias & formas realiter inter se distinctas, ubi pervenit ad Sacramentum Matrimonij, non ait: *Huius Sacramenti materia sunt corpora contrahentium, forma verba quibus exprimitur internus consensus, minister ipsi contrahentes*; sed exprimit solam causam efficientem, dicens: *Causa efficiens Matrimonij* &c. tacitè innuens, non reperiri inter materiam, formam & personam ministri illam realem diversitatem, quæ invenitur in alijs Sacramentis. Plura de materia Matrimonij proprio loco.

10. *Notandum tertiò per formam aliquando SS. Patres intelligere formulam observari solitam in administratione Sacramentorum. S. August.* Adverto tertiò, per formam aliquando SS. PP. intelligere formulam sive ritum observari solitum in administratione Sacramenti. Ita accipit D. August. lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 34 ibi: *Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? ipse certè mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia ille per se respondere non posset* &c. Et tandem concludit: *Falsam igitur vel fallacem parvulis tradi Baptismatis formam, in qua sonaret, quod utique agi videretur, & tamen nulla fieret remissio peccatorum; viderunt aliqui eorum, nihil execrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri.* Ubi apertè constat formam Baptismi appellari ab Aug. totam illam formulam seu ritum Baptismi, quatenùs comprehendit exorcismos &c.

Porrò illam, quam hîc nominat formam Sacramenti Epistolâ 105. ad Sixtum, paulò ante finem vocat ritum, ibi: *Circumstipantur enim* (Pelagiani) *& divinarum auctoritate lectionum, & antiquitus tradito, & retento firmiter Ecclesiæ ritu in Baptismate parvulorum, ubi apertissimè demonstratur, infantes & cùm exorcizantur, & cùm ei per eos, à quibus gestantur, renuntiare respondent, à diaboli damnatione liberari.* *Idem.*

Hunc etiam modum loquendi usurparunt Patres Concilij Milevitani (cui interfuit Augustinus) cap. 2. & habetur c. *placuit* 153. de Consecratione dist. 4. *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quòd lavacro regenerationis expietur (unde fit consequens, ut in eu forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur) anathema sit.* *Prout intellexerunt Patres Concilij Milevitani.* Eisdem planè verbis utitur Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali §. 4. *Et Concilij Tridentini.*

11. *In decreto Eugenij non est idem Sacramentum perfici materiâ & formâ, & intrinsecè ex ijs constitui.* Adverto quartò, ut propiùs accedamus ad secundam partem conclusionis, non esse idem in decreto Eugenij, Sacramentum perfici materiâ & formâ, & Sacramentum intrinsecè constitui sive componi ex materia & forma. Declaro ex ipsis verbis: *Omnia* (inquit Pontifex) *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquàm materiâ, verbis tanquàm formâ, & personâ ministri.* An ergo personâ ministri intrinsecè constituitur Sacramentum? Negant omnes. Assignat Eugenius pro materia Eucharistiæ panem & vinum: num ideo ex pane & vino intrinsecè componitur hoc Sacramentum? Nemo asserit. Satisfactio dicitur quasi materia, aut saltem pars quasi materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quæ tamen juxta communem & certissimam omnium Theologorum sententiam non est nisi pars integralis.

Objectioni satisfit. Dices: Non est intelligibilis alius concursus materiæ & formæ, quàm compositionis unius totius per modum partium essentialium. Respondeo; in composito naturali & physico, quod requirit omnes partes simul existentes, concedo: in composito morali, quale est Sacramentum, cujus una

una pars, etiam subinde longo tempore, aliam præcedit, nego. Ut ut sit, certum est definitionem Concilij non posse intelligi de rigorosa & propriè dicta compositione; cùm Sacramentum non sit reale & propriè dictum compositum.

Per materiam & formam non intelligenda propriè dicta materia & forma; ut ex Concilijs constat.

Unde nec per materiam & formam intelligenda venit propriè dicta materia & forma, ut perspicuè indicant ambo Concilia Florent. & Trident. dum pro quasi materia Pœnitentiæ assignant contritionem, confessionem & satisfactionem. Et fortassis idcirco nusquàm utuntur verbo *componuntur*, sed *perficiuntur*, id est, requirunt ad sui existentiam sive formaliter sive præsuppositivè.

12. Hinc colligitur non dicendum oppositum secundæ partis conclusionis esse definitum in Florentino.

Ex quo citiùs cognoscitur nimis leviter aliquos dixisse, oppositum secundæ partis conclusionis esse definitum in Concilio Florent. suprà, cùm non solùm Florentinum, sed etiam Trident. magis videatur sententiæ nostræ favere, quæ est Scoti diversis in locis.

Eucharistiā essentialiter consistere in solis speciebus consecratis, docet Scotus, cùm sit Sacramentum permanens;

Nam inprimis Eucharistiam consistere essentialiter in solis speciebus consecratis docet 4. dist. 8. q. 1. n. 6. & 7. & quæst. 2. n. 3. Cùm enim hoc Sacramentum sit permanens, nequeunt verba, utpote naturâ suâ transitoria, esse de intrinseca illius ratione. De substantia panis & vini similiter evidens est: quamquàm præsuppositivè requiratur, velut materia ex qua, & transiens; prout verba tanquam principium effectivum, utpotè quibus *Sacerdos* (verba sunt Florentini supra) *in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*. Plura in materia de Eucharistia.

Similiter pœnitentiam intrinsecè constitui solis verbis absolutionis,

Prætereà, Pœnitentiam intrinsecè constitui solis verbis absolutionis, indicat Doctor Subtilis 4. dist. 14. q. 4. n. 3. & expressè habet dist. 16. q. 1. n. 7. Ratio breviter est: quia sola absolutio significat sacramentaliter gratiam remissivam peccatorum, ut (Deo favente) ostendam in disp. de Pœnitentia, unàque satisfaciam objectionibus Thomistarum, aliorumque communiter Theologorum, qui secuti Doctorem Angelicum contrarium sustinent.

Ex eodem colligitur Sacramentum matrimonij essentialiter absolvi mutuo consensu, per verba vel signa æquivalentia de præsenti expresso,

Denique Sacramentum Matrimonij essentialiter absolvi mutuo consensu per verba vel alia signa æquivalentia de præsenti expresso, colligo ex Scoto 4. dist. 16. q. 1. num. 17. in definitione hujus Sacramenti, quam hîc non profero, ne in principio longior sim, quàm oportet. Cæterùm ratio est: quòd sola ista verba vel alia signa æquivalentia, minimè autem corpora contrahentium (quæ sunt materia Sacramenti, ut supra dictum est, & objectum dumtaxat, circa quod contractus matrimonialis versatur) significent effectum Sacramenti.

Reliqua Sacramenta intrinsecè constituuntur materiā & formā.

Porro reliqua Sacramenta perficiuntur rebus ut materiâ, & verbis ut formâ, sic ut utraque sint de eorum intrinseca essentia, quoniam efficaciter significant gratiam sacramentalem, ut discurrenti per singula facilè patebit.

13. Atque hîc finis fuisset præsentis conclusionis, nisi apud Lugonem reperissem novam & hactenus inauditam opinionem, quam fusè probat disp. 2. sect. 7. Et quæ ista? Intentio Ministri intrat ad componendum intrinsecè Sacramentum. Ratio autem gravissima (aliàs levissima) est: quia illud debet esse intrinsecum alicui composito, quo ablato, & manentibus omnibus alijs, non manet tale compositum; sed positâ materiâ & formâ Baptismi, & omnibus, præter intentionem Ministri, non datur Sacramentum; ergo illud, quod deerat, nempe intentio, erat aliquid intrinsecè componens Sacramentum: alioquin nihil deesset intrinsecum; & per consequens, deficiente intentione, daretur totum esse intrinsecum Sacramenti, atque adeò daretur Sacramentum, quod nihil aliud est, nisi totum suum esse intrinsecum. Hactenùs Cardinalis.

Intentio Ministri, juxta Lugonem componit intrinsecè Sacramentum.

Qui & peccata dicit esse partem essentialem Sacramenti pœnitentiæ; Quod non est fundatum,

Qui eousque progressus fuit, ut etiam peccata dixerit esse de essentia intrinseca seu partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ; sed absque ullo fundamento: cùm aliud sit ab aliquo essentialiter præsupponi, prærequiri, connotari: aliud directè & intrinsecè in aliquo tanquam partem componentem contineri. Enimverò etiam Deus v. g. involvitur in objecto contritionis, & tamen non est pars Sacramenti Pœnitentiæ. Similiter creator præsupponitur cuilibet creaturæ, & quælibet causa suo effectui, & tamen quis nesciat non esse partem essentialem illius? sic objectum necessarium est actui, & terminus relationi; an proptereà de intrinseca essentia vel objectum actûs, vel terminus relationis? Noli cogitare, noli dicere; sed mecum dic:

14. Dicendum itaque Intentionem Ministri esse terminum extrinsecum essentialiter requisitum. *Dicastillo.*

Intentio ministri non intrat ad componendum intrinsecè Sacramentum, sed est terminus extrinsecus essentialiter requisitus. Ita longè & latè, imò longiùs & latiùs quàm controversia merè speculativa postulet, Dicastillo Tract. 1. disp. 1. dub. 19. per totam.

Probatur Primò,

Probatur primò: quia nullum Concilium intentionem inter partes recensuit, neque etiam ullus Theologorum ante Lugonem: non

non sunt autem novæ partes invehendæ in Sacramenta adeò membratim ab Ecclesia & DD. declarata: neque est ratio quarè magìs diceretur materia, quàm forma; & tamen nemo hactenus agnovit partem aliquam essentialem præter materiam & formam.

Secundò. Secundò: pariter dicendum esset intentionem suscipientis adulti esse partem Sacramenti; adeoque Baptismum adulti habere plures partes diversæ rationis, quàm parvuli, in quo non requiritur intentio.

Tertiò. Tertiò: Sacramentum ipsum est objectum intentionis; quippe minister intendit conficere Sacramentum: ergo non est intrinseca ipsi Sacramento; etenim non intendit conficere intentio se ipsam.

Quartò. Quartò: intentio conficit Sacramentum; ergo non est de ipsius essentia; cum causa efficiens sit extra essentiam effectûs.

Allegantur varia absurda provenientia ex opposita sententia. Accedunt varia absurda; ut quòd persona suscipientis, persona ministri, in aliquibus Sacerdotium aut jurisdictio, in extrema Unctione infirmitas, in alijs Sacramentis Baptismus, in Baptismo carentia alterius Baptismi includatur tanquam pars componens. Sufficit igitur, quòd sit terminus extrinsecus essentialiter requisitus: sicut ad valorem Matrimonij requiritur Parochus, ad valorem testamenti testes, & aliæ plures solemnitates, quæ tamen non propterea appellantur partes essentiales Matrimonij, aut testamenti; sed conditiones sine quibus non existit substantia hujusmodi contractuum.

15. Et solvitur ratio Lugonis. Dicastillo. Ad gravissimam (ut eam vocat Lugo) rationem in oppositum admissâ Majore, Respondet Dicastillo suprà n. 352. Minorem involvere contradictionem in ea suppositione; dum ait: *Sed positâ materiâ & formâ Sacramenti, & omnibus alijs præter intentionem Ministri, non datur Sacramentum*: implicat enim contradictionem poni materiam & formam sine intentione Ministri; non quia intentio sit pars materiæ v. g. ablutionis in Baptismo, aut pars formæ, quæ sunt verba, sed quia illa ablutio, & verba illa non sunt materia & forma per suum tantùm esse physicum, quod habent; nec à Christo sunt secundùm esse physicum tantùm instituta pro materia & forma Sacramenti, sed secundùm quod procedunt efficienter aliqua ratione (saltem imperativè moraliter) ab intentione Ministri: adeoque secundùm entitatem suam moralem, quam accipiunt à persona Ministri conferentis Sacramentum, id est, applicantis materiam & formam, symbola illa externa, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: sic quippe & non aliter sunt actio Christi, quæ sola elevata est ad dignitatem Sacramenti.

Ostenditur à simili. Quemadmodùm ergo persona Ministri, tametsi essentialiter requiratur, nihilominus non est pars intrinsecè componens, sed causa efficiens extrinseca, quam Sacramentum ut tale essentialiter respicit; ita quoque intentio, quæ à Concilio Florentino non computatur in materia & forma, sed conjungitur personæ Ministri; adeoque illius potiùs conditiones, sive naturam sequi convenit, quàm materiæ aut formæ.

16. Responsio Lugonis. Sed ad hæc quid Cardinalis? Hic modus (inquit n. 130.) explicandi difficilis est; quia ij Theologi, ne dicerent id, quod sibi videbatur esse (adde & reverà est) contra sensum communem, scilicet intentionem esse intrinsecam Sacramento, asserunt alia, quæ planè multò plus opponuntur doctrinæ & sensui communi; scilicet, non omnes ablutiones & prolationes verborum posse esse materiam & formam validam Sacramenti Baptismi ex vi præsentis institutionis; sed aliquas posse esse, & aliquas non esse.

Ex quo infert primò: Unde hæc propositio universalis vera non erit: *Omnis ablutio est, quantùm est de se, materia apta ad Sacramentum Baptismi*; plures enim ablutiones non sunt à Christo institutæ ad hoc Sacramentum magìs, quàm percussiones, vel aliæ actiones disparatæ.

Ex communi sententiâ non sequitur, plures ablutiones non esse magìs à Christo institutas ad Baptismum, quàm alias actiones disparatas. Herculè acutè! Non arbitror profectò quemquam vel à limine salutasse institutionem Sacramentorum, quin manibus (ut communiter loquimur) palpet evidentissimum discrimen inter ablutiones, & percussiones aut alias actiones disparatas. Quamquam enim non omnis ablutio de facto sit materia Sacramenti ex defectu alicujus respectûs moralis, sive ad formam, sive ad personam ministri cum intentione, sive ad subjectum capax; ex vi tamen præsentis institutionis Christi, quantùm est de se, idonea planè est, ut cæteris concurrentibus actu componat Baptismum. An forsitan etiam percussio, aut alia actio disparata? Expectabo responsionem, & venio ad secundam illationem.

Unde (inquit) consequenter posset aliquis dicere, quòd in Sacramento Matrimonij consensus internus contrahentium non sit pars

pars intrinseca Sacramenti, sed solùm conditio requisita; Sacramentum verò constare ex solis verbis & nutibus externis: Christum autem non assumpsisse ad significandam gratiam in illo Sacramento omnia verba & omnes nutus, sed aliquos; & Deum providere, ut quando deest consensus internus, non producatur illa locutio in individuo, quam Christus instituit, sed alia ex illis, quas non instituit ad significandam gratiam; atque eo pacto consensus internus non componet intrinsecè illud Sacramentum, sed sola verba, aut nutus externi tales. Et continuò subsumit: Quod tamen concedi non potest.

Non sequitur secundò posse similiter dici consensum internum cōtrahentium non esse partem intrinsecam Sacramenti Matrimonij

Assentior, idque propter rationem adjunctam: Quia (inquit) materia illius Sacramenti (vel potiùs secundùm Doctorem Subtilem tota essentia) est contractus legitimus; nihil autem magìs intrinsecum, & essentiale contractui (saltem Matrimonij juxta omnes Theologos) quàm consensus contrahentium: quando enim consensus deest, non datur verus contractus, sed fictus & apparens. Ergo sicut consensus est intrinsecus contractui Matrimonij, sic etiam intrinsecus est illi Sacramento: Concedo totum.

17. Prosequitur: Si autem consensus internus est pars intrinseca in Sacramento Matrimonij, non apparet cur non sit idem dicendum de consensu interno, seu de intentione in Baptismo & Confirmatione; cùm eodem modo potuisset Christus instituere sola signa externa in Matrimonio, sicut in illis, & consensus in Matrimonio sit quædam intentio faciendi verum legitimum contractum, sicut baptizans habet intentionem faciendi verum & legitimum Baptismum.

Verè dixit Card. non apparet, cur non sit idem dicendum: scilicet ijs, qui relicto communi sensu fidelium novas moliuntur opiniones: alioquin cæteris Theologis recentioribus, qui insistunt vestigijs suorum prædecessorum, perspicuè manifesta est inconsequentia; & si quæris rationem disparitatis, aperi oculos & vide.

Et disparitas est manifesta.

Matrimonium contractus est, & quidem onerosus: num similiter Baptismus & Confirmatio? Nequaquàm. Contractus verò quid? Jurisconsultus L. 19. *labeo* de verborum significatione: *Contractum autem ultro citroq; obligationem, quod Græci συνάλλαγμα, vocant.* Porro obligatio est vinculum morale ortum ex mutuo consensu signo aliquo externo expresso: ut proinde contractus omnem suam efficaciam accipiat ab interna voluntate se obligandi; imò non videtur aliud formaliter esse, quàm voluntas se obligandi: patet in voto, quod est promissio facta Deo ejusdem planè efficaciæ sive fuerit merè internum, sive externum.

Cùm ergo Sacramentum Matrimonij essentialiter involvat contractum Matrimonij; hic autem nihil aliud sit quàm consensus seu volitio reciproca maris & fœminæ signo externo manifestata, quâ jus perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem, verissimè dixit Em. suprà, & omnes Theologi cum ipso fatentur, Sacramentum Matrimonij intrinsecè componi; imò nihil esse aliud formaliter quàm illas volitiones, sive intentiones se obligandi.

Idem tamen dicendum esse de intentione Sacramenti in Baptismo & Confirmatione constanter negant, idque quia Sacramentum Baptismi (& eadem est ratio de alijs) non est formaliter intentio conficiendi Sacramentum, sive faciendi quod facit Ecclesia; sed signum sensibile à Deo institutum & determinatum ad significandum efficaciter gratiam sanctificantem; ita quòd efficacia Sacramenti principaliter oriatur, non ab intentione Ministri; sed à signo externo, ut substat institutioni & determinationi divinæ, ex qua requiritur intentio potiùs ut causa efficiens & agens extrinsecum, sicuti & aliæ multæ conditiones, quàm ut intrinsecum constitutivum.

18. Instas pro Lugone: Ergo etiam in Matrimonio intentio conficiendi Sacramentum non est pars essentialis. Concedo totum. Atque in eo videtur deceptus Emin. quòd non distinxerit inter intentionem Sacramenti & intentionem contractûs, quasi idem esset Sacramentum Matrimonij & contractus Matrimonij, contra unanimem consensum omnium Doctorum, quem expressit Doctor Subtilis 4. dist 27. q. unicâ n. 16. ibi: *De quinta conclusione dico, quòd aliud est Matrimonium, & aliud contractus Matrimonij, & aliud Sacramentum Matrimonij.*

Intentio conficiendi Sacramentum Matrimonij non est pars essentialis illius.

Distinguendum inter intentionem contractûs, & intentionem Sacramenti Scotus.

Et quid illustrius? Quippe contractus Matrimonij institutus est in Adamo, cum Sacramentum solùm sit institutum in nova lege. Unde etiam modò inter infideles valet Matrimonium in ratione contractûs civilis, & non Sacramenti; fortè & inter fideles, si habeant voluntatem contrahendi, & non conficiendi Sacramentum: ast nunquàm valet in ratione Sacramenti & non contractûs: quoniam licèt Deus potuisset instituere sola signa externa, & illis tanquàm

Ut clarè ostenditur.

quàm Dominus totius naturæ, qui perfectius habet jus in nostra corpora, quàm nos ipsi, annectere obligationem matrimonialem, indubiè tamen sic non fecit; verùm contractum matrimonialem, qualis, à principio fuit, elevavit ad dignitatem Sacramenti: prout quoque in alijs Sacramentis non immutavit Christus naturam physicam ablutionis, Unctionis &c. neque significationem naturalem, vel ex institutione humanam verborum; sed superaddidit significationem Sacramentalem.

Legantur hæc attentè, & confestim apparebit paritas & disparitas inter Matrimonium ex una parte, & Baptismum, Confirmationem &c. imò & Ordinationem ex altera parte: paritas quidem in ratione Sacramenti, disparitas autem in re substrata; nam sine voluntate contrahendi, sive se obligandi non est contractus; sine voluntate verò abluendi, ungendi, tradendi instrumenta Ordinis, est vera & realis ablutio, unctio, traditio; similiter sine voluntate proferendi verba, vera & realis prolatio.

Nec obstat Christum nō assumpsisse, nisi actiones & verba voluntaria.

Et si urges: quia Christus non assumpsit nisi actiones & verba voluntaria; id ipsum & ego sentio, & idcirco dico voluntariam ablutionem componere intrinsecè Sacramentum Baptismi: ergo voluntas faciendi quod facit Ecclesia, nego consequentiam: illa quippe non includitur essentialiter in voluntaria ablutione, ut lippis atque tonsoribus notum est.

19\. **Respondetur ad primam confirmationē Cardinalis,**

Ex dictis facilè respondetur ad primam confirmationem Cardinalis supra n. 131. Quia (inquit) non minùs requiritur consensus internus in Episcopo conferente potestatem Ordinis, quàm in conjugante potestatem supra corpus suum alteri conjugi: nam utraque est collatio potestatis & juris. Respondeo: sed una verus contractus, altera dumtaxat Sacramentum.

Hinc Ordinatio non est collatio potestatis: sed traditio instrumentorum cum prolatione certorum verborum; & propterea in suscipiente non requiritur vera acceptatio, necessaria ad verum contractum donationis; sed sufficit contactus physicus instrumentorum. Neque Episcopus principaliter confert potestatem Ordinis, sed solùm ministerialiter; eodem modo, quo confert gratiam sanctificantem, & absolvens Sacramentaliter exhibet remissionem peccatorum, ita ut non sit in potestate ejus velle dare, & actu dare potestatem Ordinis, conferre gratiam sanctificantem, exhibere remissionem peccatorum, nisi velit conficere, & de facto conficiat Sacramentum, id est, nisi mediante Sacramento.

Et ostenditur disparitas inter intentionem conferendi Ordines, & intentionē matrimonij.

Jam autem contrahens Matrimonium vir vel mulier, tanquàm causa principalis dat alteri potestatem supra corpus suum independenter, quantùm est de se, à ratione Sacramenti; quamquàm & illam post Christi institutionem, ut causa ministerialis contractui annectat, non per voluntatem præcisam contrahendi, sed per voluntatem conficiendi Sacramentum, quæ ordinariè quidem inter fideles censentur & sunt una & eadem; puta, quia voluntas Sacramenti implicitè includitur in voluntate contractûs. Interim nihil obstat, quò minùs una in re sit distincta ab alia, imò & separata, sic planè ut valeat contractus & non Sacramentum, ut uberiùs dicam in materia de Matrimonio. Et hactenus quidem pro opinione communi, & magis accommodata sensui fidelium.

20\. **Non multò Cardinale solidius quidam sustinetur, esse asserit, intentionem ministri esse partem essentialem in ipsa actione computatam, etiā à Concilijs,**

Equidem sustineri potest (ait quidam Neotericus Auctor) oppositum, dicendo intentionem ministri esse partem essentialem Sacramenti consistentis in actione; non tamen partem condistinctam, sed in ipsa actione computatam, etiam à Concilijs: quæ dum ablutionem v. g. dicunt esse materiam Baptismi, loquuntur utrique de ablutione libera, & quidem certæ speciei moralis. Unde sicut intentio non tantùm dandi aliquod signum consensûs, sed etiam contrahendi seque obligandi censetur de intrinseca essentia contractûs; & sicut intentio vovendi, orandi &c. censetur de intrinseca essentia voti, orationis &c. sic Sacramentum quod est actio quædam libera ac certæ speciei moralis, includit in se intentionem agentis illam, non tantùm actionis externæ ut sic, sed etiam actionis ut talis. Ita ille; sed non multò solidiùs Cardinale.

Mera conjectura est, Concilia loqui de ablutione libera certæ speciei moralis.

Nam, ut omittam Concilia plerumque non agere de materiâ proximâ, ablutione, unctione, &c. sed remota; aqua videlicet, oleo &c. ex nullo capite constat, sed est mera conjectura, Concilia (si quæ sint & dicant ablutionem esse materiam Baptismi) loqui de ablutione libera certæ speciei moralis, & non magis de ablutione simpliciter voluntariâ, capaci significationis Sacramentalis per respectum extrinsecum ad personam abluentem, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Confutatur ex Florentino.

Sanè si in ipsa actione computatur intentio; Cur putas Florentinum præter res & verba, expressè enumerat personam ministri cum intentione? An quia per res intellexit solam materiam remotam? *Sextum (inquit) Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur*

fertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patena cum pane porrectionem. Ecce materia proxima & actio Sacramentalis, porrectio scilicet calicis. Et verba quid aliud sunt, quàm prolatio verborum? Vel ergo ex mente Pontificis intentio est pars essentialis condistincta, vel simpliciter non est pars essentialis, sed conditio dumtaxat sine qua non ablutio & prolatio verborum actu componunt Sacramentum Baptismi.

Ad simile de contractu patet responsio ex dictis contra Em. Et eadem est ratio de Oratione, quæ à D. Damasceno lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 24. definitur: *Petitio decentium à Deo*; & ab Augustino ser. 23. de tempore vocatur *Desiderium invisibilium*; & lib. de Spiritu & littera cap. 50. describitur: *Conversio mentis in Deum per pium & humilem affectum.* Unde apud Scotistas dicitur & est formaliter actus voluntatis. Sic planè, ut licèt oratio vocalis secundùm physicum suum esse importet tantummodò physicas illas voces, quibus de per se significatur desiderium aliquid habendi; totum tamen esse morale vim & efficaciam accipiat à desiderio interno, quod per se solùm proprijssimè & principalissimè (ut sic loquar) vocatur à tota Ecclesia oratio.

S. Damascenus.

S. Aug.

Rogo sedulum Lectorem non perfunctoriè & subsultim legere definitionem Sacramenti; sed oppidò pensitare ejus naturam, si fortè simile aliquid in eo reperiat, quia plùs vident oculi quàm oculus, ut commune habet proverbium. Interea opus inchoatum prosequor & absolvo.

21. Conatur prædictus Auctor infringere probationes supra allegatas pro sententia communi: & ad primam quidem respondet, Concilia non agere de hâc parte, sed potiùs de ipsis externis symbolis; & præsertim de materia remota. Sicut etiam ipsa institutio Christi est de essentia Sacramenti, utpote signi ex instituto, & tamen non solet recenseri inter partes: satìs enim subintelligitur in ipsa materia & forma, quæ utique sunt partes, tum quatenus à Christo institutæ, tum quatenus certâ intentione adhibentur.

Concilia agunt de intentione tanquam de re aliqua distincta à materia & forma.

Profectò Concilia agere de intentione tanquam de re aliqua distincta à materia & forma, nescio quomodò aliquis, qui Concilia legit, possit ignorare. Institutionem quoque non tacuit Concilium Trident. quando can. 1. de Sacramentis in genere sess. 7. definit, omnia Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro fuisse instituta. Florentinum verò non recensuit eam inter partes; quia non est pars, sed totum; quandoquidem in omnibus partibus subintelligatur, idque necessariò & essentialiter, non tantùm in actu secundo, id est, in actuali ministerio Sacramentorum, sed etiam in actu primo. Impossibile quippe est esse vel concipere Sacramentum, nisi sit & concipiatur institutio divina; potuisset autem esse Sacramentum, si Christo ita placuisset, & de facto optimè intelligitur absque eo quòd vel sit vel concipiatur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, quæ solùm requiritur in actuali exercitio secundùm præsentem Dei voluntatem. Ecce quàm verissimè dictum sit: *Omnis similitudo claudicat.* Et iterum: *Nulla similitudo currit quatuor pedibus.* Certè præsens vix uno currit, si tamen uno pede currere possit.

Ad secundam probationem inquit: Aliud est de intentione suscipientis, quæ solùm requiritur ex parte passi, tanquàm conditio sine qua non est capax Sacramenti, si sit adultus. In parvulis etiam non requiritur, in quibus tamen Sacramentum habet easdem partes. Nec influere debet in Sacramentalem actionem, uti intentio ministri. 22.

Sed quarè non similiter dixit, intentionem Ministri esse conditionem sine qua non Minister est potens conferre Sacramentum? Influit quidem in actionem Sacramentalem: sed quid tum? Etiam voluntas influit, quæ tamen propterea non ponitur pars intrinseca Sacramenti. Quòd autem in parvulis non requiratur intentio, solùm arguit intentionem Ministri esse conditionem generaliorem.

Licet intentio influat in actionem Sacramentalem, non idcirco ponenda pars intrinseca Sacramenti.

Ad tertiam respondet, objectum intentionis esse Sacramentum, id est signa externa sibi condistincta: sicut Christus dicitur instituisse Sacramenta, & tamen ipsa institutio est de essentia Sacramentorum: & sicut dicitur quis velle orare, & tamen voluntas orandi est de essentia orationis. Idem est de intentione contrahendi. 23.

Hæc responsio corruit intellectis terminis. Instituere ergo Sacramentum, est signis illis externis, rebus videlicet & verbis annectere significationem efficacem gratiæ sanctificantis, ita sanè quòd institutio, in quantùm est essentia Sacramenti, non sit aliud quàm vis efficaciter significandi gratiam. Intendere autem Sacramentum, est velle applicare res & verba, quæ à Christo acceperunt vim significandi & conferendi gratiam, id est, quæ

Licèt Institutio sit de essentia Sacramentorum, non tamen Intentio.

quæ à Christo sunt institutum Sacramentum, quod propriè & essentialiter definitur: signum sensibile practicum gratiæ; adeoque objectum intentionis est Sacramentum secundùm totam suam essentiam. Alia est ratio orationis & contractûs, quarum definitionem essentialem necessariò ingreditur actus aliquis voluntatis. Pro quo

Definitionẽ essentialem Orationis & contractûs necessariò ingreditur actus aliquis voluntatis.

Nota ad orationem & contractum duplicem posse concurrere actum voluntatis, unum, qui imperet; alterum, qui imperio pareat. Primus non est de essentia orationis, sed applicat solùm voluntatem, ut vel ore simul & corde, aut solo corde medio alio actu à Deo decentia postulet. Similiter actus imperans contractum neutiquam est de ejus essentia, sed alius, quo ex imperio prioris volo me actu obligare, & signo externo illam obligationem alteri significare. Porrò intentio conficiendi Sacramentum majorem habet rationem imperij quàm executionis; per illam enim imperat voluntas potentijs exterioribus, ut exhibeant illas res & verba, quibus Deus annectere voluit significationem & efficaciam gratiæ.

Actus imperans voluntatis non est de essentia Orationis vel contractus.

24. Fir.

Quartæ probationis negat consequentiam: nam Florentinum dicit: *Causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus* &c. & tamen quis dubitat quin sit de essentia Matrimonij? Intentio efficit, id est, facit, ut signa externa sint Sacramentum. Dicitur causa efficiens Sacramenti, quia causat, quasi imperando signa externa, in quibus maximè relucet proprietas Sacramenti.

Meliùs dixisset, tota essentia: nam (ut statim dixi) Sacramentum essentialiter definitur ab omnibus: signum sensibile practicum gratiæ; quam praxim non habet illud signum ex intentione Ministri, sed institutione divina. Et sanè actus imperans non est de essentia actûs imperati. Neque intentio facit ut signa externa sint Sacramentum, aliter, quàm persona Ministri, cujus est signa illa exhibere cum tali intentione; ita quòd Sacramentum non sint, si vel ab alia persona, vel cum alia intentione exhibeantur. Sicut ergo, eo non obstante, persona non est causa materialis vel formalis intrinseca, sed efficiens extrinseca; sic nihil cogit asserere intentionem esse causam intrinsecam.

Objectio ex Florentino solvitur.

Ad Florentinum dico, Pontificem ibi non assignare causam efficientem Sacramenti Matrimonij, sed simpliciter Matrimonij, quod propriè significat vinculum resultans ex contractu Matrimonij; sive Matrimonium in facto esse, non in fieri. Et verò quomodò mutuus consensus signo externo expressus esset causa efficiens Sacramenti, cùm sit ipsum totum Sacramentum & ipsissimum signum sensibile, quod Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti? Igitur propriè causa efficiens Sacramenti Matrimonij sunt ipsi contrahentes, qui cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, ponunt signum externum id est, verba de præsenti cum consensu interno correspondente, cui ex promissione divina annectitur gratia sanctificans.

Restant absurda (inquit prædictus Auctor) quæ videntur sequi ex sententia Lugonis; sed illa ex parte deglutit Em. (timeo, ut calor naturalis (ratio inquam) sufficiat ad digerendum. Quæ verò utilitas ex cibo non digesto?) & à nobis negantur; quia sunt tantùm præsuppositivè necessaria, non partes; sicut creator est necessarius, ut sit creatura, & tamen non est pars illius. Aliud est de intentione conficiendi Sacramentum, ut ex præmissis constat.

Imò verò ex præmissis constat, sed idem, non aliud; videlicet, intentionem Ministri neutiquàm intrare ad componendum intrinsecè Sacramentum; at conditionem esse necessariò concomitantem personam Ministri in actuali Sacramenti ministerio, & ideo potiùs intrinsecam Ministro quà tali, quàm ipsi Sacramento.

Cæterum si cuipiam magìs placeat nova opinio Lugonis, per me licet; propter ipsius sentire nihil mutabitur in re, pro cujus ulteriori explicatione, dico:

CONCLUSIO II.

Res & verba in Sacramentis intelliguntur determinata ex institutione Christi, quàmvis non æqualiter in omnibus. Verba item non concionatoria dumtaxat, sed consecratoria.

PRima pars constat ex dictis sect. 2. conclus. 2. ubi ostendimus Christum immediatè instituisse omnia Sacramenta, quæ non sunt aliud, quàm res & verba; ergo & illa oportuit Christum determinare.

25. Christus immediatè constituit omnia Sacramenta adeoque determinavit verba & res.

nare. Determinavit autem materiam Baptismi Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* &c. Formam Matth. ultimo, v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. Ad Eucharistiam voluit adhiberi panem & vinum, & illa verba: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus* &c. dum præcepit Apostolis eodem ritu conficere, quo ipsemet consecerat: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. v. 19. Materiam & formam Pœnitentiæ tradidit Joannis 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Quod idem credendum est de alijs Sacramentis ex perpetua Ecclesiæ traditione.

Joan. 3. — Matth. ult. — Luc. 22. — Joan. 20.

Non determinavit in omnibus Sacramentis æqualiter.

Quòd verò non in omnibus æqualiter (ut habet secunda conclusionis pars) probatur; quia in Baptismo & Extrema Unctione est determinata materia secundùm speciem infimam; videlicet aqua naturalis, & oleum olivarum. In Eucharistia secundùm speciem subalternam, panis scilicet triticeus & vinum, supposito quòd sint plures species tritici & vini. Similiter materia Pœnitentiæ ponitur contritio & attritio; peccatum mortale & veniale. In Matrimonio contractus legitimus matrimonialis, idem secundùm esse physicum manens, mutatis solùm legibus Ecclesiæ, & ipse mutatur. Pari ratione materia Confirmationis multiplex est specie propter consecrationem, quam communior sententia affirmat essentialem, ut videbimus agentes de illo Sacramento.

Difficultas mota circa Sacramentum Ordinis ob diversitatem Latinorum & Græcorū, solvitur.

Circa Sacramentum Ordinis movetur difficultas ob diversitatem Latinorum & Græcorum; siquidem hi adhibent solam manuum impositionem, illi insuper traditionem instrumentorum. Sufficiat Christum pro materia determinasse signum visibile & reale repræsentans gradum conferendum, pro forma ejusdem rei signum vocale; determinationem verò in individuo reliquisse Ecclesiæ. Cætera, quæ ab aliquibus fusiùs pertractantur, commodiùs explicabimus in propria disputatione de hoc Sacramento. Pergo ad tertiam partem conclusionis, pro qua

26.
Verba essentialia Sacramentorum sunt consecratoria.

Noto illa verba esse consecratoria, quæ habent peculiarem efficaciam ad consecrandam materiam & causandum effectum Sacramentalem. Hujusmodi esse verba essentialia Sacramentorum, quibus utitur Ecclesia Catholica, clamant Scriptura, Traditio, Patres & Concilia: soli proinde negant, qui his (omnia suo proprio ingenio metientes) fidem non adhibent, id est, hæretici docentes *nullam in papatu legitimam esse signorum observationem: nam verbum quidem per se habere iactant, sed quod sit incantationis vice, quia illud linguâ incognitâ demurmurant, & ita, quasi de mortuo elemento potiùs, quàm hominibus destinatum foret: nulla mysterij explicatio ad populum, quæ sola facit ut mortuum elementum, incipiat esse Sacramentum.* Ita Calvinus in commentario cap. 5. ad Ephes. explicans illud v. 26. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Calvinus.

Beza.

Et clariùs Beza in libro, quem inscripsit: Summa doctrinæ de re Sacramentaria, ibi: *Quæ est causa formalis Sacramentorum? ordinatio Dei in ipsius verbo comprehensa, & ab ipsius ministro explicata secundùm eius mandatum: non autem pronuntiatio ipsa illorum verborum, neque ulla vis in vocabulo latens.* Ergo verbum Sacramentale secundùm illos Acatholicos non est aliud, quàm concio, sive (ut ait Calvinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 4.) *Quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit.* Vide Bellar. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 19. & 20.

Bellarm.

Dilemmate premuntur hæretici.

Et quidem si hæretici velint (prout velle videntur jam citati) verba concionatoria necessaria esse ad valorem, jam ferè nobiscum conveniunt; nam vel concio ista habet infallibilem effectum, vel non: si primùm, jam verissimè est consecratio, cum reverà consecret v. g. panem seu species panis, & ex materia profana reddat illam sacratam. Si non, ad quid ergo essentialiter requiruntur? Respondent, ad instructionem audientium.

Et ipsorum Responsio eluditur.

Contra: Quid si nullus adsit, nisi infans, qui v. g. baptizatur, & incapax est instructionis? num proptereà talis Baptismus erit invalidus? Quomodò ergo negat Calvinus lib. 4. instit. cap. 15. §. 16. rebaptizandos esse eos, qui apud papistas fuerunt baptizati? *nam eorum* (inquit) *Baptismus est validus.*

Quòd si contendant verba Sacramentalia debere dirigi ad alios, saltem in actu primo. Respondeo etiam verba consecratoria sive ritualia, quæ nos vocamus, ad homines dirigi, si non actu, saltem potentiâ; quippe proferri debent humano modo, per se loquendo, ita ut audiri & intelligi possint; & ideo debent esse idiomatis publici & humani, quia sunt verba in ordine ad homines, ut patet ex forma Baptismi, Pœnitentiæ, Matrimonij, Ordinis &c. Loquimur ergo per illa verba alijs, qui adsunt vel adesse possunt, ut sanctificetur materia; atque adeò etsi proferrentur, etiam animo concionandi & in-

& instruendi plebem, non vitiaretur valor Sacramenti; dummodò tamen adsit simul intentio efficax faciendi, quod facit Ecclesia.

27. Non requiruntur verba concionatoria, ut ritè & debitè Sacramentum administretur.

Alij ergo sectarij requirunt verba concionatoria solùm, ut ritè & debitè Sacramentum ministretur. Contrarium convincitur ex Traditione Ecclesiæ, quam exprimit Concilium Florentinum assignans singulis Sacramentis formam essentialem verborum, ut videbimus agentes de ipsis in particulari.

Accedit, quòd in Scriptura nullum extet præceptum concionandi in Sacramentorum administratione; nec verba illa appellantur concionatoria, sed consecratoria, 1. Cor. 10 v. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus* (hoc est, quem consecramus) *nonne communicatio sanguinis Christi est?* Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 13. *Noster panis & calix certâ consecratione mysticus fit nobis.* Simili modo loquuntur alij Sancti Patres, quos vide apud Bellar. supra.

1. Cor. 10.

S. August.

Profectò verba Christi: *Ego te baptizo* &c. etiam ab hæreticis adhiberi solita in Baptismo, formam habent benedictionis seu invocationis, non autem concionis seu instructionis; non enim dixit: *Docete omnes gentes nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti*, sed, *baptizantes eos in nomine Patris* &c. quod sonat invocationem numinis super aspersionem aquæ: quemadmodùm ly *in nomine*, passim in Scriptura sonat invocationem, aut etiam auctoritatem & virtutem, minimè instructionem; ut Marc. ultimo v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Matth. 7. vers. 22. *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus?* Actorum 3. versu 6. *In nomine Iesu Christi surge & ambula.*

Marc. ultim. *Matth. 7.* *Actor. 3.*

28. Solutio objectionis ex Scriptura: *Docete omnes gentes &c.*

Objicitur primò ex Scriptura Matth. ultimo v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti.* Respondeo adultos præviè esse instruendos in fide Catholica exemplo Philippi Act 8. v. 35. & sequentibus, qui aperiens os suum euangelizavit Eunucho Jesum. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum. Et jussit stare currum: & descenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum*; utique in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.

Actor. 8.

Non ergo docuit per formam Baptismi, sed per prævias catechizationes instruxit in præcipuis fidei mysterijs, ut debitè Baptismum susciperet: quod etiam hodie servat Ecclesia Romana. *Ordo* (inquit D. Hieron. in locum Matth. citatum) *præcipuus: jussit Apostolis, ut primùm docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramento, & post fidem ac Baptisma, quæ essent observanda præciperent.*

S. Hieron.

Confirmatur.

Alioquin quòd non requiratur tunc instructio, quando confertur Baptismus, liquet ex verbis sequentibus: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Quis autem dicat ad licitum & validum Baptismum requiri, ut statim à Baptismo instituatur concio de omnibus præceptis & eorum explicatione? Doctrina ergo, quæ ibi ante & post exigitur, intelligitur pro tempore opportuno.

29. Objectionis secundæ ex D. Augustino solutio.

Objicitur secundò ex Patribus, præcipuè D. August. tract. 80. in Joannem, ibi: *Vnde ista tanta virtus aquæ* (baptismalis) *ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur: nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens; hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris* &c. Ergo secundùm D. Aug. verbum Baptismi abluit cor, quia creditur; adeoque in quantùm instruit & inducit suscipientem ad credendum.

Non potest intelligi Augustinus de fide speciali hæreticorum.

Hic locus propter suam obscuritatem varias habet interpretationes apud Doctores: sed certum est non posse intelligi, quòd D. Aug. requirat fidem specialem hæreticorum, ad quam excitandam exigunt verba concionatoria, ut ablutio sanctificet; quippe expressè loquitur de fide, quâ creditur; *quia Dominus est Iesus* &c non autem quâ quis credit remissa sibi esse peccata, & justitiam Christi sibi imputari.

Deinde docet infantes mundari sine fide propria, ibi: *Hoc verbum fidei tantùm valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quàmvis nondùm valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.* Manifestè quoque tribuit aquæ vim abluendi cor, quàmvis non soli, sed si verbum fidei accedat.

Incertum apud Catholicos quid Augustinus intendat per verbum fidei.

Est autem incertum & controversum apud Catholicos, quid Aug. ibi intelligat per *verbum fidei*: multi enim volunt intelligi verbum rituale seu consecratorium, hoc est, formam Baptismi, quæ ut valida sit, debet continere expressam invoca-

tionem Sanctissimæ Trinitatis, quæ cum sit præcipuum mysterium fidei, ideo forma illa vocatur *verbum fidei*. Volunt etiam August. nomine *fidei*, intellexisse intentionem & fidem ministri; quia nisi credat minister se posse Sacramentum conferre, atque adeò nisi intendat conferre; sola verba sacramentalia materialiter prolata, sicut possent proferri ab homine phrenetico, nullam habebunt efficaciam.

Alij (præsertim hæretici) per verbum fidei contendunt intelligi debere verbum doctrinale seu prædicationis tantùm, non autem cæremoniale; & ita *verbum fidei*, id est, quod fide creditur; adeoque non *verbum fidei*, id est, verbum quod continet præcipuum objectum fidei, scilicet mysterium Trinitatis, sumendo fidem metonymicè pro objecto fidei. Porrò quòd hoc postremo modo sumi non possit, probant; quia Aug. ibi quædam subjicit, quæ non possunt intelligi nisi de actu fidei. Deinde non videtur conforme menti Aug. quòd illud, *non quia dicitur, sed quia creditur*, habeat hunc sensum: non quia nudè profertur, sed cum intentione conferendi Sacramentum; siquidem Aug. explicans quomodò infantes etiam mundentur propter verbum fidei in Baptismo, licèt non credant, docet id fieri ob fidem Ecclesiæ. Vide supra sect. præced. conclus. 5. & tamen certum est fidem Ecclesiæ non posse sumi pro intentione Ecclesiæ; illa enim est impertinens ad Baptismum parvuli: ergo etiam illud *creditur*, debet intelligi de actu credendi, non de intentione ministri.

30. *Per verbum fidei non potest intelligi verbum tantùm prædicationis;*

Hæc tamen interpretatio videtur minùs probabilis quàm prior; etenim clarum est ex textu, per *verbum fidei* non posse intelligi verbum tantummodò prædicationis. Nam inprimis docet August. verbum illud accedere ad elementum, & fieri Sacramentum. *Detrahe* (inquit) *verbum; & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; prædicatio autem non accedit, sed præcedit. Sic non rectè dicitur: *Accedit confessio peccatorum ad absolutionem, & fit Sacramentum.* Secundò, dicit illud verbum esse consecrationem, ibi: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio ut mundare possit, consecratur & Baptismus.*

Ut ex ipso Augustino colligitur.

Denique asserit verbum istud mundare infantes (ut statim vidimus) quæ omnia non conveniunt verbo doctrinali (quod non dirigitur ad elementum, sed ad populum; & cujus infantes incapaces sunt) quemadmodum nec illud, quod habet lib. 3. contra Donatistas cap. 15. *Quamobrem si Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.* Et lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur.* Et infra: *Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest.* Quid clarius dicere potuit pro veritate Catholica?

Per fidei verbum Augustinus modò rituale, modò doctrinale intelligit.

Ex his ergo concludo per fidei verbum neque intelligi solùm verbum rituale, neque solùm doctrinale; sed Augustinum modò unum, modò alterum intelligere: explicat enim ibi Aug. locum illum Joannis 15. v. 3. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (nec enim ibi agit ex professo de Baptismo) & docet quomodò homines justificentur per verbum Christi seu fidei, & adfert exempla tam de verbo doctrinali, quàm rituali; & ostendit utrumque justificare, si credatur; doctrinale scilicet inchoativè, rituale verò etiam completivè, si tamen credatur mysterium fidei seu Trinitatis, quod in forma Baptismi explicitè continetur; agit quippe de adultis.

In forma ergo ad verba Aug. supra objecta Respondeo, Doctorem Sanctum solùm velle, in adultis prærequiri fidem, ut per Baptismum cor eorum specialiter ablui possit: unde ibidem expressè docet infantes mundari per Baptismum, quàmvis nondùm (ut inquit) *valentes corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.* Quod est notandum contra Lutheranos, qui somniant infantes tunc uti ratione & credere.

Et licèt mundationem infantium referre videatur in fidem Ecclesiæ; tamen id commodè intelligendum est, ut scilicet fides Ecclesiæ sit conditio sine qua Christus Baptismo tantam efficaciam non dedisset: siquidem pro Ecclesia sua (ea autem sine vera fide non potest esse ejus Ecclesia) Baptismum & alia Sacramenta Christus instituit; quamvis etiam apud hæreticos & iniquè usurpantes validè conferantur, ut sæpissimè tradit Aug. contra Donatistas. Vide etiam Epistolam 23. ad Bonifacium, ubi ostendit neque requiri veram fidem ministri, neque suscipientis ad valorem Baptismi.

31. *Solutio objectionis ex D. Hieronymo. S. Hieron.*

Tertiò objici potest D. Hieronymus, qui verba illa Apostoli ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, intelligit de verbo doctrinæ. Ast ipse Hieron.

Hieron. fatetur se non explicare in sensu literali de Baptismo, sed tropologicè de mundatione, quæ fit in singulis hominibus per vocationem & prædicationem, quibus ad pœnitentiam excitantur & convertuntur.

32. Obiectio ex ratione soluitur.

Objiciunt hæretici quartò ex ratione: Magicum est verbis tribuere vim & efficaciam causandi aliquem effectum. Respondeo, quem non constat illa habere, nisi à diabolo per illa sive cum illis operante; alioquin & ipsi hæretici magi sunt, qui ad valorem Baptismi requirunt certam verborum formam, & omnes jurisconsulti, qui stipulationi, utique certæ verborum formæ, tribuunt effectum obligationis in foro exteriori. Porro constat ex Scriptura, Patribus, Traditione & Concilijs, verba sacramentalia à Deo accepisse vim efficiendi gratiam, ut sectione sequenti luce clariùs ostendemus.

Impræsentiarum, quia sola verba non habent efficaciam, sed ita si accedant ad elementum (ut loquitur August. supra) dubium superest, an requiratur physica coexistentia materiæ & formæ, sive elementi & verbi; an verò sufficiat moralis? Solutio erit

CONCLUSIO III.

Ad valorem Sacramenti requiritur coexistentia materiæ & formæ, in Eucharistiâ physica, in reliquis sufficit moralis.

33. Aliqua coexistentia materiæ & formæ est necessaria. S. August.

QUòd aliqua coexistentia materiæ & formæ sit necessaria, non obscurè colligitur ex dicto D. Aug. supra conclusione præcedenti: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; verbum quippe *accedendi* aliquam conjunctionem importat; non est autem conjunctio, nisi sit coexistentia. Et sanè absque illa nequit intelligi qualiter unum aliquod compositum, etiam impropriè dictum constituant, aut quomodò forma materiam determinet.

Cæterùm quia Sacramentum non est propriè dictum compositum, vel potiùs quia solùm est compositum morale, hinc non requiritur propriè dicta unio inter partes, per consequens neque physica earum coexistentia, sed sufficit moralis, nisi forma significet materiam tanquàm rem permanentem loco & tempore ministro præsentem, quemadmodùm verba Eucharistica,

Sufficit moralis;

Sed non ad Eucharistiã.

quæ non significant actum aliquem successivum exercendum à Sacerdote, sed individuum determinatum entis physicè præsentis proferenti, practicè quidem pro ultimo instanti prolationis, speculativè verò juxta primævam vocum institutionem pro aliquo instanti prolationis copulæ, de quo plura in propria disputatione.

Porro in Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonij talem præsentiam non requiri manifestum est; & eadem videtur ratio de alijs, præterquàm quòd exigatur major propinquitas seu conjunctio in ijs, in quibus materia est actio ministri, quæ per verba formæ significatur ut præsens. Equidem prudentis judicare est, an materia præcedens vel subsequens formam longo vel brevi intervallo, talis ab hac determinetur, sive an forma super materiam ut significatum cadere possit.

Enimverò non videtur Christus voluisse ministros suos in administratione Sacramentorum, quæ pro conditione hominum in materia facili & obvia instituit, quò faciliùs per ipsa pervenire possint ad salutem, & quorum ministerium voluit esse visibile & perceptibile; non videtur (inquam) voluisse obligare ad rigorem mathematicum, qui nequit sub sensum aut prudentiam cadere. Afferamus itaque moralem propinquitatem, qualis intervenire solet inter actiones humanas, majorem vel minorem pro casuum diversitate.

Hinc quia Pœnitentia est sententia judicialis, Matrimonium contractus humanus, ordo partium sufficiens ad constituendum unum actum extra sacramentalem, quod fieri potest cum magna temporis distantia; etiam sufficit pro unitate actûs sacramentalis.

Contrarium hujus conclusionis quidam attribuunt Scoto 4. dist. 6. q. 3. n. 4. ubi de coexistentia materiæ & formæ in Sacramento Baptismi sic ait: *Dico ergo quòd talis simultas requiritur, qualis requiritur in actibus humanis. Noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere vel servare. Iudicatur autem simultas inter factum hominis & verbum: quando incipit unum antequàm totaliter finiat aliud: & hoc indifferenter, sive istud prius finierit quàm aliud, vel è converso: v. g. si quis dicat illam orationem*, facias hoc, *& sicet barbam, sive incipiat actum suum ante prolationem, sive è converso, dum tamen unum non finiatur completè ante inceptionem alterius, dicetur*: ille simul dixit hoc, & fecit hoc. *Ita dico quòd sive Sacerdos priùs immergat unâ mersione, ubi mos terra est ter immergere, & 34. Contrarium Conclusionis adscribitur Scoto.*

postea

postea incipiat verba cum secunda immersione; sive priùs incipiat verba dicere, & dicto: ego te baptizo, *immergat cum illis verbis sequentibus, est sufficiens simultas: dum tamen prolatio non finiatur ante inceptionem ablutionis, nec ablutio finiatur ante inceptionem prolationis, talis simultas est sufficiens ad Baptismum.* Hæc Scotus.

Qui quidem ponit modum secundùm rigorem philosophicum, etiam salvandum de simultate successivorum, quæ existunt per partes & non simul, & quæ magis est in praxi, quamque ex congruitate & reverentia minister debet observare; tamen eam non asserit de necessitate Sacramenti, quin etiam minor conjunctio sufficiat. Enimverò ratio ejus solùm exigit propinquitatem humanam & moralem, per quam materia & forma ad idem referantur per modum unius signi. Ostendo:

Sed loco citato illud nō adstruit;

Ad istam (inquit n. 2.) *quæstionem patet, quòd requiritur simultas, & principalis ratio est institutio Christi instituentis hæc duo tanquàm unum signum completum ad significandum effectum, ita quòd neutrum esset signum sine alio.* Unde concludit istum numerum hisce verbis: *Nec ista simultas ultimi instantis prolationis verborum & ablutionis est necessaria: nam Apostoli baptizantes tria millia uno die Actor. 2. non semper cum ultima syllaba formæ asperserunt, ita quòd tunc aqua tetigerit baptizatum.*

Ut colligitur ex verbis ipsius.

Adde quod habet 4. dist. 3. q. 2. n 11. ibi: *De interpositione tamen esto quòd non sit alicuius distrahentis vel repugnantis, est speciale hoc: quia si interrumpat unitatem debitam formæ, non manet forma. Quando autem talis unitas necessaria interrumpitur, iudicatur ex alijs actibus humanis. Quando enim ex communi loquela, ex interpositione impertinentis non indicatur, quin possit prior sermo continuari; consimiliter nec debet in proposito indicari, utpote si quis inciperet orationem, & diceret:* tacete, *vel:* recedite, *non propter hoc esset necessarium incipere orationem; sed non obstante tali interruptione posset eamdem continuare & complere.* Si hæc interruptio ex mente Doctoris Subtilis non officit unitati seu integritati formæ, quare officiet unitati seu conjunctioni materiæ cum forma?

Verumtamen quod non est de necessitate Sacramenti, quia minimè à Christo institutum, Ecclesia potuit, & de facto suo præcepto fecit necessarium necessitate ministri, quando servari potest; & de hac (ut dixi) necessitate loquitur Scot. in primo loco, nequaquàm de necessitate Sacramenti. Ad meliorem autem intellectum utriusque ponitur

CONCLUSIO IV.

Mutatio substantialis materiæ vel formæ reddit Sacramentum invalidum, secùs accidentalis. Illa semper est mortalis, hæc frequenter.

Pro explicatione Suppono primò mutationem substantialem optimè desumi per ordinem ad institutionem Christi; accidentalem autem per respectum ad usum vel ritum communem nostræ Ecclesiæ. Ostendo: quia tota substantia Sacramentorum à Christo instituta est (ut patet ex secunda conclusione hujus sectionis) sic quòd Ecclesia nunquàm in illa quidquam mutaverit, nec possit. Porro accidentalia, sicut Ecclesia ordinavit, ita mutare potest, & quandoque mutat, prout docet Trident. sessione 21. cap. 2. ibi: *Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.* 35.

Mutatio Sacramentorum essentialis desumitur in ordine ad institutionem Christi. Accidentalis per respectum ad usum vel ritum Ecclesiæ.

Triden.

Si objicias, Matrimonium clandestinum, antiquitùs solùm prohibitum, novâ nunc lege Tridentini irritatum. Respondeo essentiam Matrimonij jam esse eamdem, quæ antea fuit, scilicet legitimum consensum signo externo expressum, quo traditur jus perpetuum in mutua corpora ad usum conjugalem. Sicut autem respublica civilis reddit illegitimum contractum pupilli ad transferendum dominium bonorum immobilium & mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt (ut loquuntur Jurisconsulti) sine auctoritate tutoris; sic etiam respublica Ecclesiastica contractum clandestinum invalidat, seu reddit illegitimum ad transferendum dominium corporum. 36.

Non obstat irritatio Matrimonij clandestini.

Etenim per hoc quòd Christus illum elevaverit ad rationem Sacramenti, non subtraxit dispositioni Ecclesiæ in illis, in quibus antea eidem subijciebatur. Sic etiam communitas hominum posset facere quòd hæc verba: *Hoc est corpus meum*, non essent ampliùs legitima forma Eucharistiæ, instituendo ly *corpus*, ad significandum lapidem, & è converso; neque propterea formam

mam mutassent formaliter, sed materialiter tantùm; quippe Christus ordinavit verba, quæ haberent talem sensum, quem tamen reliquit beneplacito hominum, ut per hæc vel illa verba importaretur; & ita quamvis ex institutione humanâ verba Sacramentalia accipiant quòd significent gratiam, non tamen quòd causent, sive quòd gratia sit infallibiliter præsens, sicut per ea significatur. Pari modo in potestate cujuslibet est facere ut hæc aqua non sit ampliùs materia Baptismi, destruendo scilicet ejus naturalitatem.

Manet ergo Ecclesiam non posse mutare substantiam Sacramenti, quemadmodùm non potest eam instituere, cùm illud huic æquivaleat.

Unitas & varietas materiæ attendi debet secundùm unitatem & varietatem humanam.

Suppono secundò unitatem & varietatem materiæ non tam debere attendi secundùm unitatem & varietatem physicam, quàm benè humanam, id est, in ordine ad humanum usum, & ut significatur per nomen, quod hujusmodi usum respicit; quia materiæ Sacramentorum designatæ sunt in aliquibus actionibus humanis, vel in ordine ad illas. Exemplum vulgare est in pane, qui est materia Eucharistiæ; massa verò nondum cocta non est materia, sive differat à pane in specie substantiali physica, sive non; quia neque in nomine, neque in usu hominum censetur simpliciter panis.

37. *Quadruplex mutatio formæ ex Scoto.*

Suppono tertiò ex Scoto 4. dist. 3. q. 2. ubi agens de substantiali forma Baptismi n. 7. *Advertendum* (inquit) *est, quòd secundùm Philosophum 5. phys. quadruplex est mutatio, scilicet secundùm substantiam, qualitatem, quantitatem, & ubi: sic secundùm ista verba* (Sacramentalia) *potest fieri quadruplex variatio, scilicet secundùm substantiam, alia verba ponendo pro istis vel aliud verbum pro isto; secundùm quantitatem apponendo vel subtrahendo: & si apponendo vel anteponendo, vel postponendo, vel interponendo: secundùm qualitatem scilicet auferendo aliquam requisitam terminationem ad congruam locutionem: secundùm ubi transponendo*

Et verò quæ istarum variationum possit stare cum forma, & quæ non, explicat ibidem à numero 8. usque ad finem quæstionis, exemplificans in forma Baptismi. Dico paucis, tunc mutationem formæ esse essentialem, quando per additionem, subtractionem, incongruitatem vel transpositionem verborum variatur sive corrumpitur sensus à Christo intentus: sensus quippe est velut anima verborum.

Quando per aliquid corrumpitur sensus à Christo intentus, est mutatio essentialis,

Aliàs non.

Illo ergo perseverante integro & incorrupto, ac præsente debitâ intentione, neque æquivocatio, neque additio, subtractio, incongruitas aut transpositio, quocumque animo facta, invalidat Sacramentum, etiam dum verus sensus formæ à proferente non intelligitur. Ratio est manifesta; quia tunc nihil deest essentiale. Et hæc sit probatio secundæ partis conclusionis. Prima quoque non indiget aliâ ratione, quàm quòd res quælibet nequeat subsistere absque sua substantia seu essentia.

In proferente non requiritur veri sensûs cognitio.

Sanè quòd non requiratur cognitio veri sensûs formæ in proferente, vel hinc satis probatur; quia verba operantur in Sacramentis (ut colligitur ex D. Tho. inferiùs citando) quantùm ad sensum, quem faciunt, non ex mente loquentis, sed juxta prudentem aliorum æstimationem, quorum respectu habent rationem signi. Et ita si imperitus aliquis Sacerdos proferens: *Hic est calix* &c. putaret *hic* sumi adverbialiter, id est, *hoc loco*, quis negaret propter hunc errorem verum Sacramentum? Sic enim omnes docent, Baptismum fore validum, etsi Arianus baptizans ipso ordine verborum vellet significare Patrem esse majorem.

38. Dices: Verba formæ debent esse vera locutio, quâ minister humano modo loquitur; loqui autem est manifestare sensa interna: si ergo in mente habeat conceptum solius præsentiæ localis per vocem *hic* significatæ, illa sola significabitur; adeoque non loquitur in vero sensu.

Confirmatur: quia ignoranter proferens hæreses non censetur hæreticus externus; quia non significat eas moraliter & humano modo, licèt audientes ita intelligant ejus locutionem.

Ut minister exprimat verum sensum ab Ecclesia intentum, sufficit voluntas generalis per verba prolata significandi, quod intendit Ecclesia,

Respondeo; ut minister dicatur loqui per illa verba, & exprimere verum sensum ab Ecclesia intentum, sufficit voluntas generalis, quâ vult per illa verba significare quod intendit Ecclesia; ita ut si sciret Ecclesiam usurpare vocem *hic* pronominaliter, etiam ipse mallet sic accipere, quàm non consecrare. Certum enim est tunc errorem privatum & voluntatem specialem inde procedentem, utpote inefficacem, nullatenùs posse impedire priorem voluntatem generalem ab effectu, quem haberet, si voluntas illa privata abesset.

Simile fit; Sacerdos qui in principio missæ habuit intentionem consecrandi parvam hostiam, quamvis in ipsa consecratione illius non recordetur, & intentionem dirigat ad magnam tantùm, adhuc validè consecrat utramque; quia ultima intentio non satis retractat priorem.

39. *Disparitas assignata à Dicastillo.*

Respondet Dicastillo disp. 3. dub. 9. n. 195. disparitatem esse, quod pronomen

Digitized by Google

ne inter proferentē in consecratione ly *hoc* adverbialiter, & intendentem consecrare parvam hostiam, cujus in consecratione magnæ hostiæ obliviscitur.

hoc ita feratur ex parte loquentis in hostiam principalem, ut locutio de illa non excludat locutionem de alijs; quia si illarum meminisset, cùm antea habuerit voluntatem expressam illas consecrandi, absque dubio ad illas simul dirigeret illud pronomen, quod æquè primò omnes potest significare: at verò vox *hic* accepta pro signo adverbij localis non patitur secum significationem pronominis, sed repugnat potiùs in ordinario saltem & communi modo loquendi. Nemo enim simul & unicâ prolatione usurpat vocem adverbialiter & pronominaliter: ergo voluntas posterior accipiendi adverbialiter, excludit priorem accipiendi pronominaliter, etsi fuisset expressa, magis si solùm fuerit implicita.

Confirmatio ejusdem.

Sic enim si quis priùs habuit intentionem offerendi Missam plenè & integrè pro uno, & postea immemor hujus habuit intentionem actu pro alio in tempore oblationis, eo ipso censetur intentio prior desiisse, nec moraliter perseverasse; constat enim hanc secundam existere, & cum utraque simul esse non possit, antiquam destrui necessè est. Ita hic Auctor, qui tamen ibidem admittit Sacramentum fore validum, si talis consecrans actu habeat vel habuerit voluntatem non retractatam; quòd si fortè Christus aut Ecclesia aliter esse accipiendam illam particulam doceat, velit in omni eventu in sensu tali illam vocem proferre.

Solvitur primò.

Sed contra primò: hæc solùm videntur probare Sacramentum illud non subsistere defectu debitæ intentionis, non autem propter æquivocationem seu defectu formæ, de quo solùm tractamus in præsenti, infrà acturi de intentione.

Et sanè eâdem ratione quælibet variatio verborum potest invalidare Sacramentum, ut advertit Scot. 4. dist. 3. q. 2. n. 7. ibi: *Et de quacumque istarum variationum dico, quòd si varians intendit uti verbis, quibus utitur tanquàm formâ Ecclesiæ, præcisè, non baptizat, quia deficit sibi intentio utendi verbis, quibus utitur, tanquàm formâ Ecclesiæ: intendit enim uti illis verbis aliqualiter variatis, tanquàm formâ præcisâ Baptismi.* Hinc signanter dixi supra: *Et præsente debitâ intentione, neque æquivocatio &c.*

Solvitur secundò.

Secundò: esto deficiat hîc etiam forma, cùm ab intentione, de qua agimus, videatur pendere, ut verba æquivoca sint vel non sint forma: non dubito, quin intentio generalis prævaleat particulari, nisi consecrans expressè vellet non consecrare in eventu, quo Ecclesia vel Christus aliter intelligat ly *hic*, quàm ipse accipit.

Fundamentum accipitur ex Divo Thoma.

Fundamentum sumo ex D. Tho. 3. parte, q. 60 art. 7. ad primum: *Ad primum* (inquit) *dicendum, quòd sicut Aug. tractatu 80 in Joannem dicit, verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur*, id est, *non secundum exteriorem sonum vocis; sed quia creditur, id est, secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes.* Quasi diceret, ut supra exposui: verba operantur in Sacramentis quantùm ad sensum, quem faciunt non ex mente loquentis, sed juxta prudentem aliorum æstimationem: quilibet autem prudens judicat, non obstante particulari errore, & intentione consecrantis jam explicata, ly *hic* significare pronominaliter. Sicuti validè contrahitur Matrimonium ex errore divitiarum, nisi intentio expressè limitetur, quia prudentes communiter existimant voluntatem fuisse absolutam, sic postulante bono communi, ut proprio loco dicetur.

Confirmatur à simili.

Cùm ergo ad validam consecrationem non requiratur notitia sensûs verborum (certum quippe est multos rudes Sacerdotes non intelligere quid per singula verba significetur) videtur in ipsis sufficere intentio generalis significandi, quod Christus voluit significari; quamquàm in particulari errent circa significationem alicujus verbi; talis siquidem error & voluntas consequens, quemadmodùm in Matrimonio, ita etiam in præsenti non debet censeri error practicus; sed solùm speculativus, qui non vitiat Sacramentum.

Ex quo patet responsio ad disparitatem & exemplum allatum à Dicastillone. Nam inprimis ly *hic* æquè primò potest accipi adverbialiter, atque pronominaliter; & acceptio adverbialis talis est, ut si falsitas ejus appareret, ex vi absolutæ voluntatis consecrandi destrueretur. Adde, quòd de facto non solùm significet sanguinem Christi realiter existentem, sed etiam localiter (ut sic dicam) præsentem Sacerdoti. 40

Respondetur ad disparitatem & exemplum Dicastillonis.

Aliud esset, si Sacerdos sciens institutionem Christi, primò voluit accipere pronominaliter, & in actuali consecratione scienter intelligit adverbialiter. Et pari ratione admitto exemplum Dicastillonis.

Enimverò si error dedit causam secundæ applicationi, ita quòd absolutè & simpliciter noluisset alteri applicare, si recordatus fuisset prioris applicationis; quidni hæc prævaleat? Quòd enim secundùm testamentum sit validum, nisi prius contineat clausulam derogatoriam, fit favore ultimæ voluntatis; etenim cùm testamentum sit actus solemnis, non præsumitur ignorantia

ignorantia prioris; non mirum ergo, ſi ſecundum poſt mortem teſtatoris cenſeatur revocare primum, quando jam ampliùs teſtator nequit mentem ſuam indicare.

Nō ſemper voluntas poſterior deſtruit priorem.

Alioquin certum eſt, de jure naturæ non ſemper voluntatem poſteriorem deſtruere priorem, ut patet in privilegio, quod ex communi ſententia non irritatur per poſterius incompoſſibile; cap. Veniens de Præſcriptionibus, ibi: *Non obſtante privilegio Clementis Papæ, per quod privilegijs ſuorum prædeceſſorum non extitit derogatum, cùm de ipſis nullam fecerit mentionem.*

Cap. Veniens de præſcrip.

Ratio illius.

Et ratio eſt: quia tunc præſumitur princeps ſecundum privilegium conceſſiſſe ex ignorantia primi, juxta cap. 1. de Conſtit. *Licèt Romanus Pontifex (qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem (quamvis de ipſa mentionem non faciat) revocare noſcatur: quia tamen locorum ſpecialium & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta (cùm ſint facti & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare: ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per conſtitutionem à ſe noviter editam (niſi expreſsè caveatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.*

Cap. 1. de Conſtit.

Quidni igitur prima applicatio Sacrificij, fortè ex juſtitia debita, prævaleat ſecundæ ex ignorantia provenienti? Deus ſiquidem, cujus eſt fructum Sacrificij concedere, ſcrutatur renes & corda hominum, ideoque optimè novit voluntatem efficacem ab inefficaci diſcernere.

In caſu cōcluſionis voluntas eſt univerſalis & reflexiva ſuper aliam.

Sed demus Dicaſtilloni quod petit, adhuc negatur conſequentia; quippe in caſu noſtro prior voluntas eſt univerſalis & reflexiva ſuper aliam; in ipſius autem ſimili utraque voluntas eſt particularis, ſive jam illa voluntas univerſalis ſit unica formaliter & duplex æquivalenter, ſive duplex formaliter, de quo infra ubi de intentione miniſtri.

Reſpondetur confirmationi objectionis principalis.

Ad confirmationem objectionis principalis ſupra n. 38. Reſpondeo excuſari à pœnis hæreticorum, qui ſcienter utitur verbis ambiguis coram illis, qui apprehendunt ſenſum hæreticum, ſiquidem non habeat animum hæreſim ſuam internam manifeſtandi; & è converſo incurrere pœnas, ſi intendat hæreſim internam manifeſtare, etſi alij eam non percipiant. Ratio eſt: quia ad hæreticum externum requiritur & ſufficit, ut errorem internum verbis aut alijs ſignis culpabiliter explicet; ad quod impertinens eſt cognitio audientium aut videntium, ut latiùs traditur in tractatu de Virtutibus Theologicis.

Cæterùm ſi quis uteretur verbis aut alijs ſignis verè ſignificantibus hæreſim in communi eorum acceptione, putans ex privato errore aliud ſignificare, exiſtimo talem verè eſſe hæreticum externum, ſi intendit illis exprimere ſuum internum errorem, caſu quo poſſit.

41. Quid dicendum ſit de mutatione formæ (manente ſenſu verborū eſſentialiū) animo inducendi errorem. *Zacharias Papa.*

Ex his facilè colligitur, quid dicendum ſit de mutatione formæ (manente ſenſu verborum eſſentialium) animo inducendi aliquem errorem, de qua extat Decretalis reſponſio celebris Zachariæ Papæ, quæ habetur in cap. Retulerunt 86. de Conſecr. diſt. 4. ubi ſcribens ad Bonifacium Epiſcopum ſic dicit: *Retulerunt nuntij tui, quòd fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitùs ignorabat, & dum baptizaret neſciens latini eloquij, infringens linguam diceret*, baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta. *Ac per hoc tua reverenda Fraternitas conſideravit eos rebaptizare Sed ſanctiſſime frater, ſi ille, qui baptizavit non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam (ut ſupra fati ſumus) baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire ut denuò baptizentur.* Hæc Zacharias. Ex quibus verbis aliqui à contrario ſenſu inferunt: ergò ſi habuit animum inducendi errorem, invalidè baptizavit.

Reſponſio prima ad objectionē ex Zacharia Papa.

Verùm Reſpondeo primò, argumentum à contrario ſenſu non ſemper concludere. Potuit ergo Pontifex velle declarare quod certum erat, videlicet hujuſmodi variationem, & quamcumque ſimilem abſque animo inducendi errorem, non irritare Sacramentum; relinquendo nihilominùs diſputationi Doctorum caſum magis dubium.

Pro quo aſſero, non ſemper talem animum formam eſſentialiter mutare. Ducor, quia cum tali animo ſtare poteſt intentio efficax faciendi, quod Chriſtus inſtituit, quodcumque illud ſit. Sic Græci utuntur hâc formâ: *Baptizetur ſervus Chriſti &c.* quia exiſtimant formam Latinorum eſſe invalidam. In forma quoque conſecrationis panis addunt: *Quod pro vobis tradetur*, tanquàm verba eſſentialia; quemadmodùm etiam multi conſecrant in fermentato ad ſtabiliendùm ſuum errorem. Imò inter Latinos aliqui docent illa verba: *Novi & æterni teſtamenti* &c. eſſe eſſentialia; & tamen nemo aſſerit illa Sacramenta propterea eſſe invalida, niſi fortè defectu debitæ intentionis, ſi videlicet nolint per illa verba conficere Sacramentum, niſi ſint eſſentialia.

Confirmatur: quia etiam in alijs Sacramentis ſæpe dubitatur, an hoc vel illud ſit eſſentiale,

essentiale, & tamen quis audeat dicere privatum hunc errorem obesse eorum valori?

42. Responsio secunda. Hinc Respondeo secundò ad verba Pontificis, ipsum tantùm velle docere, quòd si per mutationem reddatur dubius sensus formæ, & simul minister sic intendat inducere novum ritum, ut intendat sensum falsum, variatio sit essentialis.

Profectò in casu proposito, si ministrans voluit introducere hunc errorem, quòd scilicet in divinis non sit filius, sed filia; luculenter patet formam non valuisse, utpote cujus significatio pugnabat cum significatione formæ à Christo institutæ. Aliud est, si quis baptizet: *In nomine Patris omnipotentis, & Filij sapientis, & Spiritûs Sancti paracleti*, quàmvis judicet illa prædicata non esse communia, sed propria. Proponuntur variæ formæ. Similiter: *In nomine Filij, Patris & Spiritûs Sancti*, volens errorem inducere, quòd Filius sit principium Patris; quia illi errores communiter per ista verba non significantur, suppositâ semper debitâ intentione.

Idem sit judicium de hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti, & B. Virginis*, saltem quando proferens non vellet significare nisi Virginis intercessionem: sin autem etiam æqualitatem, nec sic video quare non valeret. Etenim æqualitas Virginis non repugnat æqualitati Patris, Filij & Spiritûs Sancti. Et aliunde per illam formam vi verborum significatur unitas & Trinitas Personarum, minimè verò quaternitas, esto baptizans illam intenderet.

Eadem est ratio hujus: *Hoc est corpus meum*, quod *pro vobis non tradetur*: diversa istius; *Hoc est corpus meum aëreum.* Nam (ut Scotus. bene Scot. 4. dist. 3. q. 2. n. 11.) *Si anteponitur vel postponitur aliquid non repugnans, fit* (Sacramentum) *si aliter, non.* Porrò aëreum repugnat vero & reali corpori Christi; ad quod impertinens est, quòd sit traditum vel non traditum pro nobis. Similiter æqualitas Virginis non falsificat æqualitatem Patris, Filij & Spiritûs Sancti.

43. S. Aug. Concludo verbis D. Aug. lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Verba, quibus Baptismus consecratur, tantùm valent, ut per illa sic evacuentur quæcumq; in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur.* Intellige (ut dictum est) nisi destruant significationem formæ Scotus. usitatæ. *Dico* (inquit Scot. supra) *quòd si aliquid addatur repugnans verbis principalibus formæ, vel diminuens verba illa, nihil fit; quia non servatur forma; v.g. de primo si sic dicatur:* In nomine Patris majoris, & Filij minoris, &c. *v. g. de secundo si præmittatur vel disjungatur, vel interponatur aliqua conditio, quæ non existat, utpote:* Si ego sum omnipotens, ego te baptizo &c. *Vel si sit aliqua oratio disjunctiva contra rationem formæ: quia disjunctiva non ponit determinatè alteram partem: & eodem modo de similibus.*

Numero autem 12. notat, quod dictum est de incongruitate, intelligendum esse, *quando est talis incongruitas in fine dictionis, quæ non prohibet quin possit capi conceptus significatus per dictionem. Et quomodò hoc sit possibile, bene experiuntur aliqui audientes quosdam illitteratos, qui loquuntur incongruè: & tamen bene concipiunt quid volunt dicere, etiam quantùm ad singula verba.* Unde non valeret hæc forma Baptismi: *Ego te bao in noe Pris, & Fli, & Sprûs Sti.* Enimverò illis breviaturis non utimur in loquendo, sed scribendo: quocirca nullus prudens audiens aliquem sic loquentem, concipiet quid velit dicere, nisi fortè mediatè, si videret scripturam quam loquens legit. Porrò forma Baptismi sunt verba non scripta, sed ore prolata, proximè & per se significativa sensûs à Christo intenti. De transpositione verborum dicam agendo in particulari de forma Baptismi.

His suppositis, tertia & quarta pars conclusionis per se sunt manifestæ: constat enim apud omnes Theologos, mortaliter peccare contra Religionem, qui facit Sacramentum invalidum; quantùm enim est in se, facit ut Deus significet falsum; sicuti qui jurat falsum, quàmvis non efficiat ut Deus reverà affirmet falsum, facit tamen de se ut id appareat. Sicut ergo juramentum falsum semper est peccatum mortale, quidni etiam Sacramentum invalidum semper sit peccatum mortale? 44. Mortaliter peccat contra Religionem faciens Sacramentum invalidum.

Et si, ut juramentum verum subinde est peccatum veniale defectu judicij aut justitiæ; ita etiam Sacramentum validum potest esse aliquando veniale peccatum, si levis contingat variatio in his, quæ ab Ecclesia in confectione aut administratione præcepta sunt. Alioquin cùm virtus Religionis ex genere suo obliget ad mortale, & præcepta Ecclesiæ frequentiùs respiciant res majoris momenti; nec non per variationem, quam putamus accidentalem, sæpe Sacramentum exponatur periculo nullitatis; optimè concluditur etiam hanc frequenter esse peccatum mortale.

Et hactenùs quidem de essentia Sacramentorum tum physica, tum quasi metaphysica. Transeo ad eorum causalitatem & multiplicem effectum, pro quibus dilucidè explicandis necessaria fuit

SECTIO

SECTIO QVARTA.

De Causalitate & Effectu Sacramentorum.

1. Hæretici efficaciam gratiæ Sacramentis denegant.

PLacet hanc sectionem incipere à controversia, quæ est cum hæreticis nostri ævi, qui omnes in hoc conveniunt, quòd Sacramentis nostris denegent efficaciam gratiæ; non quidem simpliciter, admittunt quippe hominem sanctificari per usum Sacramentorum, & quidem sine merito, vel conferentis, vel suscipientis; sed volunt hoc fieri, non virtute ipsorum Sacramentorum, verùm propter fidem specialem, quâ quisque tenetur sibi persuadere, quòd propter Christi justitiam non imputentur sibi peccata: ipsa verò Sacramenta ad hoc tantùm conducere, ut per verbum concionatorium & visibilium rerum propositionem excitetur in hominibus illa fides specialis, per quam sicut per extensionem manûs apprehendatur Christi justitia, & nobis applicetur.

Quæ falsò de hoc Catholicis affingunt, dissolvuntur.

Quod ut faciliùs defendant, & Catholicos impugnent, affingunt illis duo, quæ nunquàm excogitavit aliquis. Primum, quòd Catholici asserentes Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, velint eo modo loquendi significare, ipsa esse primariam causam gratiæ, Deumque eam non causare; sed Sacramentis suas vices committere, ut videre est apud Calvinum lib. 4. Instit. cap. 4. §. 17. Secundum quòd velint Sacramenta conferre gratiam secundùm se præcisè, ita quòd fides, pœnitentia ac devotio excludantur. Quæ sunt manifestè falsa: siquidem omnes fatentur cum Concil. Trident. sess. 6 cap. 7. Deum esse causam principalem effectivam gratiæ, Christum meritoriam, Sacramenta verò instrumentariam: *Huius* (inquit) *iustificationis causæ sunt; finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat..... meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus ..... instrumentalis item, Sacramentum Baptismi.*

Calvinus. Trident.

Et verò inveniri poterit Theologus tam rudis & prorsus inscitus, qui nesciat idem Concilium cap. 6. ejusdem sess. enumerare fidem, spem, charitatem, pœnitentiam tanquam dispositiones prævias ad justificationem adulti? ut proinde longè à corde & ore cujusque Doctoris Catholici semper fuerit de hoc ipso vel leviter hæsitare. Bellè quidam dixit: *Veritatis argumentum est mendacijs impugnari.*

2. Immeritò vocem: ex opere operato, hæretici irrident.

Neque est unde meritò hanc vocem *ex opere operato*, hæretici derideant: si enim teste Horatio de Arte Poëtica, & Cicerone in Tusculanis, *usus multa vocabula adinvênit & inventa antiquavit*, certè usus plus quàm quadringentorum annorum meritò pro hac voce præscripsit, eamque alioquin parum latinam emollivit: reperimus namque Innocentium III. lib. 3. de Mysterio Missæ eâ fuisse usum cap. 5. ibi: *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamvis igitur opus operans aliquod sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum*: quem deinceps secuti sunt omnes Scholastici, & opportunè; quia ut in simili dixit S. Aug. in Psalm. 138. *Melius est ut reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi.*

Innoc. III. S. August.

Media consequendi gratiam alia sunt ex opere operantis, alia ex opere operato.

Porro hæc vox aptissima est ad explicandam efficaciam Sacramentorum; pro cujus intellectu Nota duplicis generis esse media, quibus homo divinam gratiam potest consequi; quædam conferunt gratiam citra omne meritum operantis ex vi solius divinæ institutionis: quædam verò conferunt gratiam propter meritum de condigno, vel de congruo ipsius operantis; seu potiùs sunt opera bona, quæ licèt gratiam non contineant, tamen illam de condigno vel congruo à Deo merentur, & ideo dicuntur conferre gratiam ex opere operantis, id est, præcisè intuitu operis meritorij: quidquid autem gratiæ provenit homini non ex merito, sed ex sola divina virtute seu institutione per modum (ut sic dicam) causæ naturalis sive physicæ, sive moralis (quod est impertinens) dicitur conferri ex opere operato, quasi diceres, ex opere applicato, hoc est, intuitu ipsius operis applicati, præscindendo ab eo quòd sit meritorium vel non meritorium: & ideo opus illud dicitur gratiam continere, quam videlicet communicat ijs, quibus applicatur. His prænotatis pro intelligentia controversiæ, subjicio doctrinam Catholicam.

CONCLUSIO I.

Omnia Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam, idque ex opere operato.

3. Est de fide Sacramenta novæ Legis conferre gratiam. Probatur ex Concilijs. Florent. Trident.

VTraque pars est de fide. Prima quidem definita in Concil. Florent. his verbis: *Hæc verò nostra* (Sacramenta) *& continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Consonat Concilium Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm sint accepta per fidem gratiæ &c. anathema sit.* Et can. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solùm fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Eadem veritas definitur quoad Baptismum in Symbolo Concilij Constantinopolitani, ibi: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Ad quod alludens Concil. Milevitanum can. 2. & habetur cap. Placuit 154. de Consec. dist. 4. de infantibus, ait: *Ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* (Constant. Milevit.)

Ex Scriptura. Joan. 3. Actorum 2. — Et verò quid aliud significant hæc verba Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* &c. Actor. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Ad Ephes. 5. versu 26. *Mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* 1. Petri 3. v. 20. & 21. *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma: non carnis depositio sordium* (id est, non tantùm exteriùs, sicut baptismata & purificationes Judæorum) *sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (id est, interiùs mundando conscientiam nostram, ut dum Deus eam interrogat, vel nos coram Deo eam examinamus, reperiamus nullius peccati conscientiam) *per resurrectionem Iesu Christi*, scilicet factam in nobis baptizatis; quia ut habetur ad Rom 6. v. 4. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hunc esse sensum illius loci, patet tum ex contextu, tum ex proprietate verborum; & non eum, quem ex illo contra nos prætendunt hæretici: & ita fit, quòd idem nobis sit odor vitæ ad vitam, quod ipsis est odor mortis in mortem. Eamdem vim Scriptura tribuit alijs Sacramentis, ut inferiùs proprijs locis luculenter edissero. (ad Ephes. 5. 1. Petri 3. ad Roman. 6.)

Ex SS. Patribus. Bellarm. — Sanctorum Patrum loca ad idem confirmandum fusè citat Bellar. lib. 2. de Sacramentis cap. 6. & 7. & tam aperta sunt & obvia, ut ijs in particulari recensendis superfluum fuerit immorari. Generaliter de omnibus Sacramentis id indicant, quando aiunt in veteribus Sacramentis solùm fuisse umbram sanctitatis; in nostris autem veritatem. Item, illa Sacramenta solùm ostendisse seu promisisse salutem, nostra verò etiam continere & dare salutem. (Ex differentia inter Sacramenta nostra, & Legis veteris.)

4. Florent. — Dubitas de veritate illius distinctionis? Consule Concil. Florent. supra: *Nova* (inquit) *Legis septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus* &c. *quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant.* Nonne Scriptura frequenter inculcat veteres cæremonias fuisse infirma & egena elementa, justitias carnis, quæ non valent mundare conscientias &c? E contra verò (ut jam jam vidimus) docet per Baptismum nos regenerari, mundari, salvos fieri, remitti peccata; quæ non possunt fieri sine infusione gratiæ, ut traditur in materia de Gratia.

5. Ex quo & probatur causalitas gratiæ ex opere operato. Trident. — Ex quibus etiam manifestè probatur secunda pars conclusionis, quæ in terminis definitur à Concil. Trident. sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit* &c. Probatur (inquam) quia cùm certum sit cæremonias veteris Legis contulisse gratiam ex opere operantis non minùs, quàm cæteri actus boni procedentes ex fide & charitate (teste Doctore Subtili 4. dist. 1. q. 6. n. 10. ibi: *Et de istis cæremonijs legis veteris concedo, quòd non causabant gratiam tanquam signa efficacia respectu gratiæ, eo modo, quo expositum est in definitione Sacramenti: sed tamen in illis conferebatur gratia per modum meriti, licèt aliqui negare videantur, quòd in talibus ex charitate factis conferretur gratia. Hoc enim videtur nimis durum, scilicet quòd aliquis ex charitate & obedientia sit servans Dei præceptum, & non mereatur*) sequeretur, quòd fuissent æqualis efficaciæ cum nostris: immò aliquando majoris, quia potuissent procedere ex perfectiori charitate & obedientia: quod licèt libenter concedant hæretici; est tamen apertè contra Scripturas & Patres, ut ex dictis patet. (Scotus.)

Et in-

Quæ efficacia etiam stabilitur ex Baptismate Joannis.

Et insuper confirmatur ex Baptismate Joannis, quod etiam fuit signum gratiæ per Christum dandæ & fidei excitativum, & ad salutem conferebat ratione fidei, ex qua suscipiebatur; equidem minoris efficaciæ, quàm Baptisma Christi, ut evidenter probatur, Primò ex Matth. 3. versu 11. ubi dicit Joannes: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, id est, ad excitandam pœnitentiam, *qui autem post me venturus est, fortior me est*, scilicet in danda gratia, & ad baptizandum Unde subdit: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Secundò: quia Act. 19. Apostolus eos, qui erant baptizati Baptismo Joannis, jubet baptizari Baptismo Christi; quod utique impiè fuisset factum, si hic non fuisset præstantior illo: imò Anabaptistæ ne quidem reiterant Baptismum, quem putant fuisse legitimum.

Matth. 3.

Trident.

Hinc appositè Concil. Trident sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit, ea ipsa nova Legis Sacramenta à Sacramentis antiqua Legis non differre, nisi quia caremonia sunt alia, & alij ritus externi, anathema sit.* Et can. 1. de Baptismo: *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Leo X.

Igitur jure meritissimo Leo X. damnavit hunc articulum Lutheri: *Hæretica est sententia, Sacramenta nova Legis conferre gratiam illis, qui non ponunt obicem, id est, ex opere operato.* Licèt enim illa vox *ex opere operato* non reperiatur in Scriptura aut alijs Concilijs præter Tridentinum, res ipsa tamen invenitur.

6. Discutitur responsio hæreticorũ.

Ad hæc quid Acatholici respondeant, diligenter attende. Primò cum Luthero in lib. contra Cochlæum: Dicta Patrum (inquiunt) verba sunt hominum sibi ipsis sæpè pugnantium, & pleraque humano sensu ex Scriptura docentium. Secundò secuti Calvinum lib. 4. instit. cap. 14. §. ultimo Patres insimulant hyperbolicæ locutionis.

Sed quid impudentiùs hoc responso potest excogitari? si enim in Patribus reperiant, quod opinioni suæ vel minimum favere videatur, amplectuntur ambabus manibus, & Catholicis objiciunt & inculcant; si verò quid occurrat contrarium, vel contemnunt, vel detorto aliquo responso eludunt. Certè etsi Patres in quibusdam dogmatibus inter se quandoque pugnent, in ijs nimirum, quæ non sunt articuli fidei; in his tamen summè consentiunt, & præsertim in præsenti materia: quotquot enim attigerunt eam, tribuunt Sacramentis efficaciam, & ne unus quidem hoc negat, aut id asserit fieri mediante fide. Mirum autem esset omnes unanimiter & ubique hyperbolicè loqui in materia gravissima, & ad præcipua fidei capita pertinente, & nullibi contrarium indicare, & sic fuisse occasionem, cur Ecclesia huc usque erraret.

Enimverò non hoc solùm asseruerunt coram populo concionando, sed etiam in libris suis dogmaticis. *Non mihi* (inquit S. Aug. lib. contra mendacium ad Consentium cap. 2.) *persuadetur eos* (hæreticos) *de latebris suis nostris esse mendacijs eruendos. Vt quid enim eos tantâ curâ vestigare, atque indagare conamur, nisi ut captos, in apertumq́ productos, aut etiam ipsos veritatem doceamus aut certè veritate convictos nocere alijs non sinamus? Ad hoc ergo ut eorum mendacium deleatur sive caveatur; Dei autem veritas augeatur. Quomodò igitur mendacia mendacio rectè potero prosequi?*

S. August.

Tertiò non minori impudentia contra unanimem consensum PP. & DD. eodem Hæresiarchâ antesignano, per *aquam* Joannis 3. intelligunt non Baptismum juxta proprietatem verborum, sed metaphoricè Spiritum Sanctum: sicut & Act. 19 per Baptismum Christi, impositionem manuum: quasi verò non apertissimè ista duo distinguerentur in textu v. 5. & 6. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu: & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* 7.

7. Et impudẽs aliquorum locorum Scripturæ explicatio.

Ineptè etiam respondent ad locum ex Matth. 3. Joannem ita loqui, quia ipse solum adhibebat exteriùs ablutionem, Christus verò sive Deus interiùs, etiam ijs, quos Joannes baptizabat. Enimverò ibi non tam comparantur persona Joannis & Christi, quàm eorum Baptismata, ut patet. Deindè si vera esset hæc responsio, debuisset dicere Joannes: *Ille vos baptizat*, non: *Ille vos baptizabit*; neque debuissent rebaptizari baptizati à Joanne, ut factum fuisse Act. 19. jam dixi.

Perbellè ad propositum D. Aug. lib 5. de Baptismo cap. 10. *Quamquam ita credam baptizasse Ioannem in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsâ verò in Domini Baptismo id fieret ...... tamen ne quisque contendat etiam in Baptismo Ioannis dimissa esse peccata* (scilicet ex opere operantis) *sed aliquam ampliorem sanctificationem per Baptisma Christi esse collatam* (ex opere operato) *non ago pugnaciter.*

S. August.

8. Mediante fide speciali vim tribui Sacramentis, neque veritati, neque menti SS. Patrum, consonum est.

Porro quòd aliqui somniant Patres & Scripturas tribuere vim Sacramentis, sed mediante fide illâ speciali, neque consonum est veritati, neque menti eorum; quia prꝫterquã quòd in tractatu de Justificatione ostẽditur illam fidem specialem hæreticorum meram esse perfidiam & vanã præsum-

præsumptionem, hic addi potest argumentum deducens ad absurdum: nam si ratio signi excitantis fidem constituit rationem Sacramenti, habebimus infinita Sacramenta, ut postillas hæreticorum, imagines, conciones, bona opera seu exempla aliorum.

Varia ex illo deducerentur absurda.

Sequetur item Primò, parvulos non justificari in Baptismo; ubi enim revelatum est eos tunc specialem illam fidem habere, & ratione per miraculum uti? Secundò, vetera Sacramenta habuisse eamdem vim cum nostris, quod est manifestè contra mentem Scripturæ & Patrum. Quàmvis enim gratia fidei data sit intuitu meritorum Christi; ipsa tamen signa externa, quæ ad fidem eliciendam excitant, æqualis sunt efficaciæ in novo & in veteri Testamento, si utraque solùm contulerint gratiam ex opere operantis, scilicet mediante fide.

Tertiò, sequitur non requiri certum ministrum, aut intentionem. Quartò, non esse valida Sacramenta nisi linguâ vulgari proferantur. Quintò, eodem modo prodesse audita, lecta, meditata atque exercita, & æquè ijs qui adsunt, ac illis, qui ea suscipiunt.

Denique si Sacramenta sunt sigilla justitiæ jam ante per fidem acceptæ, ergo jam supponunt fidem & justitiam in suscipiente; ergo non rectè dicuntur eam causare excitando fidem, quâ justitia apprehendatur. Sicuti si quis diceret motum animalem, qui est signum vitæ acquisitæ, esse causam ejusdem acquirendæ. Nec obstat quòd respiratio sit simul signum vitæ & causa ejus; quippe non est causa acquirendæ, sed conservandæ vitæ: Sacramenta autem vel causant vitam, conferendo primam gratiam sanctificantem, vel certè conservant, efficiendo ejus augmentum.

Similia multa facilè occurrent consideranti, de quibus meritò dicere possumus cum D. Aug. lib. 5. contra Julian cap. 4. *Quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult?* Et quoniam nihil imperitis, nihil cæcis audacius est, quia nihil vident: aperi hæretice oculos tuos, & cerne quàm debilia sint causæ tuæ fundamenta. Quæ verò ista?

S. August.

9\. Ecclesia Catholica etiam fidei justificationē tribuit. Bellarm.

Primum sumitur ex illis locis Scripturæ, in quibus justificatio tribuitur fidei. Respondeo unico verbo (nam singula in particulari explicare non est hujus loci. Vide Bellarm. lib. 1. de Justificatione) nos quoque fidei tribuere justificationem cum Trident. sess. 6. cap. 8. ubi explicans locum Apostoli Roman. 3. v. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius &c.* sic inquit: *Ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, &c.*

Triden.

Sed nunquid fundamentum, domus est? radix, arbor? Quis credat? Sic neque sola fides ad perfectum adducit, id est, justificat; bene, si ad eam spes accedat & charitas: *In ipsa* (inquit Trident. supra cap. 7.) *iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit.* Ut autem omnes scirent, non solùm quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant, hos Canones subjunxit. Primus (alias 9.) *Si quis dixerit solâ fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit.* Secundus (alias 12.) *Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, quâ iustificamur; anathema sit.*

Sed non soli.

Libenter igitur admittimus fidem justificare, at non illam specialem hæreticorum (de qua nulla fit mentio in Scriptura) aut etiam veram Catholicorum cum exclusione Sacramentorum, bonorum operum, aut meritorum Christi: nusquam enim in sacris Litteris reperitur illa vox *Sola*, cùm de fide justificante agitur. Econtra verò legitur expressum verbum, ubi habetur negatio ejus vocis aut synonimæ. *Videtis* (inquit Jac. cap. 2. v. 24.) *quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm?*

Neque attribuenda est fidei speciali hæreticorum.

Iac. 2.

Edidit quidem (teste Bellarm. supra cap. 16.) Mart. Lutherus Biblia Germanica cum voce *sola* ad Rom. 3. sed citò fallacia deprehensa fuit, inspectis codicibus Græcis & Latinis, & qui circumferuntur omnibus. Neque ipse de hac re admonitus negare potuit à se additam illam vocem, sed respondit pro solita sua modestia: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

Quando ergo dicit Apostolus Hebr. 10. v. 38. *Iustus autem meus ex fide vivit*; vel intelligitur de fide, quæ per charitatem operatur; vel (ut ex antecedentibus & consequentibus patet) intentio solùm D. Pauli est 10. Explicatio Scripturæ ad Hebr. 10.

est docere, quòd justus roboretur per fidem ad toleranda mala hujus vitæ, eo quòd per eam apprehendat futuram mercedem.

Marci ultimo. Rogas, cur Christus Mar. ultimo post hæc verba: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit,* dixerit: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*; & non dixerit: *Qui non fuerit baptizatus*? Respondeo, non quia sola fides sufficiat ad salutem, sed quia requiritur in re fides actualis vel habitualis; quippe ejus non datur votum, cùm sit prima virtus supernaturalis; porro sufficit

Trident. Baptismus in voto juxta Trident. sess. 6. cap. 4. ibi: *Quæ quidem translatio* (à statu peccati in statum gratiæ) *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest.* Et quod quæso est illud votum, nisi fides, quæ per charitatem Dei super omnia operatur? *Qui enim*

1. Ioan. 3. *non diligit manet in morte*, inquit discipulus

S. Aug. quem diligebat Jesus. Epistolæ primæ cap. 3. v. 14. & D. Aug. ser. 22. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

Et ad Ephes. 5. Quæris rursum, quid intelligat Apostolus quando ad Ephes. 5. dicit: *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*? Respondeo ita loqui, eo quòd aqua sola non prodesset sine forma verborum, quæ vocatur *verbum vitæ*, quia cum ablutione confert vitam animæ seu gratiam: aut si quis contendat per verbum vitæ non intelligi verbum ceremoniale (ut ita dicam) sed doctrinale seu prædicationem Evangelij; etiam verum est, quòd Deus suam Ecclesiam mundet in Baptismo per *verbum vitæ*; siquidem adulti non mundantur per Baptismum, nisi crediderint prædicationi Evangelij; saltem ex eo loco nihil habetur pro speciali fide hæreticorum. Ecce eversum est primum fundamentum.

11. Varia loca SS. Patrum ab hæreticis objecta non officiunt Conclusioni. Secundum est auctoritas SS. Patrum. Sed plurima loca eorum, quæ communiter allegantur, non faciunt ad rem: nonnulla verò docent Sacramenta non esse causas physicas gratiæ, ut sequenti conclusione videbimus. Aliqua etiam solùm volunt Deum interiùs mundare, scilicet tanquàm causam principalem, non autem quòd minister aut Sacramentum non mundent in-

Videlicet Hieronymi. strumentaliter. Talis est locus D. Hieronymi super illa verba Matth. 3. *Ego baptizo in aqua*, ubi sic ait: *Ex quo dicimus, quòd homo tantùm aquam tribuat. Deus autem Spiritum Sanctum, quo sordes abluuntur.*

Ambrosij. Pari ratione intelligi potest, quod scribit Ambrosius Epistolâ 34 ad Demetriadem: *Aliud est quod visibiliter agitur, aliud quod invisibiliter celebratur; nec idem est in Sacramento forma, quod virtus; cùm forma humani ministerij adhibeatur obsequio; virtus autem per divini operis præstetur effectum.*

Solùm videtur aliquam difficultatem facere locus D. Aug. tract. 80. in Joannem: *Unde tanta virtus aquæ* &c. vide ejus explicationem sect. præced. conclusione secundâ, objectione secundâ. Porro quod docet idem Sanctus Doctor lib. 83. quæstionum quæst. 53. Deum quædam facere per se ipsum, ut illuminare animas; intellige Primò de visione & fruitione beatificâ. Verba textûs sunt: *Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium & impium esse, quis non intelligat? sed meritorum & personarum iustissimus distributor faciens per seipsum quæ illo solo digna sunt, eiq; soli conveniunt: sicuti est illuminare animas, & se ipsum eis ad perfruendum præbendo, sapientes beatasq; præstare.* 12. Augustin.

Secundò videtur Aug. solùm velle, Deum quidem semper decipere mediante alio; non tamen semper ita illuminare. Equidem certum est aliquando illuminare ad fidem & pœnitentiam medijs Angelis & alijs hominibus.

Audi eundem Sanctissimum Præsulem Tract. 80. in Joannem circa medium: *Quid autem est Apollo? quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis. & unicuique sicut Dominus dedit; non itaque ideo: tum verò quod sequitur*: sed Deus incrementum dedit; *non per illos, sed per se ipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam sublimitatem, nec omninò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem*; quoniam solius Dei est physicè causare gratiam sanctificantem; occasionaliter tamen per prædicationem Apostolorum, moraliter per Sacramenta coöperantibus ijs, qui crescunt ad actus, & per actus disponentibus se ad habitus.

Objiciunt hæretici tertiò ex ratione plura argumenta, sed hyeme frigidiora. 13. Objectio hæreticorũ ex ratione, videlicet per hoc revocari homines à Christo, & passione illius. Primum, quòd per hanc doctrinam Catholicorum homines à Christo, & ejus passione revocentur. Respondeo, per usum Sacramentorum homines maximè incitari ad gratitudinem in Christum, qui tantæ in genus humanum fuit charitatis, ut acerbissimam pro ejus redemptione mortem subierit, in quâ fundatur omnis efficacia Sacramentorum tanquàm in thesauro pro nobis effuso, ad cujus proinde recordationem excitamur, quoties Sacramenta nobis applicantur.

Secundum: Videtur divinæ majestate 14. Secunda, Deo indig-

 indignum,

num eſſe alligare ſuâ virtutem Sacramentis.

indignum, quòd ſuam virtutem alliget Sacramentis, ita ut maneat Deus quaſi ſervus, debeatque noſtram ſalutem operari adhibitis Sacramentis, & non ſine illis. Reſpondeo, non magis dedecere Deum medijs ſignis à ſe electis operari ſalutem ſuorum Sanctorum, quàm mediante ſpeciali fide (ut impiè volunt ſectarij) vel per opera bona meritoria de congruo & condigno; cùm & iſta obligent Deum, ex fidelitate ſaltem, ad mercedem retribuendam, id eſt, gratiam & gloriam.

15. Tertia, eſſe Idololatriã adſcribere ſignis corporalibus vim ſanctificantem.

Tertium: Idololatria eſt ſignis corporalibus adſcribere vim ſanctificantem, quandoquidem ſanctificatio ſit opus proprium Deo, ut ſatis intellexerunt Phariſæi Mar. 2. inquit Zuinglius. Reſpondeo Primò ad hominem, nos ſimiliter poſſe dicere, quòd ipſi committant idololatriam, dum fidei ſpeciali attribuunt juſtificationem; illa quippe fides eſt etiam aliquid creatum. Et nonne magnam Deo irrogant injuriam, dum magis credunt Phariſæis dicentibus v. 7. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* quàm Chriſto Joannis 20. v. 23. dicenti Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* Unde ad rem Reſpondeo Secundò, Deum remittere peccata auctoritate propriâ, Sacerdotem verò auctoritate Dei ab eo acceptâ; Deum principaliter, Sacramenta inſtrumentaliter.

Mar. 2.

Joan. 20.

16. Quarta, in omni Sacramento eſſe verbum promiſſionis divinæ; adeoque requiri fidem audientis.

Quartum: In omni Sacramento eſt verbum promiſſionis divinæ; ergo requiritur fides audientis, ne Deum faciat mendacem ſuâ incredulitate. Reſpondeo Primò non in omni Sacramento eſſe verbum explicitum: nam qui dicit in Unctione: *Indulgeat tibi Deus* &c. non explicat promiſſionem, ſed petitionem. Reſpondeo Secundò fidem eſſe neceſſariam adultis, ut dixi ſectione præcedenti concluſione ſecundâ objectione primâ, non illam ſpecialem hæreticorum, quâ credant ſibi eſſe remiſſa peccata per Chriſtum; ſed veram & Catholicam, de qua loquitur D. Paulus ad Hebræos 11. v. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et Apoſtolus Joannes 1. cap. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.*

Ad Hebr. 11.

1. Joan. 5.

Plus dico: nullus adultus exiſtens in peccato mortali reportabit fructum gratiæ ex Sacramento ſine actu aliquo ſupernaturali voluntatis; ut diſſero ſectione ſequenti concluſione ſecundâ. Ex quo alicui Catholico videri poſſet, Sacramentum novæ legis non conferre gratiam ex opere operato; ſed ex opere operantis ſecundùm menſuram (ut loquitur Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.) *quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & coöperationem*, quæ diſpoſitio & coöperatio eſt meritum ſaltem de congruo, in homine autem juſto etiam de condigno. Illa ergo erit objectio quarta, ad quam

Objectioni, quòd Sacramentum in adulto peccatore non cauſet gratiam ſine actu aliquo ſupernaturali voluntatis in illo, Trident.

17. Reſpondetur primò hoc requiri ad tollendũ obicem.

Reſpondeo Primò, diſpoſitionem in adulto peccatore non requiri per modum meriti, ut intuitu ejus tanquàm operis boni Deus infundat gratiam; quippe gratia per Sacramentum infallibiliter confertur diſpoſito: quod utique non exigit meritum tantùm de congruo, ſed requiritur ad tollendum obicem; docet enim Trident. ſeſſ. 7. can. 6. Sacramenta quidem conferre gratiam, ſed *non ponentibus obicem*. Obex autem licèt propriè ſonet poſitivum impedimentum, quod tunc ſolùm eſt, quando quis in ipſa Sacramenti ſuſceptione mortaliter peccat, tamen Concil. Trident. etiam intelligi debet de obice (ut ſic loquar) negativo; non enim ignorabat doctrinam Florentini & communem Theologorum, in receptione Sacramentorum non ſolùm eſſe cavendum peccatum, ſed etiam dignam præparationem præmittendam.

Enimverò ſicut videmus cauſas naturales non aſſequi ſuum effectum, ſi vel ſubjectum habeat diſpoſitiones contrarias reſiſtentes introductioni formæ, vel etiam careat diſpoſitionibus ad receptionem formæ neceſſarijs; ita Sacramenta, quæ inſtar cauſæ naturalis agunt, ut producant gratiam, requirunt non ſolùm ut ei non reſiſtatur per peccatum ſeu poſitivum obicem, ſed etiam quòd adſit debita diſpoſitio, ſeu ut abſit impedimentum ac obex negativus, qualis in adultis eſt infidelitas, & omne peccatum mortale nullo modo per diſplicentiam retractatum: unde in his requiritur fides in intellectu, & averſio peccati in voluntate; de quo plura ſectione ſequenti. Et ſanè ſi quiſpiam peccatum non retractatum vocet obicem poſitivum, nolumus de voce contendere; quippe adultus habens uſum propriæ voluntatis cenſetur illud continuare quamdiu non retractat.

18. Reſpondetur ſecundò ſemper intuitu Sacramenti dari majorem gratiam, quàm illa diſpoſitio mereatur.

Reſpondeo Secundò: ſemper intuitu Sacramenti datur major gratia, quàm mereatur illa diſpoſitio, attritio ſit vel contritio, in homine juſto ſive peccatore, perinde eſt. Ergo ſemper aliqua gratia datur ex opere operato: ergo illa diſpoſitio ſolùm eſt conditio, & non cauſa

propriè

propriè dicta. Sicut si Papa ad lucrandum indulgentiam requirat opus aliquod de se meritorium & satisfactorium; putas quia propterea indulgentia non conferet suum effectum ex opere operato? Certè non minùs, quàm si sufficiat opus ex circumstantia malum. Ratio: quia major pœna semper remittitur per talem indulgentiam, quàm ipsum opus bonum seclusâ indulgentiâ mereatur.

Idem cernitur in satisfactione Sacramentali, cujus fructus ex opere operato dabitur pœnitenti, etiamsi opus ipsum vitietur ex aliqua circumstantia veniali, v. g. ex fine vanæ gloriæ; & semper dabitur major fructus, quàm ipsum opus bonum secluso Sacramento mereatur: igitur opus illud in quantum meritorium vel satisfactorium non est causa propriè dicta, sed solùm conditio quædam, sine qua Deus aut Pontifex noluit dare talem fructum. Ergo similiter licèt Sacramenta non conferant effectum nisi homini disposito, ipsa tamen dispositio, esto secundùm se meritoria de congruo vel condigno, non est causa propriè dicta, sed conditio, sine qua Christus noluit merita sua per Sacramenta applicari, & per consequens noluit dare talem gratiam.

Si instes: Etiam ipsa susceptio Sacramenti potest esse meritoria; Fateor: Ergo saltem tunc Sacramentum non conferet gratiam ex opere operato, Respondeo negando consequentiam, & redit eadem solutio; quia semper major gratia dabitur per illud Sacramentum, quàm actus iste bonus de congruo vel condigno mereatur. Herculè si parvulus, qui nullam adfert dispositionem, neque meritoriè suscipit Sacramentum, equidem præcisè vi Sacramenti accipit gratiam; quidni etiam adultus bene dispositus & meritoriè Sacramentum suscipiens? non est relictus ambigendi locus; quin imò (ut inferiùs doceo sect. 5. conclus. 1.) nunquam parvulus per Baptismum accipiet tantam gratiam, quantam adultus. Atque hæc sufficiant pro causalitate gratiæ ex opere operato; ex quibus

19. Non bene Sacramenta solùm per concomitantiam, aut tanquam conditiones sine quibus non, dicuntur causare gratiam.

Colligo non satis aptè ab aliquibus dici, Sacramenta causare gratiam solùm per concomitantiam, aut non nisi tanquam conditiones sine quibus non. Prima pars probatur: quia quod solùm concomitatur causam per se causantem, non potest dici causare aut effectum in se continere, quomodò à Concilijs dicuntur Sacramenta causare gratiam, ac eam in se continere; neque enim ex eo quòd Deus ad præsentiam lapidis produceret Angelum, lapis rectè diceretur causare Angelum aut eum continere. Fortè tamen illi Auctores solùm voluerunt Sacramenta non causare physicè gratiam, sed virtutem divinam, quæ Sacramenta concomitatur.

Secundam partem ostendo similiter: 20.
quia conditio sine qua non incongruè dicitur causa effectûs; sic enim approximatio ignis ad lignum, non vocatur causa calefactionis aut combustionis; sed solùm requiritur ex parte agentis, quod nequit agere extra sphæram suæ activitatis. Alioquin si particula *nisi* aut *solùm*, excludat tantummodò causam physicam; vera est locutio, ut sequenti conclusione latiùs expendetur.

Confirmatur: quia conditio sine qua non, si est removens prohibens, non rectè dicitur continere ac causare effectum; quippe qui aperit fenestram impedientem lumen solis, non rectè dicitur cubiculum illuminare. Si sit autem conditio requisita ex parte subjecti, multò minùs; subjectum siquidem nullo modo dicitur causare effectum, qui in eo producitur: sic contritio, quàmvis habeat infallibiliter annexam gratiam ex promissione divina, non tamen rectè dicitur illius causa; quemadmodùm nec voluntas, ex cujus parte est conditio requisita.

Porro Sacramentum est conditio ex parte agentis principalis, non instar approximationis, propter hujus limitatam virtutem, sed ex libera Dei voluntate instar rei approximatæ, seu potiùs quasi applicans causam physicam, id est, virtutem divinam, ac propterea verè causa moralis; quomodò qui admovet ignem dicitur causa moralis combustionis domûs. Atque hæc de prima controversia, quæ est cum hæreticis.

Quia autem diximus Sacramentum esse causam moralem gratiæ, accedamus ad secundam quæstionem, quæ inter Catholicos, fortassis plùs æquò, multis verbis extenditur ac discutitur: parum quippe referre videtur tum ad dignitatem Sacramenti, tum ad ejus utilitatem, an physica, an verò causa moralis gratiæ appelletur: dummodò eam contineat & conferat. Nihilominùs inhærentes vestigijs prædecessorum nostrorum, paucis exponemus judicium Doctoris Subtilis, pro quo sit

CON-

CONCLUSIO II.

Nullum est Sacramentum quod gratiam physicè producat, & eadem est ratio characteris ac corporis Christi in Eucharistia.

21. Sacramentum, secundùm Scotum non producit physicè gratiam.

ITa docet Scotus 4. dist. 1. q. 5. n. 12. ibi: *Ad primam ergo quæstionem dico, quòd cùm necessitas eorum, quæ sunt ad finem, sumatur à fine; & secundùm omnes loquentes de Sacramentis, finis Sacramenti est gratia, vel aliquis effectus invisibilis disponens hominem ad salutem, & iste finis possit sufficienter haberi eo modo, quo habetur per Sacramentum, absque hoc, quòd dicatur Sacramentum habere aliquam actionem propriè dictam, sive respectu gratiæ, quam non potest attingere, cùm illa creetur: sive respectu dispositionis supernaturalis praviæ, quia illa etiam crearetur, sequitur quòd non sit ponenda talis actio, cùm nec ista plura sint necessaria, nec manifestè ponibilia.*

Consequenter ad secundam quæstionem, quâ quærebatur, utrum possibile sit in aliquo Sacramento esse aliquam virtutem supernaturalem? Respondet Doctor ibidem n. 16. *Patet* (inquit) *per idem, quòd nec manifestè possibile, nec necessarium est ponere illam virtutem, quæ sit forma realis in Sacramento. Vt quid enim toties generaretur & corrumperetur? nec per illam si poneretur, aliquid causaretur in anima, nec causaretur ipsa regulariter, nisi ex pactione divina cum Ecclesia: & sic sine tot superfluis in aqua & anima intermedijs potest salvari, quòd pactio divina sit immediata respectu effectûs conferendi & recipiendi Sacramenta.*

22. Probatur.

Ex his formo hanc rationem principalem nostræ conclusionis: non sunt multiplicanda entia sine manifesta possibilitate & necessitate, physica aut morali; atqui non est manifesta possibilitas causalitatis ac virtutis physicæ Sacramentorum, neque ulla necessitas ostenditur; ergo non est asserenda.

Minor, in qua sola consistit difficultas, probatur pro secunda parte; quia necessitas, si quæ est, fundatur primò & potissimùm in auctoritate sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum ac Conciliorum, præsertim Florentini & Tridentini dicentium, Sacramenta continere ac causare gratiam, atque per ea nos mundari & justificari, ut vidimus conclusione præcedenti: Scripturæ autem intelligi debent in propria significatione & non in metaphorica, quomodò caperentur, si Sacramenta dicerentur causæ non physicæ, sed morales tantùm. Et hanc efficaciam Sacramentorum multùm admirantur Sancti Patres, quæ tamen non esset admiranda, si solùm foret moralis.

23. Scriptura & patres frequentissimè causis solùm moralibus tribuunt efficaciam gratiæ. *Iac.* 1. *Tobiæ* 12. *Ad Rom.* 3.

Respondeo, Scripturas & Patres frequentissimè tribuere efficaciam gratiæ ijs rebus, quas certum est non esse nisi morales causas. Sic Jac. 1. v. 21. *Suscipite insitum verbum* (vitæ seu Euangelicum) *quod potest salvare animas vestras.* Et Tobiæ 12. v. 9. *Quoniam eleëmosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata.* Ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem.* Et v. 26. *Vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.*

Igitur sicut in his locis verba activa & præpositiones *per* & *ex*, non significant physicam causalitatem, ita possunt in alijs locis eam non significare; & consequenter doctus aliquis ac prudens, qui neutrius sententiæ præjudicio est præventus, non hoc ipso quòd in Scripturis ac Concilijs audit causalitatem gratiæ attribui Sacramentis, suspicabitur esse physicam. Nonne Trident. sess. 6. can. 24. docet per bona opera augeri gratiam justificantem? *Si quis* (inquit) *dixerit iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera* &c. *anathema sit.* Et 2. Reg. 12. v. 9. dicit Nathan ad David: *Vriam Hethæum percussisti gladio.... & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.* Quis proptereà interpretatur causalitatem physicam? *Trident.* *2. Reg. 12.*

Ex subjecta materia physica vel moralis causalitas intelligenda est.

Ex subjecta ergo materia modò physica, modò moralis causalitas colligetur: sic quippe homo generans hominem, esto moraliter quodammodo causet animam rationalem, movendo Deum medijs dispositionibus ad infusionem animæ; equidem non dicitur simpliciter causa animæ rationalis; quia juxta subjectam materiam id intelligeretur de causalitate physica, quam habet circa dispositiones, & fortè unionem. Ubi autem intelligeretur ex circumstantijs non esse sermonem de causalitate physica, ille qui mereretur creationem animæ, posset simpliciter dici causa istius animæ.

Et quamvis causa physica in rigore philosophico magìs propriè dicatur causa; causa tamen moralis magìs usitatè appellatur causa. Ecquis enim magìs dicitur expugnasse urbem dux absens, an milites,

lites, qui ejus auspicijs, jussu & consilio pugnarunt? Nonne dux? Quis magis dicitur occidisse reum, judex suâ sententiâ, tanquam instrumento morali, an tortor suo gladio? Nonne judex? Oportet autem Scripturam intelligere maximè secundùm usitatum modum loquendi.

Neque obstat, quòd causa moralis sit æquivalenter causa physica; siquidem etiam peccatum habituale est æquivalenter peccatum actuale, & tamen propriè appellatur peccatum, licèt non in stricta acceptione.

24. Inter causas morales alia est principalis, alia instrumentalis.

Porro sicut inter causas physicas alia dicitur principalis, alia instrumentalis; ita pariter inter morales: v. g dominus mandans homicidium est causa principalis, famulus deferens mandatum instrumentalis. Ad propositum Christus est causa principalis ac meritoria nostræ justificationis, ut docet Trident. sess. 6. cap. 7. ibi: *Hujus justificationis causæ sunt; finalis quidem, gloria Dei & Christi ac vita æterna: efficiens verò misericors Deus* &c. *meritoria autem dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit.* Sacramenta verò instrumentalis, attestante ibidem Concilio his verbis: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi*; quia Christus non solùm meruit nobis gratiam & justificationem, sed etiam meruit, quòd ea perficeretur in nobis per ceremonias quasdam à se institutas, quas nos vocamus Sacramenta; ita ut cuicumque ea legitimè applicantur, ei etiam applicetur aliqua portio meritorum Christi, quâ jus sibi ad gratiam acquirat.

Trident.

Quare Sacramenta dicantur vasa gratiæ.

Quia ergo virtus divina ita infallibiliter Sacramentis assistit, idque ex meritis Christi & pacto divino; rectè dicitur illa virtus inexistere Sacramentis, & in ijs merita Christi, & gratiam sanctificantem contineri, quemadmodùm effectus continetur in sua causa: propter quod accommodatè dicuntur vasa gratiæ, idque conformiter ad phrasim Scripturæ; quæ instrumenta, quibus mors inferebatur seu causabatur, vocat vasa mortis. Unde more suo calumniatur Calvinus lib 4. Instit. cap. 14. §. 17. dum hunc modum loquendi traducit, quasi Doctores velint gratiam in Sacramentis contineri materialiter, sicuti materialiter liquor continetur in pixide. Non sic hæretice, non sic; sed (ut mox dixi) sicuti effectus continetur in sua causa.

Calvinus.

25. Non sunt nuda signa, sed practica.

Ex quo ulteriùs patet, Sacramenta non esse nuda signa, sed practica: & non instar plumbei, ad cujus ostensionem detur panis, sed verè continere gratiam & pretium nostræ redemptionis instar chirographi, aut potiùs crumenæ nummis plenæ, per quam redimatur quis à servitute. Quod meritò mirantur SS. PP. nominatim D. Aug. tract. 80. in Joannem, dicens: *Quæ tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Mirum quippe est, tam infirmis rebus Christi merita ac divinam virtutem, ad tantum effectum tam infallibiliter esse annexa; utique ut ex imperfectione & infirmitate Sacramentorum magis argueretur potentia Dei; veluti qui ob eumdem finē infirma & stulta mundi elegit ad ejusdem conversionem.

Quod meritò mirantur SS. Patres.

S. August.

Mirabile certè, quòd non nisi per fidem cognoscitur, & ab hæreticis, qui tamen bene sciunt nostram explicationem, mordicùs negatur. *Nos autem* (inquit Apostolus 1. Cor. 1. v. 23.) *prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quare? quia intelligere non poterant quomodò Christus uteretur suâ passione ad nostram salutem, ad quam tamen solùm concurrit moraliter. Nunquid mirabile fuit Naäman Syro, quòd in Jordane deberet septies tantùm lavari ut mundaretur à lepra, quamquàm aquę istę longè imperfectiùs agerent, quàm nostra Sacramenta?

1. Cor. 1.

Profectò si Concilium Trident. (ut statim vidimus) non tribuit Christo quà homini ac passioni ejus, nisi causalitatem finalem atque meritoriam, quam constat non esse physicam (quippe gratia data fuit Patribus antiquis vi passionis Christi nondū existentis, & de facto datur nobis virtute passionis prętéritę) quis justè possit indignari, Doctorem Subtilem non tribuere perfectiorē influxum in gratiam Sacramentis, quæ concurrunt in virtute passionis Christi, veluti ejus instrumenta? Igitur sicuti Christo & passioni ejus, Scriptura, Patres & Concilia tribuunt effectum gratiæ, licèt non sint causa physica; pari ratione idem effectus concedi potest Sacramentis absque physica eorum causalitate.

Concilium Trid. non tribuit Christo quà homini ac passioni ejus, nisi causalitatem finalem atque meritoriam, quæ non est, nisi moralis.

26. Nimis leviter colligit Dicastillo causalitatem physicam ex verbis Apostoli ad Titum 3. ad Titum 3.

Quapropter nimis leviter Dicastillo tract. 1. de Sacramētis disp. 2 n. 141. fundat suam sententiam in illis verbis Pauli ad Titum 3. v. 5. & 6. *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum salvatorem nostrum.* Ex quibus verbis (inquit ille Auctor) colligi potest hæc ratio; causalitas in Sacramentis admittenda est, quæ sufficiat non solùm ut Christus, sed etiam Deus, ut Deus est, dicatur conferre gratiam per Sacramenta; ad hoc autem, non sufficit sola causalitas moralis:

moralis: ergo alia, nempe physica, erit admittenda. Major patet ex testimonio citato: illa enim verba, *per Iesum Christum salvatorem nostrum*, manifestè indicant illum, qui dicitur salvos nos facere per Baptismum, non esse solùm Christum, ut Christus & homo est, sed etiam Deum ut Deus est, ac tres personas Sanctissimæ Trinitatis. Eundem loquendi modum usurpat Chrysostomus Homil. 14. in Genes. ad finem, dum ait: *Deus ineffabili misericordiâ largitus est nobis innovationem per lavacrum regenerationis.* Et Aug. lib 19. contra Faust. c. 16. dum ait virtutem divinam, quæ per Sacramenta operatur, esse permanentem, quàmvis Sacramenta transeant & successiva sint. Concilium etiam Moguntinum in doctrina fidei cap. 11. docet septem esse Sacramenta, per quæ tamquàm per apta instrumenta Deus impartitur suæ gratiæ munera. Quòd autem ad proprietatem hujus loquendi modi non sit satis causalitas moralis, probatur 1. inductione. Nam ille, qui ex præcepto aut consilio alterius aliquē occidit, non dicitur eum occidere per causam præcipientē aut consulentem; sed potiùs moralis causa, nempe consulens aut præcipiens dicitur alterum occidere per causam exequentē, quam movet ad homicidium. Item quando per instrumentum morale, nempe scripturam, aliquis adstringitur ad solvendum id, quod debet, non dicitur operari aut debitum solvere per publicū instrumentum ab ipso subscriptum; sed potiùs creditor dicitur per hujusmodi instrumentum operari, hoc est, adstringere debitorem ad solvendum. Tertiò: Quàmvis merita nostra sint causa moralis gloriæ; Deus, qui in executione gloriam confert, non dicitur illam in executione conferre per merita, sed propter merita: ergo causalitas moralis non est sufficiens, ut causa physica exequens dicatur per illam propriè operari, sed propter illam. Hucusque Dicastillo.

27. *Quæ fuerit mens SS. Patrum de causalitate Sacramentorum.* Et quidem si de mente Patrum agitur & modo loquendi; Cyprianus Sermone de Baptismo Christi: *Remissio (inquit) peccatorum sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritûs Sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet: verborum solemnitas, & sacri invocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti Spiritus Sanctus format & efficit.* Concordat Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. ubi sic ait: *Qui nobis vitam dispensat Dominus, Baptismatis pactum nobis statuit mortis quidem imaginem implente aquâ; Spiritu verò vitæ arrham præbente.* Ergo æstimat hic Sanctus Pater Baptismum esse pactum vel signum pacti, quo posito statuit Deus per se immediatè gratiam infundere.

Accedat D. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritûs Sancti est.* Denique D. Aug. Epist. 23. de Baptismo: *Aqua (inquit) exhibens forinsecùs Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in uno Christo.* Et lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Neque enim aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum Sanctum; orabant ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non eum ipsi dabant.*

Immeritò negant Patres Sacramenta producere gratiam, si physicè illam producant. Ecce quemadmodùm SS. Patres simpliciter negent sacramenta producere gratiam; sunt immeritò, si sint instrumenta physica: quippe non rectè negaretur securis scindere lignum, eò quòd forma dividat instrumentaliter. Et in sententia aliquorum, intellectus & voluntas solùm sunt causæ instrumentales actuum supernaturalium; & quis tamen audeat ipsis negare rationem causæ, dicente Concil. Trident. sess 6 can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium hominis a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo &c. anathema sit?*

28. *Negant ergo causalitatem physicam, & statuunt moralem.* Neque hinc sequitur, etiam debere negari causalitatem moralem ex mente Patrum; siquidem plurimis aliis locis iidem Patres affirmant Sacramenta producere gratiam: ut ergo inter se concilientur, debet statui causalitas moralis, & negari physica. Sic in communi modo loquendi uni & eidem causæ attribuimus, & negamus effectum; v. g. si laudetur artificium alicujus palatii, dicitur Princeps non exstruxisse, sed artifex: si verò sumptuositas; Princeps, non artifex. Similiter Patres quando in Sacramentis explicant, quæ sit vis physicè producens gratiam, eam attribuunt soli Deo; quando verò explicant quid possint Sacramenta ratione suæ institutionis & meritorum Christi, docent ea causare gratiam.

29. *Argumentum Dicastillonis retorquetur ex Scriptura, quæ sæpè causam efficientem physicam dicit operari per moralem.* Quid ergo ad argumentum Dicastillonis? Respondeo negando minorem, videlicet causalitatem moralem non sufficere, ut Deus dicatur conferre gratiam per Sacramenta. Enimverò quid evidentiùs in Scriptura, quàm Deum justificare homines per Christum & per fidem in Christum? Consule locum Apostoli ad Titum 3. suprà allegatum, & scriptum invenies v. 6. *Quem (Spiritum Sanctum) effudit (Deus) in nos abundè per Iesum Christum.*

Audi

Ephes. 1. Audi quid dicat ad Ephesios 1. v. 3. & seq. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo &c. Qui prædestinavit nos in adoptionẽ filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum volũtatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos, in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remißionẽ peccatorum &c.*

Nunquid ideo humanitas Jesu Christi est causa physicè efficiens nostram justificationem? Non puto: alioquin cur Tridentinum (Triden.) supra sess. 6. cap. 7. expressè enumerans causas justificationis, ne verbo quidem ipsius meminisset, tribuens soli Deo causalitatem efficientem, & meritoriam Christo, & instrumentalem Baptismo? Et nonnè Deus Spiritum Sanctum effudit in antiquos Patres per Jesum Christum, ipsosque prædestinavit in adoptionem filiorum per Jesum Christum? Quis audeat negare?

Rursus Apostolus ad Roman. 3. v. 30. (Ad Rom. 3.) *Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Num ideo fides physicè efficit nostram justificationem? Quis credat?

30. Evasio Dicastillonis. Respondet Dicastillo n. 154. Licèt fides ad justificationem solùm concurrat ut moralis dispositio; ipsam tamen fidem sicut causa principalior & supernaturalior operatur Deus, ob quam physicam Dei causalitatem propriè dicitur per fidem hominem justificare, quia per fidem disponit hominem ad justificationem. In Sacramentis autem, si ea physico modo non concurrant ad gratiam, Deus sicut causa supernaturalis nihil physicè operatur, & ideo dici non posset propriè per Sacramenta in executione gratiam conferre.

Eodem modo intelligitur Deus per Christum salvare homines; nam prætërquam quòd probabilior sententia est, Christi humanitatem esse physicum instrumentum justificationis hominis, Deus etiam causavit ipsius Christi supernaturalem compositionem tamquam causa principalis, & propter utramque rationem Deus, ut Deus, dicitur propriè salvare & justificare homines per Christum. Hucusque Dicastillo.

Præcluditur. S. Ambr. Sed (pace tanti viri) *Auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus? de cælo* (id est à Deo) *ista Sacramenta venerunt*, inquit D. Ambr. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Si ergo propter supernaturalem compositionem Christi, quam Deus causavit tamquam causa principalis, Deus ut Deus dicitur propriè salvare & justificare homines per Christum ac sanguinem Christi (ut loquitur Apost. supra ad Ephes. 1.) quidni etiam per Sacramenta Christi, quæ Deus instituit tamquam causa principalis? Profectò fidem supernaturalem, quæ disponit ad justificationem, intellectus puræ creaturæ coefficit physicè; infallibilis autem efficacia gratiæ in Sacramento soli Deo propria est, ut ostendimus sectione secundâ conclusione primâ. Potiori igitur ratione dicitur in Scriptura salvare & justificare per Sacramenta, quàm per fidem.

Ex his patet responsio ad inductionem. 31. Responsio ad primum simile inductionis.
Ad primum dico, physicè occidentem occidere per consulentem tamquam instrumentum morale; quemadmodùm gladio, sive per gladium veluti per instrumentum physicum. Deinde assigno disparitatem, quòd consulens homicidium nullo modo sit subordinatus & dependens in suo consilio (ratione cujus moraliter causat) ab illo, qui physicè homicidium exequitur: porro Sacramenta omnem suam causalitatem moralem & vim causandi habent dependenter à Deo, qui est causa physica; adeoque sunt instrumentum subordinatum.

Ad Secundum quæro, an hujusmodi instrumentum sit causa physica? Minimè, inquis, sed moralis tantùm, quia & ipsa obligatio & coactio non sunt nisi quid morale. 32. Ad secundum.

Quomodò ergo rectè dicitur creditor per hujusmodi instrumentum agere? Quia (reponis) creditor solùm agit moraliter, & ideo bene dicitur agere per causam moralem: porro debitor est causa physica solutionis, & ideo non rectè dicitur solvere per hujusmodi instrumentum, sed potiùs propter hujusmodi instrumentum. Ergo similiter cùm Deus sit causa physica gratiæ, non rectè dicitur illam producere per Sacramenta tamquam instrumenta moralia, sed potiùs propter illa.

Sed contra: Unde constat illud instrumentum esse veram causam moralem, & non magis nudum signum obligationis? quippe absque illo debitor obligatur: at verò Sacramentum non est nudum signum obligationis divinæ, sed vera ratio movens & obligans Deum ad causandum physicè effectum gratiæ, quem independenter à tali signo nec poneret, nec deberet ponere; & hoc est Sacramentum esse causam moralem gratiæ: quemadmodùm præceptum v.g. jejunandi, sive divinum, sive humanum, est causa moralis obligationis, & per consequẽs jejunij, quod ex illa obligatione ponitur.

Optima (ais) responsio. Ergo Petrus rectè dicitur jejunare per præceptum vel præcipientem. Distinguo: moraliter, concedo; physicè, nego.

Deinde disparitas est, quòd jejunium non sit in-

sit infallibilis effectus præcepti, sicuti gratia est effectus infallibilis Sacramenti. Neque Petrus vim obligandi dedit præcepto, sicuti Deus vim justificandi dedit Sacramento.

Cæterùm haud satis clarè video, quare sicuti creditor dicitur moraliter cogere debitorem ad solvendum per hujusmodi instrumentum; sit itidem dici nequeat debitor per idem instrumentum moraliter solvere debitori.

Nam quòd debitor sit causa physica solutionis (ut supra dicebatur) inde tantùm sequitur, quòd præter causalitatem moralem instrumenti, insuper requiratur causalitas physica, v. g. numeratio pecuniæ. Jam autem cur eadem causa non possit dici solvere moraliter per instrumentum, & physicè per numerationem pecuniæ? Non apparet quid obstet: sicut in responsione ad primum diximus, famulum occidere physicè gladio, & moraliter mandato Domini. Sic ergo Deus dicetur causare physicè gratiam virtute propriâ, moraliter autem virtute Sacramenti sive per Sacramentum.

33. Ad tertium. Ad tertium est similis responsio, videlicet tam propriè Deum justificare hominem & salvare per merita propria & propter illa, quàm per merita & propter merita Christi, ut loquitur Trident. sess. 6. cap. ultimo, ibi: *Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur; illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.* Et ratio est: quia omne meritum puri hominis radicatur & provenit ex gratia & merito Christi, teste eodem Concilio loco citato, ibi: *Cùm enim ille ipse Christus Iesus tanquàm caput in membra, & tanquàm vitis in palmites, in ipsos iustificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & concomitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent* &c.

Trident.

Sanè si per fidem propter ejus supernaturalitatem rectè dicitur Deus justificare & salvare; cur non etiam per merita nostra, quæ vel in substantia sunt supernaturalia, vel saltem à virtute supernaturali oportet imperentur? Et si per Apostolos convertit mundum & fecit miracula, qui tamen solùm erant causæ instrumentales; quod inconveniens si per Sacramenta justificet tanquàm per instrumenta moralia?

34. Hæc ad superfluitatem pro eversione potissimi fundamenti causalitatis physicæ desumpti ex Scriptura, Patribus & Concilijs. Nam quòd quidam dicunt Patres comparare Sacramenta causis naturalibus, & nos supra comparavimus; sed in infallibilitate effectûs, non in modo causandi. Distinctio quoque inter Sacramenta nova & vetera, haud accipienda est ex modo causandi, sed ex parte ipsius gratiæ; siquidem vetera legalem, nova gratiam sanctificantem conferunt. *Per idem* (inquit Scotus 4. dist. 1. q. 5. n. 17.) *dico ad illud de distinctione Sacramentorum novæ Legis & veteris: non enim distinguuntur per illud, quod neutri illorum potest convenire, scilicet activè agere ad aliquid spirituale in anima; sed ista nova Legis gratiam causant tanquàm signum efficax, illa autem veteris Legis non, loquendo de Sacramentis, id est, de cæremonijs istius legis.*

Patres comparant Sacramenta causis naturalibus in infallibilitate effectûs.

Distinctio Sacramentorum novæ & veteris Legis.

Scotus.

Si loquaris de Circumcisione & alio remedio Legis naturæ; Respondeo ex sectione secunda conclusione sexta non necessariò differre in causalitate atque effectu, nisi in hujus abundantia: plùs siquidem valet pretium persolutum, quàm persolvendum; hoc est, passio Christi exhibita, quàm exhibenda; à qua tamen passione omnia Sacramenta suam habent & habuerunt efficaciam. Cætera fundamenta ex ratione minorem habent difficultatem.

Primum sit: causalitas physica conducit ad dignitatem Sacramentorum; alioquin non videbuntur aliter concurrere ad productionem gratiæ per Deum, quàm signa magica ad nocumentum inferendum per dæmonem. 35.

Respondeo: signa magica ordinantur ad effectum naturalem & fallibilem; nituntur quippe pacto inito cum diabolo, qui deberet fallere fidem, & sæpe fallit; Sacramenta autem habent effectum supernaturalem & infallibilem. Unde signa magica sunt mera conditio, quâ positâ dæmon propter alia motiva excitatur ad operandum; signa verò sacramentalia nituntur promissioni Dei, quæ nequit deficere, & habent ex se vim ad movendum Deum tanquàm operationes Christi. Alioquin in reliquis est similitudo: nec mirum, cùm dæmon instar simiæ in omnibus opera divinæ potentiæ æmuletur, sicut apparet in magis Ægypti imitantibus signa divina à Moyse edita.

Distinctio signorum magicorum, quoad causalitatem, à signis sacramentalibus.

De hac æmulatione optimè Tertullianus libro de Præscrip. adversùs hæreticos cap. 40. *Ipsas* (inquit) *res Sacramentorum divinorum in idolorum mysterijs diabolus imitatur; tingit & ipse quosdam, signat in fronte quosdam milites suos, expiationem delictorum de lavacro promittit & sic etiam initiat mitrâ.*

Tertullianus.

Neque concursus physicus argueret excellentiam Sacramentorum, aut divinam poten- 36. Concursus physicus

non argueret excellentiam Sacramentorum, aut divinam potentiam.

potentiam; nam & causa moralis nobilius dicitur causa, quàm physica; ut manifestum est in Rege imperante, & subdito physicè imperium exequente; & hic concursus physicus, si quis foret, non apparet; adeoque non potest divina potentia in eo manifestari.

Et posito quòd ille concursus ad dignitatem Sacramentorum conduceret; non ideirco admittendus foret.

Et esto causalitas physica conducat ad dignitatem Sacramenti; ubi revelatum est, vel quâ ratione ostenditur omnem dignitatem possibilem adscribendam esse Sacramento? Cæteroquin dicamus etiam humanitatem atque Sanguinem Christi causare physicè gratiam & gloriam omnium Beatorum, B. Virginem gloriam aliorum Sanctorum; quia hoc spectaret ad eorum majorem dignitatem. Si autem hæc communiter negantur; si Christus quà homo non causat physicè gratiam; quâ ratione id tribuitur Sacramento, quod non causat, nisi in quantùm est operatio Christi? Non quidquid occurrit, melius; sed *Quidquid* (inquit D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 5.) *tibi verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquàm bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invidia infirmitas, cùm aliquid melius faciendum fuisse cogitaverit, jam nihil aliud inferius velle fieri.*

S. Aug.

37. *Ad objectionem, quòd humanitas Christi physicè operabatur miracula; Respondetur primò ex SS. PP. negando suppositum.* *S. Athanasius. S. Sophronius. S. Leo.*

Sed contra (& hoc sit secundum fundamentum) humanitas Christi physicè operabatur miracula: ergo Sacramenta gratiam. Respondeo Primò negando antecedens; nam (ut bene Athanasius ser. 4. contra Arianos) *Humano* (inquit) *more manum extendit* (Christus) *divinitas autem morbum compescuit.* Et Sophronius in Epistola synodica, quæ habetur in sexta Synodo Act. 11. *Unus duarum naturarum, secundùm aliam divina signa operabatur, secundùm aliam humilia recipiebat.* Accedat D. Leo Epistolâ 10. cap. 4. *Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.* Simili modo loquuntur alij Sancti Patres. Et verò nonnè perfectius & dignius est voluntatem humanam Christi habere sibi assistentem divinam virtutem, quæ ad nutum ejus physicè operetur miracula, quàm ipsam physicè oportere illa efficere? sic quippe suo modo loquendi voluntas humana imperat voluntati divinæ.

Respondetur secundò negando consequentiam.

Respondeo Secundo negando consequentiam; siquidem miracula erant actiones, quas Christus personaliter operabatur, Sacramenta autem solùm sunt moraliter actiones Christi.

38. *Ut verè dicatur Sacerdos Deo cooperari, sufficit causalitas moralis.*

Tertium fundamentum sumitur ex virtute formæ Sacramentalis: nam Sacerdos dicit, *Ego te absolvo*: ergo illis verbis causat physicè gratiam remissivam peccatorum; alioquin solus Deus loquente Sacerdote solvit. Respondeo negando consequentiam; quippe ut Sacerdos verè dicatur cooperari Deo, satis est causalitas moralis; quis enim ambigat dominum mandantem homicidium cum veritate dicere: *Ego coöperor servo physicè occidenti?*

A simili.

Accipe instantiam clarissimam: Sacerdos in veritate loquitur dicens: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, & pœna peccatis remissis debita*; an propterea physicè aliquid causat in eo, quem absolvit? Episcopus ordinans dicit: *Do tibi potestatem offerendi Sacrificium*; quam tamen, utpote nihil physicum, solùm producit moraliter. Et ita communiter homines aiunt: *Remitto tibi hoc debitum vel offensam* absque ulla mutatione physica in debitore.

Matth. 10.

Cæterùm intentionis nostræ non est, creaturæ negare omnem cooperationem physicam ad actionem sive effectum specialem Dei: Nam Christus Matth. 10. Apostolis suis prædicit v. 19. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis,* cùm tamen physicè loquerentur: sed quod asserimus & hactenus probavimus est, non satis constare, neque ex auctoritate, neque ex ratione, Sacramenta physicè operari; quemadmodùm constat Apostolos physicè fuisse locutos; præsertim quandoquidem, ut habet secunda pars minoris supra positæ (quæ restat probanda) licèt forrassis impossibilitas causalitatis physicæ Sacramentorum non evidenter possit probari; ejus tamen possibilitas manifestè etiam minimè ostendatur.

39. *Probatur impossibilitas causalitatis physicæ Sacramentorum.*

Porro ad probandam impossibilitatem assumo hoc medium: Nihil potest physicè & realiter causare, nisi physicè & realiter existat; atqui in Sacramentis nihil est physicè & realiter existens à quo gratia possit dici causari, ergo &c. Consequentia est syllogistica. Major etiam patet; quia causare præsupponit esse (ut habet axioma commune) aliàs chymera posset physicè generare chymeram: quod enim aliqui putent id quod realiter fuit, posse realiter causare etsi desierit, non habet apparentiam veritatis; quippe causalitas realis dicit dependentiam ac processionem realem ab alio, quæ utique intelligi nequit, nisi aliud realiter sit; quod enim desiit, non facit ad præsentem causalitatem plùs quàm si nunquàm fuisset.

Minor verò, quæ aliquibus difficilis apparet,

Primò ex non realitate significationis;

apparet, probatur Primò: quia id per quod proximè principaliter Sacramenta producunt gratiam, est significatio. Enimverò quocumque idiomate proferatur forma, & quantumvis toni diversi sint, eadem est productio gratiæ, si eadem sit significatio; atqui significatio nihil est reale, quia quòd forma deputetur ad hoc vel illud significandum, nihil reale ponit in Sacramentis; ergo &c.

40. Secundò ex non existentiâ Sacramentorum, quando causant gratiam.

Secundò probatur: quia Sacramenta non causant gratiam nisi eo instanti, quo sunt completa (ut omnes fatentur) sive quo ultima syllaba est pronuntiata, ac materia exhibita: atqui eo instanti Sacramenta non existunt realiter; ergo realiter non causant, sed ad summum ultima syllaba ita causabit. Probatur subsumptum: quia exceptâ Eucharistiâ, reliqua Sacramenta consistunt in actione successiva ac fluxa, cujus partes nullâ physicâ unione cohærent, ut patet in hac forma: *Ego te baptizo* &c in qua dum ultima syllaba profertur, desierunt priores.

Respondet Dicastillo, ultimæ particulæ conferri à Deo concursum physicum, in virtute præcedentium.

Ad hoc argumentum respondent aliqui sufficere ut totum Sacramentum dicatur causa physica gratiæ, quòd ultimæ particulæ seu indivisibili velit Deus conferre concursum physicum in virtute præcedentium, hoc est propter moralem respectum ad præcedentes partes quibuscum constituit unum aliquod compositum morale Sacramentale. Sic in bello aliquando physica actio occupandi v. g. civitatem aut destruendi illam tribuitur exercitui, & tamen sæpe aliqua pars exercitus, & pauci satis milites operati sunt physicè; cæteri tantùm assistendo, comitando & suâ saltem præsentiâ animando &c. qui modus concurrendi ex parte cæterorum moralis tantùm esse solet; nihilominùs physicè operatum fuisse exercitum illam actionem verè dicimus; neque ad hoc requiritur major unitas, quàm moralis, & ordinis ut actio tribuatur toti composito, esto aliæ partes solùm moraliter concurrant. Sic ergo in præsenti, etiamsi priores partes solùm concurrant moraliter, quia tamen ultima syllaba physicè operatur, & hæc censetur pars illius moralis compositi, hoc satis est ut illud compositum dicatur physicè operari. Ita Dicastillo disp. 2. dubio 5. n. 170.

Solvitur;

Verùm eâdem facilitate, quâ ipse tribuit exercitui causalitatem physicam, alij negant; & adscribunt solam causalitatem moralem: vel enim per exercitum intelligimus singulos milites, ex quibus constituitur; certum autem est non omnes physicè occidere, uno occidente; sic quippe in bello justo omnes contraherent irregularitatem ex unius physicâ occisione, quod constat apud omnes esse falsum: vel accipimus exercitum pro aggregato plurium hominum sub iisdem signis militantium, ut est corpus aliquod politicum à singulis inadæquatè distinctum, & ita cùm nihil physicum sit, sed solùm aliquid morale, nihil physicè dicitur operari, nisi omnes partes sive membra illius corporis physicè operentur; quis enim dixerit rempublicam physicè occidere ex eo quòd unus civis concivem suum vel extraneum occidat?

Aliud est de composito physico, quod est subjectum denominationis, seu principium quod operationum cujuslibet partis, v. g. globus perfectè rotundus dicitur physicè tangere planum, etsi puncto solùm tangat; & homo physicè producit visionem, quàmvis solus visus concurrat; ignis dicitur calefacere, aqua frigefacere, licèt sola forma sit activa. Porrò Sacramenta si sint principium physicum gratiæ, erunt principium quo, utpote instrumentum physicum.

41. Prout & objectio de composito physico, quod est principium quod operationum cujuslibet partis.

Solutio secunda.

Accedit, quòd corpus rotundum & homo existant realiter (idem est de exercitu, gratis admisso, quòd sit subjectum denominationis physicæ) dum punctum tangit planum, & visus elicit visionem, & pars militum occupat civitatem; aliæ autem partes Sacramenti non existunt (adeoque nec ipsum Sacramentum physicè) dum ultima pars dicitur producere gratiam. Unde sicuti si homo ac corpus rotundum non existerent realiter, dum punctum physicè tangit planum, & visus elicit visionem; reverà non dicerentur physicè tangere ac videre. Similiter si ante occupationem urbis soli illi restarent ex exercitu præterito, qui physicè occupant; exercitus deletus reverà non diceretur physicè occupare. Ita non possunt ratione solius ultimæ partis Sacramenta dici physicè ac realiter causare, quia dum sola existit ultima pars, Sacramentum physicè non est, cùm ultima pars sola non constituat Sacramentum.

42. Impugnatur Responsio Dicastillonis ex reviviscentia Sacramentorum.

Prætereà arguitur contra hanc responsionem ex reviviscentia Sacramentorum, de qua sequenti sectione: siquidem contingit aliquando Sacramenta non producere gratiam dum existunt, propter nimirum obicem in suscipiente, quo postmodùm sublato producunt gratiam, seu reviviscunt (ut loquuntur Theologi) & tamen eo casu indubitatum est nihil Sacramenti physicè existere, adeoque Sacramentum non esse nisi causam moralem: quippe incredibile est quod aliqui dicunt, in hoc casu

Sacra-

Sacramenta concurrere physicè ratione virtutis à se relictæ.

Sacramentum reviviscens nequit concurrere physice ratione virtutis à se relictæ.

Nam, præterquàm quòd æquè difficulter intelligatur hæc virtus à Sacramentis realiter produci, quàm ipsa gratia, utpote quæ deberet etiam causari proximè à significatione Sacramentorum, quæ non est ens reale, atque ab omnibus partibus, quæ realiter non existunt dum absolvitur, atque completur Sacramentum; specialiter contra facit, quòd eo casu non Sacramenta, sed prædicta virtus physicè solùm concurreret. Deinde non potest satis intelligi, quæ sit illa virtus, in qua potentia resideat; an sit delebilis, vel indelebilis: si sit delebilis, per quid deleatur; si enim deleatur per peccatum, sequetur quòd Sacramenta non reviviscent, quando eo tempore, quod intercessit inter susceptionem Sacramenti & sublationem obicis, commissum fuerit peccatum mortale, quod est contra omnes Theologos: si verò sit indelebilis, quomodò poterit Sacramentum reiterari?

Nequit dici illam virtutem esse characterem.

Neque dici potest esse ipse character, quia hic ad alios fines ordinatur, ut postea dicetur; & si esset causativus gratiæ, hoc esset per modum causæ naturalis, adeoque causaret eam quotiescumque non inveniret obicem, quod est absurdum. Igitur si Sacramentum reviviscens (ut plerique docent) non causat physicè gratiam; quidni Sacramentum primò collatum non operetur nisi moraliter? quippe Sancti Patres utrique eamdem causalitatem attribuunt.

43. *SS. Patres Sacramento actuali & reviviscenti eamdem causalitatem tribuunt. S. Aug.*

Audiamus D. Aug. lib. 3. de Baptismo cap. 3. loquentem hisce verbis: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut iam dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Et libro 6. de Baptismo cap. 25. *Deus sanctificat Sacramentum suum, ut homini, sive antequàm baptizetur, sive cùm baptizatur, sive postea quandocumque ad se veraciter converso, id ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret.* Eodem modo loquitur Auctor sermonis de Passione Christi apud Cyprianum ante finem: *Et licèt (inquit) indigni sint qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum parat accessum: & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum.*

Auctor serm. de passione Christi apud Cyprian.

Conatur Dicastillo eludere locũ Augusti.

Respondet Dicastillo supra n. 178. Aug. minùs propriè ibi usurpare verbum operandi; falsum quippe est, eâdem ratione Baptismum operari vitam & mortem: nam ex se & propriâ institutione, id est ex opere operato causat vitam; mortem verò tantùm per accidens & occasionaliter, ut patet. Sicut ergo causalitas occasionalis mortis non obest causalitati morali gratiæ; ita hæc non oberit, quò minùs quando Sacramentum est præsens, censeatur causa physica, ita auctoritate & ratione exigente. Similiter non est eadem ratio gratiæ sanctificantis & gratiæ actualis ad non peccandum; item miraculorum quæ sancti viri dicuntur operari, & damnationis cujus peccator dicitur causa suis delictis; quia (inquit Dicastillo supra n. 179.) non vim ponimus in voce *causa*; sed in eo modo, quo dicuntur à Patribus ex Scriptura causare Sacramenta gratiam, quorum verba physicam virtutem acceptam & physicum concursum sonant.

Sed quæ illa verba? S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. *Si qua (inquit) est in aquâ gratia, non est ex natura, sed ex præsentia Spiritûs.* D. Chrysostomus homiliâ 35. in Joannem: *Sed cùm Spiritûs Sancti susceperit gratiam (aqua) tunc omnia solvit peccata.* S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. *Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit & aquam consecraverit.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis aqua calefacta uritur; sic Spiritûs Sancti operatione ad divinam aqua reformatur virtutem, quâ baptizatum abstergunt.* Plures locutiones similes aliorum Patrum vide apud Auctorem citatum n. 219. & sequentibus.

44. *Et ex Patribus adstruere physicam operationẽ. S. Basilius. S. Chrysost. S. Amb. S. Cyrillus Alexandr.*

Verùm quis non videat has omnes convenientissimè accipi, ut nihil aliud velint, quàm materiam & formam Sacramentorum causare gratiam, non per qualitatem (quæ vix vel ne vix quidem intelligibilis est) sibi inhærentem; sed per virtutem divinam peculiariter ipsis præsentem & assistentem? Sic namque interpretatur verba Chrysostomi D. Tho. 3. parte q. 73. art. 1. ad 2. *Sicut se habet virtus Spiritûs Sancti ad aquam Baptismi; ita se habet corpus Christi verum ad species panis & vini.* Atqui præsentia corporis Christi non est productio alicujus qualitatis in speciebus, sed realis existentia & assistentia (ut suo loco explicabitur ex Scoto) ergo præsentia Spiritûs Sancti ac virtutis ejus non est productio alicujus qualitatis in materia aut forma Sacramenti, sed invisibilis ejus operatio, sive physica causatio gratiæ ad præsentiam Sacramenti instar causæ moralis.

Sed inefficaciter.

D. Thomas.

Neque quempiam moveat similitudo Cyrilli Alex. & illa D. Leonis ser. 4. de Nativitate,

45. *Explicatio similitudinis allatæ à*

Cyrillo Alexandrino & D. Leone.

nativitate, ibi: *Aqua Baptismi instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem qui replevit & Virginem, ut peccatum quod ibi vacuavit conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Quis enim nesciat similitudinem semper habere adjunctam aliquam dissimilitudinem, nè potiùs sit identitas? Porro similitudo hic attenditur non in receptione, sed in indigentia virtutis alienæ; sive non in modo causandi, ast in substantia: ut quemadmodùm aqua ex se non calefacit, sed ita si ab igne receperit calorem; & sicuti uterus virginalis indigebat virtute Altissimi & obumbratione Spiritûs Sancti ut pareret Salvatorem: ita fons seu aqua baptismalis ex se nullam habet virtutem abstergendi baptizatum eumque regenerandi, sed ita, si Spiritus Sanctus (ut loquitur Ecclesia in benedictione fontis) *aquam regenerandis hominibus præparatam arcana sui numinis admixtione*, id est, speciali præsentiâ & assistentiâ *fœcundat. Virtus quippe Altissimi* (inquit D. Leo ser. 5 de Nativitate cap. 5.) *& obumbratio Spiritûs Sancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit*, sed non eodem modo, *ut regeneret unda credentem. Aliud* siquidem (ait S. Aug. super Epistolam Joannis tract. 6) *est aqua Sacramenti, aliud aqua quæ significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est, aqua Spiritûs invisibilis: ista abluit corpus, & significat quod fit in anima, per illum Spiritum ista anima mundatur ac saginatur.*

S. Leo.

S. Aug.

Tridem.

Physica igitur & efficiens causa gratiæ solus Deus, qui (juxta Trident. sess. 6. cap. 7.) *gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

46. Si Spiritus Sanctus foret pars Sacramenti, optimè conciperetur Sacramentum operari physicè gratiam. Sed non est communis acceptio vocis Sacramentum. Tridem.

Si asseris Deum, sive Spiritum Sanctum promissum Sacramento esse partem Sacramenti; ut nuper quidam inquiens: *Elementum, verbum & elemento admixtus Spiritus Sanctus sunt completum Sacramentum*, optimè intelligitur quomodò Sacramentum sit physica causa gratiæ, non instrumentalis tantùm, sed potiùs principalis. Verùm hæc non est communis acceptio vocis Sacramentum, Trident. supra pro causa instrumentali assignante Baptismum, ibi: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit iustificatio.* Et statim subjungit: *Demum unica formalis causa est iustitia Dei; non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit &c. iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult &c.* Et infra: *Id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum &c.* Ergo per Baptismum non intelligit Spiritum Sanctum, sed nudum elementum, & verbum quo tanquam instrumento morali Spiritus Sanctus partitur singulis suam justitiam.

Dices, per Spiritum Sanctum non intelligi ipsam omnipotentiam divinam, sed qualitatem aliquam specialiter inditam elemento aut verbo ad physicè causandam gratiam, aut saltem motionem quamdam divinam, per quam Sacramenta eleventur, quemadmodùm instrumenta ad opera artificialia, ad quæ ex se non habent sufficientē virtutem: vel certè potentiam obedientialem activam, per quam possint quidlibet producere. Hi sunt tres modi, quibus Doctores nobis contrarij volunt ostendere possibilitatem causalitatis physicæ Sacramentorum: sed quàm inevidenter, quod solùm assumpsimus probandum, satìs patuit ex singulorum refutatione. 47.

Nequit Sacramentis indi virtus, per quam physicè producant gratiam.

In primis itaque dici nequit, quòd Sacramentis indatur aliqua virtus, per quam physicè producant gratiam; nam si actus charitatis non possit producere gratiam, nec una gratia aliam (ut docetur in materia de Justificatione & Virtutibus Theologicis) non est verisimile, quòd aliqua alia qualitas id possit; nulla enim tantam habet proportionem, quam prædictæ; videmus quippe in naturalibus actus producere habitum, & unum calorem alterum. Respondet quispiam, etiam non implicare hujusmodi physicam efficientiam.

Tridem.

Quæro ut quid ergo illam non tribuimus contritioni charitate perfectæ, de qua ita pronuntiat Trident. sess. 14. cap. 4. *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur &c.* An quia reconciliatio ipsi non adscribitur sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, ut ibidem subjungit Concilium? Sanè vel propter hoc solum ponenda esset causa physica; reconciliat siquidem (ut aliqui volunt) tanquàm vicaria Sacramenti, & Deus eam acceptat loco Sacramenti, eo quòd de facto voluerit Sacramentum, vel ejus desiderium esse medium necessarium; ita tamen, ut Sacramentum causaret cum sola attritione, desiderium autem Sacramenti non nisi cum contritione perfecta. Si ergo Sacramentum est causa physica; quare similiter non sit causa physica contritio perfecta, quæ habet majorem proportionem cum effectu producendo? Adde, quòd ante Sacramentum institutum

institutum habuerit eandem vim, cùm tamen tunc non includeret votum Sacramenti: & post Sacramentum institutum habet eandem vim in homine justo, equidem sine ullo respectu ad Sacramentum.

48. *Illa virtus seu sola debet concurrere, vel simul cum Sacramentis, utrumvis ponitur insufficientia.*

Arguo Secundò contra primum modum: Vel illa virtus seu qualitas sola proximè concurreret ad productionem gratiæ, & sic Sacramenta non essent nisi causæ morales, ac principia quod seu denominationis: vel ita ut etiam concurrat Sacramentum; quod dupliciter intelligi potest. Primò, ut ex istis duabus causis constituatur una totalis sufficiens ad productionem gratiæ, quod est absurdum; quia sic creatura esset causa principalis nostræ justificationis, maximè in sententia eorum, qui volunt gratiam ex natura sua remittere peccatum: imò tunc Sacramenta non erunt instrumenta gratiæ, nec illa virtus, sed erunt duæ causæ principales partiales, sicut lumen gloriæ & intellectus respectu visionis beatificæ.

Secundò potest intelligi, quòd illa qualitas concurrat cum Sacramento tanquam causa insufficiens, quod etiam dici nequit; alioquin deberet per aliam virtutem elevari, & sic ibitur in infinitum, aut non debuit Sacramentum nisi à Deo immediatè elevari tanquam instrumentum, qui est modus secundus statim improbandus.

49. *Illa virtus nequit dici corporea, neque spiritualis.*

Argumentor Tertiò: Illa qualitas vel est corporea, vel spiritualis: non corporea; quomodò enim corporea qualitas virtute suâ naturali facere potest effectus spirituales, ut est gratia justificans, nisi forte per potentiam obedientialem? at illa similiter reperitur in Sacramento, adeoque qualitas illa superfluit. Non spiritualis, quia oporteret eam inhærere subjecto corporeo, quod est contra naturam spiritualis qualitatis.

His adjunge (si placet) improbationem Scoti, quam habes in principio conclusionis in responsione ad secundam quæstionem. *Vt quid enim toties generaretur* &c. *Si tamen* (inquit Doctor ibi) *fiat altercatio propter auctoritates de isto vocabulo, virtus, potest dici, quòd virtus uno modo est ultimum de potentia: ultimum autem potentiæ signi practici, est quòd significet efficaciter, hoc est, praviè & certitudinaliter; nam non posset signum, in quantùm practicum est, competere major potentia. Tamen talis virtus potest concedi esse in Sacramento: sed ista non est aliqua forma absoluta, sed tantùm relatio conformitatis signi ad signatum.*

50. *Instrumenta artificialia nihil producunt, nisi ad quod habent naturalem virtutem.*

Venio ad secundum modum, contra quem formo hoc argumentum: Instrumenta artificialia nihil producunt, nisi ad quod habent naturalem virtutem; quippe sive penicillus casu incidat in tabellam, ac securis in lignum, sive per homines aut alias causas ad hoc dispositas applicentur, pingent ac dividient; ergo similiter Sacramenta nihil efficient, nisi ad quod habent naturalem efficaciam ac proportionem, qualem non habent respectu gratiæ, quæ est nobilissimæ ac spiritualis entitatis; Sacramenta autem ceremoniæ aliquæ corporales, tenuissimæ ac fluxæ.

Deinde si (ut jam jam dixi) qualitas non sufficit ad hujusmodi gratiæ productionem, quomodò sufficiet motus, qui multò est inferioris entitatis? eadem sic quidem, & majora argumenta recurrunt. Ut omittam, quòd non possit intelligi, quis sit terminus hujusmodi motûs: si enim dicatur esse gratia ipsa, quæ est effectus Sacramenti, jam inciditur in tertium modum explicandi, quem mox refellemus: si verò esse aliquid in Sacramento, recurrunt incommoda, quæ diximus sequi ex prætensa virtute Sacramentis indita; præterquàm quòd Scot. 4. dist. 1. quæst. 5. n. 10. dicat: *Valdè improbabile videtur, quòd aliqua forma toties causaretur in serra, quoties movetur ab artifice, & toties desinat esse, quoties desinit actu moveri.* *Scot. in.*

51. Restat tertius modus; videlicet potentia obedientialis, ratione cujus Deus possit quodlibet elevare ad quodlibet producendum; quæ, quia valdè difficilis est & inconceptibilis, gratis omninò videtur asseri, nisi aliquid ad hoc nos cogat. Nec enim rectè philosophantur, qui sine gravibus rationibus quas nequeunt solvere, aliquid asserunt, quod communi conceptui & modo intelligendi videtur repugnare, ex solo utique argumento negativo, quòd ostendi implicantia contradictionis in illo non possit.

Concesso, Deum quidquam per se posse facere, non sequitur etiam posse per creaturas.

Et quamvis concederemus hoc argumentum sufficere ad asserendum Deum posse aliquid per se facere; tamen inde non sequitur similiter esse dicendum, eum posse facere per creaturas omne id, ex cujus parte non potest ostendi contradictio, ob quam non possit fieri ab hac aut illa creatura. Ratio diversitatis est: quia creatura est limitatæ perfectionis, ideoque etsi ex parte effectûs non sit defectus quin fieri hoc vel illo modo possit: tamen ex parte causæ sæpè est defectus, ita ut hoc vel illud nullo modo facere possit. Etenim ut dicatur aliquid posse fieri per creaturam, necessarium est ostendere eam habere in se aliquam potentiam, saltem remotam ad hoc faciendum, nam

hæc debet supponi esse, ut possit à Deo elevari.

Ut res aliqua elevata physicè producat aliam, debet vi activâ sibi intrinsecâ in illam influere.

Sanè ut res aliqua elevata à Deo verè physicè aliam producat, non sufficit, quòd Deus ad ejus præsentiam aliam producat, sed necesse est, ut ipsa etiam tanquàm causa partialis in rem illam influat per vim activam sibi intrinsecam, sicut intellectus per vim sibi connaturalem & intrinsecam influit in visionem beatificam, eamque ut causa partialis unà cum lumine gloriæ producit: nisi enim res elevata verè influat in effectum, non poterit dici hunc producere; & nisi habeat vim aliquam sibi intrinsecam activam aliquo modo proportionatam huic effectui, ita ut simul cum concursu sive virtute concurrente causæ elevantis sit nata constituere integram causam proportionatam effectui, nequit intelligi quomodò in eum influat: nam actio non solùm supponit agens esse, sed etiam habere vim agendi: adeoque sicut quod non est, nequit elevari ad agendum; sic nec id, quod nullam habet vim agendi, ad hoc elevari potest.

52. Vis agendi debet aliquo modo, saltem remotè, esse proportionata effectui producendo.

Unde ulteriùs sequitur, non sufficere quamcumque vim agendi (nec enim quia frigus habet vim destruendi calorem, videtur esse aptum ut elevetur ad eum producendum) sed hæc debet aliquo modo saltem remotè esse proportionata: ita ut ex se cum concursu generali possit producere aliquem effectum, qui habeat saltem aliquam analogiam cum effectu supernaturaliter producendo; ita ut ab eo tantùm differat ut imperfectum à perfecto, idque vel intra eamdem speciem, sicut calor ut duo à calore ut octo, vel ita ut effectus perfectior sit diversæ speciei ac altioris ordinis; sic tamen ut uterque sit aliquâ ratione ejusdem generis, ratione ordinis, quem dicunt ad eandem potentiam: qualis analogia est inter cognitionem Dei naturalem & visionem beatificam.

Ratio illius.

Ratio est: quia cùm illa res sit verè causa effectûs, eum verè producendo, debet cum causa elevante ita constituere causam totalem, ut hanc in producendo adjuvet, sic ut si causa elevans sit finitæ virtutis; non possit sine altera effectum tam perfectum producere, aut saltem non cum tanta facilitate; ut patet in omnibus causis partialibus, quarum habemus ullam experientiam vel certam cognitionem.

Sive negetur, sive affirmetur potentia obedientialis, nil detrahitur divinæ potentiæ.

Sequitur secundò, sive negem sive affirmem potentiam obedientialem, propterea me nihil addere vel detrahere potentiæ divinæ, quam constat omni modo esse infinitam, nec ullâ ratione limitatam; sed potentiæ creaturarum. Sicut qui fatetur Deum videre absolutè omnia futura, planè nihil detrahit ejus scientiæ, dicendo illum non videre futurum ullum palatium ex puro auro constructum, eo quòd tale nunquam futurum sit: quemadmodùm etiam nihil ipsius scientiæ adderet, qui affirmaret hoc futurum, & ut tale videri à Deo.

53. Non datur potentia obedientialis cujuslibet ad quodlibet.

Ex his satis patet non dari potentiam obedientialem cujuslibet ad quodlibet: etenim quantitas v. g. nihil potest per se producere, quod habet talem analogiam cum gratia.

Objectio.

Dices: Hæc potentia non est talis, ut possit aliquid per se producere; sed essentialiter exigit singularem Dei concursum, ut possit exire in actum.

Sed contra Primò: quia oppositum videtur sequi ex dictis. Secundò: quia cùm omnis potentia activa inclinet naturaliter in actum aliquem, exigit naturaliter omnia ea, quæ necessaria sunt, ut possit exire in actum; hinc omnis vis agendi exigit concursum generalem tanquàm sibi connaturalem.

Unde sequitur, si detur in omnibus rebus potentia activa, quæ sine singulari Dei concursu non possit exire in actum, & cum eo possit, hunc concursum ei fore connaturalem, non minùs ac concursum universalem, adeoque effectum fore naturalem, quia secundum exigentiam & inclinationem creaturæ, atque concursum fore potiùs ex natura rei universalem, quàm particularem, quia rebus omnibus secundùm naturalem earum inclinationem debitus erit.

In sententia opposità, brutum posset elevari ad intelligendum Deum.

His accedit Primò quòd secundùm illam sententiam posset brutum elevari ad intelligendum & videndum Deum ipsum, quod absurdissimum est.

54. Responsio prima adversariorum.

Respondent aliqui Primò, propositionem illam: Quidlibet potest à Deo elevari, ad quodlibet producendum, intelligendam esse, nisi hoc implicet per illud produci; implicare autem brutum intelligere, quia sic esset rationale. Sed etsi dicta propositio ita intellecta, sit per se clara, nec possit negari; tamen nil facit ad præsens propositum; quippe non magis inde sequeretur sonum vel lotionem posse producere gratiam, quod illi contendunt, quàm ejus contradictorium, aut quàm brutum posse intelligere: quare tunc restabit probandum illud non implicare contradictionem, dandaque erit ratio, cur corpori minùs repugnet spiritus ac actio omninò spiritualis, quàm bruto repugnet rationale, ac imaginationi intel-

intellectio: nam si communem sensum consulamus, imaginatio videtur magis proportionata intellectioni, quàm sonus productioni gratiæ.

55. Responsio secunda. Respondent alij Secundò, posse quidem imaginationem bruti elevari ad producendã intellectionem, ejusque oculum ad producendam visionem beatificam (quia hoc necessariò ex illo principio sequitur) non tamen brutum ideq intellecturum aut visurum Deum.

Sed non satisfacit. Sed contra est; quòd videre ac intelligere nihil sit aliud, quàm intellectionem ac visionem sibi inhærentes vitaliter producere: nec potest explicari, quid hic aliud requiratur, quia hoc ipso quo potentia ita producit intellectionem, tendit per eam in rem intellectam, eamque sibi repræsentat.

Nec sufficit si dicas, imaginationem posse quidem producere intellectionem, non tamen eam in se recipere aut vitaliter producere; quia nulla ratio reddi potest, cur unum magis implicet, quàm alterum. Immò faciliùs intelligitur corporale posse in se recipere aliquid spirituale, quàm hoc producere. Et rursus, cùm imaginatio sit potentia vitalis, nulla potest reddi ratio, cur si possit intellectionem sibi inhærentem producere, non possit id vitaliter facere, Deo singulariter concurrente.

Si respondeas, hoc repugnare ejus naturæ; similiter dicam repugnare rei corporali producere aut recipere in se aliquid spirituale.

56. Implicat, oculum corporeum videre rem merè spiritualem. Accedit Secundò, quòd secundùm communem sententiam implicet me oculo corporeo videre sonum aut rem merè spiritualem: ergo implicat corpus producere aliquid spirituale; quippe hoc videtur multò magis extra objectum potentiæ activæ corporalis, quàm spiritus sit extra objectum potentiæ visivæ oculi, quę ratione animę est aliquo modo spiritualis; & difficilius est producere rem spiritualem, quàm circa illam agere.

57. Implicat quamlibet rem elevari ad quidlibet in se recipiendum per modum subjecti. Tertiò; implicat quamlibet rem elevari ad quidlibet in se per modum subjecti recipiendum (quis enim credat Angelum aut sonum dealbari posse?) ergo implicat quidlibet ad quodlibet producendum elevari, quia hoc illo difficilius est. Meliùs ergo putatur unaquæque res, sicuti est finitæ entitatis ac perfectionis, ita finitæ esse activitatis, & non participare nescio quam omnipotentiam.

58. His ita expeditis pro causalitate morali Sacramentorum, antequam concludam controversiam, quæro cum Doctore Subtili 4. d. 1. q. 5. n. 12. *Qualiter cum hoc salvetur, quòd Sacramenta sunt causa gratiæ, non tantùm per accidens, & quòd per Sacramenta habeatur gratia, sicut Sancti loquuntur?*

Explicatio ex Scoto, qualiter Sacramentum sit vera causa gratiæ, & non tantùm per accidens. Respondeo cum Doctore: *Dico* (inquit) *breviter, quòd omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non est ratio receptivi, potest dici quodammodò causa activa, sive causa instrumentalis respectu formæ: ipsum autem Sacramentum, sive susceptio Sacramenti, est talis dispositio & immediata, non causans aliam mediam inter se & gratiam: ergo ipsa potest dici quodammodo causa activa vel instrumentalis respectu gratiæ.* Majorem probat exemplo meritorum, quæ sunt causa instrumentalis respectu præmij; quia hoc per illa acquiritur, & tamen non causant activè præmium in se, nec aliquam dispositionem prævıam. Similiter per motum acquiritur terminus, & tamen motus non habet actionem aliquam ad causandum terminum, aut dispositionem intermediam, sed ipsemet est dispositio proxima ad terminum; haud equidem ratio receptivi.

Scotus. Et idem est de Sacramento; quippe susceptio ejus (inquit Doctor supra n. 13.) *est dispositio necessitans ad effectum signatum per Sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per quam necessariò causaret terminum, vel aliquam dispositionem prævıam: sed tantùm per assistentiam Dei causantis illum effectum, non necessariò absolutè, sed necessitate respiciente potentiam ordinariam: disposuit enim universaliter, & de hoc Ecclesiam certificavit, quòd suscipienti tale Sacramentum ipse conferret effectum signatum. Nec obstat, quòd susceptio Sacramenti est aliquid circa corpus ipsius suscipientis; gratia autem causatur in anima: quia sufficit, quòd dispositio & forma sint in eodem supposito, & maximè quando dispositio non est dispositio ex parte rei, sed in ordine ad agens voluntariè causans terminum:* id est, quando non est dispositio physica, sed solùm moralis; per quam distinctionem facilè solvuntur illa, quæ objicit Suarez 3. parte tomo 3. disp. 9. sect. 2. contra hunc modum loquendi Scoti. Vide Commentarium R. P. F. Antonij Hiquæi ad locum præfatum. Hiquæus.

Solùm nota malè Suarium supra confundere sententiam Doctoris, cum illa, quam tenet Durandus 4. dist. 1. q. 5. ubi docet Sacramenta esse conditiones sine quibus non, non verò causas. Vide quæ diximus in fine conclusionis primæ præsentis sectionis. Conditiones sine quibus non in Sacramẽtis sunt v. g. præsentia Parochi in Matrimonio ubi Trid. est receptum, consensus adulti in Baptismo &c. quippe in parvulis non requiritur consensus, ubi tamen invenitur causa gratiæ baptismalis. Similiter in locis ubi 59. Malè confunditur à Suario sententia Scoti cum Durando.

 Trident.

Trident. non obligat, ſubſiſtit contractus matrimonialis in abſentia Parochi. Aliud eſt de externo conſenſu contrahentium, ſine quo nullo caſu confertur gratia Sacramenti Matrimonij, & qui infallibiliter, immediatè & partialiter cum præterita voluntate Chriſti movet Deum ad gratiam conferendam.

60. *Sacramenta non cauſant phyſicè vel moraliter qualitatem diſpoſitivam gratiæ, nec reddunt hominem immediatè Deo gratum.*

Ex dictis colligitur, falsò aſſeri Sacramenta cauſare phyſicè vel moraliter qualitatem diſpoſitivam gratiæ, aut hominem reddere immediatè Deo gratum. Prima pars probatur: quia nihil eſt quod oſtendat talem cauſalitatem, adeoque videtur merè confictam ab his, qui tali modo conantur falsò perſuadere cauſalitatem phyſicam Sacramentorum. Profectò ſi gratia poſſit conferri extra Sacramenta abſque tali qualitate, cur non etiam per Sacramenta? deinde eadem eſt difficultas de productione hujuſmodi qualitatis (ut notat Scot. in principio concluſionis citatus) quæ occurrit de immediata productione gratiæ.

Triden. Quod attinet alterum modum loquendi, hic repugnat Trident. quod ſeſſ. 6. cap. 7. docet hominem juſtificari ac reddi gratum Deo *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*, id eſt, per juſtitiam ſibi inhærentem, quam infra aſſignat pro cauſa formali juſtificationis, idque pro unica, ibi: *Demùm unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit* &c. Ergo Sacramentum, quod ibidem aſſeritur cauſa inſtrumentalis, conſtituit hominem Deo gratum mediante hâc formâ.

Sacramenta non concurrunt ſolùm ad unionem gratiæ.

Si dicas, Sacramenta ſolùm concurrere ad unionem gratiæ, jam contradicis eidem Concilio & SS. Patribus; quippe non ſolùm dicunt Sacramenta efficere hominem Deo gratum, ſed etiam gratiam conferre ac continere, eo ſcilicet modo, quo cauſa continet ſuum effectum; non autem ut locus locatum, vel totum partem, aut aliud quidpiam ſimile. Et certè etſi homo generans dicatur cauſare hominem, quia producit unionem; non dicitur tamen cauſare animam, aut eam continere continentiâ cauſæ phyſicæ.

Inſtas: ſaltem continentiâ cauſæ moralis. Tranſeat totum: verùm ad hanc impertinens eſt productio unionis; movetur ſiquidem Deus medijs diſpoſitionibus, quas genitor ponit in materia, ut producat animam, quæ informet illud corpus diſpoſitum & organizatum vel ſe ſolo, vel cum anima matris illam uniendo: neque hæc productio unionis gratiæ cum anima inventa eſt ab auctoribus ſuis ad ſalvandam cauſalitatem moralem, ſed phyſicam.

Finio hanc controverſiam, & infero minorem, quam hactenus probavimus (forſitan pluribus quàm benignus lector velit, & res poſtulet) verbis Doctoris Subtilis, quæ habet 4. d. 1. q. 5. n. 9. *Non patet aliqua neceſſitas talis virtutis* (phyſicæ nimirum) *quæ fingitur in Sacramento, neque ſecundùm rationem naturalem manifeſtum eſt; neque ſecundùm fidem: quia ſicut ſequenti rationem naturalem non ſunt ponenda plura, niſi quæ ratio naturalis concludit: ita ſequenti fidem non ſunt ponenda plura, quàm veritas fidei requirat. Veritas autem fidei non requirit ponere talem virtutem ſupernaturalem in aqua vel in verbis, nec aliqua ratio cogit ad iſtam pluralitatem.* *Scotus.*

Tertia quæſtio, quam hîc movent DD. Catholici eſt, an Sacramenta novæ Legis conferant omnibus æqualem gratiam? Et 61. intelligi poteſt vel de Sacramentis diverſæ ſpeciei, ut Baptiſmo, Confirmatione &c. vel de Sacramentis ſolo numero differentibus v. g. pluribus Baptiſmis. Ut autem ab ultimo incipiamus, non deſunt inter antiquos Scholaſticos, qui putârunt omnia Baptiſmata etiam in parvulis inæqualem producere gratiam. Fundamentum eorum eſt duplex. Primum quod putent homines non eſſe creatos niſi ad ſupplendum locum defectitiorum Angelorum. Secundum, quòd exiſtiment Angelos omnes ſicut erant diverſæ & inæqualis perfectionis entitativæ, ita inæquali gratiâ fuiſſe donatos, & ad inæqualem gloriam fuiſſe perventuros. Unde ulteriùs inferunt nullos homines habituros æqualem gloriam, adeoque nec parvulos æqualem gratiam in Baptiſmo; alioquin ſi contigiſſet illos ſtatim mori, debuiſſent æquali gloriâ donari. Pro hac ſententia Regius q. 62. n. 47. citat Scotum 4. diſt. 4. q. 7. a. 1. *Regius.*

Alij volunt (inquit Coninck ſupra n. 48.) quandoque ratione ſanctitatis & devotionis ipſius miniſtri, uni in Sacramento conferri majorem gratiam, quàm alteri. Non quidem ita, ut hæc additio conferatur propriè virtute Sacramenti, ſed quòd conferens Sacramentum eam ſuſcipienti de congruo mereatur. Ita Scotus 4. diſt. 4. qu. 7. a. 3. Ratio eſt: quia putant etiam *Scotus.* extra Sacramentum unum alteri poſſe mereri de congruo gratiam juſtificantem. Sed veriſimile eſt Regium non legiſſe Scotum, ſed Sotum 4. diſt. 6. quæſt. unicâ art. 6. ubi id Scoto falsò impingit, ut oſtendo concluſione ſequenti.

CON-

CONCLUSIO III.

Sacramenta novæ Legis quæ solo numero differunt, semper quantùm est ex se conferunt æqualem gratiam; quæ verò specie, inæqualem.

62\. Sacramenta specie differentia conferunt gratiam inæqualem.

VLtima pars est communis sensus Ecclesiæ, ex quo optimè cognoscitur, deficiente explicitâ revelatione, voluntas & institutio divina, quæ est fundamentum veritatis. Ratio aliqua assignari potest: quia sicut in physicis distinctæ species distinctam habent perfectionem essentialem, ut communiùs dicitur; ita impræsentiarùm distincta specie Sacramenta distinctam videntur habere perfectionem Sacramentalem. Hinc Trident. (Triden.) sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Quidni ergo pro majori aut minori dignitate causent majorem vel minorem gratiam?

Ordo præeminentiæ Sacramentorum inter se ad causandam gratiã inæqualem ab aliquibus assertus.

Porro maximè efficacia ab aliquibus asseruntur Sacramenta Ordinis ac Confirmationis, tum quòd per illa specialiter dicatur conferri Spiritus Sanctus, tum quòd exigant Ministrum cæteris digniorem, & insuper Ordo confertur ad præstantissima munia in Ecclesia Dei. Sequitur Baptismus, quia Sacramentum initerabile, per quod homo spiritualiter regeneratur; tum Eucharistia per quam homo spiritualiter nutritur ac roboratur: etenim plus substantiæ confertur per generationem, quàm per unam nutritionem. Deinde reliqua à Pœnitentiâ distincta; hoc enim Sacramentum cum sæpiùs repeti possit; & institutum videatur magis ad peccatum expellendum, quod mortem adfert, quàm ad vitam spiritualem conferendam vel augendam, apparet inter omnia esse minimè efficax.

63\. Ab aliis reijcitur.

Equidem alij non improbabiliter Eucharistiam præferunt reliquis, cùm sit Sacramentum longè dignissimum, utpote significans & continens Christum omnium gratiarum fontem & auctorem; & possent facilè respondere, Sacramenta aliqua non posse repeti, & conferre Spiritum Sanctum, quia imprimunt characterem indelebilem, quæ est quædam potestas spiritualis seu Spiritus Sancti. Interim omnia sunt incerta, cùm non nitantur nisi probabili conjecturâ.

Dixi autem notanter in conclusione, *Quantum est ex se*; quia ex inæquali dispositione recipientium sæpe contingit ut Sacramentum minùs efficax æqualem vel etiam majorem gratiam producat, quàm aliud magis efficax; sed de hoc sectione sequenti. Casus itaque præcipuus conclusionis, & de quo dubitatur, est, an quando duo v. g. parvuli baptizantur; unus præcisè vi Sacramenti non accipiat majorem gratiam, quàm alter?

Responsio negativa est prima pars conclusionis, quam docet Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 7. n. 3. quem ex integrò refero, ut omnes videant quàm immeritò citetur pro opinione affirmativa: *Sic ergo* (inquit) *ponendo unicum effectum Baptismi, scilicet gratiam, respondeo, quòd cùm ad effectum Baptismi, scilicet gratiam concurrat causa principalis scilicet Deus, & causa meritoria, ut passio Christi, & ipse suscipiens Baptismum: ex parte cuiuslibet istorum posset attendi æqualitas vel inæqualitas. Quantùm ad Deum determinantem se coöperari isti signo per effectum significatum & in hoc instituentem istud signum in ratione signi certi, aliquo modo potest esse differentia, aliquo modo non. Aliquam enim gratiam disposuit regulariter conferre cum isto signo, ita quod nulli minorem: & ista potest dici conferri virtute Baptismi, quia virtute veritatis huius signi; & sicut determinatio illa universalis quantum ad istum gradum est uniformis, ita effectus æqualis.* Ecce in terminis nostra conclusio. 64.

64\. Sacramentum Baptismi præcisè non confert inæqualem gratiam parvulis. Scotus ab aliquibus pro opposita sententia citatus clarè pro negativa facit.

Pergit: *Verumtamen, quia Deus prædestinavit diversos electos ad diversos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem huius signi ad tantam vel tantam gratiam conferendam; & ordinato ad maiorem gloriam rationabiliter potest conferri maior gratia: potest Deus in determinando veritatem seu certitudinem huius signi disponere conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi, & alicui maiorem, quem prædestinavit ad maiorem gloriam; sed ille ulterior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentiâ divinâ. Propter hoc dici potest, quòd ex parte causæ principalis, effectus est regulariter æqualis simpliciter, qui datur virtute Baptismi: quia supponitur quod de lege communi prima gratia non datur maior absque omni differentia extra causam principalem.* Quid clarius? adstruit possibilitatem inæqualitatis ex parte causæ principalis, sed negat actum de lege communi.

Eodem modo loquitur n. 4. de inæqualitate ex parte causæ meritoriæ, inquiens: *De secundo potest dici, quòd illa causa meritoria potest efficaciùs operari ad gratiam in uno, quàm in alio: vel quia specialiùs pro uno quantùm ad intentionem offerentis, quàm pro alio: vel quantùm ad executionem pro uno oblata in effectu, pro alio non, nisi in prævisione divina. Primo modo Christus ponitur communiter nosse omnia quæ Deus novit scientiâ visionis, & per consequens novit omnes electos, & ad quem gradum gloriæ fuerunt electi. Potuit ergo pro prædestinato ad maiorem gloriam pleniùs offerre passionem suam, & præcipuè cùm se offerret pro genere humano, ad hoc ut de eis impleretur divina prædestinatio.*

Secundo modo passio Christi efficaciùs coöperatur pro nobis, qui sumus in lege Euangelica, quàm pro Patribus in lege Moysi: quia obsequium præstitum ad maius bonum retribuendum, magis acceptatur, quàm beneficium prævisum. Et illo secundo modo est inæqualitas in suscipientibus gratiam per Circumcisionem & Baptismum, propter inæqualem applicationem causæ meritoriæ ad istos: & fortè etiam in baptizatis ante passionem, & post passionem. Si autem primo modo, scilicet propter specialem oblationem in voluntate Christi, sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dubium est de facto: sed possibilitas est ostensa. Hucusque Scotus. Igitur non facilè quisquam credat Auctoribus citantibus Doctorem pro aliqua sententia, nisi verba textûs legerit & expenderit, ne in ipso

Eccl. 19. obtineat, quod dicitur Eccli. 19. v. 4. *Qui credit citò, levis corde est, & minorabitur.*

65. Malè citatur Scotus pro sententia asserente parvulis cōferri inæquālē gratiam habitualem ratione devotionis ministri &c.

Ex simili inconsideratione citatur Doctor supra pro sententia asserente parvulis conferri inæqualem gratiam habitualem ratione devotionis ministri &c. Verba ejus sunt n. 5. *De tertio dico, quòd vel baptizati sunt parvuli vel adulti: comparando parvulum ad parvulum, cùm nullum habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte sui recipiendam. Potest tamen in parentibus unius esse maior motus, quàm alterius pro suo parvulo; vel in aliquibus alijs ministrantibus vel assistentibus Baptismo: propter quorum merita Deus uni parvulo potest conferre* (non asserit conferre) *maiorem gratiam actualem, quàm alteri; sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti;* utrique congrui. Unde subjungit: *Et hoc modo fortè* (ergo loquitur dubitativè) *parentes B. Nicolai orationibus suis meruerunt sibi maiorem gratiam* (scilicet actualem) *quæ erat in eo etiam parvulo principium tam mirabilis effectûs, ut duobus diebus in hebdomada unicâ tantùm lactatione contentus maneret.*

His consonat D. Tho. 3. parte q. 64. a. 1. ad 2. *Effectus* (inquit) *Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum; aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem ministri. Et quoad hoc* (ut rectè Scotus supra) *magis optandum est puerum baptizari à bono sacerdote, quàm à malo: quia orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante & post Baptismum, magis exaudiuntur & valent illi pro quo fiunt, quàm orationes mali.* Hæc pro explicatione Mentis Subtilis, quæ aliquibus perfunctoriè & subsultim legentibus, & minùs justo verba considerantibus, obscurior plerumque dicitur, quàm à parte rei sit. 66. D. Thomas.

67. Non apparet majus fundamentum ad statuendā hîc inæqualitatem, quàm inæqualitatem præmiorum pro æqualibus meritis.

Nunc quod ad rem attinet, non plus apparet fundamenti ad statuendam hîc inæqualitatem, quàm inæqualitatem præmiorum pro æqualibus meritis. Nam in primis probitas ministri vel aliorum collationi Sacramenti adstantium etsi juvare possit (ut jam ex Scoto diximus) ad merendum de congruo specialia auxilia gratiæ, quibus ille, qui suscipit Sacramentum, meliùs vivat imposterum, quàm alius, qui suscipit à ministro indigno; aut etiam quibus se meliùs disponat ad Sacramenti susceptionem, & sic majorem justificationem accipiat; tamen certum est præter Christum, neminem posse alteri immediatè gratiam habitualem (de qua sola loquitur conclusio) promereri; alioquin si valde multi intensè orarent pro aliquo dormiente vel amente, posset talis ex merito congruo aliorum quandoque evadere in sanctissimum, & maximam accipere gloriam, si statim moreretur, sine ullo proprio actu, quod non est conforme dicto Apostoli 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Imò nec ipse Christus alicui meruit de congruo vel condigno gratiam justificantem immediatè, sed ad summum ut eam acciperent per Sacramenta, si essent incapaces propriæ dispositionis. 2. Cor. 5.

68. Non constat hominēs nō fuisse creandos vel salvandos, si Angeli nō peccassent. Scotus.

Alia quoque fundamenta contrariæ sententiæ in fine præcedentis conclusionis relata parùm habent probabilitatis. Unde enim constat, quòd homines non fuissent creati aut salvati, si Angeli non peccassent? Certè contrarium docet Scotus 3. dist. 7. q. 3. n. 4. ibi: *Potest dici, quòd priùs naturâ, quàm aliquid prævidebatur circa peccatorem, sive de peccato, sive de pœna, Deus*

Deus prælegit ad illam curiam cælestem omnes quos voluit habere Angelos & homines in certis & determinatis gradibus, & nullus est prædestinatus tantùm, quia alius prævisus est casurus, ut sic nullum oporteat gaudere de lapsu alterius.

S. Anselmus. *Unde* (inquit D. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 18.) *palam est, quia si etiam Angelus nullus perijsset, homines tamen in cælesti civitate suum locum habuissent. Nusquam enim* (teste Apostolo ad Heb. 2. v. 16.) Deus *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, insinuans homines præ Angelis fuisse dilectos, adeoque non tantùm per accidens, occasione lapsûs Angelorum.

69. Sine fundamento asseritur omnes Angelos fuisse donatos inæquali gratiâ. Secundum fundamentum æquè infirmum est; quia sicut inter homines videmus Deum quandoque majorem gratiam impartiri eis, qui naturalia minùs perfecta habent, ac etiam aliquos cum minoribus auxilijs gratiæ ad majorem gloriam pervenire; unde constat non ita contigisse Angelis? *Præterea* (inquit Magister 2. dist. 6. lit. A.) *sciri oportet, quoniam sicut de majoribus & minoribus quidam perstiterunt, ita de utroque gradu quidam corruerunt: inter quos unus fuit omnibus alijs cadentibus excellentior, nec inter stantes aliquis eo fuit dignior.* Quis autem audeat credere aut dicere, ut perfectissimus angelus non caderet, in Dei potestate non fuisse? Cur ergo non fecit? Ut ostenderet, quòd non oporteret eum conferre gratiam & gloriam secundùm ordinem naturarum: ergo sine ratione asseritur Angelos omnes (etiam gratis admissâ inæquali eorum perfectione entitativâ) inæquali fuisse donatos gratiâ.

S. Aug. Accipe testimonium D. Aug. lib. 12. de Civit. cap. 9. *Isti autem* (Angeli) *qui cùm boni creati essent, tamen mali sunt malâ propriâ voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cùm à bono sponte defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus à bono: aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis malâ voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquàm casuros certissimi fierent, pervenerunt.*

70. Argumentum Hiquei ex Trid sess. 6. cap. 7. Præter hæc, aliud fundamentum excogitavit noster Hiquæus in commentario suo ad dist. 4. q. 7. n. 7. ex his verbis Trident. sess. 6. cap. 7. *Iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult & secundùm propriam cuiusque dispositionem & coöperationem.* Ergo supponit Concilium dari inæqualitatem gratiæ baptismalis (de qua ibi agit) non solùm ex inæqualitate dispositionis, sed etiam ex voluntate Spiritûs.

Et confirmatur Primò: quia licet gratia Sacramentalis sit de lege communi determinata, id ita intelligendum est, quantùm ad gradum infra quem non datur alia minor virtute Sacramenti, non tamen quantùm ad excessum; ut patet in adulto, qui secundùm excessum dispositionis accipit majorem gratiam, etiam virtute Sacramenti. Quod autem in adulto est dispositio, in parvulo est major acceptatio, quâ ordinatur ad perfectiorem gradum gratiæ & gloriæ. Porro quòd illa gratia conferatur per hoc vel illud medium providentiæ divinæ, perinde est, maximè cùm Sacramentum positâ inæqualitate ex parte subjecti, non limitetur ad gradum æqualem effectûs; imò magis videtur præter divinam providentiam ordinariam, ut Deus, suspendendo concursum causarum naturalium, perducat infantem ad eum statum, quo possit attingere gradum gratiæ destinatum, sive per frequentationem Sacramentorum, sive per actus proprios, quàm ut per ipsa Sacramenta recepta uberiorem gratiam conferat; quia sic operatur per media ordinaria, quæ ex se alioquin ex inæquali dispositione subjecti habent efficaciam majorem vel minorem. 71. Et Confirmatio ejusdem prima.

Confirmatur Secundò: quia quantùm ad alios effectus concomitantes, ut extinctionem aut diminutionem fomitis, auxilia gratiæ, & gratias gratis datas, inæqualis est effectus Sacramenti, etiam in infantibus: ergo etiam perinde dici potest de gratia gratum faciente. Patet consequentia: quia dare hos effectus mediante Sacramento, qui regulariter per ipsum non conferuntur, videtur magis extraordinarium, quàm quòd effectus ordinarius ejus detur intensior aut perfectior. Ita hic Auctor; sed appensus in statera inventus est minùs habens. 72. Et secunda.

Omnes quidem fatentur gratiam etiam baptismalem, & respectu parvulorum mensurandam ex voluntate Spiritûs Sancti; at negant Spiritum Sanctum de facto parvulis mensurare diversam gratiam per idem numero Sacramentum, cùm neque Scriptura, neque ullum Concilium talem diversam mensuram vel leviter insinuet. Sicut ergo suppositâ eâdem dispositione, Spiritus Sanctus per idem Sacramentum adultis non confert diversam mensuram gratiæ, sed vult conferre secundùm eandem; 73. Dissolvuntur.

dem; secùs per diversa Sacramenta, aut secundùm distinctam dispositionem; ita pariter parvulis incapacibus dispositionis semper eandem per idem Sacramentum, distinctam autem per diversa Sacramenta. Cumque à voluntate Spiritûs Sancti dependeat ut tanta vel tanta gratia, per hoc vel illud Sacramentum specie distinctum efficiatur, rectè Concilium posuit duplicem causam diversitatis, scilicet voluntatem Spiritûs, & dispositionem hominis. Adde quòd potuisset (ut diximus cum Scoto) etiam diversam gratiam causare cum uno & eodem Sacramento; adeoque quia vult, confert eandem, accommodans se naturis rerum; agunt siquidem Sacramenta instar causarum naturalium, quæ ex se ac cæteris paribus semper causant æqualem effectum.

Ex quo patet responsio ad confirmationes. Ad secundam, quia uni Sacramento accedit meritum congruum gratiæ actualis, illo autem secluso, virtute solius Sacramenti unus parvulus non recipiet plura vel diversa auxilia: ut enim infra dicetur, Sacramenta conferunt auxilia specialia cum eadem proportione æqualitatis vel inæqualitatis, quâ gratiam habitualem.

Prima confirmatio ponit quidem aliquam diversitatem ex parte parvulorum, sed gratis asserit illam de facto esse causam majoris vel minoris gratiæ; sic quippe Concil. Trident. non duas tantummodò debuisset assignare causas, ex quibus possit crescere gratia, sed tres; nimirum voluntatem Spiritûs Sancti, dispositionem adulti & electionem ad gloriam; quod tamen non facit.

Quod autem addit, perinde esse per quod medium divinæ providentiæ gratia conferatur, verissimum est; at deficit in probando, de facto Sacramentum esse medium institutum ad conferendam majorem gratiam ei, qui ad majorem gloriam electus est. Non dubito de possibilitate, & si ita fuisset institutum, etiam ille excessus significaretur per Sacramentum, non quidem omnino determinatè, sed in genere, significando gratiam, quam Deus voluerit per tale signum dare: non enim Baptismus v. g. est signum hominibus tantæ vel tantæ gratiæ in particulari, sed cujuscumque gratiæ remissivæ peccati originalis, sive majoris, sive minoris intensionis.

Et ita intelligendus est Scotus, quando supra dicit illum excessum tali casu conferendum ex speciali benevolentia divina: quia nempe Sacramentum, ut habet efficaciam infallibilem gratiæ ex voluntate universali, non extenditur ejus virtus aut significatio ultra illum gradum minimum: at verò ut subesset voluntati speciali Dei, causaret illum gradum excedentem, etiam ex opere operato.

Neque hinc sequitur, Deum per meritum æquale posse conferre inæqualem gratiam vel gloriam; quia inter meritum ex una parte, & gratiam & gloriam ex altera, datur proportio secundùm medium justitiæ; Sacramentum autem operatur ex mera liberalitate instituentis; & independenter à merito ac dispositione infantis. Vide plura apud Auctorem præcitatum non ut probetur factum, sed ut ostendatur quod possibilitas non deroget aut meritis, aut Sacramento, aut Dei providentiæ.

Joannes Poncius Summæ Theologicæ disp. 41. q. 10. §. 84 inquit: An ministri bonitas non conferat ad majorem efficaciam non volo determinare, quia non habeo principia sufficientia ad id concludendum; sed nec occurrit aliquid in oppositum. Patres, Chrysostomum, Aug. & alios explicat, quòd loquantur de fructu Sacramenti quoad substantiam, qui non dependet à ministri bonitate. Verùm enim verò cui hactenus revelatum fuit, quòd bonitas ministri conferat aliquod augmentum gratiæ? vel si ita est; quomodo verè dixit Chrys. homil. de Reditu suo de Asia: *Multi me absente baptizati sunt, & quid tunc? Nihil minùs habet gratia.* An fòrs augmentum gratiæ nihil est? Cùm itaque & substantia & augmentum gratiæ pendeant à libera voluntate Dei, nullum habere sufficiens fundamentum concludendi, est habere aliquid in oppositum, imò sufficiens principium negandi. 74. Sine fundamento dicit Poncius se non habere principia sufficientia ad concludendum, ministri bonitatem non conferre ad majorem efficaciam. S. Chrys.

Hæc de primario effectu Sacramentorum, gratiâ scilicet habituali; præterquàm enim quòd sit nobilissima qualitas, per quam efficimur divinæ consortes naturæ (ut docet Apostolus Petrus Epistolæ 2. cap. 1.) eadem realiter cum charitate in sententia Doct. Subtilis; insuper per ordinem ad illam solam Sacramentum definitur, ut proinde videatur etiam principaliter in omnibus Sacramentis intenta; indistincta quidem specie physicâ, moraliter tamen distincta propter diversos effectus, quos causat in anima, qui etiam magis propriè significantur per signa externa Sacramentalia, ne solùm materialiter, sed etiam formaliter ratione suæ significationis Sacramenta inter se distinguantur.

Ita

Scotus. Ita docet Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 13. ad ultimum ibi: *Dico ergo ad maiorem, quòd Sacramentum magis propriè significat illum effectum in anima, ad quem confertur gratia in Sacramento, quàm significet ipsam gratiam. Vnde gratiâ existente unâ in animâ, Sacramenta tamen diversa distinguuntur penes diversa significata propria, quæ sunt diversi effectus eiusdem gratiæ.* Quia autem hoc intellectu difficile est, tum propter nimiam diversitatem effectuum, puta regenerationis in Baptismo, nutritionis in Eucharistia, absolutionis in Pœnitentia &c. tum quia habitus supernaturales non facilitant ad operandum, adeoque non juvant ad resistendum tentationibus aut promptiùs operandum; hinc communis consensus Doctorum singulis Sacramentis attribuit particularem quemdam, sed secundarium effectum, quem jam explico.

CONCLUSIO IV.

Singula Sacramenta præter gratiam habitualem conferunt auxilia quædam specialia, quibus homo juvetur ad cujusque finem obtinendum, cum eâdem proportione æqualitatis vel inæqualitatis, quâ gratiam habitualem.

76. *Frustra plura essent instituta Sacramenta, si non conferrentur auxilia quædã specialia.*

PRobatur: quia alioquin frustra plura essent instituta Sacramenta; posset quippe augmentum gratiæ haberi per frequentem repetitionem ejusdem Sacramenti, v. g. Communionis, per quam probabile est plus gratiæ habitualis conferri, quàm per alia Sacramenta.

Conclusio probatur ex Patribus.

Confirmatur ex Patribus, qui docent Sacramentum Matrimonij & Ordinis esse institutum ut per gratiam ejusmodi Sacramentorum onera Ecclesiasticæ præfecturæ, & conjugij sustineri possint, mutuus amor & mutua fides servari, & proles ritè educari. Similiter Confirmationem esse institutam ad dandam gratiam, quâ constanter, ubi necesse fuerit, fidem profiteamur & persecutiones patiamur: non quòd hujusmodi auxilia divina sine Sacramentis aut eorum voto non possint haberi (constat siquidem Confirmationem non esse in præcepto, & tamen aliquos sine ea ac ejus voto per ferventes preces hujusmodi auxilia obtinuisse) sed quòd per Sacramenta faciliùs & certiùs obtineantur.

Hæc autem doctrina Patrum non subsistit, nisi aliquid conceditur per aliqua Sacramenta, quod non per alia; sine fundamento autem asseritur illud esse habituale: ergo ut illa Sacramenta consequantur fines suos, opus est actualibus auxilijs.

Porro idem credendum est de alijs Sacramentis, v. g. Baptismo, qui per se institutus est ad spiritualem regenerationem, seu ad gratiam sanctificantem simpliciter primam: credendum (inquam) quòd per eum etiam conferantur auxilia quædam spiritualia, quibus in ea vitæ novitate persistamus, ac mandata Christi servemus, cujus fidei professio fit in Baptismo; ac denique quibus alia Sacramenta dignè suscipiamus, cùm sit janua cæterorum. Similiter per Sacramentum Pœnitentiæ verisimile est dari aliquod speciale auxilium ad efficaciùs detestandum peccata, & satisfaciendum pro commissis: quia institutum est per se ad gratiam non simpliciter, sed post lapsum primam, seu per modum non generationis, sed resurrectionis spiritualis, ac curationis à lethali peccato: unde Patres vocant illud secundam post naufragium tabulam. Extrema etiam Unctio, cùm sit instituta ad reliquias peccatorum abstergendas, & ad conferendum robur in extrema illa lucta, & spiritualem alacritatem; existimandum est, quòd conferat auxilia ad hujusmodi effectus. Eucharistia denique, quæ instituta est per modum nutrimenti spiritualis, præstat auxilia per quæ præservemur à morte spirituali seu mortali peccato, ac spiritualiter recreemur & consolemur, atque Christo per actus charitatis ac devotionis uniamur. 77.

Itaque auxilia illa actualia sunt rectæ & sanctæ cogitationes motusvè subiti voluntatis ad specialem finem singulorum Sacramentorum à Deo immissi. Et ratione illorum, sive propter specialem ordinem congruitatis ad illa, gratia habitualis, quæ confertur in Sacramento & vocari solet sacramentalis, distinguitur moraliter à gratia communiter dicta, sive quæ confertur extra Sacramentum per bona opera. 78.

Majorem distinctionem neque ratio, neque auctoritas exigit; adeoque minimè asserenda, maximè in sententia Scoti, quæ non agnoscit habitus supernaturales per se infusos præter Fidem, Spem & Charitatem. Sicut ergo Fides & Spes Sacramentalis. (ut sic lo-

sic loquar) à nemine specie physicâ distinguuntur à Fide & Spe extra Sacramentum infusis; ita neque Charitas, quæ identificatur gratiæ habituali, distingui debet.

79. Quæcumque Gratia habitualis exigit aliqua auxilia ad resistendum tentationibus & bene operandum. Tridentinum.

Et quidem quæcumque gratia habitualis exigit aliqua auxilia, sive gratias prævenientes ad resistendum tentationibus & bene operandum. *Deus namque* (loquitur Trident. sess. 6. cap. 11.) *suâ gratiâ* actuali *semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*. Rationem præmiserat: *Quo* (inquiens) *fit, ut iusti ipsi eò magis se obligatos ad ambulandum in via iustitia sentire debeant, quò liberati iam à peccato, servi autem & amici facti Deo, sobriè, iustè & piè viventes proficere possint per Christum Iesum*, qui diligentes se diligit, ditans eos specialibus favoribus & auxilijs, quibuscum faciliùs possint, si velint, mandata Dei servare; id quippe maximè consentaneum est legibus amicitiæ, ut amicus juxta voluntatem amici operetur.

Quapropter Trident. supra can. 18. specialiter definit, Dei præcepta homini justificato & sub gratia constituto esse ad observandum possibilia. Quis ergo miretur, si amicitia seu gratia sacramentalis præter illa auxilia communia de congruo postulet specialiora, quibus obtineatur finis à Christo per Sacramentum specialiter intentus? Siquidem ad hoc Christus in particulari sua merita applicavit. Quemadmodum inter homines, si subditus aliquis meruit amicitiam principis obsequijs spectantibus ad certam materiam, si in illa est locus præmio, par est ut in illa obtineat; v. g. si servit in rebus Indicis, ut in India accipiat aliquod officium, maximè si fuerit promissum.

Ex quo apparet longè aliter gratiam sacramentalem exigere illa auxilia, quàm lignum aut lapidem, ad quorum præsentiam Deus illa daret; sic etenim gratia extrinsecè connotat illa auxilia dependenter à decreto Dei, ut tamen sit radix congrua, cujus intuitu conferantur in tali materia; & ideo dicuntur dari mediante gratiâ, & juxta ejus proportionem, ut habet secunda pars conclusionis, quæ non indiget aliâ probatione.

80. Verisimiliter intuitu Sacramenti initerabilis dantur, occasione occurrente, per totam vitam auxilia; non sic

Solùm nota, verisimile esse intuitu Sacramenti initerabilis dari auxilia gratiæ per totam vitam cùm occasio occurrit; ratione verò aliorum, v. g. Pœnitentiæ vel Communionis non; sed certum numerum; cùm enim instituta sint ut repetantur, sufficiebat singulis vicibus singula auxilia determinari. De tempore, quo hæc auxilia conferuntur, dicam in fine Sectionis; priùs explico alterum effectum secundarium, qui ab Ecclesia vocatur Character. Circa quem quæritur Primò, in quibus Sacramentis imprimatur? Resolutio erit

in aliis iterabilis.

CONCLUSIO V.

Fidei est Baptismum, Confirmationem & Ordinem imprimere characterem; quamquam hoc ipsum neque experientiâ vel ratione, neque auctoritate Scripturæ aut Sanctorum Patrum evidenter necessariò possit probari.

81. Vocabulum Character apud Græcos idem est, quod apud Latinos figura. Scotus.

Suppono ex Scoto 4. dist. 6. q. 9. n. 2. vocabulum *Character* apud Græcos idem valere, quod apud Latinos *figura*: *Et sic* (inquit) *accipitur ad Heb. 1. ubi nos habemus*, figura substantiæ, *ponitur* character *in græco*: *& hoc modo dicimus characteres, figuras, quibus litteræ scribuntur*: *& hoc modo dicimus characteres in incantationibus, & huiusmodi quasdam figuras protractas*: *& hoc modo accipitur in Apocalypsi* character bestiæ, *figura in fronte vel in manu, quæ significat ipsam pertinere ad familiam bestiæ. Generaliùs autem accipitur character pro signo; & hoc modo Baptismus potest dici character, quia signum quoddam est. Forma etiam verborum in Sacramento aliquo potest dici character, sicut Magister loquitur in ista distinctione. Sed his omnibus prætermissis, de charactere, ut loquimur in proposito, Theologi concipiunt communiter per characterem quoddam spirituale impressum à Deo suscipienti Sacramentum non iterabile.* Hæc Doctor Subtilis de ratione nominis.

Prima pars conclusionis est Florentini & Tridentini.

Quâ cognitâ, nefas est Catholico dubitare de prima parte conclusionis post Florentinum & Tridentinum: illud siquidem in Decreto Unionis sic definit: *Inter hæc Sacramenta tria sunt Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum à cæteris distinctum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur: reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Hoc verò sessione 7. canone 9. damnat errorem contrarium, qui à Waldensi Tom. 2. doctrinalis fidei cap. 109. adscribitur

Waldensis.

adscribitur Joanni Wiclef, quem unanimiter sequuntur nostri temporis hæretici: non quòd fundamentum aliquod habeant, sed quòd more suo totam antiquitatis doctrinam derideant; & quia (ut scriptum reliquit B. Judas in sua Canonica, v. 10.) *Quæcumque ignorant, blasphemant.* Damnat (inquam) his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Judas v. 10.

82. Eandem veritatem per traditionem ab initio Ecclesiæ acceptam expressit ante Florentinum Innocentius III. in cap. Majores de Baptismo, ut docet Scot. supra n. 14. ibi: *Breviter, sicut habetur extra de hæreticis*, Ad abolendam, *sentiendum est de Sacramentis Ecclesiæ, sicut sentit Romana Ecclesia. Romana autem Ecclesia videtur sentire characterem imprimi in anima in Baptismo, sicut dicit Innocentius III. extra de Baptismo & eius effectu*, c. Majores: Qui fictè accedit ad Baptismum, characterem suscipit Christianitatis impressum. *Et ibidem in fine*: Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. *Et si prima auctoritas posset exponi vocando characterem Christianitatis ipsum Baptismum: tamen secunda, quæ dicit, quod sacramentalis operatio imprimit characterem, videtur expressè loqui de charactere, tanquàm de aliquo impresso ipsi animæ, sicut loquimur in proposito. Propter ergo solam auctoritatem Ecclesiæ, quantùm occurrit ad præsens, est ponendum, characterem imprimi.*

Quam per traditionem ab initio Ecclesiæ acceptam expressit Innocentius III. Scoto.

83. Falsò ergo Præpositus q. 63. art. 1. n. 1. Scotus (inquit) videtur existimare, sententiam, quæ asserit per aliqua Sacramenta imprimi characterem, solùm esse probabilem. Quasi verò omne illud solùm sit probabile, quod non est evidenter necessarium. Equidem facilè crediderim, eum non existimasse hoc esse articulum fidei; quia videlicet non satis expressè suo tempore ab Ecclesia definitum; neque enim de eo erat quæstio in capite *Majores* citato, sed solùm, an imprimeretur character in Baptismo per violentiam suscepto: unde non definit, sed supponit Pontifex imprimi characterem in valido Baptismo.

Scotus à Præposito malè intellectus.

Veriùs intellexit Doctorem Subtilem Doctissimus P. Suarez, qui disp. 11. sect. 1. postquam recensuisset testimonia SS. Patrum pro impressione characteris, subjungit: Quoniam verò hæc omnia testimonia non videntur cogere; ideo Scotus dist. 6. q. 9. dicit facilè exponi posse, ipsum Sacramentum Baptismi v. g. esse characterem; & ideo concludit solâ auctoritate Ecclesiæ nos cogi ad ponendum characterem: sed quàmvis verum sit Ecclesiæ auctoritatem habere præcipuas partes in hoc negotio, tamen eâ suppositâ intelligimus mentem Sanctorum fuisse in eadem significatione de charactere loqui, & sine dubio multa ex dictis Sanctorum meliùs prædicto modo intelliguntur.

Meliùs à Suarez.

Suarium sequitur Dicastillo Tract. 1. disp. 2. dub. 14. n. 425. Quàmvis (inquit) Scotus dicat hanc veritatem non posse probari aliquo manifesto Scripturæ testimonio; simul tamen concedit, Ecclesiasticâ traditione id esse omninò certum. Ista est genuina mens Doctoris Subtilis. Utinam Dicastillo ubique ita eum legisset & intellexisset!

Et Dicastillone.

84. Itaque secundam partem conclusionis his verbis exprimit Scotus supra n. 13. *Ad quæstionem potest dici aliter, quòd licet characterem inesse animæ non possit probari per rationem naturalem, neque in universali; quòd scilicet necesse sit dare talem formam inesse animæ propter quid, nec etiam propter finem: neque in particulari ut per experientiam alicuius actus, seu per conditiones actûs manifestantes talem formam inesse ipsi agenti percipienti actum suum; sicut nec probari potest de gratia vel charitate; licèt etiam ex creditis manifestè, sive quæ sunt explicitè de substantia fidei, sive quæ continentur in Scriptura, sive quæ manifestè per Sanctos sunt elicita ex creditis non possit probari, scilicet evidenter, quia non apparet necessaria habitudo eius ad talia credita: tamen poni potest; quia non repugnat ipsi animæ talem formam habere, qualis describitur character, nec per consequens repugnat Deo posse animæ talem formam imprimere.*

Textus Scoti quoad secundam partem conclusionis.

85. Hic lapis offensionis & petra scandali, sed iis duntaxat, qui limis & obstipis oculis Doctorem inspiciunt; his (inquam) qui soli sapiunt, & quibus reliqui volitant sicut umbræ. Si penitiùs verba mox allegata introspicere vellent, facilè invenirent, Scotum nullatenùs negare voluisse omnem omninò probationem Catholicæ veritatis ex Scriptura aut SS. Patribus, sed solummodò evidentem & necessariam.

Scotus solùm negavit evidentem & necessariam probationem ex Scriptura aut Patribus.

Quocirca continuò subjunxit: *Sed ne omninò frustra & sine necessitate ponatur, oportet aliquam auctoritatem habere, cui innitatur, qui ponit eam. Inter auctoritates autem Sanctorum secundùm istam significationem characteris, de qua loquimur, non videntur multa aucto-*

auctoritates expressa: tamen aliqua allegantur non concludentes (supple, necessariò evidenter) *ex Aug. de Baptismo contra Donatistas lib. 6. cap. 1. ibi*: Satis eluxit pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij authoritate originalis consuetudo firmata est, & ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea agnosci potiùs quàm improbari; quandoquidem ipsum characterem multi & lupi & lupis infigunt, qui videntur quidem intus esse &c. *Ibidem etiam lib. 1. cap. 1. & habetur de consec. dist. 4. c. Ostenditur. Sacramentum Baptismi est, quod habet, qui baptizatur: & Sacramentum dandi Baptismum est, quod habet, qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismum non amittit*

Authoritates à Scoto adductæ ex S. August.

Addere possumus, quod habet Epistolâ 44. alloquens hæreticos Donatistas: *Vos* (inquit) *oves Christi estis, quia characterem dominicum portatis, sed erratis & peritis.* Et Epistolâ 50. docens hæreticos pœnitentes non reprobandos, rationem reddit: *Quia in eis hoc ipso quòd semel baptizati sunt, semper dominicus character agnoscitur.*

Characterem quoque Confirmationis exprimit lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104. ibi: *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis* &c.

86. Nec desunt Scripturæ, quæ veritatem hanc insinuant. Ad Ephes. 1. cap. v. 13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Et cap. 4. vers. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*; id est, in die Baptismi, ut exponunt OEcumenius & Haymo in illum locum.

Authoritates ex Scriptura. Ephes. 1. Item 4.

Confirmationis character indicatur 2. Corinth. 1. vers. 21. & 22. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus spiritûs in cordibus nostris. Signavit nos* (inquit S. Hieronymus) *Spiritu Sancto vel chrismate.*

2. Corinth. 1. S. Hieron.

Pro charactere Ordinis plerique adducunt illud 1. ad Timoth. 4. vers. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Per prophetiam*, id est, ex prophetia seu inspiratione Spiritûs Sancti mihi factâ, quâ sciebam te Ecclesiæ utilem futurum, ut exponunt Glossa ordinaria, Lyranus & Ambrosius in eum locum. Videtur enim ibi Apostolus per *gratiam*, non intelligere sanctificantem, sed characterem.

1. Timoth. 4.

Sed quis non videat has auctoritates haud evidenter necessariò probare? Scripturæ siquidem exponi faciè possent de gratia sanctificante, quam Trident. sess. 6. cap. 7. vocat Spiritum promissionis Sanctum, ibi: *Efficiens verò* (causa justificationis) *misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et de hac gratia intelligunt locum Apostoli 2. Corinth. 1. Chrysostomus, OEcumenius & alij. Quamvis autem non omnes eam recipiant in susceptione Sacramenti, tamen ipsum Sacramentum quantum est ex se, natum est illam conferre, quod sufficit. 87.

Quæ tamen non necessariò & evidenter convincunt. Trident.

Porro ad auctoritates D. August. quæ sunt præcipuæ, respondet Doctor in hunc modum supra num. 14. *In ista auctoritate pluries nominat characterem; sed apparet quòd nihil ad propositum secundùm significationem characteris, de qua loquimur: quia dicit, quòd lupi lupis infigunt characterem: quod magìs salvatur de Sacramento Baptismi, quàm de aliquo effectu in anima. Unde ubique in illa auctoritate potest character bene ad intentionem eius accipi pro Baptismo, non effectu Baptismi; sicut dictum est priùs, Magistrum accipere characterem in ista definitione pro forma Baptismi.*

Prout nec Augustini, ut rectè Scotus.

Herculè (ut appositè notat supra q. 7. num. 2.) *Si fuisset multùm de hoc tractatum à Sanctis, Magister sententiarum mentionem fecisset de ipso: non invenitur autem aliquod verbum dixisse de charactere secundùm istam significationem, secundùm quam utimur eo: in toto enim tractatu de Baptismo non nominat characterem, nisi semel in primo capite istius distinctionis in fine, dicens:* Qui ab hæreticis baptizati sunt, servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt: *ubi vocatur character Christi, forma Baptismi Christi; sicut satìs apparet ex auctoritate August. præmissa, ex qua Magister infert istud dictum.* Sed quæ illa auctoritas August? Epistolâ 203. ad Max. sic inquit: *Quamvis unum sit Baptisma & hæreticorum, scilicet eorum, qui in nomine* 88.

S. August.

Patris

Patris & Filij & Spiritûs Sancti baptizant, & Ecclesia Catholica: qui tamen foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem Baptismum, sed ad perniciem: habentes formam Sacramenti, virtutem autem eius abnegantes; & ideo Ecclesia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, & ipsa est forma Sacramenti. Quid clarius?

Scotus.

Omitto auctoritates D. Damasceni, quarum una (teste Scoto supra n. 7.) *Valdè ineptè adducitur. quia pars unius orationis coniungitur cum parte alterius, prætermissâ sententiâ concipiendâ cum parte præcedente.* Altera autem *nihil valet: nam expressè ibi loquitur de Cruce.* Vide Doctorem loco citato: non enim libet illis immorari, cùm clarum & certum sit, nec unam nec alteram evidenter necessariò probare; quod satis est ad veritatem secundæ partis conclusionis.

89. Ratio & experientia nõ convincunt necessitatem characteris.

Enimverò quod attinet experientiam & rationem, non reor quempiam tam stolidum, ut putet vel ex hac vel ex illa, se posse convincere necessitatem characteris; cùm uti institutio, ita & omnis efficacia, & quicùmque effectus Sacramentorum pendeat à libera ac gratuita Dei voluntate; quemadmodum etiam iterabilitas & initerabilitas. Unde ex non-iterabilitate haud rectè infertur impressio characteris: nam etiam prima Tonsura iterari non potest, & tamen non propterea imprimit characterem.

Uel nec nõ iterabilitas.

Nec satisfacis, si respondeas, Ecclesiam posse statuere iterabilitatem primæ Tonsuræ: quis enim ligavit manum sive voluntatem divinam, quò minùs potuerit ita statuisse immutabilitatem potestatis, v. g. Sacerdotalis, ut qui semel eam accepisset, numquam eam perderet, etiamsi Sacramentum Ordinis non imprimeret characterem? Nonne Ecclesia de facto nequit facere, quòd oleum semel benedictum ab Episcopo ad materiam essentialem Sacramenti, non permaneat benedictum? Et tamen per benedictionem non imprimitur character, vel quidquam aliud. Cur ergo Deus non potuisset facere, ut Ecclesia nunquam validè iteraret Ordinationem Sacerdotis; aut eum, qui semel est Sacerdos, redderet laicum, tametsi Sacramentum Ordinis nullum imprimeret characterem?

90. Non est repugnantia Sacramenti iterabilis cũ impressione characteris. *Scotus.*

Accedit, quòd nulla sit absoluta repugnantia iterabilis Sacramenti cum impressione characteris. Ostendo ex Scoto supra q. 9. n. 21. ibi: *Dico ergo, quòd concedi potest de Circumcisione, quòd ibi imprimatur character aliquis, sicut in Baptismo: ita enim erat prima ianua salutis in lege Mosaica, sicut Baptismus in nova. Et cùm arguitur, quòd tunc circumcisus non esset baptizandus, nego consequentiam. Ad probationem potest concedi, quòd character ille esset eiusdem rationis cum charactere Baptismatis vel alterius. Quod si eiusdem, vel non imprimebatur character per Baptismum susceptum à circumciso, sicut in subiectum habens aliquam formam non imprimitur iterum talis forma, etiam à causâ, quæ aliàs nata esset imprimere talem formam, & hoc ideo, quia subiectum non est in potentiâ, sed iam in actu secundùm illam: vel si imprimeretur in baptizato alius eiusdem rationis, nihil inconveniens, saltem si character ponatur relatio: vel posset dici illum characterem Circumcisionis differre ab illo Baptismi, sicut imperfectum à perfecto, quemadmodum gratia huius differt à gratiâ illius: & tunc in susceptione Baptismi priùs circumciso non imprimeretur novus character, sed primus perficeretur.* Quidni igitur ex mente Doct. Subtilis Deus potuerit decernere; ut secundus Baptismus vel nullum characterem imprimeret, vel talem, per quem perficeretur character in primo Baptismo impressus; quemadmodum gratia habitualis in secundo Sacramento perficit gratiam in primo receptam?

Ad probationem aliorum, videlicet, quia per hæc tria Sacramenta datur potestas ad aliquid spirituale, bene respondet Card. Lugo hic disp. 6. sect. 1. n. 8. Per Confirmationem non datur confirmato ulla potestas, quæ in alijs non reperitur; omnes quippe possunt credere & confiteri fidem suam coram tyranno, quamvis confirmatus præ alijs ad hoc habeat specialiora à Deo auxilia; utique quia per quælibet Sacramenta (ut dictum est conclusione præcedenti) homo accipit jus quoddam ad specialia auxilia necessaria pro obtinendo particulari fine cujusque. Deinde in Diaconatu & Subdiaconatu non datur potestas ad aliquid validè faciendum, quam non habet quilibet non ordinatus. 91.

Non datur per Confirmationem confirmato ulla potestas quæ non reperitur in alijs; *Lugo.*

Uel nec in Diaconatu & Subdiaconatu ad validum.

Denique quid obstat, quò minùs possit Deus dare talem potestatem absque charactere? quippe de facto omnes habent potestatem validè baptizandi, quam priùs nõ habebant; & tamen absque ullo charactere. Rex à quo accipit suam potestatem? nonnè à Deo, vel à Republica? Inferiores judices nunquid à Rege? num propterea imprimitur character Regi aut judicibus inferioribus?

Nihil obstat, quo minus detur à Deo potestas absque charactere.

Hinc præfatus Auctor secutus Doctorem Subtilem ita concludit n. 9. Tota ergo ratio, suppositâ institutione Christi (quæ auctoritate 92.

Doctorem Subtile sequitur Lugo, totam

rationem ad congruentiam reducens. auctoritate magis, quàm ratione probanda est) reduci debet ad congruentiam desumptam ex ijs, quæ fiunt in exercitu vel familia principis, ubi ij, qui designantur ad particularia officia vel obsequia, designari etiam solent peculiaribus signis & notis, quibus à cæteris discernantur. Ita Card. Lugo.

Scotus. Sed quid Scotus? supra n. 15. sic inquit: *Tertia congruentia est, quia congruit receptum in familiam Christi distingui à non recepto per aliquid intrinsecum: quia licèt Christus posset distinguere sine tali intrinseco; tamen perfectior est distinctio eius & in se, & in comparatione ad omnem Ecclesiam, militantem scilicet & triumphantem, si fiat per aliquam formam intrinsecam manentem, quàm si non sic fiat. Tale autem distinctivum eius, qui suscipit Sacramentum, quo intratur in familiam Christi, ab eo, qui non suscipit, & immanens in suscepto, ponitur character.* Et prosequitur: *Istarum congruentiarum tertia est magis rationabilis: quia est etiam specialis de Baptismo.*

Quod hoc simili illustrat quæst. sequenti. n. 12. ubi quærens, quare tantùm sint tres characteres? *Respondeo* (inquit) *quòd hoc potest patere per simile in politijs istis mundanis: nullus enim habet determinatum gradum in familia regis, quia comedit vel bibit; nec quia post offensam dominus reconciliatur sibi, nec quia multiplicat personas in ista politia: nam isti actus communes possunt esse omnibus in quocumque gradu. Sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam domini; alium quando ulteriùs proficit & constituitur ut miles ad defendendam rempublicam; alium quando constituitur ut supremus sub domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in sua familia; utpote aliquis senescalcus generalis, vel immediatus sub domino, cui commissa est auctoritas universalis ad recipiendum aliquos in familiam Domini* &c. *Sic in proposito tria Sacramenta, scilicet Eucharistia ad nutritionem spiritualem, Matrimonium ad procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationem annualem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia; imò possunt esse communes omni membro Ecclesiæ in quocumque gradu. Sed primus gradus in Ecclesia, & quidem universalissimus, est recipi in familiam Christi, quod fit in Baptismo: secundus specialis in militiam ad defensionem fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione: tertius constitui in patrem & pastorem ad introducendum alios in Ecclesiam, & ad dirigendum & ad instruendum eos, quod fit in Ordine. Et sicut in politia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet receptionem in familiam, promotionem ad militiam & prælationem ad doctrinam; bene tamen iterari possunt nutritio, procreatio & reconciliatio: ita in proposito tria Sacramenta non decet iterari, alia tamen iterantur; & in non iterandis gradus interabilis acquiritur & character dicitur; in iterandis autem non.* Hæc Scotus, quibus nihil addendum judico, præterquam, quod habet eâdem dist. quæst. 9. n. 16. ibi: *Ponere autem in alijs Sacramentis quemdam ornatum correspondentem characteri, omninò superfluum est.* Etenim gratia habitualis est, per quam anima mundatur & redditur Deo chara ac in conspectu ejus pulchra, juxta Glossam super illud Psal. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo. Gratia* (inquit) *est nitor animæ sanctum concilians amorem.*

Neque propterea negare debemus, etiam in alijs Sacramentis posse aliquid assignari, quod dicatur res & Sacramentum, si alicui ita loqui placeat: v. g. in Sacramento Pœnitentiæ assignari potest contritio, ea enim est res quatenus significatur per confessionem, & Sacramentum quatenus significat gratiam, ad quam disponit. In Matrimonio verò obligatio conjugum inter se: nam ea est res, quatenus significatur per externum contractum; & Sacramentum, quatenus significat gratiam & unionem spiritualem animæ cum Christo. In extremâ Unctione est sanitas corporalis, quæ subinde efficitur per illud Sacramentum: ea quippe est res quatenus efficitur per illud Sacramentum, & Sacramentum quatenus significat sanitatem spiritualem. In Eucharistia denique est nutritio corporalis, sive realis conjunctio corporis Christi cum corpore nostro; ea siquidem est res, quatenus causatur ab ipso Sacramento, & est Sacramentum, quatenus est signum nutritionis spiritualis vel conjunctionis per gratiam. 93. In Sacramentis non imprimentibus characterem potest assignari res & Sacramentum.

Maneat itaque, tria tantummodò Sacramenta Baptismum videlicet, Confirmationem & Ordinem imprimere characterem; non quòd *possit istud* (ut loquitur Scotus supra q. 9. n. 17. in fine) *evidenter necessario probari ex creditis; sed quia Ecclesia ponit*, & congruentia est. *Nec valet argumentum negativum: si nec Dionysius, nec Damascenus*, nec Augustinus; *ergo nullus: sufficit enim auctoritas Ecclesiæ; quia Augustinus de moribus Manichæorum: Euangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiæ.* Scotus.

Si quæras, quomodò hæc veritas possit esse fidei, si explicitè non habeatur in Scripturis. Respondeo ex eodem Doctore 1. dist. 11. quæst. 1. n. 5. ubi agens de processione Spiritûs Sancti ex Patre, Filioque: *Ad rationem* (inquit) *illam de Euangelio* (in quo 94. Veritas de charactere potest esse de fide etiã si explicitè non habeatur id Scriptura. Scotus.

(in quo contendebant Græci illam processionem non inveniri) *Dico, quòd Christum descendisse ad inferna non docetur in Euangelio: & tamen tenendum est sicut articulus fidei, quia ponitur in Symbolo Apostolorum. Ita multa alia de Sacramentis Ecclesiæ non sunt expressa in Euangelio, & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis, & periculosum esset errare circa illa, quæ non tantùm ab Apostolis descendunt per scripta, sed etiam quæ consuetudine universalis Ecclesiæ tenenda sunt. Nec Christus in Euangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum. Dixit enim discipulis suis in* Ioan. 16. *Ioanne cap.* 16. Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quæ non sunt scripta in Euangelio, & illa multa quædam per scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt. Similiter diversa Symbola diversis temporibus sunt edita contra diversas hæreses de novo orientes; quia quando insurgebat nova hæresis, necessarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa hæresis: quæ veritas, etsi priùs erat de fide, non tamen erat priùs tantùm declarata, sicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant. Atque hoc factum credimus circa præsentem veritatem, ut ex dictis quilibet sanæ fidei facilè perspiciet.

Hâc ergo doctrinâ Catholicâ suppositâ, controvertitur inter Theologos, in quo subjecto sit character. Et quidem imprimi characterem in anima docet Florentinum & Tridentinum. Verùm enimverò cùm anima constet pluribus potentijs, præcipuè intellectu & voluntate, realiter secundùm D. Thomam, formaliter verò secundùm Scotum ab ipsa distinctis, verba Conciliorum non probant essentiam animæ, sive animam esse subjectum immediatum; sufficeret quippe ad veritatem, si recipiatur in illis potentijs, ac ita mediatè in anima. Quapropter Doctor Angelicus constituit characterem immediatè in intellectu; nos autem sequentes Magistrum nostrum Doctorem Subtilem dicimus.

Ex Concilijs nō probatur essentiam animæ esse immediatum subjectum characteris.

CONCLUSIO VI.

Congruum est ponere characterem formaliter in voluntate.

95. Est Scoti characterē

EST Scoti 4. dist. 6. q. 11. n. 4. *Dico ergo ad quæstionem, supponendo ..... de gratia, quòd est idem cum Charitate, & per consequens est primò in potentia, scilicet in voluntate; & ulteriùs quòd ista dispositio ad formam est in eodem susceptivo cum forma: character autem si ponatur in esse, convenienter ponitur dispositio ad gratiam Sacramentalem ..... ergo congruum est ponere characterem formaliter in voluntate.* esse in voluntate.

Nota ante omnia ly *formaliter*, cùm enim voluntas in sententia Scoti realiter identificetur essentiæ animæ; character dici debet realiter immediatè subjectari in essentia animæ, quemadmodum ipsa gratia habitualis, & omnes actus naturales & supernaturales intellectûs aut voluntatis, aliarumque potentiarum immaterialium.

Pro quo notandū primò.

Nota secundò ly *congruum*, nam rationes Scoti non probant omnimodam necessitatem, sed solùm majorem quamdam convenientiam. Supponit autem Doctor ex lib. 2. dist. 27. gratiam & charitatem esse unum eumdemq; habitum, non solùm realiter sed etiam formaliter. *Ideo* (inquit n. 3.) *alia est opinio, quæ dicit, quòd gratia formaliter est virtus, quæ est charitas; & quæcumque excellentiæ attribuuntur gratiæ, & charitati: & è converso. Vtraque enim formaliter æqualiter dividit inter filios regni & perditionis.* Aug. lib. 15. de Civit. cap. 18. *Vtraque etiam est forma virtutis, & neutra potest esse informis: utraque etiam coniungit ultimo fini perfectâ coniunctione, qualis potest esse in via: & si poneretur distincta, altera superflueret, quia reliqua sufficeret.* Breviter, non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Notandum secundò.

Scoti.

Illo ergo supposito (de quo, Deo dante, latiùs in materia de Charitate) prima ratio sumitur ex verbis in principio conclusionis citatis: congruentiùs dispositio constituitur in eodem subjecto proximo (nisi aliquid obstet) in quo recipitur forma, ad quam disponit; atqui character est dispositio, saltem moralis, ad gratiam quæ est formaliter in voluntate; ergo &c. Major in physicis videtur manifesta, & ab omnibus admissa. 96.

Probatur primò ex majori congruentia constituendæ dispositionis in eodem subjecto proximo, in quo forma.

Minorem quoad secundam partem & ejus probationem invenio 2. dist. 26. n. 6. in fine ibi: *Concedi potest conclusio istarum rationum* (gratiam esse in potentia voluntatis) *quia iste habitus, qui probatus est esse supernaturalis, perficit potentiam animæ, & determinatam, scilicet voluntatem, quia in ordine ad obiectum determinatum talis potentia, & etiam actum: non autem perficit essentiam,* immediatè & formaliter, *quia ipsa ut sic nullum respicit obiectum, nec aliquem etiam actum. Confirmatur per Anselmum de Concep. Virg.*

Formam autem esse in voluntate probatur ex Scoto.

S. Anselmus.

Virg. c. 3. Omnis justitia & injustitia est formaliter in voluntate: gratia est quædam justitia & rectitudo; ergo &c. Item, *opposita sunt circa idem: gratia & peccatum sunt opposita; sed peccatum est in voluntate, secundùm Anselmum ubi priùs: igitur & gratia.*

97. Qua ratione character sit moralis dispositio ad gratiam, explicat Scotus.

Porro quâ ratione character sit moralis dispositio ad gratiam, explicat Doctor quæst. 9. n. 18. his verbis: *Et tunc ad rationem cùm dicitur, aut est dispositio ex parte passi vel agentis. Respondeo non agentis, quasi sit quoddam agens medium inter primum agens & passum: non enim pono characterem habere aliquam virtutem activam respectu gratiæ causandæ, sed Deum assistere illi tanquàm signo invisibili ad causandam gratiam, quam signat recedente impedimento sive obice inhærente. Est ergo dispositio ex parte susceptivi, quia est forma prior, sine qua non recipitur forma posterior; non quidem quasi sit ratio susceptivi respectu posterioris, sed quòd priùs insit, quàm posterior, non simpliciter necessariò, sed necessario comparando ad potentiam ordinariam agentis causantis utramque formam.*

Character & gratia ordinantur inter se in morali æstimatione.

Licèt ergo character & gratia non habeant ullum ordinem inter se ex natura rei, habent tamen in morali æstimatione: nam gratia supponit characterem in Sacramento, & non è contra; adeoque character est naturâ prior moraliter gratiâ Sacramentali. Et certè cùm character Baptismi sit potentia moraliter disponens ad validam receptionem Sacramentorum; quarè non erit etiam dispositio ad eorum effectum, qui est gratia?

Objectio

Audio opponentem: Actus fidei disponit physicè ad actum charitatis, qui est in voluntate: & sanctitas B. Virginis fuit moralis dispositio ad maternitatem, quæ est potentia generativa.

Solvitur.

Respondeo me ideo signanter posuisse *nisi aliquid obstet*, hoc est, quando subjectum formæ est capax etiam dispositionis: jam autem neque voluntas est capax actûs fidei, utpote qui sit actus immanens intellectûs; neque potentia generativa sanctitatis, quæ est habitus, aut actus immanens voluntatis. Adde quòd fides exigat in voluntate pium affectum credulitatis.

98. Secunda ratio Conclusionis ex Scoto.

Secundam rationem tradit Doctor supra q. 11. n. 4. *Quia si* (inquit) *character est signum vel fundamentum obligationis animæ ad Deum, rationabile est, quòd ponatur in illa potentia, cuius est primò obligari, vel esse rationem obligandi: talis autem est voluntas, quia præcisè per eius actum aliquis se obligat principaliter: illa enim quæ concurrunt ibi ex parte intellectûs, vel alterius potentiæ in homine, non sunt nisi quædam præambula ad firmum velle, quod est rationabiliter proponere vel vovere, vel quædam signa manifestantia illud esse firmum.*

Respondet Cardinalis Lugo disp. 6. sect. 4. n. 64. Non oportet signum obligationis poni semper in voluntate, sed ibi, ubi videri possit, ut contingit in signo servis imposito; quod magis habet locum in charactere Sacramentali, qui non semper suscipitur liberè; ut constat in infantibus baptizatis & confirmatis, & qui possent etiam ordinari ante usum rationis. 99. Objectio ex Lugone

Solvitur.

Sed contra; Ergo character debebit poni in corpore; nam signum servitutis ortæ ex voluntate, in facie v. g gestatur; quia signum in essentia animæ aut voluntate impressum homines pro hoc statu nequeunt videre; Deus autem perfectissimè intuetur characterem in voluntate. Et quamvis infantes liberè characterem non recipiant, sicut nec Sacramentum; non tamen proptereà minùs obligantur, obligatione proximè residente in illorum voluntate. Quidni etiam character resideat quemadmodùm ex eodem Sacramento non liberè suscepto proximè illi inexistit gratia & charitas?

Addunt aliqui tertium argumentum; quia character inclinat ad colendum Deum, quod maximè fit per voluntatem, nimirum per actus spei & charitatis elicitos vel imperatos, sic quòd etiam fides aut professio ejus non habeant rationem veri cultûs Dei, nisi per pium affectum voluntatis imperentur. Neque character est professio fidei, nisi quatenus est signum ejus; non debet autem signum esse in eo, in quo est signatum, ut patet in judiciaria potestate, quæ est in anima, non autem ejus signum v. g. virga. 100.

Attamen nec hoc argumentum convincit, cùm character non sit principium physicum illorum actuum, sed ad summum adferat jus aliquod ad habenda auxilia opportuna, quibus fiant: cumque auxilia illa partim sint illustrationes pertinentes ad intellectum, partim affectiones pertinentes ad voluntatem, potiùs probaret characterem debere recipi in intellectu simul & voluntate; ut videtur placuisse D. Bonav. 4. dist. 6. parte 1. q. 3. Nihilominus quoniam formalis & principalis ratio virtutis propriè dictæ consistit in sola voluntate, ideo conveniens & magis congruum est, ut in illa etiam sola imprimatur character, qui est potentia saltem moralis ad actus virtuosos. *Character* (inquit Scot. supra q. 11. n. 4.) *non est dispositio proxima ad fidem ut fides est; sed est dispositio ad illam perfectionem,* Scotus.

perfectionem, quæ principaliter conformat totam animam Deo: & hæc est gratia, quæ est eadem cum charitate, & in voluntate.

101. Objectio prima. Objicitur primò: Character non ordinatur ad operandum, sed ad perficiendam, decorandam & signandam animam: ergo debet esse in essentia animæ, & non in aliquo principio operativo seu potentia.

Objectio secunda. Objicitur secundò: Potentiæ non sunt nisi instrumenta animæ, quorum tota essentia & specificatio desumitur ab actu, seu operatione & objecto, ergo in iis non videtur aliquid posse existere præter operationem, & id, quod ad eam conducit, quale non est character: unde intellectui nihil inexistit, nisi ipse actus seu operatio, & species ac habitus, quæ ad operationem conducunt; adeoque videtur idem dicendum de voluntate.

Solvuntur. Respondeo ad utrumque negando consequentiam: quamvis enim character ordinetur ad perficiendam substantiam in essendo, tamen quia illam perficit ut rationabilem & liberam, disponens ad charitatem, quæ operativa est, debet proximè inhærere libero arbitrio. Simile fit in qualitatibus primis elementaribus, quæ licèt per se primò ordinentur ad perficiendam substantiam in essendo, inhærent tamen illi mediante quantitate. Quæ etiam quantitas, cùm non sit activa, sicut sunt illæ qualitates, sequitur accidentia non debere semper imitari naturam sui subjecti; & ita licèt potentiæ sint datæ ad operandum, posse tamen in eis aliquid inexistere, quod non est activum: veluti nec ipse actus, quo supernaturaliter intelligimus vel volumus, est activus, quamvis inexistat immediatè potentiis.

102. Tota essentia potentiæ non desumitur ex ordine ad operationem. Neque verum est totam essentiam potentiæ, v. g. intellectûs & voluntatis, desumi ex ordine ad operationem, cùm sint entia absoluta, ac qualitates vel substantiæ: sed cùm dicitur specificatio potentiarum desumi ab actibus, eatenùs verum est, quia quando potentia una est productiva certorum actuum, & non altera, signum est esse distinctam ab illa; quo sensu etiam dicuntur actus distingui per objecta: alioquin notitia abstractiva & intuitiva differunt specie, & tamen versari possunt circa idem objectum; sicut & voluntas & intellectus, quæ secundùm Scotum habent idem objectum, nimirum ens, licèt diversimodè in illud tendant. Cùm etiam secundùm eundem non differant realiter ab anima, sequitur à parte rei intellectum & voluntatem hominis differre specie ab intellectu & voluntate Angeli, licèt habeant eandem specie relationem transcendentalem ad idem objectum, & ad eosdem specie actus, propter quod & dicuntur non differre formaliter in ratione potentiæ.

Accedit, quòd character moraliter aliquid agere videatur, quatenus v. g. movet Angelos, ut specialem habeant curam illuminandi & custodiendi eo insignitos; ipsumque Deum ad dandum illuminationem & alias gratias actuales. Præterea Beatos, qui cæteris paribus specialiter pro eis orant, qui illum habent, & quando sunt in patria, speciali quodam honore prosequuntur illos, & in hoc Deum speciali titulo laudant: quod præsertim elucet in Ordinis charactere, cujus intuitu specialis reverentia exhibetur ei, qui illo insignitus apparet. Character videtur moraliter aliquid agere.

Objicitur tertiò: Character est lumen spirituale. Respondeo ad alios illuminandos, ut cognoscant statum meum, hoc est, me esse deputatum domesticum aut militem vel ministrum Christi; tale autem lumen non debet esse in intellectu; sic etenim character servi illuminat alios, ut sciant illum esse servum, non tamen recipitur in intellectu servi. Pari ratione character dicitur imago, figura & similitudo spiritualis, non quòd sit cognitio vel principium efficiens cognitionem, sed quia agnitus ducit in cognitionem obligationis voluntatis, in qua est. 103. Objectio tertia soluta.

Et verò si quispiam à me petat, quænam ergo sint proprietates characteris? Respondeo cum Doctore Subtili supra quæst. 9. num. 3. *Ex ista ratione nominis* (characteris conclus. 5. in principio tradita) *sequuntur aliquæ proprietates, quarum duæ sunt communes sibi & cuilibet formæ, scilicet quòd est forma assimilativa alii habenti, & quòd est forma distinctiva à non habente; & aliæ speciales, quarum una est, quòd est signum rememorativum Sacramenti suscepti: alia, quòd est signum conformativum Christo, cujus Sacramentum suscipitur; & etiam obligatorium ei, eo modo, quo suscipiens Sacramentum obligatur per eius susceptionem.* Nulla autem harum proprietatum postulat characterem immediatè imprimi vel in essentia animæ, vel in intellectu, sed potiùs ex majori congruentia in voluntate. Neque indelebilitas characteris id exigit; ut patebit ex his, quæ statim de illa disputo. 104. Proprietates characteris. Scotus.

CONCLUSIO VII.

Character de potentia ordinaria est indelebilis, etiam post mortem.

105. Characteris indelebilitas non rectè ex Sacramentorum non iterabilitate colligitur contra Lugonem.

QUòd de facto non deleatur in hâc vita, ad minùs probant verba Conciliorum supra conclus. 5. citata. At verò quomodò hoc colligatur ex eo, quòd illa Sacramenta reiterari nunquam possunt (ut vult Cardinalis Lugo supra n.66.) non satìs video; fortè lumen aliquod adferet consequentiæ probatio: Quia alioquin (inquit) vel ille homo deberet iterum baptizari aut ordinari, vel certè esset Christianus, vel Sacerdos absque charactere; & per consequens à principio potuisset esse talis sine illo. Adhuc parva lux; quippe juxta eundem Auctorem ibidem n. 5. non bene videtur argui ex eo, quòd iterari non possint, quòd imprimant characterem. Probat: nam conse cratio calicis vel Ecclesiæ, ac etiam prima tonsura iterari non possunt, & tamen non imprimunt characterem. Præterea docet n. 7. sic Deum statuere potuisse decreto immutabili, quòd ille, qui semel accepisset potestatem sacerdotalem, nunquam eam perderet; unde fieret, quòd illa potestas reiterari non posset, etiamsi non imprimeret characterem.

Si ergo à principio potuit homo esse Christianus vel Sacerdos absque charactere, idque immutabiliter; cur non etiam per characterem delebilem sive transeuntem, si Deus ita ordinasset? Unde Concilia non inferunt indelebilitatem ex non iteratione, sed è converso ex charactere indelebili initerationem. Equidem suppositâ voluntate Christi, quâ voluit hominem fieri & manere Christianum vel Sacerdotem per signum aliquod intrinsecum, rectè ex initeratione Sacramentorum infertur indelebilitas characteris. Et fortè hoc solùm voluit præfatus Auctor.

106. Radix indelebilitatis characteris est voluntas divina.

Radix ergo indelebilitatis hujus signi est voluntas divina; quemadmodùm eadem voluntas in sententia Doctoris Subtilis est tota ratio delebilitatis gratiæ sive charitatis; siquidem quòd nullâ ratione physicè produci potest à causa creata, neque per eam potest physicè destrui. Sicuti ergo Deus decrevit gratiam annihilare ad præsentiam peccati mortalis, quia peccator indignus est amicitiâ divinâ; ita potuisset, si voluisset, decernere, ut ad quodlibet peccatum vel ad certum aliquod in specie v. g. infidelitatem, destrueretur demeritoriè character Baptismi; ad externam professionem falsæ fidei, character Confirmationis; ad indignam collationem Ordinis sacri vel sacrilegam administrationem cujuscumque Sacramenti, character Ordinis. Noluit autem, quia voluit etiam animæ peccatrici characterem primò imprimére: at sicuti noluit gratiam peccatori actuali infundere; ita quoque voluit, ut per quodlibet peccatum mortale habita demeritoriè amitteretur, & instituit Sacramenta, per quæ amissa posset recuperari.

Hinc bene respondet Scotus supra q. 9. n. 20. ad tertiam rationem pro opinione negante characterem, quæ erat talis: Non videtur probabile, quòd alicui, qui non tantùm est in peccato mortali, sed in illo actu peccat mortaliter, Deus conferat donum suum; & hujus probatio est: quia *Dei perfecta sunt opera*, Deut. 32. v. 4. & ideo nullum curat, quem non perfectè curat: impium enim est à Deo imperfectam sperare veniam; nullum ergo donum suum dat alicui actualiter tunc peccanti mortaliter. 107. Deut. 32.

Scotus. Respondet (inquam) Doctor: *Potest dici, quòd Deus peccanti mortaliter in ipso actu, quo peccat mortaliter, confert aliquod donum suum: quia non vult Sacramentum suum* (nota, *non vult*) *quod verè ab eo suscipitur, esse vanum, & ita vult sibi aliquem effectum causare: non autem ultimum, quia indispositus est. Et cùm probas, quod perfectè curat, concedo quando curat: sed tunc non curat, immò tantùm disponit istum, sive præparat ad curationem: & concedo quòd perfectè præparat*; intellige quantùm est ex parte Sacramenti, ut positâ dispositione subjecti, statim conferat gratiam.

Et istud (prosequitur) *est rationabile, quia licèt in actionibus beneplaciti circa personas privatas fortè non conferat dona sua pertinentia ad salutem illius personæ, nisi perfectè sanando illam personam: in actibus tamen universalibus concomitantibus remedia sua universalia, cujusmodi sunt Sacramenta, rationabile est, ut aliquos effectus universales ordinaret causare cum talibus remediis: non autem ultimatos; quia non omnes recipientes illa remedia, sunt ad hoc idonei.*

108. De absoluta Dei potentia non est indelebilis.

Ex quo ulteriùs intelligimus de absoluta Dei potentia characterem non esse indelebilem, ut ibidem tradit Doctor, inquiens: *Breviter dico, quòd nulla forma potest esse in anima, alia ab anima, quam non possit Deus de potêtia absoluta delere, sicut posterius à priori; quia in hoc nulla potest inveniri contradictio. Sed character, si ponatur, hoc modo est indelebilis ....*

quia

quia nec virtute alicuius creaturæ; *patet*, *quia est forma supernaturalis* (quæ non habet contrariam, à qua physicè expellatur) *nec potest virtute divinâ deleri de potentia eius ordinata*; *quia ordinavit nullam formam supernaturalem delere*, *nisi propter aliquod demeritum inhærens animæ*: *respectu autem characteris delendi nulla potest esse causa demeritoria* (stante præsenti Dei ordinatione) *quia imprimitur in actu peccandi mortaliter*, idque independenter ab omni actu voluntatis; imò licèt cum voluntate suscipiendi Sacramentum conjungeretur voluntas contraria non recipiendi characterem: minùs ergò qui semel voluntate expressâ eum recepit, potest pro libitu postea abjicere; signum namque servitutis aut militiæ humanæ liberum est in accipiendo, at non in rejiciendo.

Secus de ordinaria.

Illius convenientia.

Porro conveniens fuit Deum ita instituere characterem; si enim potestas moralis suscipiendi & conficiendi Sacramenta, quæ characteri ex præsenti ordinatione est annexa, perderetur per peccatum, deberent homines sæpiùs rebaptizari, quod est inconveniens, quandoquidem Baptismus sit institutus ad repræsentationem mortis & resurrectionis Christi, quæ nunquam debuerat repeti. Deinde nunquam essent homines certi an validè susciperent Sacramenta, v. g. Pœnitentiæ, nisi essent certi quòd essent in gratia, adeoque haberent characterem. Denique multi Sacerdotes Sacramenta invalidè conferrent in magnum Christianorum detrimentum, & deberent cum scandalo reordinari. Potuisset quidem Deus ablato charactere relinquere prædictam potestatem (ut dictum est) sed & hoc est inconveniens, quia character est signum hujusmodi potestatis, & non confertur nisi propter illam.

109. Character est etiam indelebilis post mortem.

Restat ultima pars conclusionis, quæ est communis, quàmvis non sit fidei, sicut prior: eò quòd non videatur fuisse mens Conciliorum hoc definire, cùm de hoc non fuerit controversia cum hæreticis. Probatur autem maximè ex praxi Ecclesiæ, quæ non solet resuscitatum à mortuis denuò baptizare, confirmare vel ordinare, & tamen permittit Sacramenta recipere ac conficere.

Objectio

Dicere verò, Deum in resuscitato reproducere characterem, vel conservare in eo, quem novit resuscitandum, est ponere miraculum sine sufficienti ratione; si enim ex natura suâ perit, cur non dicitur Sacramenta illa esse reiteranda? Quemadmodum religiosus, aut conjux reviviscens, manet solutus voto aut vinculo, nisi denuò voveat aut contrahat; quippe votum aut vinculum matrimonij ex natura sua solùm durat usque ad mortem.

Dices: Si beatus resurgeret & rediret ad statum viatoris, Deus infunderet ipsi novum habitum fidei. Respondeo: quia aliunde constat priorem habitum in patria fuisse evacuatum ob status ac luminis perfectionem, de quo in materia de Fide. Docet insuper Concilium Trident sess. 6. cap. 7. hominem viatorem in justificatione hæc omnia simul infusa accipere Fidem, Spem & Charitatem; vel ergo beatus non resurgit justus, vel retinet lumen gloriæ, aut certè Deus, absque tamen novo miraculo, infundit habitum fidei eundem, vel numero diversum. 110. Et instantiæ solvuntur. Trident.

Certum autem est, hominem posse justificari absque impressione characteris, per contritionem scilicet perfectam, aut amorem Dei super omnia, ante realem susceptionem Baptismi. Aliunde etiam non constat per mortem characterem impressum amitti; manet siquidem subjectum, quod est sola anima, salvum. Aliud est quando destruitur calix consecratus; eo ipso enim amittitur consecratio; quia desinit esse compositum artificiale, cui toti entitas illa moralis adhæret.

111. Objectio, quòd damnati sint indigni dono supernaturali. S. Dionys. S. August.

Sed instas: Damnati indigni sunt dono supernaturali, teste Dionysio de Divinis nominibus cap. 4. ubi dicit, dæmones carere omnibus divinis donis tam secundùm habitum, quàm operationem. Unde in damnatis nulla reperitur fides, nisi quandoque naturalis: nam (ut bene Divus Augustinus lib. 9. de Civit. cap. 21.) *Innotuit ergo* (mysterium Incarnationis) *dæmonibus*, *non per id quod est vita æterna & lumen incommutabile*, *quod illuminat pios*, *cui vivendo per fidem*, *quæ in illo est*, *corda mundantur*: *sed per quædam temporalia sua virtutis effecta* &c. Deinde character tam in damnatis, quàm beatis erit otiosus; quippe post mortem non manet potestas suscipiendi vel conferendi Sacramenta; etiam post generalem resurrectionem; quia pro solis viatoribus Sacramenta instituta sunt; ergo sicut in patria destruitur fides habitualis propter ejus otiositatem, ita quoque character.

Et quòd character tam in damnatis, quàm beatis erit otiosus.

Respondetur primo.

Respondeo ad primum, nullum ostendi inconveniens in eo, quòd Deus conservet in damnatis qualitatem aliquam supernaturalem, quando illa ipsis servit non ad gloriam, sed ad majorem confusionem. Etenim sicuti ignominiosum est in Republica civili militem non pugnasse, Principem tyrannicè rexisse; ita valde

valde confusibile est in Republica Ecclesiastica, militem Christi fidem ejus negasse & oppugnasse, civem bona communia, puta Sacramenta & suffragia, contempsisse; denique Principem & Præfectum bona communia Ecclesiæ non dispensasse, sed dissipasse. E contra verò quemadmodum honorificum & gloriosum est munia Reipublicæ civilis strenuè obivisse, ita ut etiam sæpiùs homines honoris causâ retineant domi suæ insignia & scripturas dignitatum, quas habuerunt, etiam postquàm officio functi sunt; simili ratione oportuit in Beatis permanere characterem, non ad operandum (non enim est qualitas physicè operativa) sed tanquam signum potestatis & gratiæ acceptæ ac bene impensæ; permanere (inquam) oportuit in majorem illorum gloriam.

Respondetur secundò. Ex quo patet responsio ad secundum; fides siquidem habitualis qualitas est physicè operativa, & ad operandum principaliter à Deo infusa; cessante autem fine, id est, operatione, in damnatis quidem propter eorum indignitatem (status quippe damnationis est status summè miseriæ) in beatis verò propter statûs ac luminis perfectionem, congruum fuit ut etiam effectus cessaret: porro character (ut jam dixi) non imprimitur à Deo principaliter propter operationem, neque est qualitas physicè operativa, sed in signum potestatis acceptæ, sive distinctivum unius ab altero, sive rememorativum, *non tantùm* (ut advertit Scotus supra quæst. 9. n. 19.) *propter illos, respectu quorum habet rationem signi ducens in rationem signati ..... sed habet rationem signi rememorativi propter ipsum qui suscipit. Et quod objicitur* (inquit) *quòd Deus posset cognoscere ovem suam sine signo, non obstat; quia etiam potest eam nosse cum signo. Beati etiam & damnati possunt istam nosse signatam, quam non cognoscerent non signatam: quia in beatitudine ad maiorem gloriam, & in damnatione ad maiorem confusionem.* — Scotus.

Videant alij, quomodò damnatis erit ad opprobrium permanentia characteris à toto sodalitio invisi, cùm supernaturalia (inter quæ character communiter computatur, utpote cujus effectio est supra naturam, sicut dicitur) naturaliter secundùm ipsos videri non possint.

112. Qualiter damnati videant characterem. Dices: Esto videant damnati in sententia Scoti characterem, quamdiù intellectus eorum in intelligendo non dependet à phantasmate, saltem post resumpta corpora ampliùs non videbunt. Respondeo: poterunt tunc habere notitiam rememorativam; poterunt discere à dæmonibus id eis exprobrantibus: quod etiam fiet in die judicij.

Hucusque de existentia characteris, ejus subjecto & indelebilitate. Non tango divisibilitatem aut indivisibilitatem, quæ parvi momenti est, & de qua nihil certò constare potest; sed venio ad essentiam sive entitatem, & quæro, an sit realis, an rationis? relativa, an absoluta? Pro resolutione subjicio conclusionem octavam, quæ sic se habet:

CONCLUSIO VIII.

Character non est relatio realis, multò minùs rationis; sed forma realis absoluta.

HÆc conclusio multis recentioribus apparet esse contra Scotum: sed nescio utrùm Scotum vel leviter inspexerint, primo quippe intuitu vidissent problematicam ejus resolutionem his verbis conceptam & expressam 4. dist. 6. quæst. 10. num. 13. *Ad quæstionem potest dici, quòd sicut non potest probari aliquam formam realem imprimi in susceptione Baptismi aliam à gratia & virtutibus, & hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per rationem evidentem ex creditis manifestis: ita non potest probari characterem, si ponatur forma realis, esse formam absolutam realem, vel respectivam: quia utrimque salvari potest, quòd sit scilicet forma respectiva, vel quòd sit forma realis absoluta. Si ponatur, non potest evidenter improbari: quædam enim sunt satis rationabiliter concedenda de charactere si ponatur esse utpote quòd est forma spiritualis impressa à Deo cuicumque suscipienti Sacramentum non iterabile; & quòd ex institutione divina efficaciter significat gratiam illius Sacramenti; & quòd disponat ad eam, quia est in eodem susceptivo & ab eodem agente, & forma prior & imperfectior; & quòd sit indelebilis, cùm non habeat causam demeritoriam corruptivam; & quòd sit signum memorativum respectu susceptionis Sacramenti, quæ præteryt; & signum configurativum, id est, signans obligationem animæ ad Christum. Quòd etiam sit forma assimilativa alteri suscipienti Sacramentum, & ab eo distinctiva, qui non suscipit.* — 113. An character sit relatio realis, vel forma realis absoluta. problematicè disputat Scotus.

Hæc omnia, quæ videntur rationabiliter concedenda de charactere, si ponatur forma realis absoluta, possunt salvari, si ponatur respectus realis per modum prædictum, sicut si est forma

forma absoluta realis. Si autem ponatur respectus realis, dictum est prius, qualiter ista salvabuntur, qualis respectus sit, quia extrinsecus adveniens. Et addit: *Sed si ponatur forma absoluta, necesse est dicere, quod pertineat ad genus qualitatis.*

Cui falsò à Vasq. imponitur sententia de relatione rationis. Ista fusiùs, ut cuilibet æquo ac benigno lectori constare possit. Primò, quàm falsò, ne dicam injustè, Vasq. 3. parte disp. 134. cap. 2. imponat Scoto, quòd dixerit, characterem esse relationem rationis. Pro veris non vera loqui turpissima res est. Secundò, quàm temerarij sint, qui ob hoc Scotum temeritatis notant. Tertiò, ut appareat Doctorem minimè tenere, esse respectum realem, sed tantùm hoc posse defendi, probabiliùs tamen poni formam absolutam; cumque istud postremo loco defendat, & ipse suam sententiam ultimo loco soleat adferre, colligitur eum potiùs inclinasse in nostram conclusionem, quam proinde etiam communiter tenent Scotistæ, ut videre est in scholio Hugonis ante n. 13. supra citatum.

In formam realem absolutam magis inclinat Scotus.

Probabilitatem tamen relationis extrinsecùs advenientis pulchrè admittit. Et certè Scotus pulcherrimè ostendit probabilitatem sententiæ asserentis esse relationem extrinsecùs advenientem, eo quòd optimè huic relationi conveniant omnia, quæ characteri à Doctoribus tribui solent: & præsertim, quòd character sit quoddam signum spirituale; signum etenim formaliter ac essentialiter est relatio; cùm tamen, si character ponatur esse quid absolutum, non possit dici signum, nisi denominativè.

114. Nec deterret Lugo. Respondet facilè Cardinalis Lugo disp. 6. sect. 2. n. 25. non constitui omne signum per relationem prædicamentalem. Sed replico eâdem facilitate, Doctorem nostrum non asserere characterem esse relationem prædicamentalem, hoc est, prædicamenti Ad aliquid; sed extrinsecùs advenientem, realiter distinctam à voluntate sive anima, in qua tanquàm fundamento per actionem realem immediatè ad se terminatam imprimitur, ad eum modum, quo præsentia localis sive ubi, quod est respectus extrinsecùs adveniens juxta eundem, producitur in corpore quod localiter movetur.

Nec Doctor Angelicus. Solvit etiam ibidem, & solitâ subtilitate demonstrat à numero 3. usque ad 13. parvi esse momenti omnia argumenta, quibus Doctor Angelicus, & modò recentiores probant esse qualitatem seu formam absolutam, & non relationem.

115. Probatio Conclusionis prima ex perfectione formæ absolutæ. Cæterùm quoniam amplectimur sententiam communem, accedo ad ejus probationes, quarum ista facilè princeps: Forma realis absoluta est multò perfectior, quàm relationes etiam extrinsecùs advenientes: ergo character aptiùs asseritur forma realis absoluta, quandoquidem sit effectus, quem certa Sacramenta per quamdam prærogativam habent præ cæteris.

Argumentor secundò, & ostendo characterem non esse relationem realem; quia vel esset relatio realis transcendens, vel relatio realis prædicamentalis, vel denique relatio realis ex numero earum, quas Doctor noster vocat extrinsecùs advenientes: nulla istarum est; ergo &c. Probo minorem pro prima parte; quia character nulli subjecto necessariò inest, sicut relatio transcendentalis, quæ comitatur essentiam rei, & ab ea realiter est indistincta. 116. Probatio secunda ab enumeratione formarum relativarum.

Quâ ratione posset dici relatio transcendentalis. Equidem hâc ratione posset dici relatio transcendentalis, quia in ipsa essentia characteris imbibitus sit quidã ordo seu respectus tum ad operationes, ad quas vel recipiendas vel exercendas destinatur subjectum; tum ad auxilia, quæ debentur ratione Sacramenti; tum ad Christum, cujus characterem accipit homo tanquam servus, miles vel minister; non quòd character, v. g. baptismalis, faciat hominem formaliter servum; sed potiùs, quia designat eum, qui est servus vel domesticus Christi; sicut servus in humanis designatur signo aliquo in facie impresso, cùm antea per venditionem v. g. formaliter sit factus servus; & ita in præsenti homo fit domesticus Christi per Sacramentum Baptismi, Miles per Confirmationem, Præfectus per Ordinem: porro character imprimitur animæ ad notificandam hujusmodi conditionem.

Secunda pars minoris per se clarior est, quàm ut indigeat aliqua elucidatione: sic quippe character supponeret speciale fundamentum intrinsecum ipsi homini superadditum, à quo necessariò resultaret seclusâ omni actione particulariter ad se terminatâ, quod liquet esse falsissimum. Deinde relatio prædicamentalis necessariò postulat terminum actu existentem; character aliquando habuit terminum non existentem, v. g. in triduo mortis Christi, quando Christus non erat. 117.

Nec denique est relatio realis ex numero earum, quas Doctor Subtilis vocat extrinsecùs advenientes: nam tametsi ex actione sacramentali, quâ homo baptizatur, confirmatur, ordinatur, maneat in homine quædam relatio extrinsecùs adveniens, juxta doctrinam Scoti de relationibus extrinsecùs advenientibus; hæc tamen relatio non potest dici character: siquidem etiam ex actione aliorum Sacramentorum maneat in homine similis relatio, quæ tamen non est character. 118. Non est relatio realis extrinsecùs adveniens. Licèt ex actione Sacramentali maneat in homine quædã relatio extrinsecùs adveniens.

character. Probatur: quia illa relatio, quæ manet ex applicatione Baptismi, Confirmationis & Ordinis, non est aliud quàm denominatio baptizati, confirmati & ordinati; atqui similis relatio seu denominatio nutriti, absoluti, sanati, conjugati manet ex applicatione Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonij, quæ tamen non est character; ergo &c.

Probatur consequentia: quia si relatio baptizati v. g. esset potiùs character, quàm relatio nutriti; id esset, vel quia illa relatio est indelebilis, hæc autem delebilis: quod dici nequit, quia etiam relatio nutriti ex præterita nutritione resultans est indelebilis, cùm ad præteritum non detur potentia: vel quia relatio baptizati est signum specialis gradûs seu dignitatis in Ecclesia, non autem relatio nutriti, absoluti &c. at neque hoc sufficit, quia hæc differentia est tantùm moralis, non physica; quòd enim aliquod accidens significet dignitatem, pendet solùm ex beneplacito instituentis, non autem ex natura rei, quæ ad significandum imponitur: ergo ratio signi non constituit speciale genus entis accidentalis, quod non etiam imprimatur per alia Sacramenta. Itaque character non potest consistere in sola relatione, sed debet esse accidens absolutum, quare non imprimitur per alia Sacramenta.

Scotus. Respondet Scotus supra q. 10. n. 9. *Quòd ratio nihil probat, nisi quòd character non est quæcumque relatio ad actionem, vel passionem Sacramenti: sicut si esset forma absoluta, non esset quæcumque absoluta, quia in alijs Sacramentis secundum aliquos imprimitur aliqua forma absoluta, sed non character. Et propter hoc* (prosequitur) *potest dici, quòd in quolibet alio Sacramento imprimitur aliqua relatio manens post actum: character autem si est relatio, manet post actum suscepti Baptismi, imò semper.*

Illa tamen ex mente Scoti non est character. Unde ex mente ejusdem, character si est relatio realis, non est denominatio illa extrinseca baptizati, confirmati, ordinati; sed specialis quidam respectus extrinsecùs adveniens ipsi animæ, causatus à Deo immediatè in susceptione Sacramenti iterabilis, denotans certum gradum dignitatis in Ecclesia, & suo modo disponens ad gratiam in eodem, vel alio Sacramento recipiendam. Sanè non video, quin talis respectus realis sit possibilis.

119. Probatio tertia ab exclusione relationis rationis contra Durandum. Argumentor tertiò, & declaro characterem non esse relationem rationis, quidquid reclamet Durandus 4. dist. 4. quæst. 1. dicens: Cùm igitur character sit id, in quo homo efficitur minister Sacramentorum vel susceptivus eorum, patet quòd character non est nisi relatio rationis ex ordinatione vel pactione divina. Et istud convenientiùs; cùm enim scriptum sit Eccli. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt,* Eccl. 24. ad ea quæ sunt fidei, cùm sint satis obscura de se, non est conveniens adducere vias obscuras, & quæ plus habent obscuritatis & difficultatis, quàm principale propositum. Hæc ille.

Cujus sententiæ Scotum participem facit, sed falsissimè, Vasquesius. A qua sententia (inquit Vasq. supra) non longè abest Scotus in 4. dist. 6. q. 10. ubi postquàm in §. *Contra illud*, latè impugnavit sententiam, quæ affirmat characterem esse qualitatem absolutam, & rationes ejus dissolvit; in fine illius tandem concludit, characterem tantummodò esse quemdam respectum extrinsecùs advenientem ipsi animæ, effectum proximè à Deo in ipsa Sacramenti administratione, atque hâc ratione rectè omnia constare, quæ à Theologis tribuuntur characteri, neque ad id opus esse, ut asseramus characterem esse qualitatem aut entitatem aliquam absolutam.

Concludit planè id posse dici, & non dubito quin probabiliter. Sed audiamus ridiculam & impertinentissimam consequentiam Vasquesij: Quocirca (inquit) qui putant Scotum dixisse, characterem esse relationem realem intrinsecam animæ, falluntur; ex quo apparet aut ipsos non legisse Scotum, aut sententiam ejus non satis intellexisse. 120.

Liceat hic mihi usurpare dictum Apostoli Rom. 2. v. 1. *Propter quod inexcusabilis es ò homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Herculè si unquam, hoc sanè loco ostendit Vasq. se vel non legisse Scotum, aut sententiam ejus non satis intellexisse. Rom. 2.

Quod ostenditur, etiam ex ipso Vasquesio, primò. Quæritis demonstrationem ejus quod dico? legite verba, quæ supra in principio conclusionis ex Doctore nostro recitavi, & festinè invenietis. Immò ex ipsis verbis Vasquesij mox relatis ostendo: Concludit (inquit) characterem esse tantummodò quemdam respectum extrinsecùs advenientem ipsi animæ. Quid tum? Ergo non est relatio realis intrinseca animæ. Qualis consequentia! Præsentia localis secundùm Scotum tantummodò est respectus extrinsecùs adveniens corpori: ergo non est relatio realis intrinseca corpori. Ubi Scotus quæso, vel aliquis Scotista sic argumentatur?

Immo è contra in principijs nostris inferri debet: ergo est relatio realis intrinseca corpori;

corpori; non enim Scoto dicuntur sex ultima prædicamenta relationes extrinsecùs advenientes, eo quòd sint entia rationis, aut certè realia nulli subjecto intrinsecè inexistentia; sed quoniam non consequuntur necessariò extrema etiam ambo simul in actu posita, sicuti relatio intrinsecùs adveniens necessariò resultat posito fundamento & termino. Ita 4. dist. 13. q. 1. n. 9. ibi: *Illa dicatur respectus intrinsecùs adveniens, qui necessariò consequitur ambo extrema in actu posita, vel (quod idem est) necessariò consequitur suum fundamentum termino non excluso, sed posito. Extrinsecus autem est, qui non consequitur necessariò extrema etiam ambo simul in actu posita.* Scotus.

Et ideo (secundùm eundem) producitur per actionem immediatè & contingenter ad ipsum terminatam; *quia licet* Philosophus 5. Physicorum *neget motum esse* (verba ejus sunt 4. dist. 6. q. 10. n. 4.) *in Ad aliquid, prout ad genus Ad aliquid pertinent relationes intrinsecùs advenientes; non negat tamen motum vel mutationem esse in Ad aliquid extrinsecùs adveniens; immò concedit. Concedit enim in genere Vbi esse motum propriè, & tamen Vbi non est nisi respectus quidam corporis circumscribentis ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens.* Ecce quàm profundè Vasquesius intellexerit mentem Doctoris Subtilis!

Ostenditur secundò. Quidni (inquis) intellexerit? Fatetur siquidem Scotum docere, characterem effici proximè à Deo. Fatetur omninò, & vel sic magis manifestans suam inscitiam. An fortè dixeris hanc legitimam consequentiam: Deus proximè efficit in consecratione panis & vini præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus: ergo hæc præsentia est ens rationis? Nec ipse Vasquez eam concederet. Quomodò ergo rectè sequitur: Scotus dicit characterem proximè effici à Deo in administratione Sacramenti: ergo dicit esse ens rationis? Potiùs oppositum inferre debuisset: ergo docet esse ens reale.

121. Probatio conclusionis ex Florent. & Trid. Unde sic exordior impugnationem Durandi, à cujus opinione Scotus longissimè absfuit: Concil. Florent. & Conc. Trid. propriè sunt intelligenda, nisi aliquid obstet: docent autem characterem esse signum aliquod spirituale & indelebile in anima impressum, utique à Deo: ergo minimè est ens rationis.

Existimas enim quia Deus fingit entia rationis? Absit à nobis ut Deum dicamus aliter concipere rem, quàm à parte rei est. Disputant quidem Scotistæ inter se, an eorum Magister aliquando docuerit Deum posse efficere entia rationis; aliquibus asserentibus; alijs negantibus. Sed quid inde? Esto docuerit, saltem dubitativè, quod nemo potest negare; qui legit ipsum 1. dist. 30. in fine, ubi sic habet: *Sicut in æternitate Deus comparat voluntatem suam, ut creativam ad animam Antichristi, ut possibilem pro aliquo tempore, ita comparat in æternitate voluntatem suam, ut creantem; ad animam Antichristi, ut actualiter existentem pro illo nunc, pro quo vult creare illam animam. Et ista quidem sunt duæ relationes rationis sicut duo extrema, sed utraque æterna, licet non pro æterno.* Esto (inquam) sit ita: nunquid etiam aliquando asseruit ista entia rationis esse respectus extrinsecùs advenientes? aut causari à Deo in tempore, nec simpliciter causari seu effici, sed imprimi? Certè ly *imprimere*, quo utuntur Concilia supra, & sæpissimè Scotus, probans characterem solùm esse relationem extrinsecùs advenientem, videtur omninò significare actionem aliquam physicam & realem, ac per consequens terminum seu effectum physicum & realem. Scotus.

Præterea, quomodò homo signatur per ens rationis, quod nihil est? Quomodò illa relatio rationis seu denominatio extrinseca potest esse signum, quo unus præ alio deputatur ad sacras actiones; cùm nihil ponat in homine, nec sit in se cognoscibilis, sed tantùm per id, ad quod dicit respectum, hoc est, per Sacramentum præteritum? Profectò sic character non erit signum Sacramenti præteriti, sed magis ipsum Sacramentum præteritum, signum characteris. Ex ratione.

Interrogo rursum; quomodò potest ens rationis dici indelebile, cùm tantùm existat per intellectûs fictionem, quæ facillimè evanescit? Denique quid fuit opus Ecclesiæ definitione, si character solùm est relatio rationis? quis enim hæreticorum negaret ex præterita susceptione Baptismi, Confirmationis & Ordinis resultare hujusmodi denominationem? Imo quis Catholicorum negabit similem non resultare ex susceptione cujusvis Sacramenti? Et tamen constat non omnia Sacramenta imprimere characterem, licèt per Matrimonium v. g. deputetur quis ad multiplicationem prolium Ecclesiæ, & accipiat speciale jus ad habenda auxilia divina in ordine ad statum conjugalem. 122.

Quo sensu sint damnati hæretici. Nec dici potest, hæreticos solùm damnatos esse, quia negaverunt characterem indelebilem; quippe (ut supra dixi) relatio omnium Sacramentorum est indelebilis, & exceptis Anabaptistis alij asserunt Baptismum

mum sine sacrilegio iterari non posse.

123. His accedit, quòd eâdem facilitate liceret interpretari Concilium Trident. quando definit sess. 6. c. 7. justitiam inhærentem nobis infundi, de simili denominatione & favore seu deputatione, quâ Dei seu Christi justitia nobis imputetur, quod ab omnibus habetur hæreticum, aut saltem hæresi proximum, ut traditur in materia de Justificatione. Quapropter sententia Durandi videtur esse contra mentem Conciliorum, si non omninò clarè expressam, quin ab hæresi possit excusari, prout multi eam excusant; saltem rationabiliter præsumptam: aliàs enim non esset minùs probabilis, sicut ab omnibus vocatur; quippe seclusâ auctoritate Ecclesiæ, nihil cogit asserere formam illam physicam, quam non ponimus in Doctore, Prætore & alijs; sed sufficeret entitas moralis, sicut etiam in Clerico primæ Tonsuræ.

124. Qualiter ad argumenta pro conclusione allata posset responderi. Et verò ad argumenta, in contrarium jam allata, posset quis respondere. Ad primum, illud ens rationis abundantissimè resultare hoc ipso, quo Deus decrevit neminem validè suscipere vel conficere Sacramenta, nisi qui baptizatus vel ordinatus fuerit, & nemini regulariter atque ex opere operato conferre auxilia specialia ad professionem fidei, nisi fuerit confirmatus: sicuti ex hoc, quòd Deus voluerit Davidem regere populum suum in temporalibus, dicitur illi contulisse dignitatem regiam; & quemadmodum ex simili deputatione ad certos actus dicitur alicui conferri Doctoratus: atque (ut utar exemplo Durandi supra) sicuti nummus ex institutione humana per solam relationem rationis accipit rationem pretij. Quod autem additur ly *imprimere*, significare actionem realem, posset negari, & dici solùm importare majorem firmitatem.

Ad secundum & tertium, patet per entitatem illam moralem dici quempiam signari, & tanquàm per signum ab aliis distingui; sicut Doctoratus est signum distinctivum à cæteris, licèt secundùm se præcisè non sit cognoscibilis, utpote ens rationis, sed solùm per aliquod insigne, v. g. quod Doctores gestant; vel per actus, quibus Doctoratus fuit collatus; & sic character etiam cognosci potest mediante Sacramento, per quod confertur.

Confirmatur ex Scoto & Magistro supra citatis conclusione 5. qui dicunt etiam ipsum Sacramentum Baptismi dici posse signaculum & characterem; & tamen à Sacramento præcisè non denominatur homo signatus, nisi extrinsecè.

Ad quartum, dicito illam potestatem moralem, seu characterem esse indelebilem, quia à nullo homine potest auferri, vel impediri quò minùs validè exeat in actum.

Quomodò sententia Durandi non coincidat cum hæreticorum. Neque magis difficile erit respondere ad ultimum argumentum, si (quod verissimum est) consideremus hæreticos (ut refert Bellarminus & alij qui tractant de controversijs in materia Sacramentorum, & ex ijs Vasq. supra) non solùm negare Confirmationem & Ordinem esse Sacramenta, sed etiam dicere per Ordinem nullam conferri potestatem ad Sacramenta conficienda: imò Sacerdotem posse fieri laicum, adeoque Sacerdotium non esse indelebile, sed esse instar Doctoratûs v.g. vel alterius dignitatis amissibilis.

Et quamvis admittant Baptismum esse Sacramentum: non tamen in sensu Catholicorum; sed solùm, quia est signum ad fidem in nobis excitandam, aut signaculum justitiæ per fidem acquisitæ, ut retuli & refutavi in præambulo primæ sectionis, & sect. 4. conclus. 1. Porro longè aliter sensit Durandus; non enim tantùm admisit Ordinem ac Confirmationem esse vera Sacramenta; sed etiam docuit per Baptismum ac Ordinem acquiri potestatem validè suscipiendi ac conficiendi Sacramenta indelebilem, & quæ à nullo homine impediri possit; & similiter per Confirmationem conferri dignitatem militiæ Christianæ, seu potestatem & auxilia ad defendendam ac profitendam fidem. Solùm itaque contendit eam non consistere in aliqua forma physica & reali, sed in quodam ente morali, quod ipse vocat & reverà est ens rationis; quamvis nos contendamus illud ens morale annexum esse enti cuidam physico, quod vocamus characterem. Non ergo sententia Durandi coincidit cum sententia hæreticorum. 125.

Ad illud quod adijciebatur: ratio disparitatis assignatur ex diversitate errorum, qui in supradictis definitionibus Tridentini condemnantur; cùm enim hæretici assererent nullam homini intrinsecam esse justitiam, sed homines tantùm esse justos per fidem specialem; quia nimirùm si crederent firmiter Christum sufficienter pro nobis satisfecisse, & nos per ejus merita justos esse, Christi justitia seu Dei eis imputaretur, & peccata non imputarentur; Concilium definiens nobis infundi justitiam seu gratiam sanctificantem, & quidem unicuique propriam, non potuit intelligi de sola imputatione externa; alioquin nihil diceret contrarium opinioni hære-

hæreticorum. Cùm autem definit nobis per Sacramenta quædam imprimi characterem indelebilem, sufficienter condemnat hæreticos, etsi solùm intelligatur loqui de dignitate morali, quam hæretici negant. Et fortè ideo non facit mentionem de aliqua entitate reali physica, quia hæc erat controversia inter Doctores Catholicos.

Hucusque pro opinione Durandi, quam proinde non censemus dignam aliquâ graviori censurâ, sed solùm esse minus probabilem.

126. Quin etiam alicui videri posset, ipsi favere Concilium Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali n. 3. dicens: *Si quis Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagine, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium* &c. Quâ putas inexistentiâ? utique morali tantùm; quippe secundùm communiorem Theologorum sententiam, peccatum originale nihil aliud est, quàm nostrum in Adamo peccatum actuale morali existentia in nobis à natura manens; ergo nec impressio characteris necessariò intelligi debet de impressione physica.

Trident.

Confirmatur: quia Rex dicitur accipere seu recipere potestatem à Deo vel Republica; potestatem (inquam) non physicam, sed moralem; ergo similiter posset intelligi recipi & imprimi character non physicus, sed moralis.

Non favet Durando Trid. in decreto de peccato originali.

Respondeo negando consequentiam: quia significatio verborum debet colligi ex subjecta materia, quæ si fuerit talis, ut non sit capax nisi significationis translatitiæ vel analogicæ, in ea debent intelligi verba simpliciter prolata; ut cùm dicitur Genesis 1. v. 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi*; ly *erant* accipi debet in sensu analogico de existentia impropria; quia tenebræ, utpote privatio luminis, non sunt capaces propriæ existentiæ. Quando verò materia est capax propriæ significationis, verba simpliciter prolata accipienda sunt in sensu proprio, nisi aliquid obstet.

Gen. 1.

Ad propositum: constat peccatum originale, item potestatem regiam solùm esse entia moralia. Quando ergo dicuntur alicui inesse aut inexistere, debet id necessariò intelligi de inexistentia morali, quia ens morale incapax est inhæsionis physicæ: at verus & proprius character est signum aliquod physicum & reale, adeòque capax physicæ impressionis. Igitur verba Conciliorum simpliciter prolata intelligi debent de physico charactere, ejusque physica impressione; sicut quando dicitur anima in purgatorio vel in inferno pati dolorem, non intelligimus de dolore morali, sed physico, quia materia subjecta est capax propriæ significationis.

Itaque colligendo & quasi in synopsi totam doctrinam ob oculos proponendo, censeo characterem esse ens physicum, spirituale, impressum à Deo immediatè in susceptione Sacramenti, quo anima signatur, imò & perficitur, non tantùm moraliter, verùm etiam physicè, quemadmodùm per alias virtutes tum naturales, tum supernaturales: cumque forma absoluta ex genere suo sit multò perfectior quàm quæcumque relatio, persistimus in conclusione, quæ nunquàm displicuit Doctori Subtili, esto resolutivè tenuerit ut problema, characterem esse formam absolutam vel relationem realem extrinsecam. Et quoniam non designavit speciem relationis in qua collocanda esset, dico reduci posse ad prædicamentum passionis, tanquam respectus transmutati ad transmutans, puta Filij familias ad Patrem, Militis ad Ducem, Præfecti ad Imperatorem. 127.

Profectò vel ex hoc solo satis liquet Doctorem nostrum probabiliorem existimasse sententiam communem, quæ affirmat characterem esse formam absolutam. Etenim genus ejus & speciem disertis verbis explicat 4. dist. 6. q. 10. n. 13. dicens: *Sed si ponatur forma absoluta, necesse est dicere, quod pertineat ad genus qualitatis.* Et n. 15. ibi: *Respondeo, quod si ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima; nec alterum istorum potest evidenter improbari.* Hinc erit

Scotus

CONCLUSIO IX.

Character est qualitas, & quidem tertiæ speciei si sequamur hodiernam divisionem; secundæ verò vel primæ, si Aristotelicam.

Prima pars probatur à sufficienti enumeratione; siquidem nec est substantia, nec quantitas, ut patet ex definitionibus Conciliorum, quæ dicunt characterem inhærere animæ, adeoque indicant esse accidens spirituale, sicut subjectum cui inhæret: nec est relatio prædicamentalis, vel extrinsecùs adveniens, qualia sunt sex ultima prædicamenta; ergo est qualitas. 128.

Probatio primæ partis à sufficienti enumeratione.

Pro intellectu secundæ & tertiæ partis, suppono ex Philosophia, recentiores Philosophos in prima specie qualitatis constituere omnes 129.

Notanda moderna qualitatis divisio.

omnes & solas qualitates, quæ per se primò ordinantur ad tribuendam facilitatem, seu etiam complementum operandi; in secunda verò, quæ dant primam operandi facultatem accidentalem; in tertia, quæ per se primò substantiam in essendo perficiunt; denique in quarta specie, quæ terminant quantitatem.

Notanda etiam divisio Aristotelis;

Sed Aristoteles non ita divisit; posuit siquidem primam speciem qualitatis habitum vel dispositionem, & sub ijs intellexit omnem qualitatem secundùm quam aliquo modo bene se habet subjectum, & quæ aliquo modo disponit ad operandum: quo pacto dicit sanitatem & pulchritudinem esse in prima specie qualitatis, cùm tamen non sint qualitates simplices, sed aggregatum ex pluribus. Distinguit autem habitum à dispositione, quòd hæc facilè, ille difficulter sit amovibilis. In secunda specie posuit potentiam vel impotentiam, seu principia prima ad operandum vel recipiendum, aut certè ad resistendum operationi vel susceptioni. Tertiam speciem constituit Aristoteles qualitatem patibilem, id est, eam, à qua sensus pati potest, sive quæ sub sensum cadit.

Licèt non sit adequata; ut indicat Scotus.

Unde hæc doctrina Aristotelis non est accurata, ut notant plerique hodierni Scriptores, & indicat Scot. supra n.14. ibi: *Veruntamen illud posset habere aliquam probabilitatem de una alia forma: quia secundùm veritatem illa divisio* (scilicet Aristotelis quam sequitur Scotus in illa quæstione) *qualitatis in quatuor species non est propriè generis in species, sed est tantùm secundùm quosdam modos diversos convenientes diversis qualitatibus. Et fortè eidem qualitati in se secundùm essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diversis qualitatibus.*

130. Character, utpotè non physicè activus, non est primæ vel secundæ speciei.

Hoc supposito, ostendo secundam partem conclusionis: character non est primæ vel secundæ speciei; quia istæ qualitates naturâ suâ ordinatæ sunt ad physicè operandum; ille verò nullam habet physicam activitatem, ut communiter omnes admittunt; non enim respectu gratiæ, utpote quæ à Deo, vel solo (ut probabilius est) vel mediante Sacramento tanquam physico instrumento (ut quidam volunt) infunditur: neque respectu Sacraméti; quippe tota actio sacramentalis poni potest ab eo, qui characterem non habet, & circa eum, qui similiter non habet: *Ita enim* (ait Doctor supra n.7.) *posset non baptizatus inungi chrismate sicut baptizatus, & ita posset abluere sicut baptizatus.*

Scotus.

131. Non etiam quartæ ob rationem Scoti.

Certum quoque est non pertinere ad quartam speciem: *quia* (ut inquit idem n. 14.) *nil collocatur in genere per proprietates metaphoricas; quia alioquin Christus esset verè in genere substantiæ inanimatæ, quia dicitur petra* (1. Cor. 10.) *& esset in genere animalis irrationalis, quia* (Apoc. 5.) *leo dicitur metaphoricè: & in genere qualitatis, quia dicitur lux* (Joan. 8.) *Ego sum lux mundi.* Constat autem characterem non nisi metaphoricè dici figuram, cùm sit accidens spirituale; figura verò materiale, consequens quantitatem. Ergo à sufficienti iterum enumeratione, oportet sit qualitas tertiæ speciei, perficiens hominem in esse supernaturali.

Tertiam partem conclusionis expressit Scotus supra n. 15. *Respondeo ergo, quòd si ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima.* Ubi etiam respondet argumentis in contrarium, ut videbimus, præmissa probatione, quę est talis: 132.

132. Probatio tertiæ partis Conclusionis ex Scoto.

Character licèt non sit propriè activus, aliqualiter tamen disponit suum subjectum ad agendum vel recipiendum, cùm sit quædam moralis potentia, in hoc similis habitui & dissimilis potentiæ physicæ, quòd non dimanet ex principijs intrinsecis hominis; in hoc dissimilis habitui & similis potentiæ, quòd non supponat aliud principium activum accidentale.

Declaratur: character Baptismi non solùm est potentia passiva moralis, quatenùs quisquis non est eo insignitus invalidè suscipit reliqua Sacramenta; & character Confirmationis, quatenùs minùs ordinatè sine eo suscipiuntur aliqua Sacramenta: sed etiam omnes tres characteres habent rationem potentiæ activæ moralis, quatenùs conjuncti cum gratia sacramentali, exigunt specialia auxilia gratiæ, cum quibus homo ritè obeat munus, quod per characterem suscepit; & quatenùs requirunt, ut tentationes internæ vel externæ, vel impediantur, vel certè minuantur.

Quâ ratione characteres habeant rationem potentiæ activæ moralis.

Character etiam Baptismi specialiter habet rationem potentiæ activæ respectu Sacramenti Matrimonij; quia nisi minister hujus Sacramenti (qui sunt ipsi contrahentes) fuerit insignitus hoc charactere, non efficit Sacramentum. Similiter character Ordinis Presbyterij ita habet rationem potentiæ activæ respectu Sacramenti Pœnitentiæ seu Absolutionis, & Extremę Unctionis, ut sine eo nihil efficiatur: quamquàm habeat rationem potentiæ passivæ respectu Sacramenti ordinis Episcopalis, quod ex communiori sententia invalidè susciperetur à non Sacerdote. Et hanc veritatem indicat Nazianz. orat. ad S. Lavacrum, quando dicit, Baptismum esse sigillum, quo conservãtur fideles; conservatio quippe causalitatem aliquam, saltem moralem, & operationem denotat.

Hæc veritas colligitur ex Nazianzeno.

Similiter

Ambrosio. Similiter D. Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. *Spiritu* (inquit) *signamur, ut splendorem atque imaginem eius & gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum.*

Catechismo Romano. Pari modo loquitur Catechismus Romanus de Sacramentis in genere § pen. *Charactere* (inquit) *Confirmationis veluti Christi milites ad eius nominis publicam confessionem & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem & spiritualia nequitia in cælestibus armamur atque instruimur.* Accedit, quòd character deserviat, ut Angeli, eo viso, specialem curam, habeant illuminandi, protegendi & gubernandi, quos vident habere signum Dei in frontibus suis. Sic enim dixit Basi- Et Basilio. lius Oratione 13. *Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?*

133. A quibus non dissentit Scotus tribuens characteri potestatem ministerialem. Ab his non dissentit Scotus, quando supra n. 7. & 8. tribuit characteri potestatem ministerialem (ut vocat) *hoc est, per quam aliquis fit conveniens minister alicuius principalis agentis, & sine illa potestate non esset conveniens minister principalis agentis. Potestas* (inquit) *ordinandi & confirmandi si est activa, non est nisi ad ministrandum convenienter in tali actu, tali domino, ut ipse ad actum ministerialem huiusmodi assistat, operando principaliter, eo modo, quo non assisteret simili ministerio exhibito ab alio. Character autem baptismalis, si ponitur potestas passiva, non ponitur passiva, nec ut receptiva, neque ut ratio recipiendi: nihil enim absolutè potest recipere anima baptizati, quod non possit recipere anima non baptizati: sed est potestas quædam relativa de congruo ordinata à principali agente, disponente agere in passum habens talem formam, & non in aliud passum.* Ita Doctor; quàmvis subjungat: *Talis autem forma relativa de congruo respectu alicuius agentis principalis voluntariè potest esse sola relatio: sicut aliquis disponit agere aliquid in aliquem, quia filius, vel quia consanguineus, nolens aliquid simile causare in non habente talem relationem.*

Et superiùs dixerat: *Talis potestas* (ministerialis) *non oportet quod sit forma absoluta: immò sufficit in multis, quòd sit tantummodo relatio rationis.* Probat exemplo judicis, qui *si ferat sententiam, sententia tenet: priùs autem non tenuisset, quia sententia à non iudice lata, nulla est ipso iure; nec tamen ille iudex..... habet aliquam formam absolutam realem, nec fortè relativam, nisi tantùm rationis, quam priùs non habebat. Per illam enim relationem rationis; quâ ipse à principe instituitur iudex, voluntas principis ratificat sententiam ab eo latam, & vult illam observari.*

134. Et hæc fortassis dederunt occasionem Vasquesio dicendi (ut supra vidimus) sententiam Doctoris in re esse opinionem Durandi. Sic ex uno verbo imperfectè lecto (subdit enim actutùm: *Multò magis posset* Vasquez. *relatio realis, si inesset, poni talis potestas convenienter exequendi ministerialiter aliquem actum*) & malè intellecto (nam Doctor ibi tantùm refutat tertiam rationem Divi Thomæ pro forma absoluta) aliqui captare videntur opportunitatem mentem Doctoris Subtilis in pejus interpretandi: in hoc sanè Scotus infelicior Doctore Angelico, circa quem ordinariè valde solliciti sunt; ita etiam quòd nuper quidam neotericus Scriptor imperium intellectûs, quod ipse asserit esse fictitium & superfluum, illud (inquam) imperium Tho- Malè imperium Thomisticum quidam Scoto imposuit. misticum, ausus fuerit imponere humeris Doctoris Subtilis, cùm tamen omnes Scotistæ cum suo Magistro clament contrarium, & quotidie publicè defendant, quibus defensionibus non est dubium illum Auctorem sæpiùs interfuisse. Unde etiam neque distinctionem, neque quæstionem, neque verba Doctoris, quibus id doceat, allegat; nec potuit, quia non sunt. Libenter cogitarem mendosam esse impressionem, & legendum pro Scoto, Soto, qui fuit sectator D. Thomæ; sed prohibet benignam interpretationem, quod in calce libri, cujus titulus de Deo Uno & Trino, scriptum reperio: *Errata, quæ paucula hinc inde irrepserunt, in ipso textu manu correcta sunt.* Vidi autem duo exemplaria, in quibus nulla manus illum errorem satis notabilem correxerat. Spero, quòd correctio in illis per oblivionem, aut inadvertentiam omissa sit.

135. Character operatur effectus moraliter. Sed redeo ad principale, & dico, omnes effectus jam enumeratos, licèt character non operetur physicè tanquam causa efficiens physica, operatur tamen moraliter, seu etiam per exigentiam quandam physicam. Enimverò sic est signum potestatis, ut simul sit ipsa potestas, vel (ut loquitur Cardinalis Lugo hîc disp. 6. Lugo. sect. 3. num. 46.) quasi scriptura, & instrumentum potestatis traditæ per Sacramentum. Probat à simili: ille qui obtinuit à Pontifice aliquam gratiam, secundùm multos, habet jam facultatem, quâ possit uti etiam ante bullæ expeditionem in foro conscientiæ; ipsa tamen expeditio bullæ dat novum titulum & novum jus, sicut etiam scriptura venditionis confirmat jus, quod emptor ex ipso contractu acquisierat. Sic character est quasi bulla, seu sigillum divinum, quo Deus testificatur & profitetur potestatem & jus, quod homo per Sacramentum acquisivit;

 adeoque

adeoque impressio sigilli dat novum jus ad exigenda ea omnia, quæ ex Sacramento suscepto debebantur, etsi Deus characterem impedivisset: & hoc sufficit ut character aliquo modo dicatur esse potentia.

136. Objectio ex ratione & Aristotele

Sed contra jam dicta arguitur primò: Character est qualitas supernaturalis; ergo non oportet quòd ponatur in genere qualitatis, nisi fortè reductivè. Probatur consequentia: quia naturale & supernaturale plus differunt, quàm corruptibile & incorruptibile; quia hæc continentur sub uno membro, scilicet sub naturali; & tamen Philosophus 10. Metaph. dicit: *Corruptibile & incorruptibile differunt plus, quàm secundùm genus.*

Solvitur. Scotus.

Respondeo negando consequentiam: quippe (ut bene advertit Scotus supra n. 14.) *Fides, Spes & Charitas sunt supernaturalia quædam: & tamen conceduntur esse propriè in genere qualitatis.* Ratio est: quia qualitas supernaturalis convenit univocè in ratione qualitatis cum qualitate naturali. Etenim (inquit ibidem) *naturalitas & supernaturalitas non sunt conditiones, nisi per comparationem ad agens: talis autem comparatio non variat aliquid quantum ad esse in genere: quia aliquid ponitur in genere secundùm suam propriam quidditatem formalem, circumscripta relatione ad agens.*

Et respondens ad auctoritatem Philosophi, prosequitur: *Nec valet dictum Philosophi* 10. *Metaph. quia loquitur de genere physico*, hoc est, de subjecto; *sic enim nulla duo sunt ejusdem generis, nisi sint transmutabilia ad invicem*, id est, nisi possint versari circa idem subjectum: *sed idem genus logicum bene potest continere multa, quæ non pertinent ad idem genus physicum, ut patet de substantia corporea & incorporea, & de qualitate corporali & spirituali.*

137. Sententia Scoti quoad distinctionē qualitatis naturalis & supernaturalis.

Ex quo incidenter colligo, quomodò intelligendum sit, quod ait Doctor 4. dist. 10. q. 8. n. 9. *Contra rationem etiam istius responsionis de supernaturali, arguo sic: quia naturale & supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantùm in comparatione ad agens: ideo enim dicitur aliquod supernaturale, quia à supernaturali agente, naturale verò quia à naturali agente; sed habitudo ad agens aliud & aliud non necessariò concludit aliquid esse aliud & aliud in se*; quantùm ad esse in genere entis creati: *ergo non necessariò concludit illud esse aliud & aliud in ratione intelligibilis*: quia nimirum præsentia Christi in Sacramento (de qua ibi loquitur) licèt sit supernaturalis & specie distincta à naturali, nihilominus intelligi potest secundùm ipsum ab intellectu creato, qui amplius non dependet à phantasmate; siquidem ens supernaturale est verum ens creatum aliquando imperfectius ente naturali, quod ab intellectu percipitur: *Sicut* (inquit.) *omnis substantia est perfectior omni accidente, & tamen alicui substantiæ, quæ est ens naturale, potest inesse accidens aliquod supernaturale.*

Docet igitur ens supernaturale per supernaturalitatem non poni extra latitudinem entis creati, & per consequens entis intelligibilis ab intellectu, qui non est alligatus sensibilibus in intelligendo. An autem ens supernaturale distinguatur specie physicâ & essentiali ab ente naturali, ibi neque asserit, neque negat. At distingui, palam fit ex loco supra citato 4. dist. 6. q. 9. n. 14. ubi comparat qualitatem naturalem & supernaturalem substantiæ corporeæ & incorporeæ, qualitati corporali & spirituali; absque dubio autem illa specie physicâ & essentiali differunt, quamvis collocentur sub eodem genere prædicamentali.

Quin immò disertis verbis explicat illam distinctionem 3. dist. 27. n. 21. ibi: *Ad quartum dico, quòd non potest acquiri ex actibus* (charitatis) *aliquis habitus ejusdem speciei cum charitate, licèt possit acquiri aliqua amicitia tendens in Deum sub eadem ratione obiecti, & etiam per actum similem; quia super omnia diligendo.* Rationem adjungit: *Quæcumque enim natura non potest esse ab aliquo efficiente ejusdem speciei cum efficiente alterius, non est ejusdem speciei cum illa alia, sicut est in proposito.* Quomodò clariùs potuisset suam mentem significare? ut mirum sit quosdam ipsum velle adducere pro contraria sententia propter locum citatum ex 4. dist. 10. q. 8. n. 9. & alium quodlibeto 17. ubi tamen (ut advertit scholium præfixum n. 6.) nihil resolvit, sed hinc inde disputat, non ita de distinctione specifica actûs naturalis & supernaturalis, quàm actûs naturalis & meritorij. Liquet porro non omnem actum meritorium debere esse supernaturalem in substantia secundùm ipsum. Scotus.

Quidquid sit sive distinguantur specie, sive non; propter supernaturalitatem non oportet characterem rejicere à genere & specie qualitatis; *quia etsi* (inquit Scotus supra dist. 6. q. 10. n. 15.) *Philosophus non loquebatur, nisi de potentia naturali, exemplificando: tamen potentia supernaturalis, si est absoluta & accidentalis & spiritualis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali; sicut & habitus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali.* 138. Sive distinguantur, sive non, haud rejiciendus character à genere, & specie qualitatis. Scotus.

Omitto nonnullos asserere, characterem esse 139. Difficultas ostenditur

Characteris supernaturalitas in substantia.

esse qualitatem naturalem. Et sanè difficulter ostenditur ejus supernaturalitas, maximè si verum est, quod multi docent, & videtur sentire Doctor supra n. 5. in fine, characterem esse signum solùm ad placitum ex institutione divinà. Enimverò sicuti Deus res naturales, v. g. ablutionem & certam formam verborum, instituit signa efficacia gratiæ habitualis; quidni etiam potuisset entitatem naturalem assumere, ut esset signum potestatis vel Sacramenti suscepti? Equidem omnes consentiunt in hoc, quòd sit entitas supernaturalis. An in substantia, an verò tantùm in modo? Qui eligeret supernaturalitatem tantùm in modo, nesciò quomodò efficaciter redargueretur. Connectitur quidem character cum gratiâ, cum Sacramentis & alijs effectibus supernaturalibus: sed quid tum? Nunquid & Sacramenta habent connexionem cum gratia & beatitudine? Quis ambigit? Et tamen experientia & ratio dictat ablutionem v. g. unctionem, locutionem & similes actiones non excedere virtutem naturalem causæ creatæ.

140. Non rectè, quia solùm est instrumentum, reijcitur character à linea prædicamentali.

Porro quòd aliqui reijciunt characterem à linea prædicamentali, eo quòd solùm sit instrumentum, non indiget novâ refutatione; jam enim ostendimus characterem nullam habere physicam activitatem, adeoque non esse instrumentum physicum: instrumenta autem moralia clarum est directè posse esse in prædicamentis; immo nec apparet cur ab eis reijciantur instrumenta physica.

141. Objectio ex Scoto

Majorem habet difficultatem quod secundo loco sibi objicit Doctor supra. n.15. Si character est potentia supernaturalis: ergo non habitus; ergo non potest poni in prima specie qualitatis. Prima consequentia probatur per simile; quia potentia naturalis non est habitus naturalis. Respondeo cum ipso n. 16. negando primam consequentiam: *Quia potest (inquit) habitus supernaturalis, ut est forma supernaturalis de difficili mobilis, esse principium agendi vel resistendi corruptivo, & sic habere rationem potentiæ supernaturalis. Nec simile illud valet, quia habitus naturalis dicit quandam facilitationem inductam super potentiam naturalem; quia potentia naturalis est, quâ naturaliter possumus actus, quos possumus: sed potentia supernaturalis potest esse aliqua supernaturalis forma, spiritualis, immobilis; & pro tanto potest dici habitus, & tamen est principium, quo possumus in talem actum spiritualem vel supernaturalem.*

Ex eodem solvitur.

Breviter: habitus naturalis datur ad faciliter operandum; supernaturalis verò, qualis ponitur character, ad simpliciter: *Ut patet* (ait Scot. supra) *de noviter converso, cui non est facile post conversionem actus bonos elicere, sed difficile, quousque ex frequentia actuum bonorum acquirat aliquam virtutem acquisitam.* Ex quo etiam oritur, quòd habitus supernaturalis instar potentiæ inclinet in actus specie distinctos; habitus autem naturalis, secundùm multos, non facilitet nisi ad unicum specie actum, à quo genitus est.

Arguitur tertiò: Character est dispositio ad gratiam; ergo non est habitus. Respondet Doctor supra negando consequentiam; *quia bene potest unus habitus esse dispositio ad alium: sicut, secundum distinguentes habitum principij ab habitu conclusionis, habitus principij disponit ad habitum conclusionis: nec per hoc est dispositio, ut distinguitur contra habitum in prima specie: nam illa est qualitas de facile mobilis per oppositum ad habitum.* 142. Objectio tertia. Solutio Scoti.

Arguitur quartò: Omnis habitus disponit ad bene vel malè agendum 2. Ethi. sed character non. Respondet Scotus supra, negando antecedens: *quia aliquis potest esse actus indifferens, sicut enim ex frequenter bene agere acquiritur habitus inclinans ad bene agendum, & ex frequenter malè agere inclinans ad malè agendum; sic ex frequenter agere absolutè, acquiritur habilitas ad agendum tali actione, neque cum bonitate, neque cum malitia: sicut nec actus generativus fuit talis, scilicet bonus vel malus. Hoc patet: potest enim aliquis frequenter considerans geometriam habere facilitatem magnam ad considerandum conclusionem in illa scientia: nec est ibi habitus bonus vel malus, sicut nec actus, ex quo generabatur: sic & in habitu supernaturali potest esse.* 143. Objectio quarta. Resp. Scotus.

In quibus postremis verbis innuit, possibilem esse habitum & actum supernaturalem indifferentem, quod docet noster R. P. F. Franciscus Felix Lector Complutensis Jubilatus Tomo 1. Tentativæ Complutensis Tract. de Bonitate & Malitia cap. 8. diffic. 2. n. 2. Mea (inquit) sententia nullum invenit inconveniens; ut possit dari actus supernaturalis indifferens secundùm speciem, tam ex objecto motivo, quàm terminativo indifferente. Et diffic. 3. n. 19. idem asserit de habitu supernaturali indifferenti in individuo. Addit, se neminem invenisse pro hac opinione præter Ripaldam de Ente supernaturali disp. 69. sect. 2. Credo quòd non legerit locum citatum Doctoris Subtilis; cujus alioquin mentem in omnibus accuratè explicat & defendit. 144. Possibilem esse habitum & actum supernaturalem indifferentem innuit Scotus. Fran. Felix. Ripalda.

Porrò probationem hujus doctrinæ remittimus ad Tractatum de Actibus humanis; sufficiat hic eam insinuasse occasione verborum Scoti; qui tamen non docet de facto talem habitum vel actum dari: nam statim 145. Non tamen de facto talem habitum vel actum dari.

Scotus. statim replicans post verba citata: *Et si dicas, quod habitus supernaturalis non est talis, quia datur ad perfectionem recipientis.* Respondet: *Habitus supernaturalis potest esse disponens ad actum bonum, licèt non sit eius principium elicitivum proximum vel sufficiens: & hoc modo fides infusa non est principium sufficiens* (se solâ) *eliciendi actum credendi, nec charitas infusa eliciendi actum diligendi; sed inclinat* (coëfficiendo) *ut concurrentibus alijs necessarijs actus bonus eliciatur: & ita dico, quòd aliquis habitus supernaturalis potest remotiùs & imperfectiùs,* non coëfficiendo physicè, sed objectivè movendo causam physicam, *inclinare ad actum bonum; & talis ponitur character tanquam primò & remotißimè disponens ad actus bonos.* Ergo ex mente Doctoris de facto non tantùm fides & charitas sunt habitus boni, quia inclinant ad actum bonum; sed etiam character: quippe Sacerdos v. g. si cætera requisita adsint, nunquàm invalidam efficiet consecrationem; ipsa quoque consecratio ex objecto suo bona ac honesta est, quàmvis ex circumstantijs moraliter possit vitiari, quemadmodùm etiam actus fidei, spei ac charitatis, ut suo loco ostendemus.

His ita constitutis de causalitate & effectibus Sacramentorum, accedo ad ultimam controversiam hujus Sectionis, quæ versatur circa tempus, quo Sacramenta conferunt suos effectus. De hoc tempore varia varij commentantur: hæc autem est nostra opinio:

CONCLUSIO X.

Sacramenta tunc solùm conferunt gratiam habitualem (eadem est ratio de charactere) quando post realem sui susceptionem completè significant: auxilia verò specialia tempore opportuno, dummodò gratia habitualis non sit amissa.

146. Sacramenta non conferunt ullum effectum ex opere operato ante realem sui susceptionem.

Suppono Sacramenta non conferre ullum effectum ex opere operato, antequam realiter suscipiantur: siquidem, ex communi sententia, opus operatum significat opus applicatum sive exhibitum; atqui votum v. g. Baptismi, non est Baptismus applicatus sive exhibitus; ergo gratia justificans, quæ subinde acquiritur per votum Sacramenti, si videlicet sit perfecta contritio vel formalis amor Dei super omnia, non confertur ex opere operato; sed ex opere operantis, tanquàm meritum congruum aut condignum. Patet: quia alioquin etiam character imprimeretur, cùm sit effectus immediatior, & disponens (ut dictum est) ad gratiam habitualem, quod tamen à nemine admittitur, ne cogatur consequenter asserere, Catechumenum post votum Baptismi non posse re ipsâ baptizari; ratio namque, ob quam Baptismus iterari non possit, est, quòd imprimat characterem indelebilem, qui non potest iteratò imprimi: ac proinde Baptismus esset liber, hoc est, non necessarius ad salutem, contrarium definiente Concilio Trident. sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.* Trident.

Adde, non omne votum Sacramenti (ut mox insinuavi) habere effectum gratiæ; docet etenim Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. contritionem imperfectam; etsi voluntatem peccandi excludat, adeoque etiamsi includat votum Baptismi aut Pœnitentiæ, sine Sacramento realiter suscepto non justificare, ibi. *Et quàmvis* (imperfecta contritio) *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit.* Quando ergo ibidem docet: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam;* non est intentio Concilij tribuere effectum gratiæ vel ipsi Sacramento, vel ejus voto, tanquam operi operato; sed contritioni perfectæ, quæ includit votum Sacramenti, tanquàm operi operantis.

Eodem modo explicat idem Concilium Sanctos Patres, qui subinde docent per desiderium Sacramenti v. g. Eucharistiæ, percipi fructum ipsius: ita enim loquitur sess. 13. cap. 8. *Quoad usum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum* Eucharistiæ *accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios tantùm spiritaliter; illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentiunt.* 147. Qualiter intelligendi Patres docentes per desiderium Sacramenti accipi illius fructum, explicat Trident.

Nota: *Fide vivâ, quæ per dilectionem operatur.* Dilectio ergo est, quæ velut meritum de condigno operatur in homine justo eandem seu similem gratiam ei, quæ acquiritur per Sacramentum re ipsâ susceptum; atque

atque adeò per votum Sacramenti aliquando accipitur effectus Sacramenti, non in ratione effectûs (ut ita dicam) sed in similitudine naturæ: quomodò quandoque dicimur acquirere effectum ignis per solem, nimirum calorem. Alij dicunt, per Sacramenta ante susceptionem non acquiri gratiam effectivè, sed objectivè solùm; quod in idem redit, ac si diceres: Sacramentum est subinde objectum secundarium actûs contritionis aut amoris Dei, quo meritoriè efficitur vel augetur gratia sanctificans.

148. Dices: Convenit divinam misericordiam ita instituisse Sacramenta, ut per votum applicari possint, quando realis applicatio est impossibilis, ut ita humanæ infirmitati & necessitati meliùs sit provisum: sicut etiam ante Christi adventum fides viva passionis ejus eam applicabat ad justificandos peccatores.

Psal. 113. Licèt vero Sacramenti efficaciam gratiæ Deus annectere potuerit, non sequitur quod voluerit. S. Aug.

Respondeo ex psal. 113. v. 11. *Deus autem noster in cælo: omnia quæcunque voluit, fecit.* Non dicit Psalmista: *Omnia quæcunque potuit*; non enim potentia Dei est ratio agendi ad extra, vel potiùs ipsa actio ad extra; sed voluntas. Attende quid dicat D. Aug. lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 10. *Sed posset* (inquit) *etiam ipsorum* (malorum hominum & Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est. Quis enim audeat* (inquit idem Sanctus Doctor lib. 14. de Civit. cap. 27.) *credere aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre: atque ita quantum mali eorum superbia, & quantum boni sua gratia valeret, ostendere.* Potuit igitur Deus ita instituisse Sacramenta, ut illorum votum, etiam alienum, sufficeret ad effectum conferendum; & certè divina bonitas sic magis se ostendisset in necessitate parvulorum, qui per actum proprium nequeunt salvari. Num propterea fecit? Potuit velle efficaciter omnes homines salvos fieri: num propterea voluit? Quis audeat asserere? *Non sumus ingrati* (inquit lumen Ecclesiæ S. Aug. lib. de bono Persever. cap. 8.) *quòd secundùm placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus: ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat.*

Idem.

Idem.

149. Differentia inter passionem Chri-

Sed dicet aliquis: olim passio Christi, antequàm in re exhiberetur, per fidem vivam applicata, præstabat effectus gratiæ. Præstabat omninò: nam ex voluntate Dei à solo Christo debebat passio perferri pro omnium hominum salute; ita ut quantùm erat ex parte sua, sufficeret ad omnes salvandos. *Contra vulnus originalis peccati* (inquit S. Prosper in Responsione ad primam objectionem Vincentianam) *quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens ac singulare remedium est mors filij Dei Domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi.*

sti ante exhibitionem per fidem vivam applicatam. & Sacramenta. S. Prosper.

At verò Sacramenta novæ legis à Christo instituta sunt, ut à singulis realiter suscipiantur; & ita ijs solùm prosunt, qui de facto ea realiter suscipiunt, quidquid nonnulli sine fundamento contradicant.

Venio ad conclusionem, cujus prima pars, scilicet Sacramenta conferre gratiam, quando completè significant, ab omnibus conceditur: tunc enim, & non antea, simpliciter appellari possunt Sacramenta: ergo tunc, & non antea significant, & suâ significatione efficiunt gratiam justificantem. Potuisset quidem gratia, si Deo ita placuisset, paulatim continuò, ac sic quodammodò successivè conferri, quamdiu continuatur actio sacramentalis à principio usque ad finem: de facto tamen sic fieri nullum omninò est indicium; alioquin qui moreretur post inchoatam formam Baptismi ante prolationem verbi *baptizo*, sive quo nondùm est Baptismus; hic (inquam) salvari posset sine Baptismo & sine contritione; quippe minimus gradus gratiæ sufficit ad justificationem, ac consequenter ad salutem, ut omnes Theologi fatentur, qui tamen pro absurdo habent illud consequens. 150.

150. Sacramenta conferunt gratiam, quando completè significant.

Si autem à me quæritur, quandonam Sacramentum sit sufficienter completum? Respondeo facilè, quando post materiæ positionem ita prolata est forma, ut suam habeat significationem, aut quando post formæ prolationem materia censetur sufficere, v. g. sufficiens aqua applicata est corpori, ut quis dicatur lavari. Sed quando hæc sunt? An fortè in tempore, an putas in instanti? In tempore determinato, an verò in tempore indeterminato? In instanti extrinseco, an verò in intrinseco? Quæstio intricata, quæ plurimorum torsit ingenia, & plurima folia atramento denigravit, inutilis planè in ordine ad praxim; ideoque,

Quando sint sufficienter completa.

ideòque, longiorem diſcuſſionem Philoſophis, quibus propria eſt, relinquendo, tribus verbis ſic eam perſtringo.

151. **Quando conferatur gratia, ſi continuum ſucceſſivum componatur ex ſolis inſtantibus ſibi mutuò immediatè ſuccedentibus.**

In primis ſi continuum ſucceſſivum componatur ex ſolis inſtantibus ſibi mutuò immediatè ſuccedentibus, res eſt plana; videlicet gratiam conferri in ultimo inſtanti intrinſeco, hoc eſt, in illo inſtanti, in quo ultima ſyllaba v. g. verborum incipit intrinſecè eſſe prolata, ita ut faciat perfectum ſenſum, id eſt, ut verum ſit dicere: Sacramentum jam eſt, & immediatè ante non fuit; quippe in hac ſententia, omnia entia etiam ſucceſſiva, inciperent & deſinerent in inſtanti intrinſeco.

152. **Quando, ſi componatur ex diviſibilibus ſine fine. Sententia prima.**

In alia autem ſententia, quæ componit continuum ex diviſibilibus, ſive ex partibus majoribus & minoribus ſine fine, meritò dubitatur. Communiùs dicitur Sacramenta, quæ in actione tranſeunte conſiſtunt, producere gratiam in inſtanti extrinſeco Sacramenti, ſeu quod eſt primum non eſſe actionis ſacramentalis, quando verum eſt dicere: jam non eſt Sacramentum, & immediatè ante fuit. Fundamentum unicum eſt, quòd videantur Sacramenta debere conferre effectum in aliquo inſtanti; nam gratia, utpote ens permanens, non poteſt incipere niſi in inſtanti, idque ſibi intrinſeco; ens autem ſucceſſivum (quale eſt actio Sacramentalis) non completur niſi in inſtanti ſibi extrinſeco, quippe poſt quodlibet inſtans intrinſecum ſequitur adhuc pars.

Objectio contra illam.

Sed contra: Cùm antecedenter exiſtat Sacramentum, ut quid differtur ejus operatio? Certè ſi hæc ſententia foret vera, ſequeretur ritè diſpoſitum poſſe recipere Sacramentum informe, ſi nimirum inſtans extrinſecum Sacramenti eſſet etiam idem inſtans extrinſecum vitæ hominis recipientis; nullus ſiquidem juſtificatur poſt mortem, qui uſque ad illam fuit in peccato mortali. Similiter peccans in iſto inſtanti extrinſeco, non reciperet gratiam, etſi totum Sacramentum diſpoſitus recepiſſet.

Sententia ſecunda.

Nec magìs vera apparet opinio aſſerens effectum conferri in ultimo inſtanti terminativo intrinſeco: nam eſto talia inſtantia dentur, ſicut & copulantia, quod utrumque valdè incertum eſt; cur Sacramentum non potiùs aget in parte ſui eſſentiali, quàm in termino? Deinde, quid ſi in iſto termino quis peccaret, nonnè careret gratiâ, etſi totum Sacramentum diſpoſitus recepiſſet?

153. **Entia permenentia, licèt in inſtanti ordinariè producantur, poſſunt tamen incipere & deſinere in tempore.**

Eſt ergo notandum Primò, entia permanentia, quamvìs in inſtanti (ſecundùm communem opinionem Philoſophorum) ordinariè producantur, quando cauſa ſufficiens eſt, & nullum reperit impedimentum; reverà tamen in tempore incipere poſſe & deſinere. Ratio eſt manifeſta: quia eadem res, quæ hoc inſtanti intrinſeco incipit exiſtere, continuatur integra & tota ſimul, quantum eſt ex parte ſua, in ea temporis parte, quæ hoc inſtans immediatè conſequitur, idque per eandem prorſus actionem (ſaltem communiter) quâ incipit: ſi ergo res eadem antea extitiſſet, & in hoc inſtanti eſſet deſtructa, cur non poſſet actio illa (atque adeò illa res) poni immediatè poſt hoc inſtans, & vocari prima productio, ſiquidem immediatè ante res non erat; & etiam conſervatio, quatenùs intelligitur interim aliquid temporis effluxiſſe, & ſic ipſa ex parte temporis, priùs & poſteriùs extitiſſe? Et idem argumentum formari poteſt circa rei deſitionem, quæ tota ſimul ex parte ſua eſt in tempore, quod immediatè ſequitur inſtans, in quo res permanens dicitur deſiiſſe.

Declaratur exemplo.

Declaro rem exemplo: Ponamus globum perfectè ſphæricum in perfectè plano; dicunt omnes, quòd tangent ſe in indiviſibili (ſi dentur) id eſt, punctum globi, punctum plani. Trahatur ergo globus ab oriente in occidentem ſine ſaltu & ſine motu circulari, punctum globi indiviſibile in ſe tanget neceſſariò immediatè partem illam lineæ, quæ punctum plani ſequitur, in quo globus quieſcebat (non enim puncta ſequuntur ſe immediatè, ut eſt communis opinio) quæ utique diviſibilis eſt; & ita indiviſibile correſpondebit diviſibili immediatè & proximè: ſi autem hoc fieri poteſt per motum ſeu tractionem globi, haud video, cur non etiam per primam globi in plano poſitionem. *Sphæra* (inquit Scot. 2. diſt. 2. q. 9. n. 36.) *ſuper planum mota, deſcribit in plano lineam; & tamen non tangit niſi in puncto: ergo illud punctum pertranſit totam lineam; & tamen non propter hoc tota linea illa, quæ ſic pertranſitur à puncto, componitur ex punctis.* **Scotus.**

Sic ergo dicimus nos, rem permanentem indiviſibiliter, & ſecundùm ſe totam, ac ſimul (ut ſic dicam) ex parte ſua correſpondere poſſe immediatè tempori in ſe diviſibili; adeòque diviſibiliter ex parte temporis; & ſic res permanens incipiet ac deſinet aliquo modo ſucceſſivè, non ex parte ſua, quaſi una pars priùs, altera poſteriùs; ſed ex parte temporis extrinſeci habentis partes priùs & poſteriùs, cui immediatè ac indiviſibiliter res illa permanens ex parte ſua correſpondet.

154. **Talis eſt motus, qualis eſt ejus terminus.**

Notandum ſecundò, talem eſſe motum ſeu actionem, qualis eſt ejus terminus; v. g. quia

quia ubi, quod sol acquirit ab oriente in occidentem, non potest partes suas habere simul existentes; ipse etiam motus diurnus eodem modo est successivus: quia verò species visibiles habent totum suum esse simul, earum productio non est etiam successiva. Denique quia calor ab igne productus non accipit omnes suas partes intensivas simul ob resistentiam subjecti, aut lumen ob impuritatem medij; simul tamen esse possunt, & tandem sunt; hujusmodi qualitates (& consequenter earum productio) non sunt propriè & intrinsecè entia successiva, cùm successio importet negationem simultaneæ existentiæ partium; sed solùm extrinsecè, quia scilicet diversæ partes harum qualitatum correspondent diversis partibus temporis, quæ successivæ sunt & simul esse nequeunt. Hujusmodi ergo qualitates etiam secundùm singulas suas partes reverà & intrinsecè sunt entia permanentia; & tamen constat, quòd aliquæ earum producantur in tempore, quandoquidem producantur actione continuâ, & non interruptâ.

Idem omninò dicendum videtur de anima rationali, quæ licèt omnino indivisibilis sit, adeóque non possit produci successivè ratione partium; possunt tamen centum v.g. animæ produci successivè, si videlicet continuò producantur; cur enim Deus debeat interrumpere actionem productivam secundæ animæ, cùm manu teneat conservationem primæ, quę tamen prorsus est ejusdem rationis? Quidni idem potiori ratione dici queat de gratia sanctificante? quippe constat gradibus intensivis, quemadmodum calor & aliæ qualitates materiales. Sicut ergo pars caloris producitur in tempore; sic quoque pars gratiæ produci posset, & de facto produceretur; si Deo ita placuisset Sacramenta instituere. Cur ergo non posset tota in tempore causari, cùm omnes gradus ejusdem rationis sint?

155. *Verius dicitur gratiam conferri per Sacramenta aliquando in tempore, aliquando in instanti.* His prænotatis, meliùs & veriùs dicitur, gratiam conferri per Sacramenta aliquando in tempore, aliquando in instanti. Ratio patet ex dictis: quia tunc causatur gratia, cùm Sacramentum est perfectum & completum; atqui verisimile est subinde in tempore, subinde in instanti intrinsecè & essentialiter compleri Sacramentum; ergo &c. Minor probatur: quia ultimus sonus, v.g. quo posito Sacramentum censetur esse completum, item contactus seu præsentia localis aquæ ad corpus, v.g. quæ sufficit ut corpus dicatur lavari, ex se sunt entia permanentia, adeoque & in tempore & in instanti sibi intrinseco incipere possunt, & verisimiliter nunc hoc, nunc illo modo incipiunt, cùm sequantur motum localem, qui secundùm aliquid sui est in instanti, secundùm aliquid in tempore; quando autem illud aliquid sufficit ut Sacramentum sit perfectum, hoc ipso producitur gratia, ut dictum est.

Confirmatur ex Sacramento Eucharistiæ, cujus usus aliquamdiù permanet, & tamen probabile est non solùm eo tempore, quo species sacramentales trajiciuntur per œsophagum, sed etiam toto tempore, quo permanent incorruptæ in stomacho, successivè gratiam conferre vel augere, si dispositio sumentis augeatur, ut suo loco videbimus.

Objicitur primò: Tempus, quod immediatè est post instans, est omninò indeterminatum; atqui implicat effectum determinatum, qualis est gratia, produci in tempore indeterminato; alioquin posset Deus producere certum hominem in anno incerto, ita ut nullus certus posset assignari, in quo esset productus. 156. *Objectio prima.*

Respondeo distinguendo majorem: negando quidem, si per indeterminatum intelligas indesignabile; clarum siquidem est, quòd designari ac demonstrari possit, utpote alteri simili parti temporis æqualis: concedendo autem, si per indeterminatum concipias impræcisum ac incommensuratum; nam tempus illud non potest ita præcisè designari, ut ei secundùm se totum adæquatè commensuretur prima productio gratiæ, sed inadæquatè solùm, ratione minoris ac minoris partis in infinitum divisibilis, cùm quælibet pars temporis sit continua, adeóque divisibilis in infinitum: idque omnes dicere debent de conservatione gratiæ, quæ respondet parti temporis. Porro hoc sensu posse effectum certum ac determinatum correspondere tempori indeterminato, ostendimus exemplo globi perfectè rotundi tangentis planum per aliquod sui indivisibile, planum (inquam) immediatè in parte divisibili, seu in linea, quæ, utpote continua, non tangitur secundùm se totam, sed secundùm partem ulteriùs divisibilem in infinitum.

Objicitur secundò: Contritus in instanti justificatur; ergo similiter qui suscipit Sacramentum: enimverò solus Deus est causa physica potens & inimpedibilis, adeoque non est ratio producendi gratiam tardè ac successivè. Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est: quia contritio ordinariè elicitur & perficitur in instanti, quandoquidem nec habeat impedimentum in sui productione, nec ordinariè alligata sit enti per se vel per accidens successivo, quemad- 157. *Objectio secunda.*

quemadmodùm gratia Sacramentalis.

158. Objectio tertia. Objicitur tertiò: Eodem modo producitur gratia in Sacramento, sicut causatur corpus Christi sub speciebus; sed illud, utpote substantia, in instanti producitur; ergo &c. Respondeo ex dictis, substantiam & in tempore & in instanti sibi intrinseco incipere posse, adeòque etiam corpus Christi in Eucharistia verisimiliter utroque modo poni; sequitur namque ejus positio pronuntiationem formæ seu sonum, qui licèt non producatur per motum localem linguæ ac dentium (hic enim motus est tenuissima quædam entitas præcisè & adæquatè terminata ad ubi) eum tamen prærequirit & sequitur.

159. Proponitur sententia Lugonis. Hæc paucula ex multis, quæ videri possunt apud Scriptores tum antiquos, tum novos. Solùm subjicio sententiam Em. Lugonis, quæ ex parte convenit cum nostra jam explicata. Ego (inquit) disp. 4. sect. 6. n. 123. consequenter ad illam sententiam philosophicam de compositione continui potiùs dicerem gratiam conferri, non quidem in instanti ultimo terminativo intrinseco vel extrinseco Sacramenti, nec in tempore indeterminato ante ultimum instans; sed tempore aliquo determinato post aliquod instans continuativum. Nam quando incipit proferri ultima syllaba, potest quidem proferri ita leviter, ut non sufficiat illa prolatio, nisi extendatur & fiat major; quare veniri potest ad aliquod instans, post quod si rursus extendatur & protrahatur prolatio, sufficit ad debitam prolationem, quæcumque & quantulacumque sit illa extensio: hæc autem extensio fieri debet in tempore immediatè post illud instans, quia tunc incipit Sacramentum esse perfectum & validum: incipit autem gratia per ultimum non esse, quia in illo instanti præcedenti verùm est dicere: nunc ultimò gratia non est, immediatè post hoc erit. Ita ille.

160. Probatio secundæ partis conclusionis. Venio ad secundam partem conclusionis, quam haud difficilè est probare, etiam ab experientiâ quotidiana; quoties enim suscipimus Sacramenta Eucharistiæ & Pœnitentiæ, & tamen minimè sentimus auxilia gratiæ actualia? Et quæ alia ratio, nisi quòd ista auxilia non dentur statim completo Sacramento, sed cùm occasio exigit, vel dispositi sumus, v.g. dum instat professio fidei coram Tyranno, cùm onera matrimonij sustinenda sunt, vel quis vacuus distractionibus aptus est percipiendæ dulcedinis spiritualis?

Ratio disparitatis inter gratiam habitualem & actualem. Porro ratio disparitatis inter gratiam habitualem & actualem est, quòd cùm illa sit quid permanens, & habitus qui infunduntur simul consistere possint, non est cur differantur, quando subjectum est dispositum & indigens: auxilia verò actualia, cùm non sint quid unum, & nonnumquam dentur ad diversos effectus, qui quandoque simul exerceri non possunt, ac in præsenti sæpè non sit indigentia, commodiùs juxta subjecti necessitate diversis temporibus conceduntur: sic tamen, ut statim accipiatur jus ad illa; & hoc fit ex vi ipsius institutionis, quæ facta est modo accómodato ipsi effectui.

Tertiam partem conclusionis, sive restrictionem secundæ, indicat S. Cyprianus (vel quicumque est auctor) Ser. de Ablutione pedum, ibi: *Deus reversis dat, ut iterum possint eis Sacramenta prodesse, quorum si pænitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.* Et ratio est: quia gratiæ prævenientes non sunt effectus Sacramenti nisi secundarius, ratione scilicet gratiæ sanctificantis, tanquam radicis cujusdam, aliquo modo eas exigentis: Sacramenta quippe diversa ad diversos fines sunt instituta, ad quos necessaria est gratia sanctificans; quia tamen sola non sufficit, adduntur ei auxilia gratiæ. Quidni igitur vel gratiâ habituali non collatâ, vel postmodùm amissâ ipsa quoque deficiant, quæ eâ mediante conceduntur? 161. Tertia pars Conclusionis indicatur à Cypriano. Probatio.

Atque hic videtur esse communis sensus fidelium, qui existimant Sacramenta cum obice suscepta v. g. Eucharistiam, nullum jus expeditum ad specialia auxilia conferre, juxta id, quod cantat Ecclesia de hoc Sacramento: *Mors est malis, vita bonis.* Ergo non adfert tunc jus ad auxilia uberiora; alioquin aliquam afferret sanitatem: illa enim sunt auxilia gratiæ sanitatis; & per consequens per multas communiones in peccato haberet homo plurima auxilia ad resurgendum, & non peccandum; cujus oppositum omnes credunt. Ita Lugo de Sacramentis disp. 4. sect. 3. n. 29. Equidem sufficeret ad veritatem cantûs Ecclesiastici, quòd accipiens Sacramentum in malo statu, peccaret novo peccato mortali.

Addit Card. Hoc etiam sonant verba illa formæ sacramentalis in Diaconatu: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*; ubi auxilia ad resistendum diabolo non promittuntur, nisi per adventum Spiritûs Sancti, qui non advenit, nisi per infusionem gratiæ habitualis. Ex quo patet, quantâ sollicitudine debeamus conservare gratiam habitualem in Sacramento acceptam, ne destituamur actualibus in tempore opportuno: quamvis enim quandoque concedantur etiam ijs, qui gratiâ exciderunt, rariùs tamen & incertiùs, utpote ex pura Dei misericordia, non ex Sacramenti vi & opere operato.

Nolo tamen hinc inferas: ergo peccator 162.
sub

Non sequitur peccatorem sub gravi obligatione statim teneri ad pœnitentiam.

sub gravi obligatione absque mora tenetur pœnitere, ne fortè tempore opportuno careat illis auxilijs; satis siquidem est, quòd non ponat obicem principali effectui, quando Sacramentum suscipit. Ostendo in eo, qui suscepit Eucharistiam, & illa adhuc existente in stomacho peccavit mortaliter; nullus enim docet, eum de novo peccare mortaliter, si mox non resipiscat, quàmvis probabiliter impediat ulteriorem effectum, immò tametsi certò impediret.

163. *Oppositum Conclusionis à quibusdam censetur probabile.*

At nunquid doctrina nostra certa? non desunt qui oppositum censent probabile, eò quòd gratiæ prævenientes nullam habeant cum sanctificante naturalem connexionem, & aliunde sæpè contingat, constitutum extra gratiam indigere hujusmodi auxilijs non minùs, immò sæpè magis, quàm constitutum in gratia; v.g. ut comparti servet fidem &c. sicut (inquit quidam Auctor) in simili dictum est de charactere.

Non rectè hic fit argumentum à simili de charactere.

Simile profectò nimiùm claudicans: etenim character est quædam dispositio ad gratiam habitualem consequens immediatè substantiam Sacramenti, ita quòd quisquis validè suscipit Sacramentum, suscipiat indubiè characterem, ut ut peccet in ipsa susceptione. Innoc. III. cap. Maiores de Baptismo, ibi: *Sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit, characterē suscipit Christianitatis impressum.* *Innoc. III.*

Adde, non obstante inæqualitate gratiæ habitualis, omnes characteres ejusdem speciei probabiliùs esse æqualis perfectionis seu intensionis; nuspiam enim docent Concilia, characterem imprimi secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem, quemadmodùm id definit Trident. de gratia sanctificante sess. 6. cap 7. dicens: *Demum unica formalis causa* (justificationis *Trident.* impij) *est iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit, quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ: & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusq; dispositionem.*

Quin etiam nulla prorsus dispositio prærequiritur in anima ad impressionem characteris; semper tamen aliqua in homine adulto ad infusionem primæ gratiæ justificantis, eodem Concilio eâdem sess. cap 5. declarante *ipsius iustificationis exordium in adultis à* *Idem.* *Dei per Christum Iesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantē atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur.*

De hac dispositione, ne contingat quempiam ipsius defectu privari fructu gratiæ, operæ pretium duxi particularem instituere Sectionem. Sit itaque

SECTIO QVINTA.

De Dispositione requisita ad gratiam Sacramentorum.

1. *Dispositio alia habitualis, alia actualis.*

Dispositio est duplex, una habitualis, altera actualis: ista potissimùm consistit in habitibus supernaturalibus Fidei, Spei & Charitatis: hæc verò in ipsis actibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis & Pœnitentiæ, quos enumerans Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divinâ gratiâ* prævenient*e*, *& adiuti gratiâ adjuvante, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumq; tamquàm omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: deniquè dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam & servare divina mandata.* *Trident.*

Porro si problema hoc excutiendum proponitur, quænam istarum dispositionum sit perfectior? Citra probationē omnium oculis liquidissimè patet, actus cæteris paribus in ratione dispositionis præstare habitibus; hi quippe non disponunt, nisi vel impropriè, quatenus per eos homo redditur dignior (ut ita dicam) receptione gratię, quàm alius, qui ijs caret: vel remotè solū, quatenus inclināt ad actus, qui sunt proxima & immediata, 2. *Actus in ratione dispositionis præstant habitibus.*

O 2 adde,

adde, & necessaria dispositio.

Adhuc miraris? In actibus homo aliquid confert de suo, cooperando gratiæ divinæ; *ita ut* (verba sunt Trident. supra cap. 5.) *tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam etiam abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit.*

Trident.

Neque dubitandum est, quin dispositio præsens aptior sit, quàm quæ præcessit & physicè evanuit, dum actu Sacramentum suscipitur. Inter actus autem præsentes ejusdem virtutis ij sunt præstantiores, qui sunt intensiores, si verò sint actus diversarum virtutum, illi meliùs disponunt, qui perfectiùs à peccato ac creaturis avertunt, & Deo conjungunt, quorum principes sunt actus contritionis & charitatis, tum attritionis & spei. Et quidem melior dispositio in Sacramentis mortuorum apparet contritio, quàm dilectio; quia magìs proportionata naturæ Sacramenti; è contra verò in Sacramentis vivorum.

Inter actus præsentes ejusdem virtutis præstantiores sunt, qui intensiores.

Potest etiam per accidens actus virtutis de se perfectiùs disponentis minùs perfectè disponere, quàm actus virtutis imperfectioris, si nimirum sit valde remissus, alter intensissimus. Quis enim nesciat intensissimam attritionem magìs avertere à à peccatis & convertere ad Deum, quàm valde remissam contritionem? Sed quorsum hæc omnia? Pro intelligentia conclusionum subsequentium, quarum prima sic se habet:

Potest per accidens actus virtutis de se perfectiùs disponentis minùs perfectè disponere, quàm actus virtutis imperfectioris.

CONCLUSIO I.

Sacramenta sive in eodem subjecto, sive in diversis, causant inæqualem gratiam, quando dispositiones recipientium sunt inæquales.

3. Conclusio est certa ex Trident.

Est certissima ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. ubi loquens de justitia (cujus causa instrumentalis est Baptismus) *quam* (inquit) *Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem.* Ex quo sic argumentatur Doctor Subtilis 4 dist. 4 q. 7. n. 5. *Si autem baptizati sint adulti, cùm illi per motum proprium possint esse inæqualiter dispositi; & in Sacramento confertur gratia secundum proportionem dispositionis in suscipiente, sequitur inæqualis effectus.* Quis ambigit, quin major in meliùs disposito? Enimverò Sacramentum confert gratiam ex opere operato, ac instar causæ naturalis, quæ profectò eò perfectiorem producit effectum, quò subjectum invenit perfectiùs dispositum. Conveniens planè fuit, ut Christus ita institueret Sacramenta, quòd accedens cum maximo fervore & devotione, plùs gratiæ acciperet ex opere operato, quàm accedens cum remissa dispositione; sic enim ex modo institutionis Sacramentorum homines habent magnum calcar ut se debitè disponant; dum considerant gratiam conferri ex opere operato secundùm propriam cujusque dispositionem; salvâ interim manente causalitate ex opere operantis, quando dispositio est actus meritorius de congruo vel condigno.

Et sustinetur à Scoto.

Et si dubites, quomodò se habeat ille actus ad effectum gratiæ ex opere operato? Consule dispositiones prævias ad effectus causarum naturalium, & festinè cognosces; quia tantùm passivè instar conditionis, sive tanquam removens prohibens; ita ut tota efficientia amplioris gratiæ sacramentalis sit ab ipso Sacramento: quemadmodùm si lapis & vitrum æquè distent à sole, vitrum magìs dispositum magìs illuminatur, cujus illuminationis causa efficiens est sol.

Qualiter se habeat dispositio ad effectum gratiæ ex opere operato.

Cæterùm sicuti major contritio extra Sacramentum, velut opus operantis, majorem meretur gratiam extrasacramentalem; ita quoque in Sacramento disponit ad majorem gratiam sacramentalem, sive ad majorem gratiam ex opere operato.

Nec dicas: Gratia Sacramenti non correspondet nisi primo gradui dispositionis; nam, præterquàm quòd primus gradus unius dispositionis possit absolutè esse melior, quàm primus gradus alterius, si v. g. perfectioris virtutis, melioris intensionis, attentionis, libertatis &c. eâdem facilitate & majori fundamento id negatur, quo asseritur; Tridentino (ut audivimus) affirmante, gratiam conferri in Sacramento secundùm mensuram dispositionis, quod falsum est, si non correspondeat nisi primo gradui. Sicuti ergo contritio extra Sacramentum meretur de condigno vel congruo secundùm omnes suos gradus; quidni similiter secundùm se totam disponat ad gratiam recipiendam in Sacramento? nullam invenio rationem disparitatis.

4. Non officeret Conclusioni, si gratia Sacramenti solùm corresponderet primo gradui dispositionis: Quod tamen est falsum.

Objicit prætereà sibi ipsi Doctor supra n. 1. *Effectus Baptismi magis dependet à conferente, quàm à suscipiente, sicut effectus universaliter* 5. Objectio Scoti.

versaliter magis dependet à causa efficiente, quam à materia: apparet etiam in proposito, quia in ministro requiritur perfectior intentio, quàm in recipiente, quod non est, nisi quia ab ipso magis dependet Baptismus, quàm à suscipiente: sed ministrorum inæqualitas nihil facit ad inæqualitatem effectus Baptismi; ergo &c.

Solutio. Respondet n. 5. in fine: *Quòd Baptismus plus dependet à ministro, ad hoc ut sit Sacramentum; quia in eo simpliciter requiritur intentio, non sic in suscipiente; quia potest non uti ratione: sed quoad hoc, ut hic effectus maior vel minor recipiatur, magis dependet à baptizato.* Ratio à priori voluntas Christi: ex qua proinde

Ratio Conclusionis à priori est voluntas Christi.

6\. Infertur primò, fieri posse ut Sacramentum ex se minùs efficax æqualem, vel etiam majorem producat gratiam, quàm aliud ex se magis efficax; scilicet ratione melioris dispositionis.

Sacramentum ex se minus efficax poterit majorem gratiam, quàm aliud ex se magis efficax, conferre.

Dices: Causa naturalis imperfectior nunquam producit effectum æqualem effectui causæ perfectioris, quantumcumque subjectũ disponatur, ergo idem est in Sacramentis. Respondeo negandò antecedens: quia causæ naturales essentialiter inæquales licèt soleant esse ordinatæ ad effectus etiam essentialiter inæquales, quo casu imperfectior causa nunquàm assequitur effectum perfectioris, quantumcumque subjectum sit dispositum; accidit tamen interdum, quòd ordinentur ad effectum ejusdem speciei (v. g. calor & lumen solis ad productionem caloris) & tunc ob dispositionem subjecti potest causa debilior nonnunquam adæquare, aut etiam superare in effectu fortiorem: ita verò contingit in Sacramentis, utpote ordinatis ad effectum gratiæ ejusdem naturæ & speciei in omnibus Sacramentis.

Objectio solvitur.

Fatemur quidem, in perfectione physica supremum infimi non posse unquam attingere infimum supremi; ut perfectissimum argentum, imperfectissimum aurum; & perfectissimum animal, imperfectissimum Angelum; siquidem augmentum inferioris speciei semper est intra rationem illius: si ergo illa semel est inferior, semper manebit inferior. At verò contrarium sæpe accidit in moralibus: sic quippe plures monetæ argenteæ adæquant & superant in æstimatione morali unam monetam auream, & plura furta v. g. aut homicidia unicum odium Dei. Quidni igitur Sacramentum essentialiter imperfectius moraliter possit causare effectum meliorem ratione perfectioris dispositionis subjecti? Nunquid peccatum in ratione sua specifica minus, plùs potest demereri ex circumstantia personæ operantis, quàm aliud majus? Nullus dubitat.

Licèt in perfectione physica supremum infimi numquam possit attingere infimum supremi; aliud tamen est in moralibus.

7\. Sequitur secundum corollarium; videlicet parvulum per Baptismum nunquam accipere tantam gratiam, quantam adultus. Expressè docet Scotus supra, ibi: *Si compares parvulum adulto, regulariter parvulus nullum meritum habet: adultus quantumcumque tenuem habeat voluntatem, dum tamen consentiat recipere Sacramentum, nec ponat obicem aliquem, videtur habere meritum proprium*, ad minùs actum aliquem supernaturalem spei, *& pro tanto magis dispositus est, quàm parvulus; ergo &c.*

Parvulus numquam per Baptismum tantam accipiet gratiam, quantam adultus. *Scotus.*

Sed contra: Potest fieri, quòd adultus toto tempore Baptismi peccet venialiter; v. g. si suscipiat Sacramentum ex vana gloria: ergo in illo saltem casu parvulus majorem gratiam recipiet. Probatur consequentia: quia adultus est quodammodò indispositus, parvulus autem nullam habet indispositionem.

Non obstat quod adultus toto tempore Baptismi possit delinquere venialiter.

Respondeo cum Doctore supra: *Peccatum veniale non prohibet gratiam infundi, nec etiam actum meritorium simul habere; tamen quia anima pluribus actibus non potest simul æquè perfectè esse intenta; actus bonus, cum quo concurrit veniale, est minùs intensus, & ideò minus meritorius, quàm foret sine illo veniali. Et ad propositum sequitur, quod adultus si non ponit obicem peccati mortalis, & in susceptione Baptismi consentit, aliquem motum habet disponentem, quo caret parvulus; non obstante, quòd ille habeat veniale peccatum simul.*

Scotus.

8\. Infertur tertiò, raro peccatorem in Sacramento Pœnitentiæ tantam accipere gratiam, quantam justus. Nam quis prudens potest dubitare, quin amicus & filius adoptivus Dei, cæteris paribus meliùs sit dispositus ad recipiendam gratiam ac alia dona Dei, quàm ille, qui inimicus adhuc est, & non nisi per gratiam Sacramenti fit amicus? Sicuti ergo omnia opera bona, etiam minimæ perfectionis essentialis, in homine justo merentur de condigno gratiam & gloriam, ubi opera quantùmvis maximæ perfectionis essentialis, in homine peccatore ad summum sunt meritum congruum; ita minimè timeo, nè per Sacramentum, cæteris paribus, justus majorem accipiat gratiam ex opere operato, quàm peccator. Interim tamen tam exigua & remissa posset esse contritio unius, & tam intensa attritio alterius, quòd fortè contrarium eveniret.

Rarò in Sacramento Pœnitentiæ peccator æqualem gratiam cum justo accipiet.

Sed cùm hæc satis constent, controversia equidem non modica existit inter Doctores Catholicos, quæ & qualis præcisè dispositio requiratur ad effectum singulorum Sacramentorum? Cùm autem omnes consentiant, non eamdem dispositionem

esse necessariam in homine peccatore & homine justo; hinc incipiendo ab homine peccatore, assero sine ulla formidine de opposito:

CONCLUSIO II.

Adultus peccator nullo casu reportabit fructum ex Sacramento sine actu supernaturali, qui communiter erit perfecta contritio, vel imperfecta, quæ attritio dicitur.

9. Necessitas Contritionis ex Tridentino.

Contritio in genere est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Ita Trident. sess. 14. cap. 4. in principio, illicò subjungens: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*; ad minùs necessitate præcepti. Quidni etiam medij? Haud dubito, si per contritionem intelligas dolorem explicitum vel æquivalentem actum charitatis sive spei. De quo alibi latiùs.

Sufficiat pro præsenti, vix aut ne vix quidem posse contingere, ut peccator credat impium justificari per gratiam Christi, speret Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam fontem omnis justitiæ diligere incipiat, & non continuò moveatur ad formalem detestationem suorum peccatorum.

Unde (quod bene notandum est) Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. (quod intitulatur: *Modus præparationis ad iustificationem in adultis*) postquam enumerasset actus Fidei, Spei & Charitatis, continuò attexit: *Ac proptereà* (id est, quia credunt, sperant & diligunt) *moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Pœnitentiam (inquam) id est, contritionem perfectam vel attritionem.

Contritionem perfectam voco, quæ hominem Deo reconciliat, priusquàm Sacramentum actu suscipiatur: attritionem verò sive contritionem imperfectam, quæ quamvis sine Sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.

Per adultum peccatorem intelligo hîc, qui in adulta ætate mortaliter peccavit; de quo sic loquitur Trident. supra cap. 1. circa medium: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petyssent.* Quid illustrius dici poterat?

Atque, ut omittam innumeras Scripturas, quæ pœnitentiam postulant pro peccatis; solùm adduco, tamquàm magis ad propositum, verba Apostoli Petri Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Hinc Doctor Subtilis 4. dist. 4. quæst. 5. n. 2. *Alio modo potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum; & tamen non est dispositus interiùs, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu vel præteritum, de quo nullo modo atteritur vel conteritur.* Loquitur de Sacramento Baptismi. Ergo Baptismus non justificat sine prævia attritione vel contritione. Eadem & major est ratio de Sacramento Pœnitentiæ. 10.

Et Apostolo Petro Act. 2. Scotus.

Credam autem Sacramenta vivorum posse, quod non possunt Sacramenta mortuorum? Credat qui volet, mea & communis sententia est, ad omnem justificationem hominis peccatoris, utpote rem maximè supernaturalem, prærequiri dispositionem supernaturalem, saltem in modo, quod non obscurè docet Concil. Trident. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.*

Neque Scotus uspiam contrarium supponere videtur, ut perperam colligit Hiquæus in suo commentario 4. dist. 9. q. unicâ n. 46. ex hisce verbis Doctoris n. 2. *Si autem non sit negligentia crassa, puta quia præcessit examinatio sufficiens, & nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit vel sit contritus & confessus priùs, non peccat communicando, licet aliquid forte lateat vel traditum fuit oblivioni.* Et infra: *Dico, quòd diligenti inquisitione factâ secundùm possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissâ contritione & confessione, quantùm videtur homini sufficere; si tunc communicat, non peccat: imò si quæ alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur.* 11.

Nullibi Scotus contrarium supposuit.

Non facit mentionem (inquit Hiquæus) dispositionis per attritionem: ergo videtur supponere in eo casu absque attritione de peccato hominem justificari per Sacramentum Eucharistiæ. Subtilis profectò argumentatio! Ut quid meminisset attritionis, quando præcessit contritio & confessio? Quin

Quin immò, qui fecit mentionem contritionis & confessionis, nonne dememinit attritionis? Potiùs videtur hic Auctor dememinisse attritionem à Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. vocari contritionem imperfectam. Aut fortassis ignoravit, reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universùm, eadem confessione inclusa esse, & absolutione remissa? Non potuit ignorasse propter nimis claram decisionem Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.

12. Nec locutus fuit de peccatis commissis post confessionem. Quod malè collegit Vasquez.

Quid ergo? Intellexit Magistrum suum cum Vasquesio disp. 205. cap. 3. n. 18. de peccatis commissis post confessionem: *Intelligere debet* (inquit Vasq.) *peccata quæ post confessionem commissa fuerunt, & ipse invincibiliter ignorat: nam si ante confessionem commissa essent, nemo diceret per hoc Sacramentum remitti, siquidem per Sacramentum confessionis remissa essent.*

Immò verò intelligere non potest peccata, quæ post confessionem commissa fuerunt; alioquin convincitur falsa probatio Scoti: *Quia* (inquit) *post talem inquisitionem contritus & confessus si moreretur, salvaretur: non autem requiritur maior examinatio ad communicandum, quàm ad securè moriendum.* Nunquid peccator salvaretur absque contritione perfecta aut dilectione Dei super omnia, si post diligens examen non occurreret peccatum post confessionem commissum, & sic moreretur? Absque dubio si illi Auctores interrogati fuissent, unâ voce negassent.

Loquitur ergo Doctor non in casu nostræ conclusionis, qui supponit peccatum actuale non remissum, neque retractatum per aliquem actum supernaturalem; sed de homine justo, qui ex inadvertentia & inculpabili ignorantia omisit confiteri aliquod peccatum mortale, quod quidem indirectè remissum fuit per absolutionem, insuper tamen etiam remittitur per Eucharistiam, utique collativam novæ gratiæ ejusdem infimæ speciei ac naturæ cum prima gratia justificante; ut sensus sit: Si tunc communicat, non solùm non peccat, sed etiam accipit fructum Sacramenti, id est, gratiam remissivam peccatorum, saltem secundariò, ut infra patebit. Neque hæc locutio censeri debet incongrua; nam Baptismus verè remittit peccata antea per contritionem remissa, & secundum Sacramentum Pœnitentiæ peccata remissa per primum.

13. Conclusio non præcisè ex natura Sacramenti,

Itaque Sacramentum peccatori adulto nequaquam confert primam gratiam justificantem absque omni prævio actu voluntatis supernaturali, non præcisè ex natura Sacramenti, sed ex generali decreto Dei, quo voluit & fixâ lege statuit impium haudquaquàm justificare, nisi gratiæ divinæ liberè assentiendo & cooperando disponatur. Quæris, ubi scriptum sit? Audi Trident. sess. 6. cap. 5. *Unde in sacris litteris cùm dicitur:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; *libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus:* Converte nos Domine ad te, & convertemur; *Dei nos gratiâ præveniri confitemur.*

sed ex generali Dei Decreto est firmanda.

Trident.

14. Potest recipi Sacramentum & sine peccato, & sine fructu.

Ex dictis colligo fieri posse ut quis recipiat Sacramentū & sine peccato & sine fructu. Casus fit, quando quis bonâ fide existimans se attritum aut contritum, cùm reverà non sit, accesserit ad Sacramentum: talis quidē non peccat, *quia aliàs* (ut inquit Scotus supra) *quilibet se exponeret periculo, communicando, quia dicit Psal.* Delicta quis intelligit? *Et Ecclef. 9.* Nescit homo, utrùm amore vel odio dignus sit: *Ergo si oporteret communicantem scire se esse in charitate, quilibet communicando exponeret se periculo, nesciens an illo actu peccaret.* Sicut autem charitas incerta est, ita quoque attritio aut contritio: cumque Sacramenta instituta sint pro hominibus viatoribus, non est verisimile Deum exigere physicam certitudinem debitæ dispositionis; *quia talis certitudo* (ut ibidem Doctor loquitur) *non convenit viatori.*

Scotus.

Psal. 18. v. 13

Ecclef. 9. v. 1.

15. Nequit dici Deum supplere inculpabilem defectum suscipientis.

Si inferas: Ergo Deus etiam tali casu confert effectum Sacramenti, supplens ex misericordia sua inculpabilem defectum suscipientis, propter inconvenientia, quæ aliàs sequerentur; quemadmodùm Ecclesia supplet defectum jurisdictionis in confessario, qui bonâ fide & communi errore habetur pro legitimo. Respondeo negando consequentiam: quippe eâdem ratione sequeretur Deum supplere defectum materiæ, formæ, ministri &c. quando bonâ fide putantur adesse, quod hactenus nemo asseruit, neque asseri potest, cùm pendeat à libera voluntate Dei, cujus nullum extat nè minimum indicium; sicut constat ex jure & communi sensu Doctorum, Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis, de quo suo loco.

Quæ cùm ita sint, atque in omnibus scholis communiter recepta; dubitatur equidem, an ad aliqua Sacramenta sufficiat contritio imperfecta, & ad quæ? Pro responsione notandum aliqua vocari Sacramenta mortuorum, ut Baptismus & Pœnitentia, quoniam principaliter instituta ad primam gratiam, sive vitam conferendam: cætera autem, ut Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium,

monium, Sacramenta vivorum, quorum primarius finis est augmentum primæ gratiæ. Et verò convenit inter Theologos aliam requiri dispositionem in Sacramentis mortuorum, aliam in Sacramentis vivorum. Sit itaque

CONCLUSIO III.

Contritio charitate perfecta non est necessaria dispositio in Sacramentis mortuorum, neque medij necessitate, neque præcepti.

16. Probatio ex ly mortuorum. Est certa & communis. Etenim quid aliud significat ly *Mortuorum*, quàm illa Sacramenta licitè suscipi à mortuis? Quis autem mortuum dixerit, quem contritio charitate perfecta Deo reconciliavit, priusquàm Baptismus vel Pœnitentia actu suscipiatur?

Qualiter in contritione includatur votum Sacramenti. Si objicitur: In illa contritione includitur votum Sacramenti, ut docet Trident. sess. 14. cap. 4. Respondent aliqui, non aliter, quàm votum cujuscumque alterius operis præcepti v. g. communionis, restitutionis &c. Siquidem ideo tantùm contritio charitate perfecta dicitur includere votum Baptismi aut Pœnitentiæ; quia virtualiter continet voluntatem implendi omnia, quæ Deus à nobis requirit. Unde sicut communio vel aliud opus præceptum non dicitur nos justificare ratione contritionis, ita nec Baptismus vel Pœnitentia.

Atque ut aliter includeretur votum Sacramenti, ita quòd concurreret contritio ad justificationem (ut alij docent) tamquàm vicaria Baptismi & Pœnitentiæ: quod Princeps facit per suum legatum aut Vicarium, non poterit facere per se ipsum? Si ergo Baptismus justificat impium per contritionem, tanquàm sui vicariam: quis adeò desipiat, ut neget istum effectum Sacramento realiter suscepto? Sanè contradicere videtur verbis Christi Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quid dicam de Sacramento Pœnitentiæ? *Quorum remiseritis peccata* (inquit Veritas æterna Joannis 20. v. 23.) *remittuntur eis* &c.

Joan. 3.

Item 20.

17. Ad mentem Concilij Tridentini. Quæ probè intelligens Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. post descriptionem justificationis impij, *Vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundùm Adam Iesum Christum salvatorem nostrum*; actutùm subjungit: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest.* Sine lavacro (inquam) regenerationis aut ejus voto. Ecquod illud votum? Contritio. Ergo sufficit Baptismus in re sine contritione. Alioquin quomodò verè idem Concilium cap. 7. vocat Baptismum causam instrumentalem justificationis, si necessariò eam supponat?

Prætereà in procemio sess. 7. habet hæc verba: *Per quæ* (scilicet Sacramenta) *omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Justitia (inquam) incipit & amissa reparatur per nulla certè aptius, quàm per Sacramenta mortuorum, sic dicta, quia ab existentibus in statu peccati suscipi possunt. Accedat Concilium Florentinum, quod in litteris Unionis ait: *Effectus* Baptismi *est remissio omnis culpæ originalis & actualis: Effectus* Sacramenti Pœnitentiæ *absolutio à peccatis*, sive (ut loquitur Trident. sess. 14. cap. 3.) *reconciliatio cum Deo.* Flor.

18. Contritio in Sacramentis mortuorum non est necessaria necessitate medij. His alijsque maturè expensis, existimo salvâ fide hodie asseri non posse, contritionem charitate perfectam in his Sacramentis esse dispositionem necessariam, præsertim necessitate medij, id est, ita necessariam, ut sine illa realiter habita nequeat accipi effectus gratiæ.

Neque necessitate præcepti. Quod neque necessitate præcepti insuper, probatur: quia illud præceptum vel esset positivum; tale verò nullum reperitur sive in Scriptura, sive in Ecclesiastica traditione; vel esset naturale seu connaturale Sacramento, quia scilicet Sacramenta sanctè & reverenter tractanda sunt (propter quod peccat, ut infra videbimus, qui suscipit aliquod Sacramentum vivorum sciens se esse extra statum gratiæ) & illud ubi legitur? An fortè in cordibus hominum? Non arbitror: quippe sufficit Sacramenta tractari sanctè juxta suum modum seu institutionem. Sacramenta porro mortuorum primariò & per se sunt instituta ad deletionem peccati, seu ad primam gratiam conferendam: vivorum autem ad ejus dumtaxat augmentum, ut statim ampliùs dicetur.

19. Cur magis peccet communicans in malo statu, quàm recipiens absolutionem. Quapropter si à me quæritur ratio, cur magis peccet communicans in malo statu, quàm confitens & recipiens absolutionem? Respondeo confestim: non major dignitas Eucharistiæ, sed diversus modus institutionis; siquidem cùm Pœnitentia directè instituta sit ad remissionem peccati seu collationem primæ gratiæ, quis me justè arguet de peccato, si ad istum finem Sacramentum suscipio? Et quomodò possum,

nisi

nisi mihi persuadeam me solùm esse attritum sive imperfectè contritum? Si enim putem me esse contritum, jam scio me habere primam gratiam, adeoque non acquisiturum per hoc Sacramentum. Noli ergo timere ubi non est timor, sed fidenter accede ad thronum gratiæ in Sacramento Baptismatis, & Reconciliationis peccatoribus præparatum; adfer contritionem imperfectam, & non dubito quin justificatus descendes in domum tuam.

20. **Conclusionem ante Florentinum & Tridentinum tenuit Scotus.**

Sic olim ante Florentinum & Tridentinum censuit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 5. n. 2. ibi: *Dico tunc, quia nolentem Deus non justificat, secundùm illud Aug.* Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te; *iste, qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum*, mortale, *quod tunc actu voluntatis committit, vel quod priùs commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam* &c. Ergo qui sibi aliquo modo displicet, *atteritur vel conteritur* (ut immediatè ante dixerat) recipit gratiam.

Scotus.

Quæ autem Baptismatis, eadem est ratio Pœnitentiæ, ut expressis verbis docet 4. dist. 14. q. 4. n. 6. ibi: *Dicitur ergo, quòd ita Deus requirit dispositionem de congruo* (scilicet contritionem perfectam) *ad hoc ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum* Pœnitentiæ: *& hoc non, quòd alliget potentiam suam Sacramentis, quin tamen sine dispositione illa pravia & congrua, quæ sufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hæc est majoris misericordiæ, scilicet duplicem viam instituere, per quam justificetur peccator, quàm ipsum ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi; ita & in proposito.*

21. **Contraria opinio videtur esse Magistri & paucorum aliorum; Gabrili.**

Contraria videtur esse opinio Magistri 4. dist. 18. quem sequitur Gabriël 4. dist. 14. q. 2. & pauci alij, quorum unum fundamentum est, quòd homo per peccatum avertat se à Deo, ut ab ultimo fine; ergo ut ab eo liberetur, ex natura rei necessarium est, quòd ad Deum se convertat, ut ultimum finem; adeoque per actum charitatis ac contritionis. Sed facilè responderi potest negando ultimam consequentiam; enimverò per contritionem imperfectam sive attritionem, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, peccator convertit se ad Deum, ut ultimum finem.

Ad quorum fundamentum respõdetur.

22. **Aversio à fine ultimo potest intelligi vel formaliter, vel virtualiter, ex Scoto.**

Pro quo adverto ex Scoto 2. dist. 37. q. 1. n. 8. *quòd aversio à fine ultimo potest intelligi dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter: formaliter contrariè vel negativè, sic, quòd voluntas nolit illum finem, & tale nolle est odire: vel non velit cùm deberet velle, & tale non velle est omittere illud præceptum:* Diliges Dominum Deum tuum. *Virtualiter sic, quòd quando aliquid est necessarium ad consequendum finem ultimum, voluntas aversa ab illo, in hoc virtualiter à fine avertitur; sicut intellectus negans conclusionem, virtualiter avertitur à principio; & sic infirmus dicitur averti à sanitate, quando avertit se à potu amaro, sine quo non potest haberi sanitas.*

Prima aversio secundùm se est ejusdem rationis, nec includitur formaliter in quolibet peccato: est enim odium Dei speciale peccatum; & omissio istius præcepti: Diliges Dominum &c. *est aliud speciale peccatum. Secundo modo aversio est communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinatè se habet respectu alicuius necessarij ad finem.* Subsumo: atqui per attritionem statim descriptam, voluntas antea à Deo per peccatum aversa ordinatè se habet respectu omnium necessariorum ad consequendum ultimum finem; ergo talis Attritio proximè disponit peccatorem ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Consequentia est evidens. Probatur subsumptum ex verbis Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* *Matth. 19.*

23. **Mãdatum** ***Diliges Dominum Deum tuum*****, non obligat pro semper.**

Si dixeris: Maximum & primum mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum.* Fateor, sed quoniam affirmativum, non obligat prò semper. Unde autem constat obligatio ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, si pœnitens aliquando dilexérit Deum ex toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota mente sua? Sin verò numquàm antea dilexerit, diligat nunc; alioquin non habebit veram Attritionem, quæ sufficiat cum Sacramento ad justificationem, id est, animi dolorem de peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi: etenim actualiter peccat.

24. **Attritionẽ quæ voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, proximè in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum disponere, nequit negari, propter Tridentinum.**

Herculè Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, proximè disponere in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, nescio quomodò aliquis Theologus possit ignorare. Ait siquidem Trident. sess. 14. cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus* (quos cap. 3. vocat quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ) *habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Præterea docet eodem capite: *Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni*

P sine

sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Quid illustrius dici poterat? *Etsi* (inquit Concilium) *aliquando contingat.* Ergo etiam aliquando contingit illam Contritionem non esse charitate perfectam. Ergo datur Contritio, quæ sit vera pars Sacramenti, haud equidem charitate perfecta, adeoque non justificativa ante Sacramentum. Quæ ista, nisi contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, de qua ibidem Concilium subjungit: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit?* Igitur ex mente Tridentini Sacramentum Pœnitentiæ cum imperfecta Contritione justificat. Quæ autem reconciliationis, eadem Baptismatis est causa. Sed de his uberiùs in Tract. de Pœnitentia; ubi etiam de altero fundamento Adversariorum desumpto ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem enumerat actum dilectionis, dicens: *Illumq́, (Christum) tamquàm omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt.* Quod etsi totum concederemus, sicut aliqui concedunt, non propterea cogimur asserere (sicut nec recentiores Auctores, qui hoc docent, asserunt) actum illum dilectionis semper justificare ante realem susceptionem Sacramenti, quod tamen intendunt aliqui Doctores, contra quos hîc agimus.

Non obstat Tridentinum enumerans inter dispositiones ad Justificationem actum dilectionis.

25. *Corduba.* Corduba lib. I. quæstionum Theologicarum q. 2. ad 3. videtur dicere, contritionem esse necessariam dispositionem non necessitate medij, sed præcepti; sed nescio quâ ratione, nisi fortè, quia Patres & Concilia docent contritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ certè ratio ex jam dictis liquidò constat nullius esse momenti. Quis enim ambigit brutum simpliciter posse vocari animal, etsi sit species imperfectior? Consentio quòd contritio ex natura rei sit optima dispositio ad remissionem peccati, & ex justitia debita Deo, ut homo, qui non potest ad æqualitatem Deo satisfacere pro injuria illata, saltem faciat quod in se est, quodq́ue aversioni peccati maximè videtur repugnare: equidem Christus novum peccati remedium (& certè non amanti nimis difficile) instituendo, rigorem justitiæ temperavit, & contritionis remedium linivit, non utilitatem ejus, sed necessitatem moderando.

Non obstat etiam, quòd Patres & Concilia doceant cōtritionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ.

Dico, *moderando*; siquidem reliquit contritionem necessariam dispositionem, saltem necessitate præcepti, in Sacramentis vivorum, pro quibus erit

CONCLUSIO IV.

Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium primariò sunt instituta ad augmentum gratiæ, adeoque præsupponunt statum gratiæ in recipiente.

Est certa: propterea enim vocantur Sacramenta vivorum, quia spiritualem animæ vitam supponunt. Patet etiam inductione: nam (ut habetur ex Florentino in litteris Unionis) *Per Baptismum spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam Unctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur.* 26.

26. Conclusio probatur inductione, ex Florentino.

Igitur Confirmatio instituta est ad spirituale robur augendum, Eucharistia ad spirituale nutrimentum, extrema Unctio ad reliquias peccatorum abolendas & confortandum ægrotum in ultimo illo & periculoso agone; hæc autem manifestè supponunt vitam in suscipiente. Ordo verò, ut detur potestas divina officia legitimè obeundi & cætera Sacramenta conferendi: Matrimonium ad legitimam prolis inter Christi membra susceptionem. Quæ duo non quidem tam apertè, quàm alia tria supponunt gratiam in suscipiente; tamen, cùm Sacramenta, ad quorum administrationem Ordo est institutus, eam prærequirant, multò magis ipse Ordo. Matrimonium quoque cùm non sit institutum ad conferendam primam gratiam, & sit Sacramentum, irreverenter tractatur, si accipiatur scienter in statu peccati mortalis & fraudetur suo effectu: quæ irreverentia gravis est & mortalis (ut omnes sentiunt) contra præceptum connaturale gratiæ (Sacramenta sanctè tractandi) expressum ab Apostolo 1. Corinthiorum 11. versu 29. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Plura sectione ultimâ hujus disputationis, ubi de obligatione suscipientis. 1. Cor. 11.

Parva

27. Difficultas ex verbis Florentini mota, solvitur.

Parva hîc oritur difficultas ex verbis Florentini citatis, in quibus eâdem phrasi exprimitur effectus Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis. Ex quo alicui videri posset, etiam Extremam Unctionem institutam esse ad significandam & conferendam primam gratiam, sicuti diximus conclusione præcedenti Pœnitentiam fuisse institutam. Quod etiam videtur colligi ex illis verbis Apostoli Jacobi cap. 5. v.15. *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Trident.

Respondeo breviter ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. ubi agens de effectu Extremæ Unctionis sic inquit: *Res porro & effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur;* Et oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: *res etenim hac gratia est Spiritûs Sancti; cuius unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit* &c. Quæ verba ita interpretatur Catechismus Romanus parte 2. cap. 6. n. 14. *Docebunt igitur pastores hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis leviora quidem, & ut communi nomine appellantur venialia, remittit: exitiales enim culpæ Pœnitentiæ Sacramento tolluntur; neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantùm & Pœnitentia vi sua id efficiunt.* Sanamur itaque etiam spiritualiter per Extremam Unctionem, sed primariò à venialibus tantùm; per Pœnitentiam autem à mortalibus. Plura in propria disputatione de Extrema Unctione, ubi de ejus effectu.

Catechismus Roman.

Extrema Unctio primariò à venialibus tantùm sanat.

Status præcipuæ controversiæ.

Transeo ad præcipuam controversiam. Enimverò cùm apud omnes constet Baptismum & Pœnitentiam non solùm conferre primam gratiam, sed etiam ejus augmentum subjecto antea per contritionem justificato; dubium tamen est, an similiter Sacramenta vivorum causent primam gratiam in subjecto disposito, in quo eam non reperiunt: hoc est, an ad effectum v. g. Eucharistiæ sit necessaria contritio necessitate medij, sive utrùm peccator bonâ fide existimans se contritum, cùm solùm sit attritus, non solùm non peccet accipiendo Eucharistiam (eadem est ratio de alijs Sacramentis vivorum) sed etiam recipiat effectum gratiæ remissivæ peccatorum?

28. Authores pro parte affirmativa. D. Thomas. Suarez.

Pro parte affirmativa, quæ magis pia est, refertur D. Thomas 3. parte quæst. 79. art. 3. in fine corporis, & in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 3. quæstiunculâ 2. & alij plures gravissimi Theologi, quos citat & sequitur Suarez disp. 63. sect. 2. conclus. 3. Regius, Bonacina ac alij recentiores apud Dianam 5. parte tract. 13. resol. 31. & putatur esse sententia Doctoris Subtilis 4. dist. 9. quæst. unicâ num. 2. in fine, ibi: *Propter hoc dico, quòd diligenti inquisitione factâ secundum possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissa contritione & confessione, quantùm videtur homini sufficere, si tunc communicet, non peccat: imò si quæ alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur.*

Regius, Bonacina, Diana, Scotus.

Authores pro parte negativâ. S. Bonaventura. Gabriel, Vasquez. Lugo. Dicastillo.

Partem negativam docent D. Bonaventura 4. dist. 9. art. 2. q.3 Gabriel & plures alij antiqui Theologi, quos citat & sequitur Vasq. disp.205. cap.4 & 5. & ex recentioribus Card Lugo de Euch. disp. 12. sect.1. n. 3. & sequentibus, & Joannes de Dicastillo ibidem disp.8. dub.7. n. 102. vocans eam probabiliorem. Certum etenim est utramque sententiam non carere suâ probabilitate, maximè ab auctoritate extrinseca; siquidem ratio intrinseca non datur præter voluntatem divinam, à qua liberrimè pendet omnis effectus Sacramenti.

Utraque est probabilis.

Potuit igitur Deus ita instituisse Sacramenta vivorum, ut solùm conferrent augmentum gratiæ, nemo negat. Potuit etiam velle, ut secundariò causarent primam gratiam; omnes affirmant; quid factum sit, sub judice lis est. Quis alius judex, quàm Ecclesia animata regula orthodoxæ fidei? Et hæc usque in hodiernum diem controversiam hanc reliquit indecisam: quin imò in nullo (quòd sciam) Concilio particulari aut generali vel verbo unico illam attingit, solummodò definiens Sacramenta omnia conferre gratiam non ponentibus obicem. Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, &c. anathema sit.* Quis autem sit obex Sacramenti, an solùm peccatum actuale, an verò etiam habituale non retractatum per contritionem supernaturalem, nec hic, nec alibi satis declarat. Solùm lego sess. 13. cap.7. *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & divinitas cælestis huius Sacramenti Eucharistiæ viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, nè absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus:* Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. *Quarè communicare volenti revocandum est in memoriam eius præceptũ:* Probet se ipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis* 29.

Et indecisa relicta ab Ecclesia.

Etiam in Tridentino.

tamvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.

30. Ex quibus verbis colligo Primò, eum, qui non est conscius sibi peccati mortalis, etiam sine contritione posse accedere. Secundò, reverenter & sanctè accedere omnes, qui sibi conscij peccati mortalis, modò desit copia confessoris, ut eodem capite loquitur Concilium, qui (inquam) sibi contriti videntur, quamvis forsitan à parte rei solùm sint attriti. An autem taliter affecti recipiant fructum Sacramenti, nec affirmat, nec negat.

Quidem capite sequenti dicit illos sacramentaliter simul & spiritualiter sumere hoc Sacramentum, *qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.* Verumtamen quæ sit illa vestis nuptialis, an contritio sive status gratiæ in re, an verò prudenter existimatus sufficiat, non satis explicat. Certum est alludere ad parabolam Christi Matth. 22. v. 11. *Intravit autem rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit.* Igitur malâ fide intraverat; alioquin cur non respondisset: Domine mi rex, prudenter judicavi me habere vestem nuptialẽ, aliàs non intrassem? Sed obmutuit. *Tunc dixit rex ministris: ligatis manibus & pedibus eius* &c.

Matth. 22.

31. Trident. Clariùs expressit Trident. necessitatem statûs gratiæ eâdem sess. cap. 2. ibi: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Similiter loquitur Florent. in decreto Unionis: *Huius Sacramenti* Eucharistiæ *effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur & membris eius unitur, sequitur quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur: omnemq́, effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem & hoc Sacramentum operatur.*

Florent.

Porro hanc necessitatem esse medij, neque hoc, neque illud Concilium ullibi determinat, sed relinquit disputationi Doctorum. Quapropter, cùm pro utraque sententia sint auctoritates non contemnendæ, difficile est discernere, quæ ex illis probabilior debeat censeri. Profectò neutra limites probabilitatis excedit. Quia tamen in commendatione divinæ misericordiæ malumus excedere, quàm deficere; hinc assero & dico:

CONCLUSIO V.

Omnia Sacramenta vivorum secundariò causant primam gratiam in subjecto disposito per veram attritionem supernaturalem.

Potissimum fundamentum est auctoritas Doctorum, quæ maximè nititur Concilio Tridentino, quod generaliter docet sess. 7. can. 6. Sacramenta novæ Legis conferre gratiam non ponentibus obicem, & canone 8. dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantùm est ex parte Dei, si ritè ea suscipiant. Porro ritè videtur suscipere Sacramenta vivorum, qui omnibus consideratis prudenter judicat se esse in statu gratiæ, vel quia nullius peccati mortalis sibi conscius, vel certè quia (quantùm in se est) elicuit actum contritionis. 32. Probatur ex authoritate Doctorum innixi Concilio Trident.

Sed hoc est, quod quæritur, & constanter negant Auctores contrariæ sententiæ, dicentes, quòd sicut non est eadem significatio omnium Sacramentorum, sic etiam non sit omnium idem obex, neque eadem dispositio necessaria ad ritè, id est, fructuosè, omnia suscipienda. Sacramenta quippe non causant gratiam, nisi quam significant. Cùm ergo Sacramenta vivorum (exceptâ fortè Unctione Extremâ) non significent nisi augmentum gratiæ, sive gratiam secundam; nullo casu, quantumvis homo inculpabiliter ea suscipiat, conferent primam, propter obicem peccati habitualis & carentiam dispositionis necessariæ necessitate medij, scilicet veri & realis statûs gratiæ.

Respondeo, Sacramenta vivorum primariò quidem instituta esse ad significandum, & per consequens ad causandum augmentum gratiæ; quemadmodùm Baptismus & Pœnitentia ad conferendam primam gratiam; secundariò tamen etiam significare primam gratiam, quemadmodùm Sacramenta mortuorum secundam. Ex quo etiam oritur necessitas, non quidem medij, sed præcepti, diversæ dispositionis: siquidem ad Sacramentum mortuum sufficit attritio ut talis cognita; ad vivum autem requiritur contritio, saltem bonâ fide talis existimata. 33. Sacramenta vivorum sunt primariò instituta ad significandum augmentum gratiæ. Secundariò tamen primam gratiam significant.

Sed contra (inquit Cardinalis Lugo de Sacramento Eucharistiæ disp. 12. sect. 1. n. 10.) 34. Lugo.

n. 10.) exemplum quod adfertur de Pœnitentia & Baptismo, non est ad rem: nam ille effectus non est per accidens, sed per se à Pœnitentia vel Baptismo. Etenim hæc Sacramenta instituta sunt per se non solùm ad primam gratiam, sed etiam ad alios effectus: Baptismus scilicet ad dandam gratiam, ex vi cujus debeantur auxilia homini baptizato ad servanda præcepta & ad operandum, ut membrum Christi; quarè quando invenit subjectum gratum, debet dare aliquem gradum gratiæ, per quem fiat ille homo membrum Christi, ratione cujus incorporationis exigat talia auxilia &c. quod quidem habet non per accidens, sed per se ex propria institutione.

Item, Sacramentum Pœnitentiæ non solùm habet per se resuscitare mortuum, sed etiam reconciliare hominem cum Deo, & dare auxilia, quibus magìs caveat à lapsu; quarè licèt inveniat subjectum gratum, habet per se augere gratiam, ut magìs reconciliet hominem cum Deo, & ut det aliquem gradum gratiæ, ratione cujus homo exigat talia auxilia &c. At verò Eucharistia, v. g. per se solùm habet dare augmentum gratiæ.

35.

Sicut Baptismus per se secundariò causat gratiam secundam, sic & per se Sacramenta vivorum causant primam,

Respondeo hic peti principium; quod enim controvertitur est, an Eucharistia per se secundariò aliquando conferat primam gratiam, sicut Baptismus per se secundariò causat quandoque secundam. Et sanè omnia Sacramenta (ut dictum est sect. præcedenti conclus. 4.) conferunt specialia auxilia gratiæ. Si ergo propter hæc Baptismus v. g. causat secundam gratiam, quando invenit primam; etiam Eucharistia & alia Sacramenta vivorum propter eadem per se, quamvìs secundariò, conferent primam, quando eam non reperiunt, nè talis homo perpetuò careat hujusmodi auxilijs, maximè necessarijs, v. g. in Matrimonio ad ejus gravissima onera sustinenda, in Confirmatione ad fidem fortiter profitendam &c.

36.

Instat Lugo.

Instat Card. Lugo supra n. 11. Sacramentum Pœnitentiæ in homine justo non invenit obicem, qui est peccatum mortale non retractatum: Eucharistia verò invenit obicem, id est, peccatum habituale, seu statum peccati; nullum autem Sacramentum aufert suum obicem.

Peccatum habituale per attritionem supernaturalem retractatum non est obex gratiæ Eucharistiæ.

Sed rursum petitur principium; negamus quippe peccatum habituale per attritionem supernaturalem retractatum esse obicem gratiæ Eucharistiæ; vel dicam Pœnitentiam non conferre gratiam, quia totam reperit, ad quam causandam est instituta; sicuti Christus per Eucharistiam, quam sumpsit in ultima cœna, non accepit augmentum gratiæ, non propriè defectu dispositionis, vel propter obicem (ut patet) sed quia totus effectus gratiæ, quem dare potuit Eucharistia, antecedenter inveniebatur in Christo.

Urget eodem numero: Licèt ex virtute ad causandam primam gratiam arguatur bene virtus ad causandum augmentum gratiæ; non tamen è converso: multò enim major virtus requiritur ad causandum primam gratiam & tollendum peccatum, quàm ad causandum augmentum gratiæ. Hinc est enim, quòd licèt homo justus possit mereri de condigno augmentum gratiæ, non tamen potest alteri de condigno mereri primam gratiam, nec posset etiam sibi mereri de condigno remissionem peccati, etiamsi supponeretur per possibile vel impossibile habere gratiam habitualem; quia nimirum multò plus est remittere peccatum & dare gratiam, quàm augere gratiam post peccatum remissum. 37. Objectio.

Respondeo, causalitatem Sacramentorum seu virtutem causandi esse moralem, non physicam (ut ostendimus sectione præcedenti conclus. 2.) quod etiam ipse docet de Sacramentis in genere disp. 4. sect. 4. n. 35. quæ non est major in uno Sacramento, quàm in alio; supposità æquali institutione divinà; siquidem in sententia illius Auctoris supra disp. 1. sect. 3. n. 35. Sacramentum habere vim significandi, non est aliud, quàm fuisse institutum ad hoc, & illam voluntatem non fuisse revocatam. Quis autem non videat, æquè facile potuisse Deum instituere Sacramentum Eucharistiæ ad significandam & secundariò causandam primam gratiam, atque voluit ut Sacramentum Pœnitentiæ secundariò causaret secundam gratiam? & pari facilitate si voluisset, Pœnitentiam instituisset cum sola virtute causandi primam gratiam, sicut hic Auctor prætendit Eucharistiam esse institutam cum sola virtute conferendi gratiam secundam. Igitur decisio controversiæ tota pendet à voluntate divina, non autem à majori vel minori virtute intrinseca hujus vel illius Sacramenti, quæ nulla est. 38. Responsio Lugo.

Potuit Deus instituere Eucharistiam ad causandam primam gratiam, sicut instituit Pœnitentiam ad causandam secundam.

39.

Esto majus sit fundamentum unius institutionis, quàm alterius.

Non diffiteor majora nos habere fundamenta unius institutionis, quàm alterius; quippe theologicè certum est, omnibus Doctoribus in eo conspirantibus, Sacramenta mortuorum per se, licèt secundariò, causare augmentum gratiæ; tota autem hæc controversia (ut supra dixi) non excedit terminos opinionis probabilis; ideòque ut talem dumtaxat proponimus nostram conclusionem, veluti magis congruam pietati & misericordiæ divinæ; quæ superexal-

perexaltat judicium; quam proinde non necessariâ, sed probabili solùm consequentiâ deducimus ex institutione Baptismi & Pœnitentiæ. Enimverò si Pœnitentiæ, quæ inter cætera Sacramenta dignitate infima est (ut dixi sect. præcedenti conclus. 3.) tantam virtutem & efficaciam tribuimus, cur negabimus illam Sacramento dignissimo Eucharistiæ, & alijs dignioribus?

40. Ad illationem Card. supra: Hinc enim est &c. Respondeo aliunde satis constare, neminem sibi mereri de condigno primam gratiam, non quia plus sit remittere peccatum, quàm augere gratiam post peccatum commissum; sed quia ex ordinatione divina (quæ ostenditur in materia de Merito) meritum condignum respicit necessariò personam merentem antecedenter constitutam in statu gratiæ & adoptionis filiorum Dei. Hoc de facto; de possibili verò sic loquitur Doctor Subtilis 3. dist. 20. quæst. unicâ n. 9.

Meritum condignum respicit necessariò personam merentem constitutam antecedenter in statu gratiæ; non sic Sacramenta vivorum. Scotus,

Præterea unus purus homo potuisset satisfacere pro omnibus, si fuisset conceptus sine peccato, sicut potuisset fieri de possibili, operatione Spiritûs Sancti & matris, sicut fuit Christus, & Deus dedisset sibi summam gratiam, quam potuisset recipere, sicut dedit Christo sine meritis præcedentibus ex liberalitate sua: talis enim potuisset mereri deletionem peccati, sicut & beatitudinem. Et infra: *Præterea videtur (de possibili dico) quòd quilibet potest satisfacere pro se, quia si data fuisset cuilibet homini prima gratia sine meritis; sicut modò, licèt quilibet sit filius iræ, cuilibet tamen dat primam gratiam sine meritis proprijs: & tunc meretur beatitudinem: igitur potuit etiam meruisse deletionem culpæ.* Ita Scotus; de quo plura in Tract. de Pœnitentia.

41. Si quæras cum Lugone disp. 12. de Euch. n. 17. Ut quid ergo tam enixè exigit Paulus, quòd *probet se ipsum homo*, utique per confessionem sacramentalem? Respondeo verbis Trident. sess. 13. cap. 7. *Certè quò magis sanctitas & divinitas cælestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Major ergo dignitas hujus Sacramenti præ cæteris causa est particularis præcepti sacramentalis confessionis, ne fortè contingat ipsum defectu perfectæ contritionis frustrari suo effectu, ad quem ex primaria intentione à Christo fuit institutum.

Major dignitas Eucharistiæ causa est particularis præcepti sacramentalis confessionis. Tridens,

S. Anselmus. Neque aliter intellexit verba Apostoli D. Anselmus super eum locum dicens: *Rarò enim invenitur aliquis ita magnus & justus, ut in eo per discussionem sui non inveniatur aliquid, quod debeat eum à corpore & sanguine Domini retardare, nisi confessus fuerit illud, & per pœnitentiam deleatur.* Colligo: quia loquitur de peccatis venialibus; nam mortalia non inveniuntur in homine justo, & tamen apud omnes constat confessionem venialium non esse necessariam ad percipiendum fructum Eucharistiæ.

Alij Patres (quos ibidem citat Auctor præfatus n. 18. pro sua sententia) similiter explicari possunt de obligatione præcepti, & dispositione requisita ad primarium effectum Sacramenti. D. Ambros. lib. 6. in Lucam cap. 9. sic inquit: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi, qui vocantur ad cœnam, priùs vocando sanantur.* Et infra: *Ubique ergo mysterij ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cælestis exuberet.* Puta, quia conscius sibi peccati mortalis, quantumvis etiam sibi contritus videatur, jure divino aut saltem Ecclesiastico prohibetur accedere ad sacram Eucharistiam absque præmissa sacramentali confessione. Quod optimè sciens D. Gregorius lib. 2. in 1. Reg. c. 1. circa illa verba: *Repleti priùs pro panibus se locaverunt. Salutem* (inquit) *non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente.* Quis autem dicat portare peccatum in mente, qui bonâ fide existimat per contritionem vel confessionem id ipsum esse deletum? 42.

Explicantur Patres à Lugone objecti. S. Ambros. S. Gregor.

Respondet Card. supra: Reverà peccatum habituale adhuc manet; affectus verò ad peccatum non solùm per attritionem supernaturalem, sed etiam per naturalem vel per totalem oblivionem poterat tolli. 43.

Poterat planè: sed quid inde? Ergo dispositio naturalis sufficit etiam ad effectum Sacramenti: negant omnes consequentiam; nè cogantur asserere, hominem naturæ viribus posse justificari & salvari, qui est error in pluribus Concilijs damnatus contra Pelagianos & Semipelagianos.

Licèt supernaturalis attritio sufficiat ad effectum Sacramenti, non tamen naturalis.

Clem. Papa. Verba quoque Clementis Papæ lib. 7. constit. cap. 27. eamdem patiuntur interpretationem: *Si quis* (inquit) *sanctus est, accedat; si non est, curet ut fiat per misericordiam Dei.* Quippe præcipitur peccatori contritio & confessio; cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus 1. Cor. 11. v. 29. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quâ sententiâ non comprehenduntur nisi memores suorum peccatorum. 1. Cor. 11.

Majorem difficultatem pariunt verba, quæ habentur in Catechismo Pij V. parte 2. cap. 44.

Difficultas ex Catechismo Pij V.

cap. 4. n. 40. *Quòd dicitur, Eucharistiâ gratiam tribui, pastores admoneant oportet, ita intelligendum non esse, perindè ac necesse non sit, ut; qui reipsa hoc Sacramentum utiliter percepturus est, gratiam antea adeptus fuerit. Constat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest; ita etiam animæ, quæ spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse; ac propterea panis & vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causâ, instituta esse.* Adde quod ait Florentinum in decreto Unionis de effectu hujus Sacramenti: *Omnemq; effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem & hoc Sacramentum operatur.* Certum autem est, materialem cibum & potum numquam dare primam vitam corporalem.

Et Concilio Florentino.

Verumenimverò hæc ita clara non sunt, quin commodè prior responsio ipsis possit applicari. Dico ergo Catechismum Romanum nihil aliud velle, quàm primam vitam non esse primarium effectum Eucharistiæ, adeoque hominem obligari ad se cōstituendum in statu gratiæ, quantùm in ipso est.

Solvitur: quia solùm volunt primam vitam non esse effectum primarium Eucharistiæ.

Colligo Primò, quia vult ut pastores moneant populum; nil autem refert populum monere de illa controversia speculativa, sed dumtaxat de practica diligenti præparatione. Secundò, quia inquit: *Primâ gratiâ omnes præditos esse oportet, antequam S. Eucharistiam ore contingere audeant, ne iudicium sibi manducent & bibant.* Igitur loquitur de culpabili accessu in statu peccati; qui enim inculpabiliter sic accedit (ut mox dixi & omnes admittunt) non sumit sibi judicium.

45. Porro ad similitudinem Florentini accipio responsionem ex communi axiomate: Similitudo non currit quatuor pedibus. Assimilatur equidem Eucharistia nutrimento corporali in primario suo effectu, qui est augere gratiam sive nutrire vitam spiritualem, quod satis est ad veritatem Concilij Florentini; quippe (ut bene notandum est) verba citata non aliud significant, quàm cibum spiritualem conferre omnem effectum vitæ spirituali, quando illam invenit, quem cibus corporalis tribuit vitæ corporali; quod verissimum est, & à nemine negatur. At aliud est dicere: operatur omnem effectum, & operatur solùm illum effectum. Et hoc postremum neque Concilium, neque Catechismus asserit, nisi secundùm explicationem datam. Et in hoc claudicat similitudo.

Do rationem: quia nutrimentum corporale ex se mortuum est, neque confert ad vitam, nisi quatenus per actionem viventis convertitur in ejus substantiam: alimentum verò spirituale virtute suâ propriâ convertit in se manducantem, & non è converso, juxta illud D. August. 7. Confess. 10. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

S. August.

Respondet Card. Lugo supra n. 22. in sumptione Eucharistiæ reperiri duplicem conversionem spiritualem: alteram quâ homo convertitur in Christum quoad operationes; eo quòd fiat quasi membrum Christi, & incipiat jam operari ijs operationibus, quæ decent membrum Christi, juxta illud Apostoli ad Galatas 2. v. 20. *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus*; alteram verò, quâ homo convertit Eucharistiam in se quoad fructus, eo quòd sicut ex naturali alimento accipit vires ad conservandam & augendam vitam naturalem; sic etiam ab hoc Sacramento accipit novas vires ad operandum, & novum augmentum sanctitatis, quæ est vita spiritualis; quarè ex parte ipsius etiam hominis præ requiritur vita ad utiliter comedendum hunc cibum. 46.

Duplici cōversione spirituali posità in Eucharistiâ. Lugo. Galat. 2.

Contra: si duplex est conversio, quid obstat quò minùs una ponatur absque altera? Cur non possit Christus hominem convertere in se conferendo per Eucharistiam primam gratiam, per quam ipsi incorporetur & membris ejus uniatur, absque eo quòd homo defectu præexistentis gratiæ convertat Christum in se? Profectò sola voluntas Dei ratio est, quarè sic fiat vel non fiat.

Nil obstat, quin una possit reperiri sine altera.

Atque hinc urgentissima improbatio nostræ, & probatio oppositæ sententiæ est, quam reperio apud Vasq. supra cap. 5. n. 24. his verbis: Sacramentis nullum effectum ex opere operato adscribere possumus, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum, aut traditione Patrum acceptum, aut Scripturâ traditum sit, aut saltem ex illorum propria natura & institutione efficaciter deducatur: nihil autem horum habemus, ut effectum primæ gratiæ secundariò tribuamus Sacramentis vivorum; ergo &c. Major ab omnibus admittitur: consequentia est evidens: Minorem probat Vasq. ibidem n. 25. & sequentibus. Et quidem (inquit) definitio Ecclesiæ aut Scripturæ nulla est, ex qua id colligi possit, ut omnes fatentur. Certè non fatentur illi, qui doctrinam suam principaliter colligunt ex Concilio Tridentino locis supra citatis; quibus adde can. 5. sess. 13. *Si quis dixerit vel præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse* 47.

Respondetur ad fundamentum Vasquez in oppositum.

Trident.

esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.

Lug. Scio Card. Lug. supra n.20. respondere, Tridentinum supponere Eucharistiam tollere venialia: hoc enim expressè docet cap. 2. ejusdem sessionis, ibi: *Et tamquàm antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Sed quid prohibet etiam intelligere peccata mortalia? Quippe hæretici Lutherus, Calvinus & alij, quos Concilium ibi damnat, asserebant, præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem mortalium, ut ostendit Bellarminus lib. 4. de hoc Sacramento cap. 17. Igitur Concilium definiens remissionem mortalium non esse præcipuum & solum fructum, præbet Theologis probabile fundamentum asserendi remissionem illam saltem esse fructum secundarium.

Respondetur ad Tridentinum. Bellarm.

48. Quod attinet SS. Patres, qui docent Eucharistiam esse remissivam peccatorum, hoc Sacramento lavari, mundari animam, extingui peccata, tolli spurcitiam, ægrotos curari, ablui scelera, & alia hujusmodi; Respondet Card. Lugo supra n. 19. illos intelligi posse vel de Eucharistia, ut Sacrificium est; sic enim habet vim impetrandi (fallibilem tamen) primam gratiam, id est auxilia congrua pro ijs, qui sunt in peccato: vel de Eucharistia respectu venialium; vel de remissione & ablatione peccati quoad reliquias pravorum affectuum, qui remanserant; vel denique quòd Eucharistia expellit morbos & mortem, præveniendo scilicet & adferendo auxilia & vires, quibus resistamus tentationibus.

Lug.

Licèt authoritates pro conclusione allegatæ varias recipiant interpretationes, probabiliter tamen cum D. Thoma ex illis conclusio colligitur.

Negare non possumus neque volumus auctoritates antiquorum Patrum hujusmodi recipere interpretationes: quin imò videntur necessariæ, nè debeamus admittere præcipuum & solum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, quod supra damnat Concilium Tidentinum: nihilominus probabiliter ex illis colligimus cum S. Thom. 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quæstiuncula 2. etiam remissionem mortalium interdum vi Sacramenti conferri. Verba Doctoris Angelici sunt: *Unde si aliquis per hujusmodi signa, factâ diligenti discussione suæ conscientiæ, quamvis fortè non sufficienti, ad corpus Christi devotè accedat aliquo peccato mortali in ipso manente, quod cognitionem præterfugiat, non peccat; immò magis ex vi Sacramenti peccati remissionem consequitur. Unde Augustinus dicit in quodam sermone, quòd quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos.*

Et quamvis verba illa D. Aug. Vasquez in ipso non invenerit, neque reperiantur in locis decreti, quæ citantur in margine S. Thomæ, non dubito tamen haberi propter auctoritatem & sanctitatem tanti Doctoris, cujus Summa omnibus dicitur & verè est Augustinus contractus. Esto equidē non habeatur; cùm universa Schola Theologica admittat reviviscentiam Baptismi propter solam auctoritatem D. Augustini, immò Card. Lugo etiam reviviscentiam cæterorum Sacramentorum, exceptâ Eucharistiâ, absque ullius Patris, Scripturæ aut Concilij auctoritate; cur non liceat nobis probabiliter asserere propter doctrinam D. Thomæ summi cultoris & propugnatoris Eucharistici, hoc Sacramentum vi suâ in casu posito causare primam gratiam?

Licet probabiliter asserere conclusionem propter doctrinam D. Thomæ.

49. Respondet Card. Lugo supra n. 24. dictum S. Thom. non debere intelligi de effectu infallibili, sed aliquando contingenti, eo quòd aliquando credi potest, quòd illi homini detur auxilium ad contritionem, quâ mediante resurgat à peccato. Quomodò explicat eumdem Sanctum in Summa 3. parte quæst. 79. art. 3. in fine corporis, ibi: *Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto; sicut cùm quis priùs justificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus; sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati.* Ergo (inquit Card.) non remittitur peccatum immediatè per hoc Sacramentum, sed mediante verâ contritione, quam fallibiliter impetrabit susceptio Eucharistiæ.

Non satisfacit Lugo explicans dictum D. Thomæ de effectu contingenti.

50. Contra Primò: Ergo tantam habet vim remittendi peccata Eucharistia ex mente D. Thom. ut est Sacramentum, quantam habet, ut est Sacrificium; quod tamen negat Auctor iste supra n. 21. Secundò etiam Sacramentum Pœnitentiæ ex attrito efficit contritum, ut communiter dicitur; nemo tamen propterea negat Pœnitentiam immediatè & infallibiliter delere peccata; sed sensus est, Sacramentum cum attritione æquivalere contritioni in causando gratiam remissivam peccatorum, sive (ut loquitur Doctor Subtilis 4. dist. 14. q. 2. n. 15.) *Idem motus, qui priùs fuit attritio, in illo instanti fit contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratia, & ita actus formatus, quia habens secum charitatem, quæ est forma actus.*

Quod ostenditur primò. Ostenditur secundò. Scotus.

Atque hoc est, quod asserit Doctor Angelicus supra: *Consequetur* (inquit) *per hoc Sacramentum,* ex opere scilicet operato, *gratiam charitatis, quæ perficiet contritionem* sive attritio-

S. Thomas.

attritionem, remittendo peccata. Et ibidem: *Ad primum ergo dicendum, quod petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum; vel eorum, quorum conscientiam non habemus (secundum illud Psalmi: Ab occultis meis munda me Domine) vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem; vel etiam ut nobis robur detur ad scelera vitanda.*

51. Non deducitur oppositum conclusionis ex institutione Sacramenti Eucharistiæ. Thren. 2.

Venio ad institutionem Sacramenti Eucharistiæ, ex qua (inquit Vasquez supra) oppositum deduci videtur. Sed quid dicit Scriptura Threnorum 2. vers. 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*: nam etiam secundùm Lugonem supra num. 16. Extrema Unctio (quæ est Sacramentum vivorum) instituta est secundariò ad remittenda peccata mortalia: ergo ex institutione Sacramenti Eucharistiæ, multò minùs cæterorum, præcisè quà habent rationem Sacramenti vivi (ut sic loquar) non deducitur oppositum; immò neque ex singulorum institutione particulari, ut satìs liquet ex dictis, & ampliùs constabit ex dicendis proprijs locis.

Igitur omnia quidem Sacramenta instituta sunt ad causandam gratiam; quibusdam tamen superadditum est præceptum, nè suscipiantur nisi à justificatis; quæ proinde dicuntur Sacramenta vivorum, quia ex præcepto divino requirunt vitam spiritualem seu gratiam in suscipiente, ita quòd peccator accedens scienter cum sola attritione nullum omninò ex tali Sacramento recipiat fructum gratiæ, quia ponit obicem peccati mortalis actualis.

Ne autem controversia hæc tota appareat speculativa, hujusmodi ex illa deduco conclusionem practicam:

CONCLUSIO VI.

Eucharistia debet subinde moribundo administrari, quamvìs existimetur esse in statu peccati mortalis: Extrema Unctio nunquam, si aliquo casu sine prævio signo doloris possit absolvi.

52. Casus Conclusionis.

Casus sit iste: Joannes acceptat duellum, committit pugnam, lethaliter vulneratur, signa dat doloris, sed imperfecti tantùm, id est, attritionis. Quid facto opus? si desit copia Sacerdotis, Diaconus potest & debet administrare Eucharistiam; siquidem in extrema necessitate obligamur ex charitate proximo succurrere quocumque medio probabili. Adest Sacerdos; priùs absolvat sacramentaliter, quàm communicet agonizantem, vel inungat. Ut quid hoc? quia status gratiæ est dispositio necessaria ex præcepto.

Vides jam differentiam inter Eucharistiam & Extremam Unctionem? In hac ubiè enim solus Sacerdos est validus minister Extremæ Unctionis; adeòque nulla potest occurrere necessitas inungendi sine prævia absolutione, nisi tanta esset ignorantia Sacerdotis, ut nesciret verba essentialia, quæ profectò moraliter est impossibilis ex hypothesi quòd sciat vel ex libro legere, vel ex memoria recitare formam Extremæ Unctionis.

Petes, quid faciendum si ægrotus, quia destitutus sensibus, nulla dederit signa doloris? Respondeo: si Catholicè vixit, maximè per frequentationem Sacramentorum, priùs absolvatur; quia probabilis est multorum sententia (de qua proprio loco) valere absolutionem: alioquin deficiente probabilitate illius sententiæ, inungendus est, ut docet praxis Ecclesiæ; ut enim susceptioni hujus Sacramenti (inquit Suarius tom. 4. de hoc Sacramento disp. 42. sect. 1. n. 6.) consentire censeatur; satìs est, quòd quâcumque probabili ratione præsumatur esse dispositus ad Sacramentum recipiendum, quod semper præsumendum est, quoties contrarium non constat; quia qui malus non probatur, bonus esse præsumitur. Qui autem præsumitur bene dispositus ad justificationem, etiam creditur habere, & reverà habet virtute voluntatem suscipiendi illa media, quæ hîc & nunc ad suam salutem vel necessaria sunt vel valde utilia. Ita hic Auctor, addens in fine ejusdem sectionis, ministrum licitè posse dare hoc Sacramentum infirmo sensibus destituto, quamvìs credat illum non esse in statu gratiæ, dummodò ei constet fuisse attritum.

53. Quid faciendum sit, si ægrotus nulla dederit signa doloris.

Suarez.

Rectè, quoniam secundùm sententiam Suarij (quam secuti sumus conclusione præcedenti) hoc Sacramentum de attrito facit contritum (ut loquitur) quoties suscipiens de novo non peccat in illius susceptione: sed ille recipiens non peccat de novo; nam ratione talis statûs est incapax novi peccati, & aliàs supponitur attritus; ergo fiet contritus virtute Sacramenti. Porro quæ Extremæ Unctionis, eadem est Eucharistiæ causa, si absit periculum irreverentiæ externæ; & quia illud plerumque adest, consuetudo habet, ut taliter constitutis solùm administretur Extrema Unctio.

54. Illatio. Ex dictis ulteriùs infero, omnem illum recipere fructum Sacramenti, quantumcumque sit in peccato mortali, qui absque novo peccato mortali, quâcumque ratione excusetur, accedit ad Sacramentum, si supernaturaliter, saltem per attritionem, fuerit dispositus.

Hucusque de dispositione peccatoris. Sed quid de justo? Numquid & in illo præter intentionem suscipiendi Sacramentum, necessaria est aliqua actualis & supernaturalis dispositio? Certum in primis est requiri ad minùs attritionem ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; quippe quæ non ita est dispositio, quàm quasi pars ipsius Sacramenti. Intelligendo igitur quæsitum de actu propriè & strictè dispositivo, Respondeo:

CONCLUSIO VII.

Ad dignam & fructuosam Eucharistiæ (eadem est ratio aliorum Sacramentorum) susceptionem non requiritur in homine justo præter intentionem actualis aliqua devotio.

55. Probatio ex Tridentino. Est communis, & probatur Primò ex Tridentino sess. 13. cap. 7. ubi ad dignam susceptionem Eucharistiæ non requiritur nisi probatio ex Apostolo Paulo 1. Cor. 11. per sacramentalem confessionem; & cap. 8. docet illos sacramentaliter simul & spiritualiter sumere hoc Sacramentum, qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. Quis autem ambigat hominem justum, Dei filium adoptivum, vestem nuptialem indutum? Planum quoque est sacramentali confessione non indigere.

56. Et ex eo, quòd olim Eucharistia, & hodie Confirmatio ministretur parvulis. Confirmatur: quia olim Eucharistia ministrabatur parvulis, & hodie Confirmatio, in quibus non est alia dispositio, quàm habitualis, nimirum gratia justificans. Clariùs idem cernitur in phreneticis & amentibus, qui priùs habuerunt usum rationis, in quibus proinde prærequiritur voluntas propria, & tamen non est necessaria devotio actualis. Si amentia excusat, quarè non etiam inadvertentia? Et ex praxi moderna Ecclesiæ. Accedat praxis moderna totiùs Ecclesiæ conferens Extremam Unctionem infirmo extra usum rationis constituto, in quo nequidem est actualis voluntas & intentio suscipiendi Sacramentum, quæ tamen est magis necessaria.

Sicut ergo ad valorem Sacramenti & fructum in phreneticis & infirmis sufficit voluntas præterita non retractata; pariter ad fructum Sacramenti sufficiet devotio virtualis seu habitualis in illis, qui sunt compotes rationis. Quippe certum est ad fructuosam Pœnitentiam non exigi contritionem (quæ est quasi materia Sacramenti) actualiter existentem & præsentem, quando datur absolutio; similiter neque confessionem; sed sufficit fuisse præteritas, cum morali aliqua connexione: ergo potiori ratione sufficiet devotio præterita, quam habuit aliquis, dum priùs desideravit accedere ad Sacramentum: quid enim aliud est devotio, nisi affectus erga Sacramentum? Hæc autem semper intervenit quoties adultus voluntariè recipit Sacramentum, cùm semper debeat præcedere voluntas illam suscipiendi, quæ voluntas perseverat moraliter, quamdiu non revocatur: imò etiam virtualiter ferè semper; quia de facto influit & causat susceptionem Sacramenti. Ita Card. Lugo de Eucharistia (de qua est præcipua quæstio) disput. 14. sect. 3. numero 37. & sequentibus. *Sicut ad valorem Sacramenti in infirmis sufficit voluntas præterita non retractata, ita quoad compotes rationis sufficit devotio habitualis.* *Quæ semper intervenit, quoties adultus voluntariè recipit Sacramentum.*

Ubi n. 41. confirmat suam doctrinam exemplo Sacrificij, quod causat suum effectum in eo, pro quo offertur, quando in ipso tempore actualis oblationis Sacerdos distractus est, aut sine actuali devotione. Nec dicas (inquit) in ratione Sacrificij offerri etiam à Christo, qui semper habet actualem devotionem, & ideo semper operatur suum effectum; hoc (inquam) non satisfacit, quia etiam in ratione Sacramenti habet suam efficaciam ab eodem Christo, qui per Sacramenta operatur & applicat sua merita. 57. Confirmatio Lugonis.

Addit: Immò magis videtur pendere in ratione Sacramenti à solo Christo, quàm in ratione Sacrificij; nam Sacrificium ita offertur à Christo, ut etiam verè & propriè offeratur à nobis, & ideo est Sacrificium & oblatio non solùm Christi, sed nostra. At verò ut Sacramentum, non est nisi solius Christi, qui per illud significat & operatur gratiam. Ita Eminent. Verè, an falsò, judicet æquus lector, nil enim refert ad doctrinam propositam. Meo certè judicio falsum est, quod ibi docet.

Ostendo: quia quemadmodùm Christus nunc offert sive sacrificat Sacerdotum ministerio, qui se ipsum in cruce obtulit cruentè, & in ultima cœna incruentè; ita etiam nunc conficit Sacramentũ Eucharistię mini- 58. Refellitur.

ministerio Sacerdotum, quod in ultimâ cœna per se ipsum confecit. Et sicuti Sacerdos ut minister Christi & in persona ejus proximè offert idem Sacrificium, quod Christus per se ipsum obtulit in ultima cœna; pariformiter ut minister Christi conficit idem Sacramentum, quod Christus per se ipsum in ultima cœna confecit; eisdem quippe verbis, quibus instituit Christus Apostolos & successores eorum ministros Sacrificij, etiam ordinavit ministros Sacramenti; neque minor intentio requiritur in ministro ad Sacramentum, quàm ad Sacrificium: etenim sacrificare est consecrare; porro consecrare est offerre, id est, conficere corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini in protestationem summi dominij Dei in vitam & mortem. Quis jam non videt Sacerdotem tam propriè esse ministrum Sacramenti, quàm Sacrificij? Ut quid ergo Sacramentum dicitur actio solius Christi magis, quàm Sacrificium?

59. Confirmatio Conclusionis ex Martyrio, quod confert effectum suum actualiter distracto. Sed redeamus ad doctrinam principalem, quam ibidem Card. n. 42. non malè elucidat exemplo Martyrij, quod confert effectum suum martyri actualiter distracto, v. g. si in mare projectus totus sit in hoc, ut natando perveniat ad littus; cùm tamen effectus ille fundetur in operatione honesta ipsius patientis, voluntariâ scilicet acceptatione mortis. Ergo multò magis Eucharistia & alia Sacramenta conferent suum effectum homini justificato absque dispositione devotionis actualis; cùm homo suscipiens Eucharistiam minùs de suo conferat ad gratiam, quàm qui patitur Martyrium, saltem non plùs.

Porro quod æquè multùm posset alicui videri propter hanc rationem; quia non minùs ad effectum Sacramenti in homine adulto requiritur voluntaria receptio Sacramenti, quàm ad effectum Martyrij requiritur voluntaria perpessio mortis. Cæterùm in eo est disparitas, quòd Sacramentum sit causa moralis gratiæ; minimè verò illatio mortis, ut proinde causa movens Deum ad dandam gratiam ultra condignum Martyri, non sit illatio mortis; causa autem movens ad dandam gratiam per Sacramentum, sit ipsa actio sacramentalis, seu ipsum Sacramentum, quod à Christo institutum est ad causandam gratiam; secùs mors Martyris aut illatio mortis.

60. Conclusio probatur secundò. Probatur secundò Conclusio à posteriori: quia si defectus devotionis præsentis impediret omnem effectum, sequeretur hominem sub mortali debere procurare devotionem actualem (ut patebit ex dicendis infra sect. ultimâ hujus disputationis) quod tamen est contra omnium fidelium existimationem. Dixi signanter, *omnem effectum*; quia libenter fatemur per actualem devotionem meliùs disponi hominem, atque adeò majorem gratiam & uberiorem effectum Sacramenti accipere.

Probatur tertiò & principaliter: quia ejusmodi necessitas, cùm pendeat ex libera voluntate Christi, non est ponenda absque fundamento sufficienti. Et quidem nullum adfertur, quod generaliter probet ad omnia Sacramenta requiri in homine justo actualem devotionem; duo autem præcipua pro Sacramento Eucharistiæ sic facilè everto. 61. Probatur tertiò.

Primum sumitur ab experientia: videmus quippe multos Sacerdotes quotidiè celebrantes, adeoque communicantes, qui tamen parum vel nihil in spiritu proficiunt. Non obstat, quotidie celebrantes non adverti in spiritu proficere.

Sed contra Primò: homo in statu gratiæ per quodlibet opus bonum supernaturale meretur de condigno & accipit augmentum gratiæ; & tamen quàm parvum profectum in plerisque advertimus!

Secundò: rarissimùm est, quòd Sacerdos celebret absque ulla actuali devotione. Igitur augmentum illud non advertitur per experientiam; quia in primis virtutes infusæ non dant facilè, sed simpliciter posse: auxilia verò actualia non dantur (ut dictum est supra) nisi tempore opportuno, v. g. quando instat occasio peccandi; & hinc fit, quòd illi, qui frequentiùs communicant, rariùs cadant in peccatum mortale.

Accedit, quòd fructus Sacramenti sæpe impediatur ab effectu suo sollicitudinibus sæculi, negotijs, curis & tentationibus. Denique, cùm hoc Sacramentum institutum sit per modum cibi, adeoque sæpiùs sumendum, non influit auxilia in longum tempus, sed solùm in propinquum, eaque subordinata liberæ cooperationi voluntatis. 62.

Pulchrè ad propositum D. Bernardus Sermone in Cœna Domini: *Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit; & ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis & Sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ ac cæterorum* S. Bernardus.

 hujus-

huiusmodi; gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.

63. Non obstat secundò, Eucharistiã conferre suum effectum per modum cibi.

Secundum fundamentum sit: Sacramentum Eucharistiæ (ut jam jam dixi) confert suum effectum per modum cibi: porro cibus non nutrit sine actuali cooperatione viventis, in cujus substantiam convertitur. Sed ad hoc responsum est conclusione præcedenti. Addo hic, in parvulis & phreneticis nullam inveniri cooperationem, & tamen Eucharistia confert ipsis suum effectum per modum cibi; quia (ut ibi diximus) non convertitur cibus in sumentem, sed potiùs è contra sumentem convertit in seipsum.

Voluntas suscipiendi Sacramentum magis est cooperatio, quàm præsens devotio.

Dices: Saltem requiritur semper cooperatio in adultis. Esto: dico voluntatem suscipiendi Sacramentum magis esse cooperationem, quàm præsentem devotionem, cùm hæc aliquando non influat, v. g. in homine extatico, quando illa contemplatio & amor ex ea ortus non sunt causa accipiendi Sacramentum, sed voluntas præterita quâ accessit, quæ semper influit & causat quatenus virtualiter perseverat.

Atque hîc sit finis hujus sectionis; habent enim molestissimam quæstionem quæ sequuntur.

SECTIO SEXTA.

De Reviviscentia Sacramentorum.

1. Sacramentum quandoque validè recipitur, sed sine fructu.

Contingit interdum Sacramentum aliquod, puta Baptismum, validè suscipi, sed sine fructu, defectu debitæ dispositionis; & tunc non levis oritur controversia, utrùm accedente necessariâ dispositione, Sacramentum præexistens ex opere operato causet gratiam, veluti si jam actualiter ministraretur?

Scotus.

Quod alijs verbis proponit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 5. *An adultus fictus recipiat effectum Baptismi?* (Idem quæri potest de alijs Sacramentis) Respondet autem n. 2. *Fictus dicitur, qui aliud prætendit exteriùs, aliud habet interiùs: potest ergo aliquis in suscipiendo Baptismum esse fictus dupliciter. Vno modo, quòd ostendat se velle recipere illam ablutionem eo modo, quo Ecclesia intendit eam conferre, & tamen oppositum habet in animo; & ille non recipit Sacramentum, quia simpliciter est nolens respectu ablutionis sacramentalis ..... & si talis postea recederet à fictione, esset baptizandus ..... Alio modo potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen non est dispositus interiùs, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu* (v. g simoniam, odium proximi &c.) *vel præteritum, de quo nullo modo atteritur vel conteritur. Et de isto secundo modo communiter loquuntur Sancti & Doctores de fictè baptizato*, quærentes

Hinc quadruplex quæstio.

Primò, an in ipsa susceptione Sacramenti accipiat ejus effectum, puta gratiam sanctificantem? Secundò, an sublatâ fictione sive obice (ut vocant) gratiam sacramentalem accipiat vi præsentis Sacramenti? Tertiò, an vi ejus accipiat remissionem omnium peccatorum, tam scilicet eorum, quæ commissa sunt tempore susceptionis Sacramenti, quàm præcedente? Quartò, quænam ad hoc dispositio requiratur?

Ad primam quæstionem facilis est responsio: *Dico* (utor verbis Scoti supra) *quia nolentem Deus non iustificat, secundùm illud Aug.* Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te; *iste qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit vel quod priùs commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam, secundùm August. ubi supra:* Omnis qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, &c. *Et de isto intelligitur illud Sap. 1. v. 5. Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Vide dicta sect. præcedenti. 2. Responsio ad primam. Sap. 1.

Pro responsione ad secundam quæstionem erit

CONCLUSIO I.

Sacramentum Baptismi validè collatum, si propter fictionem seu obicem in suscipiente repertum informe fuerit, id est, gratiam sanctificantem (characterem semper imprimit) non contulerit, eam conferet postea, cùm fictio seu obex subla-

sublatus fuerit, & ita reviviscet.

3. Sacramentum invalidè collatum numquam postea reviviscit ad ullum effectum.

PRænotandum ly *validè collatum*: nam si ab initio fuerit invalidum, sive ex defectu intentionis ministri, sive suscipientis, sive propter defectum materiæ aut formæ, nunquàm postea reviviscet ad ullum omninò effectum.

Ratio est manifesta: quia nequit reviviscere quod non fuit, neque est; quemadmodùm non confirmatur privilegium, quod non præextitit; aut contractus, qui à principio civiliter & naturaliter fuit nullus. Suppleri quidem potest materia, forma vel intentio, & obtineri effectus, sed per Sacramentum, quod de novo ministratur, non autem per reviviscentiam prioris invalidi.

4. Conclusio est probabilior, innixa authoritati D. Augustini.

Conclusio uti communior, ita etiam est probabilior. Nititur præcipuè auctoritate D. Aug. qui lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. sic ait: *Quòd si dementissimum est dicere* (ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos) *fateantur* Donatistæ *vero Baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor eius in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non finere fieri: atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismus eâdem Sacramenti celebratione datur & sumitur; qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exuitur, quo eius peccata tenebantur & dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione & verâ confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit. Sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt qui se separaverunt, inimicus charitatis & pacis Christi, in aliqua hæresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata eius non dimittebantur, cùm se correxerit & ad Ecclesiæ societatem unitatemq; venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsâ reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum eius, in unitate iam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.*

Idem docet lib. 3. cap. 13. ibi: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint; non ut iam dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem; propter pacem intùs operetur salutem.*

Consimiliter loquitur lib. 6. cap. 5. ibi: *Et ideo si ab illa perversitate correctus & à separatione conversus venerit ad Catholicam pacem sub eodem Baptismate, quod acceperat, etiam peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, sub quo Baptismate peccata eius tenebantur propter sacrilegium divisionis.* Rationem adjungit: *Quia* (inquit) *illud in homine iusto & in homine iniusto semper sanctum est, quod neque æquitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.*

Quæ verba omnes Scholastici sic interpretantur, ut significent Baptismum fictè susceptum, recedente fictione prodesse ad effectum, quem in principio ratione impedimenti seu obicis non habuit. At verò dissentiunt in explicatione illius effectûs, quem aliqui statuunt solam remissionem totius pœnæ etiam temporariæ, pro peccatis dumtaxat, quæ ante Baptismum & cum ipso commissa sunt, ita ut hæc pœna semper ex opere operato virtute Baptismi relaxetur, cùm tamen ratione Contritionis aut Sacramenti Pœnitentiæ non semper omninò tollatur. Ita Vasq. 3. parte tomo 2. disp. 159. cap. 4. n. 38. citans Gabrielem & Scotum, veluti qui clarissimè denegent Baptismo, recedente fictione, remissionem alicujus culpæ ex opere operato. 5.

Sententia Vasquez citantis pro se sed malè, Scotum.

Equidem Scotum legi & relegi, & oppidò miratus fui profunditatem & claritatem ingenij Vasquesiani videntis quasi faciè ad faciem, quod nec ego, nec alius quispiam vel per speculum in ænigmate.

Scotus.

Intendamus paulisper verbis Doct. Subtilis 4. dist. 4. quæst. 5. n. 4. *Et si obijcitur, quomodò habebit iste* (fictus) *gratiam baptismalem, vel effectum aliquem Baptismi? Uno modo potest dici, quòd illa fictio non dimittitur, nisi per veram Pœnitentiam: sed eâ dimissâ habet Baptismus effectum suum respectu omnium peccatorum præcedentium Baptismum, quæ tamen non erant causa fictionis in Baptismo. V. g. aliquis ante Baptismum commisit septem peccata mortalia, & veniens ad Baptismum de sex attritus, septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur; illud septimum solùm est causa* (positiva) *fictionis eius in Baptismo: oportet ergo, quòd verè pœniteat de isto septimo & in se, & in quantùm fuit causa fictionis eius in Baptismo. Quod pro tanto dico, quia fortè peccavit novo peccato mortali* (ait *fortè*, quia potuit excusari per ignorantiam) *faciens irreverentiam Sacramento Baptismi, recipiendo illud cum tali fictione: sed recedente illâ fictione (quæ fuit impedimentũ effectûs Baptismi) Deus confert gratiam baptismalem in remedium cõtra alia peccata, quæ fuissent deleta in Baptismo, nisi fictio occurrisset.*

Et post pauca: *Sicut Deus signo suo priùs adstitisset ad causandum effectum eius vel dandum, quando suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum in suscipiente; ita paratus est semper post susceptionem eius signi assistere ei, qui suscepit, ad causandum effectum eius, quando cessat illud impedimentum.* Quomodò evidentiùs & illustriùs potuisset Baptismo, recedente fictione, concedere remissionem omnis culpæ & pœnæ?

Porro quia hic modus dicendi non carebat difficultate, quam ibidem objicit & probabiliter solvit (ut infra videbimus) hinc solito sui intellectûs acumine rem subintrans, secundum & tertium modum excogitavit.

7. Secundum n. 7. ibi: *Aliter potest dici, quòd quando verè aliquem pœnitet de fictione illa, gratia infunditur sibi perfectior, quàm esset illa, quæ præcisè virtute Pœnitentiæ infunderetur: ita quod illa includat in se perfectionem gratiæ pœnitentialis & baptismalis; & hoc modo Baptismus habet effectum, quia gratia æquivalens gratiæ baptismali datur pœnitenti de fictione simul cum illa, quam meretur de pœnitendo.*

In quibus verbis majorem effectum gratiæ attribuit Pœnitentiæ intuitu Baptismi, tamquam præviæ dispositionis: etenim per Baptismum, etiam fictum, suscipiens fit de familia Christi; adeòque magìs disponitur ad recipiendam gratiam per Pœnitentiam in prima justificatione, ad quam specialiter Baptismus ordinatur. Sed & ille modus suas habet inconvenientias, quas vide ibi.

8. Quapropter n. 8. *Tertio* (inquit) *modo principaliter* (id est, ad principalem quæstionem, non autem (ut vult Vas. supra n. 41.) principaliùs & probabiliùs) *potest dici, quòd ille pœnitens de fictione tantùm recipit gratiam virtute Pœnitentiæ: & ita non maiorem, quàm si non fuisset fictus in Baptismo, & post Baptismum cadens resurgeret per Pœnitentiam &c. Et tunc illa verba, quæ dicuntur* (à D. Aug.) *de effectu Baptismi, quem sortitur pœnitens de fictione, intelligenda sunt, non quòd in Pœnitentia illa recipiat gratiam aliquam virtute Baptismi (quia susceptio eius mortua fuit, & mortuus reviviscere non potest) sed absolutus est à præcepto de Baptismo suscipiendo, quia illud implevit: illa autem impletio nihil sibi valuit ad salutem ante istam pœnitentiam.*

Scotus differens de effectu reviviscentis Sacramenti, non facit mentionem solius remissionis pœnæ.

Hæc sunt, quæ subtiliter disserit Scotus de effectu reviviscentis Baptismi, in quibus nulla fit mentio solius remissionis totius pœnæ, etiam temporariæ. Quàm igitur impertinenter à Vasquesio citatur pro ista sententia? Bonorum ingeniorum indoles est in verbis verum amare, non verba.

Videtur aliquibus satis esse, si aliquid dicant de Scoto, verum sit an falsum, flocci pendentes. Cæterùm liberam reliquit Doctor unicuique electionem hujus vel illius modi: solam autem pœnam remitti (ut etiam advertit Hiquæus in suo commentario ad locum præfatum n. 42.) neque hîc, neque alibi dixit, quantùm pro nunc occurrit; neque consequenter dici potest: nam si ulla efficacia per modum Sacramenti ipsi tribuenda est, debet salvari primaria (id est, efficacia gratiæ baptismalis, quam consequitur remissio omnis culpæ & pœnæ) juxta primum modum, qui magìs communis est, & quem ut magìs probabilem defendit Doctor; quippe & eum primo loco statuit, & in Reportatis eum solum adducit, alijs supersedendo. Hiquæus.

9. Probatio Conclusionis ex D. Augustino.

Probatur autem primò ex verbis D. Aug. in quibus Baptismo præterito adscribit salutem, remissionem peccatorum & vitam, quæ sunt effectus gratiæ sanctificantis.

Auctor serm. de pass. apud Cyprianum.

Similibus verbis utitur Auctor Ser. de Passione apud Cyprianum, ibi: *Et licèt indigni sint, qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum parat accessum, & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum.*

Consonat Gregorius lib. 9. Epist. 61. & refertur de consec. dist. 4. can. 44. *Sanctum* (inquit) *Baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manûs Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei Sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* Gregorius.

Eadem lego apud Isidorum Hispalensem lib. 2. Officiorum cap. 24. *Habet quidem Baptismum Christi hæreticus, sed quia extra unitatem fidei, nihil ei prodest: at ubi ingressus fuerit, statim Baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi iam prodesse ad salutem.* Isidorus.

Accedat Collatio 54. Carthagine habita contra Donatistas: *Ideo* (inquit) *ad Christum venire debent, qui extra communionem Baptismum eius habent, non ut quod deerat adsit, sed ut quod inerat prosit.* Ad quid putas, nisi ad salutem, remissionem peccatorum & vitam? Haud dubito, quin etiam ad illa, si (quod plerique admittunt) prosit ad remissionem pœnæ temporalis. Profectò nec ipsum Sacramentum Pœnitentiæ tollit debitum pœnæ absque prævia vel concomitante infusione gratiæ sanctificantis ex opere operato.

Audio reclamantem Vasquesium supra cap. 3. n. 35. & dicentem: Ut Aug. hoc privilegium Baptismo tribueret, fundamentum 10.

10. Ad fundamentum Vasquez in oppositum

tum aliquod aut traditionis, aut definitionis Ecclesiæ, aut Scripturæ, aut rationis denique habere debuisset: Ecclesiæ autem traditionem usque ad sua tempora fuisse, minimè constat; neque ipse eam allegat: definitionem præterea Ecclesiæ, aut Scripturæ testimonium nullum esse, manifestum est: denique nullam esse rationem, quę ad id asserendum cogat, præsertim cùm illud pendeat ex Dei voluntate, qui aliter potuisset statuere; constat ex dictis hoc capite. Unde igitur Aug. hoc privilegium Baptismi, quod ex sola Dei voluntate pendet, colligere potuit?

Respondetur. Interrogabo Vasquesium & ego unum verbum: Baptismus reviviscens remittit ex opere operato pœnam temporariam, an non? Remittit (inquis cap. 4. n. 46.) Ast unde D. Aug. hoc privilegium, quod non minùs pendet ex sola Dei voluntate, colligere potuit? Responde mihi, & ego dicam tibi, ex quo colligere potuerit privilegium remissionis peccatorum.

Vasquez. Meminisse debueras, quod scriptum reliqueras 1. parte q. 89 c. 1. *Multò meliùs nobis est cum Aug. quàm cum alijs sentire, qui in materia de Gratia & de Prædestinatione, inter cæteros Ecclesiæ Patres non aliter, quàm sol inter cætera minora sidera, præfulget.* Sanè eximia viri sanctitas & doctrina sufficere abundè tibi debuissent, ut cum Suario in prologo de

Suarez. Gratia cap. 6. diceres: *Non tantùm in rebus, quas Aug. certas existimat, sed etiam in his omnibus, quæ simpliciter & tanquam probabiliora constanter & ubique amplectitur, sententia eius præferenda est, nisi cùm maior auctoritas Patrum & Ecclesiæ obstare videtur.*

11. Augustinus nullibi simpliciter asserere Baptismum reviviscentem ex opere operato cōferre gratiam sanctificantem, probatur ex ipso Aug. primò.

Dices: D. Aug. nullibi simpliciter asserit Baptismum reviviscentem ex opere operato conferre gratiā sanctificantem. Probatur primò: quia non fuit ipsi quęstio cum Donatistis de reviviscentia Baptismi quoad collationem gratiæ, sed de validitate Baptismi in schismate aut hæresi suscepti, illis negantibus hujusmodi Baptismum valere, & proinde asserentibus ita baptizatos debere rebaptizari, cùm ad Ecclesiam revertuntur; Augustino verò oppositum affirmante, quia nimirum cùm tollitur fictio revertendo ad Ecclesiam, Baptismus incipit valere ad salutem, quia videlicet & fuit impletum præceptum Baptismi, & utiliter imposterum recipi possunt alia Sacramenta, per quæ fit remissio peccatorum, quæ proinde Baptismo tanquàm radici imputatur, non autem formaliter & proximè.

12. Probatur secundò. Probatur secundò: quia Aug. simpliciter asserit Baptismum incipere valere hoc ipso, quòd quis revertitur ad Ecclesiam; ergo solùm intendit, quòd homo tunc per Baptismum constituatur in eo statu in quo utiliter possit percipere reliqua Sacramenta; non autem quòd Baptismus hoc ipso operetur effectum gratiæ: quippe ut peccata dimittantur, certum est non sufficere, quòd quis ad Ecclesiam redeat & hæresim relinquat, sed requiritur insuper pœnitentia seu dolor de peccatis.

Probatur tertiò: Aug. lib. 1. de Nuptijs & Concupiscentia cap. 33. docet, lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundari atque sanari, etiam quæ posteriora sunt Baptismo. Etenim explicans illud Apostoli ad Ephes. 5. v. 25. 26. & 27. *Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* &c. *Sic* (inquit) *accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solùm peccata quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Quod sine dubio non formaliter, sed causaliter solùm potest intelligi, ut significat verbis immediatè sequentibus: *Quid enim* (inquit) *prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?* Ergo similiter intelligenda sunt verba citata ex lib. 1. 3. & 6. de Baptismo. 13. Probatur tertiò. Ephes. 5.

Probatur quartò: quia libro 1. cap. 12. purgationem peccatorum videtur non Baptismo sed confessioni tribuere, per quam fit, ut Baptismus susceptus, quem iterùm recipere non est necessè, incipiat valere & prodesse modo statim explicato. 14. Probatur quartò.

Similiter lib. 3. cap. 13. dicit Baptismum non valere ad hoc ut jam dimissa peccata (nempe per contritionem & pacem Ecclesiæ & reconciliationem cum ea) non retineantur, hoc est remittantur; quia scilicet jam dimissa per Pœnitentiam remittere non potest; ergo deservit & prodest tertio duntaxat modo supra ex Scoto relato.

Denique lib. 6. cap. 5. solùm dicit, quòd *sub eodem Baptismate, quod acceperat, eius peccata dimittuntur propter vinculum charitatis* &c. Non est autem idem sub illo Baptismo dimitti, ac per illum dimitti.

15. Responsio ad primam & tertiam probationē. Respondeo: Licèt principalis quæstio Augustinum inter & Donatistas fuerit de validitate Baptismi: occasione tamen ejus ulteriùs progressi sunt, ut patet ex cap. 11. lib. 1. Siquidem Donatistæ à Catholicis

petebant,

petebant; an Baptismus susceptus in suo schismate remitteret peccata & conferret Spiritûs Sancti gratiam? Si concedatur, inquiebant: ergo Spiritus Sanctus datur apud nos, atque ita habemus veram Ecclesiam. Si negetur: ergo debetis redeuntes à nobis ad vos iterum baptizare.

Quibus Aug. cap. 12. respondens, similiter ab ijs petit, utrum fictè, sive sine dolore peccatorum in vera Ecclesia baptizato (quem etiam ipsi fatebantur non debere rebaptizari) remittantur peccata, nec ne? Deinde subjungit duplicem modum, quo possit responderi eorum objectioni: primus & verus est, qui continetur verbis supra allegatis, nimirum tali non valere Baptismum ad salutem quando baptizatur, sed postea quando se convertit: quæ responsio non esset ad mentem Donatistarum, si intelligeretur solùm de remissione peccatorum (ut sic dicam) radicali; nam ipsi loquebantur & petebant de formali & immediata, ut patet.

Unde etiam dicit Baptismum, qui propter fictionem non poterat operari, eâ sublatâ habere suum effectum. Et lib. 3. cap. 13. docet Baptismum, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem interiùs operari salutem; atqui foris operabatur mortem immediatè, ergo & salutem intus. Et lib. 1. cap. 10. dicit Baptismum esse quoddam semen Christi, quo Ecclesia, etiam per hæreticos, generat filios; quod quidem malâ voluntate suscipientium potest impediri, non tamen omninò corrumpi aut tolli; & consequenter ablato impedimento per legitimam dispositionem conferet suum effectum. Liquet igitur non posse illum esse sensum cap. 12. lib. 1. de Baptismo, & lib. 3. cap. 13. qui est cap. 33. lib. 1. de Nuptijs & Concupiscentiâ. Atque ita responsum est ad primam & tertiam probationem.

16. Responsio ad secundam probationem.

Ad secundam dico, Aug. satis indicare se loqui de eo, qui revertitur ex vera & sincera correctione (aliàs non tam censetur reverti, quàm fingere) adeòque ex detestatione sui erroris ac peccati. Quid enim aliud significant illa verba cap. 12. *Cùm quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exuitur?* Et illa: *Sed ipsâ piâ correctione & verâ confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo; sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit?*

Ubi non soli confessioni (prout vult quarta probatio) adscribit remissionem peccatorum, sed magis ipsi Baptismo; confessioni autem sublationem obicis sive fictionis. Unde dicit: *Prodesse iam in unitate Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat*; quibus verbis significat ad id, & eodem modo prodesse postea, ad quod, & quomodo priùs prodesse non potuit; ergo ex opere operato ad remissionem peccati.

Nec obstant verba adducta ex lib. 3. cap. 13. Ex antecedentibus quippe planum est, non illum esse sensum eorum, qui ijs tribuitur in quarta probatione; sed alium longè diversum juxta intentum Aug. de duplici respondendi via ad quæstionem Donatistarum, de qua supra egerat lib. 1. cap. 12. Accipite ejus verba: *Si fit illic remissio debitorum per Baptismi sanctitatem, rursus debita redeunt per hæresis aut schismatis obstinationem; & ideo necessarium habent huiusmodi homines venire ad Catholicam pacem, ut hæretici & schismatici esse iam desinant, & eorum, quæ in illos redierant, purgationem peccatorum in unitatis vinculo charitate operante mereantur*; utique ex opere operantis per Contritionem, aut ex opere operato per Confessionem, quæ non prodesset, nisi Baptismus præcessisset. 17.

S. Aug.

Si autem quamvis apud hæreticos vel schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eamdem discordiæ fœditatem & dissensionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut iam dimissa non retineantur, id est, iterum remittantur, juxta primam viam respondendi, per Contritionem vel Confessionem; *neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur; sed ut idem ipse*, secundùm alteram viam, *qui propter discordiam foris operabatur mortem*, proximè & formaliter, *propter pacem*, tollentem obicem peccati, *intus* ex opere operato *operetur salutem*; id est, remissionem peccatorum.

18. Responsio ad ultimam probationem.

Ex his colligo responsionem ad ultimam probationem, ut *sub Baptismate* idem sit, quod *per ipsum Baptisma*; tum quia id sæpe antea dixerat, ut vidimus: tum quia immediatè subjicit rationem: *Quia illud & in homine iusto, & in homine iniusto sanctum est*, hoc est, habet vim sanctificandi, si cætera requisita adsint. Quæ ratio extra rem esset ad probandum, non per Baptismum, sed aliunde peccata dimitti.

Vasquez.

Quod enim dicit Vasq. supra n. 50. rationem illam adferri ab Aug. non ad probandam efficaciam illius manere, ut recedente fictione ex opere operato peccata remittat, sed ut verus Baptismus censeatur, qui iterum repeti non potest: hoc (inquam) non potest aptari textui, cùm neque in eo capite,

capite, neque in præcedenti verbum ullum fecerit Aug. de repetendo vel non repetendo Baptismo, sed de ejus efficacia & utilitate.

Quæ cùm ita sint, manu teneo auctoritatem D. August. quæ una pro multis mihi semper erit: quamvis nec una sit, nec destituta omni fundamento sive rationis, sive definitionis Ecclesiæ aut Scripturæ. Unde

19. Argumentum secundum pro conclusione ex Tridentino: Argumentor secundò pro communi sententia ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. ibi: *Quæ quidem translatio* (id est justificatio) *post Euangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joannis 3. versu 5. Ergo si quis Baptismo indignè recepto, postea per contritionem justificetur, verè erit renatus ex aqua & Spiritu Sancto; ergo Baptismus in eo verè causavit gratiam, quoniam renasci quempiam ex aqua non est aliud, quàm Baptismum in eo causare gratiam, per quam renascatur, dicente D. Augustino lib. 1. de Baptismo, S. August. cap. 11. *Quid enim est renasci per Baptismum, nisi à vetustate renovari? Quomodo autem renovatur à vetustate, cui peccata præterita non dimittuntur?* Prior consequentia probatur: quia si non esset renatus ex aqua, quantumcumque esset justificatus, deberet ex aqua renasci, ut patet in justificato per contritionem ante Baptismum: atqui hæreticum est, talem debere rebaptizari; ergo &c.

20. Scotus. Do (reponit quispiam) rationem disparitatis ex Scoto supra n. 8. *Recipit effectum Baptismi, quando pœnitet* fictè baptizatus; *quia est filius regni: & non obligatur ad suscipiendum Baptismum, ad hoc ut sit filius regni: quia illud præceptum implevit.* Nam (ut ibidem notat) *Actualiter peccans mortaliter, in alio, sive in illo actu potest implere præceptum affirmativum, etiam in illo actu.* Ergo talis justificatio non fit sine lavacro regenerationis, & in re ipsa; siquidem præcessit realis susceptio Baptismi; & etiam quoquo modo in voto præsenti, quatenus eliciens contritionem vel attritionem sic est dispositus, ut Baptismum suscipere paratus foret, si non suscepisset.

Cui probabiliter contradicit Vasquez. Adde Tridentinum solùm docere necessitatem Baptismi, & quid fiat dum Baptismus licitè & debitè recipitur: semper enim tunc per illum aut ejus votum homo justificatur. Nam certè etsi Baptismus non revivisceret (quorum alterutrum determinare non erat scopus Concilij) adhuc potuisset sic indefinitè loqui.

Sed hæc ratio quamvis probabilis sit (ut doctè ostendit Vasq. supra cap. 4. n. 47. & sequentibus, accommodans illi verba D. August.) attamen non plenè satisfacit: quippe Baptismus non tantùm necessarius est necessitate præcepti; quemadmodùm restitutio rei alienæ, auditio sacri, jejunium & similia, quæ positivè non influunt in justificationem, sed solùm removent prohibens, scilicet peccatum; verùm etiam necessitate medij, tamquàm causa per se moralis gratiæ justificantis. 21. Sed non plenè satisfacit.

Quapropter sicuti justificatus per contritionem antecedentem, per Baptismum subsequentem ampliùs justificatur; consimiliter conveniens planè erat, ut justificatus per contritionem subsequentem, ampliùs justificaretur per Baptismum præteritum, ut etiam in eo regeneratione mundaretur, quod generatione contraxerat. Etenim *quid confert* (verba sunt Clementis Papæ epist. 4. post medium) *aqua Baptismus ad Dei cultum? Primò quidem, quia quod Deo placuit, impletur. Secundò, quia regenerato ex aquis & Deo renato fragilitas prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur; & ita demum pervenire poteritis ad salutem: aliter impossibile est.* Clem. Papa.

Unde (nota bene) Christus Joannis 3. Joan. 3. non tantùm dixit: *Oportet vos nasci denuo* v. 7. sed præmisit versu 3. & 5. *Nisi quis renatus fuerit.* Concilium quoque Trident. Trident. non sic loquitur: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum per lavacrum regenerationis aut eius votum fieri debet*; sed conformiter dicto Christi: *Sine lavacro aut eius voto fieri non potest.* Hinc

22. Argumentum tertium ex bonitate divina. Argumentor tertiò: opera nostræ redemptionis, & media ad salutem ordinata, interpretanda sunt juxta divinam bonitatem, ut factum illud intelligatur, quod magis est secundùm divinam misericordiam, nostrum profectum, & Sacramentorum commendationem & reverentiam, ac magis inclinat homines ad ea suscipienda: atqui reviviscentia Baptismi ad effectum gratiæ magis commendat bonitatem divinam; ergo &c. Minor probatur: quia Baptismus est Sacramentum initiativum, sive principium totius vitæ Christianæ, initerabile, atque constituens baptizatū debitorem universæ legis Christi servandæ: congruit igitur ut impeditum vel per malitiam, vel certè per ignorantiam, dum suscipiens Sacramētum putat se habere dolorem supernaturalem, cùm sit tantùm humanus, quod non rarò potest contingere; congruit (inquam) ut ablato impedimento conferat

gratiam initialem & regenerativam, ac per consequens auxilia actualia maximè utilia, immò quodammodò necessaria ad observantiam Legis Christianæ; sic namque magis sollicitatur fictus ad dignam pœnitentiam faciendam, & elucet suavis providentia Dei & Christi, qui venit peccatores salvos facere non per actus internos tantùm, sed per remedia quoque externa remissiva peccatorum, tam ante, quàm post Baptismum commissorum.

Et quæ illa, nisi Baptismus & Sacramentum Pœnitentiæ? Consentiunt omnes. Ergo oportet Baptismum reviviscere. Negant aliqui consequentiam, & argumentum retorquentes: quia (inquiunt) illa duo instituta sunt in remissionem peccatorum, ideo non oportet Baptismum reviviscere.

Objectio

23. Probatur ex Scoto supra n. 5. *Per pœnitentiam deletur ista fictio per te: non autem potest deleri unum peccatum mortale, quin deleantur omnia, quia secundùm D. August. impium est à Deo dimidiam sperare veniam: ergo per illam Pœnitentiam tam delentur omnia alia peccata; non ergo gratia baptismalis delet illa alia.* Agit de obice positivo, hoc est, de peccato mortali actuali commisso in ipsa susceptione Baptismi, quod supponit esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ.

Probata ex Scoto.

Augetur difficultas ex hoc, quod sequitur: *Si dicatur ad primum istorum, quòd Pœnitentia quantùm est de se, posset delere omnia peccata; tamen quando prævenitur ab aliqua causa potentiori, non delet illa: sed ista causa est hic quantùm ad alia sex peccata, scilicet gratia baptismalis, quæ prævenit pœnitentiam vel effectum ejus. Hoc non videtur rationabile, quia priùs naturaliter tollitur fictio, quàm per Baptismum aliquid causetur: sed in illo priori oportet habere veram Pœnitentiam, quia fictio non tollitur sine vera Pœnitentia; secundùm August. vera Pœnitentia plenè reconciliat Deo quantùm ad omnia: ergo Baptismus non potest prævenire effectum Pœnitentiæ quantùm ad aliquid delendum ibi, immò Pœnitentia prævenit, quantùm ad omnia.*

Confirmat Vasq. supra n. 23. exemplo: quia peccata, quæ per confessionem ratione oblivionis fuerunt per accidens solùm remissa, deinde quidem subjicienda sunt clavibus, ut in illa directa sententia absolutionis proferatur; tamen virtute illius non remittuntur, & verba absolutionis denotant solùm potestatem ea absolvendi, nisi essent jam remissa. Et quamvis verba absolutionis gratiam conferant, quam aliàs conferrent, tamen reipsa effectum absolvendi non habent.

Et à Vasquez confirmata.

Quamvis igitur Baptismus recedente fictione gradum aliquem gratiæ conferret, tamen reipsa non dimitteret ulla peccata, quæ jam saltem per accidens virtute Pœnitentiæ removentis obicem essent remissa, & ita non diceretur remittere peccata vel operari salutem, quæ in remissione posita est; cujus oppositum videtur indicare Augustinus.

Audivistis objectionem? Auscultate eâdem benignitate solutionem. Scotus supra num. 6. *Posset ergo aliter dici, quòd Pœnitentia vera perfectè reconciliat Deo, & per consequens nullum peccatum relinquit: Sed tamen non omne quod tollit, per se curat: sed tantùm illud, quod est obiectum Pœnitentiæ, de quo scilicet pœnitens pœnitet. Quandoque autem oportet omne peccatum, quod deletur, esse obiectum Pœnitentiæ, utpote si omnia illa peccata sint commissa post Baptismum: quandoque autem non oportet, ut in proposito. Non ergo per virtutem* (id est efficaciam) *Pœnitentiæ dimittuntur hic omnia peccata: sed in Pœnitentia dimittuntur partim per Pœnitentiam, partim per aliam causam: & sic non habetur ibi dimidia venia peccatorum, sed tota à Deo; non tamen tota per Pœnitentiam, quia non oportuit de omnibus, quæ inerant, peccatis, perfectè pœnitere: & secundùm hoc esset dicendum, quòd illa sex delentur & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: nec de eis oportet habere contritionem vel confessionem, nec satisfactionem, sed solùm de illo, quod fuit causa fictionis.* Ita Ille, supponens cum communi sententia, Baptismum à Christo institutum esse in remissionem peccatorum ante ipsum commissorum, sive originalis, sive actualium: Sacramentum verò Pœnitentiæ pro peccatis post Baptismum commissis, ut proprijs locis patebit. 24. Dissolvitur ex Scoto.

Ut autem veritas magis elucescat, dico idem, sed alijs verbis, & simul respondeo ad instantias: Utrumque Sacramentum simul naturâ concurrit ad effectum gratiæ, & Baptismus quidem directè remittit peccata ipsum præcedentia, Pœnitentia verò subsequentia: hoc est, Deus infundens gratiam remissivam, vel (si mavis) remittentem peccata, movetur ab utroque Sacramento simul. Responsio ad instantias.

Probatur primò: quia fictio non tollitur per infusionem gratiæ, sive remissionem peccatorum; sed per ipsum Sacramentum, sub quo intelligo contritionem perfectam. Subsumo: atqui & Sacramentum & contritio naturâ præcedunt infusionem gratiæ & remissionem peccatorum: ergo in posteriori instanti naturæ, quo contritio vel 25. Fictio non tollitur per infusionem gratiæ, sed per ipsum Sacramentum.

vel Sacramentum causat gratiam & remittit peccata, cùm Baptismus sit præsens & inveniat subjectum legitimè dispositum; quidni & ipse conferat suum effectum? Sicuti si pœnitens eadem peccata duobus fuisset confessus, & absolutio utriusque Sacerdotis in eodem instanti finiretur, nulla adfertur ratio, quare non utrumque Sacramentum propriè & per se remittat illa peccata, cùm non inveniat remissa.

In casu proposito non apparet ratio attribuendi remissionem peccatorum potiùs gratiæ pœnitentiali, quàm baptismali.

Cùm igitur Pœnitentia in nostro casu inveniat subjectum dispositum per Baptismum fictè susceptum, & Baptismus similiter per veram Pœnitentiam; nulla apparet ratio attribuendi remissionem peccatorum potiùs gratiæ pœnitentiali (ut sic loquar) quàm baptismali: ergo vel utrumque Sacramentum remittit peccata, vel neutrum. Omitto, quòd eadem peccata sæpiùs diversis temporibus possint remitti; de quo alibi.

Trident.

Sanè, cùm constat ex Trident. sess. 14. cap. 5. peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse, adeóque eâdem absolutione remissa; ut quid exigitur directa (ut loquitur Vasq.) sententia absolutionis, si verè & propriè illa peccata ampliùs non remittuntur?

Quarè gratia pœnitentialis solùm remittat directè peccata post Baptismum; baptismalis verò ante Baptismum commissa.

Negare quidem non possum, neque volo, quamcumque gratiam moraliter repugnare & expellere quodcumque peccatum; equidem quia Sacramentum Pœnitentiæ (ut statim dixi) non est per se institutum nisi pro peccatis post Baptismum commissis, sed nec Baptismus nisi pro peccatis ipsum præcedentibus; hinc factum est, ut gratia pœnitentialis solùm remittat directè peccata post Baptismum commissa, gratia verò baptismalis peccata commissa ante Baptismum.

Lugo. *Higuæus.*

An verò secundariò & indirectè etiam alia? Affirmat Lugo de Sacramentis disp. 9. sect. 3. num. 39. negat Higuæus in suo comment. ad dist. & quæst. supra ex Scoto citatam num. 32. nam causa (inquit) disparata non dicitur per accidens seu indirectè vel secundariò habere effectum per se alterius causæ, nisi quando eam quoad hoc supplet, ipsâ non agente; quod non contingit hîc, quia utrumque Sacramentum egit quod suum est respectivè ad effectum & materiam propriam; ideóque nihil relinquit causandum alteri directè vel indirectè respectivè ad idem. Parum refert quid dicatur, dummodò unicuique maneat salva causalitas directa simul tempore & naturâ, quam

26. Duarum causarum ita concurrentium, ut à se mutuò dependeant respectu sui effectûs, neutra priùs causat.

Probo secundò: Quando duæ causæ ita concurrunt, ut à se mutuò dependeant respectu sui effectûs, neutra priùs causat, sed utraque simul. Exemplum sit in materia & forma Sacramenti, quarum una ante alteram nihil efficit, sed simul causant quando utraque est finita. Applico rei præsenti: Atqui Sacramentum Pœnitentiæ dependet à Baptismo ratione impedimenti peccati originalis, & aliorum, quæ Baptismum præcesserunt; Baptismus pariter dependet à Pœnitentia ratione fictionis: ergo causalitas simultanea. Contritio quidem efficax est sine Baptismo, sed non sine ordine ad illum vel suscipiendum, vel susceptum. Cùm itaque supponatur præsentia Baptismi præteriti in eodem instanti; quid prohibet simultaneam causalitatem?

Prorsus nihil: pono enim casum, quòd in ultimo instanti Sacramenti, quando primò confertur Baptismus, suscipiens eliceat actum Contritionis; peto, Baptismus priùs causabit gratiam & remittet peccata, an verò Contritio? Respondet omnis Theologus: qui autem hoc non potest respondere, nescio si Theologus sit. Quid respondet omnis Theologus? Utrumque simul causat gratiam, & remittit eadem peccata, unum ex opere operato, alterum verò ex opere operantis.

Dices: Contritio vel Attritio cum Sacramento debet resuscitare Baptismum velut mortuum in instanti A. causando suam gratiam: ergo non potest in eodem simul causare suam Baptismus; quia in instanti A. resuscitatus non potest operari nisi in instanti B. cùm sicut priùs naturâ debet causa esse antequam operetur, sic & resuscitari. 27. Objectio

Respondeo: Baptismus resuscitatur non tamquàm mortuus, sed tamquam impeditus & præteritus existens in divina acceptatione; adeóque eodem instanti, quo impedimentum tollitur, operatur: nam illud ipsum erat carentia dispositionis, quæ tollitur formaliter per ipsam dispositionem. Unde sicut visus impeditus aut carens speciebus, eo ipso, quò illas acquirit, operatur simul cum illis visionem; etiam eodem instanti naturæ; sic Sacramentum præteritum, eo ipso, quò advenit dispositio, operatur simul cum ea effectum gratiæ, & consequenter remissionis peccatorum. 28. Solvitur.

Ecce doctrinam Vasquesianam cardinibus suis luxatam: esto alioquin sufficeret ad veritatem locutionis Augustinianæ, quòd Baptismus reviviscens conferret

 augmen-

augmentum gratiæ justificantis tale, quale confert homini per contritionem ante realem susceptionem Sacramenti justificato.

Vel fortè existimas, quòd justo huic non prosit Baptismus ad salutem, ad vitam, imò ad remissionem peccatorum? Audi quid dicat Sanctus & Eximius Doctor Ecclesiæ, Tract. 13. in Joannem: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat.* Similia habet alijs locis, quæ quomodò sint intelligenda, alibi dabitur commoditas investigandi & explicandi. Pro nunc paucis dico, omnem illam gratiam prodesse ad remissionem peccatorum, quæ ex primaria sua institutione nata est remittere peccata, ubi non invenit ea remissa.

S. August.

29. Explicatio quorumdā verborum Scoti.

Atque hìc fuisset finis hujus conclusionis, nisi occurrissent verba Scoti supra n. 8. *Quia susceptio ejus* (Baptismi) *mortua fuit, & mortuum reviviscere non potest.*

Sed responsio est facilis: susceptio indigna, quà opus hominis, mortua, imò & mortifera est; equidem quà Sacramentum, actio Christi reputatur in se viva & sancta, atque ex ejus meritis habens vim sanctificandi, quam ablato impedimento statim exerit: exerit (inquam) non ad hunc vel illum tantùm, sed ad omnem prorsus effectum, quem à principio habuisset, nisi impedita fuisset; sic enim de Baptismate loquitur D. Aug. ut in initio conclusionis audivimus: *Quia illud & in homine justo, & in homine injusto semper sanctum est, quod neque æquitate alicujus augetur, neque alicujus iniquitate minuitur:* minueretur autem, si cum obice susceptum non reviviscet ad omnem effectum.

S. August.

Quarè respondendo ad tertiam quæstionem supra positam, Dico:

CONCLUSIO II.

Baptismus reviviscit ad omnem effectum, quem habuisset, si à principio legitimè fuisset susceptus.

30. Ex reviviscentia Baptismi deducitur reviviscentia ad omnem effectum.

QUid miramur? quarè non credimus? Deus est qui fecit. Quæris, unde sciam? Respondeo ex quo scio Baptismum reviviscere, ex eodem scio reviviscere ad omnem effectum: est siquidem regeneratio totalis, & ejus gratia est regenerativa transmutans hominem in alium, atque adeò ex se delens omnia peccata vitæ anterioris, omnemque pœnam pro his debitam. *Inrenatu enim* (verba sunt Trident. in decreto de peccato originali §. 5.) *nihil odit Deus* &c.

Trident.

Argumentum à simili.

Sicuti ergo Summus Pontifex concedit aliquando tempore Jubilæi, ut possint omnes absolvi à casibus reservatis, ut possint commutari vota &c. quam facultatem ita quidem censetur concedere, ut si eo tempore pœnitens oblitus fuerit alicujus peccati reservati vel voti commutandi, postea transacto tempore Jubilæi possit secundùm communiorem sententiam in virtute Jubilæi præteriti absolvi ab illo peccato reservato vel votum ejusdem commutari, quia per Jubilæum acquisivit jus ad eas gratias consequendas: sic Christus Dominus similem indulgentiam videtur in Sacramento Baptismi concessisse, ut ejus virtute plenissima remissio fiat semel in vita omnium debitorum culpæ & pœnæ, quæ usque ad illud tempus sunt contracta; ad quam remissionem acquirit jus, qui baptizatur; ita ut si tunc ratione alicujus impedimenti effectus non habeatur, possit postea, ablato impedimento, effectum consequi ratione juris, quod semel acquisivit.

31. Baptismum reviviscere solùm ad remissionem pœnarum temporalium, vel ad conferenda auxilia gratiæ, est infundatum. Improbabile est, reviviscere ad solam remissionem mortalium.

Profectò, quòd aliqui DD. volunt, Baptismum reviviscere ad remissionem pœnarum temporalium, vel ad conferendum auxilia gratiæ, non autem ad gratiam sanctificantem vel remissionem peccatorum, nullo prorsus nititur fundamento. Similiter improbabile est, reviviscere ad remissionem mortalium & non venialium, vel è converso. Itaque ad omnem effectum reviviscet, vel ad nullum, cùm omnium æqualis sit ratio & auctoritas.

Et ideo, juxta communem fidelium sensum, qui statim post Baptismum moritur, haud censetur indigere suffragijs propter peccata præterita expianda, tametsi fortè defectu debitæ retractationis in hac vita nequaquàm fuissent remissa; jam enim per gratiam baptismalem acceperat jus ad remissionem totius pœnæ sublato obice peccati venialis, sive per retractationem post hanc vitam, sive (quod verius apparet) propter merita hujus vitæ, quæ tribuunt jus ad gloriam, cujus est impedimentum, de quo alibi. Et verò negabimus Baptismo reviviscentiam in hac vita, quam ei concedit communis sensus fidelium in altera vita? Non est rationabile. Neque credibile est, remittere pœnas peccatis debitas, & non ipsa peccata, in quorum equidem remissionem principaliter est institutus. Ex his

Sequi-

32\. Datur major gratia per Pœnitentiam & Baptiſmum reviviſcentem, quàm per ſolum Baptiſmū, vel ſolam Pœnitentiam.

Sequitur primò, majorem dari gratiam per pœnitentiam (intelligo, per ſe juſtificativam) & Baptiſmum reviviſcentem, quàm per ſolum Baptiſmum, vel ſolam Pœnitentiam: cur enim priventur ſuo effectu per mutuum conſortium? Certè contritio & Sacramentum Pœnitentiæ majorem conferunt gratiam, quàm ſola Contritio, vel ſolum Sacramentum.

Alioquin, quæ eſt illa utilitas Baptiſmi reviviſcentis, quæ tantoperè inculcatur & commendatur à D. Aug. & alijs Patribus? Quomodò conſtat ablutionis donum & redit effectus munerum, ſi homo non recuperat, quod propter obicis impedimentum perdiderat? Nonnè ſi à principio ſuſcepiſſet Baptiſmum contritus, plus gratiæ recepiſſet, quàm ſi ſolùm attritus? An credis, quia eamdem duplici titulo? toto cœlo aberras: non enim diverſis meritis correſpondet idem prœmium, ſed diverſa. Sic duobus Sacramentis ſimul ſuſceptis non cauſatur eadem gratia, ſed duplex: ergo ſimiliter in præſenti, Baptiſmo & Contritioni non correſpondet unica gratia; ſed duplex, ſeu diverſi gradus ejuſdem gratiæ, vel (ſi mavis) perfectior gratia, quàm eſſet illa, quæ præcisè virtute alterutrius infunderetur.

Brevis.

Atque hoc fortè voluit Scotus ſupra n. 7. inquiens: *Aliter poteſt dici, quòd quando verè aliquem pœnitet de fictione illâ, gratia infunditur ſibi perfectior, quàm eſſet illa, quæ præcisè virtute* (id eſt efficaciâ) *Pœnitentiæ infunderetur:* ſive jam à ſola Pœnitentia infundatur, quod Scotus ibi intendit; ſive etiam à Baptiſmo, ut habet communior ſententia.

33\. Non ſequitur inde haberi fructū de fictione,

Sed contra hoc arguitur (ex Doctore ſupra) *quia tunc ille haberet commodum de ſua fictione maius, quàm ſi tunc non fuiſſet fictus; & poſt in peccatum cecidiſſet, ſimile illi fictioni: nam ſi cecidiſſet, & modo pœniteret, non haberet modò gratiam, niſi tantùm virtute Pœnitentiæ. Tu autem dicis, illum, qui tunc fuit fictus in Baptiſmo, habere in pœnitendo quaſi duplicem gratiam.*

Ut oſtendit Scotus primò.

Reſpondet duplici modo n. 8. *Hic poteſt* (inquit) *dici uno modo quòd non habet commodum, ſed magìs detrimentum: quia tempore Baptiſmi, & ſequenti uſque ad Pœnitentiam, eſt filius gehennæ, & omnia opera ſua mortua ſunt: ſi autem non fuiſſet fictus, fuiſſet tunc & poſt uſque ad lapſum, filius regni, & opera eius viva, quibus meruiſſet augmentum & gratiæ & gloriæ.*

Oſtendit ſecundò.

Aliter dici poteſt, quòd ſi non fuiſſet fictus & poſtea lapſus, & poſtea pœniteret, in pœnitendo reciperet tantam gratiam, quantam nunc recipit pœnitens de fictione; quia reſurgens per Pœnitentiam à peccato mortali, recuperat totam gratiam, à qua cecidit & aliquam ultra per Pœnitentiam: non autem eandem duplici titulo, ut alio loco videbimus.

Oſtenditur tertiò.

Addo tertiam reſponſionem, & dico ſæpe contingere, ut quis recipiat commodum ex opere bono extrinſecè vitiato, v.g. ex Euchariſtia, aut alio Sacramento ſuſcepto ex vana gloria. Quid ergo mirum ſi ex Baptiſmo fictè ſuſcepto, recedente per Pœnitentiam fictione, percipiatur major effectus gratiæ? Baptiſmus quippe intrinſecè ſanctus fuit, Pœnitentia quoque ſuam habet ſanctitatem: non igitur ex fictione reportat commodum, ſed eandem accipit gratiam ex Sacramento, quam habuiſſet, ſi tempore, quo Baptiſmum ſuſcepit, illam Contritionem elicuiſſet.

34\. Baptiſmus non reviviſcit ad remiſſionem, ſaltem directam peccatorum mortalium aut venialium poſtea commiſſorum, neque ipſius fictionis: Ratio eſt inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ. Trident.

Sequitur ſecundò, Baptiſmum non reviviſcere ad remiſſionem, ſaltem directam, peccatorum mortalium aut venialium poſtea commiſſorum; quin immò neque ipſius peccati fictionis, id eſt, ſacrilegæ ſuſceptionis, aut cujuſcumque alterius, quod præcisè abſolveretur in ipſo momento temporis, quo abſolvitur Sacramentum. Ratio breviter eſt: quia pro his omnibus inſtitutum eſt Sacramentum Pœnitentiæ; teſte ſiquidem Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tanquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint.* Plura in Tract. de Pœnitentia.

Eſt ſententia Scoti;

Impræſentiarum ſufficiat illam eſſe ſententiam Doctoris Subtilis ſupra n. 7. ibi: *Ad ſecundum poteſt dici, quòd omnia peccata mortalia, etſi inſunt poſt Baptiſmum, tamen nullum eorum fuit cauſa, quin iam eſſent deleta: illud autem ſeptimum fuit cauſa, quarè nec ipſum, nec alia ſunt deleta; & ideo rationabile eſt, quòd reſpectu eius non habeat Baptiſmus efficaciam, ſed reſpectu aliorum; quia ipſum formaliter impedivit effectum Baptiſmi, alia non. Et tunc illa propoſitio: peccatum mortale poſt Baptiſmum non deletur, niſi per Pœnitentiam; debet intelligi de peccato commiſſo poſt Baptiſmum vel omninò inhærente, ſic ſcilicet, quòd de ipſo nec fuerit Contritio, nec Attritio in Baptiſmo, nec poſt Baptiſmum.*

Qui malè inſimulatur, quaſi doceat efficaciā Baptiſmi non ſe extendere ad omnia peccata ante Baptiſmū commiſſa.

Quæ poſtrema verba dederunt occaſionem aliquibus (qui, ubicumque poſſunt, ambabus manibus eam arripiunt) inſimulandi Doctorem, quaſi doceat efficaciam Baptiſmi haud ſe extendere ad omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa. Nam ex eo præcisè, quòd peccatum aliàs factum inſit, de quo non eſt Contritio neque Attritio, non videtur ſpectare ad poſitivam fictionem, quæ conſiſtit in actuali peccato, quod

quod committitur irreverenter suscipiendo Sacramentum sine debita dispositione ad effectum. Sed declaratâ mente Scoti veritas se ipsam manifestabit.

35. Hiquæus. Notat ergo Hiquæus in suo commentario ad illum locum n. 20. Doctorem non intelligere peccatum inhærens inhærentiâ habituali, eo modo, quo infuit ante Baptismum, sed inhærentiâ actuali per complacentiam, in quantum dedit causam fictioni.

Scotus. Colligitur primò ex illis verbis num. 4. *Septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur; illud septimum solùm est causa fictionis eius in Baptismo.*

Secundò ex Reportatis 4. dist. 4. q. 7. n. 3. *Dico, quòd fictus potest habere multa peccata, & non propter quodlibet est fictus; quia de multis potest habere displicentiam continuando tantum unum: sic si est fictus de uno tantùm peccato, & habuit displicentiam de omnibus alijs, oportet illum habere pœnitentiam de illo uno peccato, sicut de commisso post Baptismum, & alia delentur per Baptismum.*

Explicans autem peccatum fictionis n. 2. ait: *Vel prætendit se dispositum ad receptionem Sacramenti, & tamen non est..... & hoc potest esse tripliciter, vel per infidelitatem, vel quia tunc facit actu peccatum mortale, vel priùs fecit & remanet in illa voluntate* (supple, actuali) *sine displicentia intermedia.*

36. Igitur quod n. 4. citato dicit: *Vel de eo nullo modo atteritur;* non debet intelligi de simplici carentia vel absentia attritionis, v. g. ex oblivione vel inadvertentia; sed de voluntaria, procedente ex perfecta scientia, quæ sit virtualis & interpretativa complacentia, sive consensus in peccatum præteritum.

Hæc pro mente Scoti, quæ forsitan non omnibus, uti nec mihi, plenam adferent satisfactionem. Unde mallem dicere, Doctorem ibi nihil resolvere, sed dumtaxat disputare, Lectori liberum permittendo judicium de veritate aut falsitate eorum, quæ proponuntur.

Sequitur tertiò, & erit

CONCLUSIO III.

Baptismus reviviscit ad majorem vel minorem gratiam secundùm præsentem dispositionem subjecti.

37. Probatio ex Tridentino. TRident. sess. 6. cap. 7. *Vnica formalis causa justificationis impij est iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit; quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Ubi autem jus non distinguit, nec nos sine causa debemus distinguere. Unde si Catechumenus v.g. per dies aliquot ante Baptismum jejunet, & se in alijs operibus misericordiæ ac pœnitentiæ exerceat, per oblivionem tamen non doleat sufficienter de peccatis, adeoque accedat ad Baptismum absque dispositione necessaria ad gratiam; statim verò recordetur, doleat atque auferat obicem, quis audeat negare talem accessisse meliùs dispositum ad Baptismum, ac alium, qui nullo bono opere se præparaverat? Quidni ergo postea Baptismo reviviscente, ratione illius dispositionis antecedentis, quæ virtualiter ac moraliter adhuc permanet, majorem recipiat gratiam?

Dices Primò: Saltem contritio subsequens non disponit ad Sacramentum præteritum: adeoque non plus gratiæ accipiet præcisè vi Sacramenti, qui tollit obicem per contritionem, quàm qui solùm per attritionem. 38. Objectio.

Respondeo: sufficit, quòd disponat ad effectum Sacramenti; non enim requiritur dolor ut dispositio ad valorem Baptismi (ut omnes fatentur) sed ut conditio requisita ex parte suscipientis ad effectum gratiæ sacramentalis, quam Spiritus sanctus in casu conclusionis non partitur in prima susceptione Sacramenti, sed in reviviscentia; cur ergo negabimus contritionem, quæ quasi est causa reviviscentiæ, veram esse dispositionem ad effectum gratiæ, quem in ejus præsentia Spiritus sanctus per Sacramentum præteritum, veluti morale instrumentum, operatur? Responsio.

Cæteroquin (ut bene notat Vasq. supra disp. 159. c. 5. n. 58. ubi tenet nostram conclusionem) qui meliori dispositione tollit impedimentum Baptismi, qui virtute manet, etiam meliùs ad ipsum accedit, non quidem accipiendum, sed jam acceptum; quemadmodum qui remotus ab igne erat propter impedimentum distantiæ vel corpus interjectum, si tollat corpus interjectum vel distantiam per localem approximationem, dicitur accedere ad ignem præexistentem. Vasquez. Meliori dispositione auferens impedimentum Baptismi, meliùs ad ipsum accedit jam acceptum.

Et certè Trident. supra non loquitur de dispositione ad Sacramentum, sed generaliter de dispositione ad gratiam sanctificantē.

Sed

39. *Instantia Suarij.*

Sed instas cum Suario (qui tom. 4. disp. 28. sect. 4. post medium tenet oppositum) merita priora per peccatum mortificata redeunt per contritionem sequentem, non tamen juxta mensuram ejusdem contritionis, sed semper eadem & æqualia; quia scilicet per contritionem aufertur solùm obex peccati, quo impediebantur, in qua ablatione obicis omnes contritiones sunt æquales.

Responsio ad instantiam Suarij.

Respondeo disparitatem esse, quòd merita sint causa adæquata præmij; gratia verò Sacramentalis (ut ex dictis liquet) etiam correspondet dispositioni, non tanquam causæ partiali, quasi sit pars Sacramenti (supponitur quippe totum Sacramentum præextitisse) sed tamquam conditioni sine qua non Sacramentum tantam vel tantam mensuram causaret.

Responsio secunda.

Vel si hoc minùs placeat, scio quia displicere non poterit quod sequitur: Reviviscentia meritorum nihil est aliud, quàm restitutio sive iterata collatio tum gratiæ per peccatum deperditæ, tum actionis ad gloriam secundùm jus antiquum, sublato impedimento peccati; ut enim ait Doctor Subtilis 4. dist. 22. q. unicâ n. 7. *Habenti bona merita in acceptatione divinâ, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correspondet illis meritis ad vitam æternam, sed non remanet actio, quandiu ille est inimicus; & si perpetuò sit inimicus, perpetuò cessat illa actio: cessante autem inimicitiâ contractâ non redit novum ius, sed competit actio secundùm ius antiquum*; licèt & novum conferatur, quod Doctor non negat, secundùm proportionem gratiæ, quam primò partitur in reiterata justificatione juxta dispositionem præsentem subjecti. *Scotus.*

At verò reviviscentia, v. g. Baptismi, non est collatio gratiæ semel infusæ per Baptismum, & postmodùm deperditæ, sed est prima collatio gratiæ, quæ impedita fuit per carentiam debitæ dispositionis: igitur secundùm dispositionem, quam de præsenti in subjecto invenit; ita ut contritio vel attritio hîc non sit nuda remotio obicis, quemadmodùm in reviviscentia meritorum, sed positiva dispositio ad gratiam, veluti si adfuisset in ipso Baptismo.

40. Deus quidem ab initio acceptavit Baptismum ad determinatum effectum remissionis peccatorum, quia hæc in omni Baptismo est æqualis; secus autem ad determinatum effectum gratiæ, nisi ex prævisione futuræ dispositionis, quæ ex institutione & lege Dei exigitur tanquam meritum congruum ad omnem justificationem adulti peccatoris, & juxta quam Spiritus Sanctus singulis partitur mensuram gratiæ.

Ex quo obiter colligo, quare gratia Baptismalis semel habita propter meliorem dispositionem supervenientem non fiat major; quia videlicet Baptismus juxta suam institutionem & legem Dei determinatus fuit ad certum gradum gratiæ independenter ab illa meliori dispositione. *Quare gratia baptismalis semel habita propter meliorem dispositionem supervenientem non fiat major.*

41. *Conditio illius, qui ficte baptizatur, non est melior.*

Arguis iterum: Ergo conditio illius, qui fictè baptizatur, est melior. Respondeo, sicut illius qui usquè in finem vitæ differt Baptismum, ut simul & semel habeat remissionem omnis pœnæ & culpæ tam originalis, quàm actualis, quod per accidens est.

Aliam responsionem habes supra ex Scoto, qui alio in loco, nimirum 4. dist. 22. q. 1. n. 10. ad similem objectionem similiter respondet, resurgentem scilicet à peccato mortali, quamquàm dignior præmio in Dei acceptatione, non reportare commodum de lapsu suo, *sed magnum* (inquit) *incommodum; non solum quia peccavit, sed quia totum tempus, quo mansit in peccato, est sibi perditum, quo tempore merita potuisset multiplicasse, si tunc in gratia mansisset.* Idem dici potest in præsenti, ut omittam, quòd meliorem dispositionem, quam adfert in reviviscentia, habere potuisset in prima susceptione Baptismi. *Scotus.*

42. *An ex consortio Sacramenti pœnitentiæ minuatur gratia baptismi reviviscentis, si unica solùm adsit contritio?*

Inquiritur hîc ab aliquibus, an ex consortio Sacramenti Pœnitentiæ minuatur gratia Baptismi reviviscentis si unica solummodò adsit attritio vel contritio?

Diversæ Authorû sententiæ. Suarez. Lugo. Vasquez.

Respondet Vasq. disp. 160. num. 23. de hoc nihil posse asseri, sed reservandum Dei judicio; cujus regulam & institutionem ignoramus. Suarez in præsenti disp. 28. sect. 5. post quartam conclusionem (quem sequitur Lugo hîc disp. 9. n. 87.) dicit singula Sacramenta datura tantum gratiæ, quantum si singula seorsim essent cum illa dipositione.

Probat Lugo: quia si aliquis recipiat de facto duo Sacramenta simul, v. g. Eucharistiam & Extremam Unctionem, non est credibile, quòd singula dabunt minorem effectum gratiæ propter consortium alterius, quàm si unum solum Sacramentum ex illis susciperetur. Responderet Vasq. hoc æquè incertum & ignotum esse, ac illud, ad quod probandum adducitur.

43. *Perinde est sive dispositio consideretur ut meritum congruum, sive ut condignum. Dicastill.*

Rectè advertit Dicastillo tract. 2. disp. 2. n. 262. perinde esse, sive illa dispositio consideretur ut meritum congruum, sive ut condignum; nam etiam meritum de congruo minus est respectu plurium, v. g. unum Ave Maria non ita prodest pluribus, sicuti uni; & duæ attritiones æquales plus valent

valent, quàm unica. Quamvis ergo non requiratur illa æqualitas inter meritum de congruo & ejus effectum, quæ requiritur inter meritum condignum & ejus præmium; tamen congruitas potest esse major & minor respectu unius vel plurium gratiarum; sicut est major inæqualitas inter lineam unius palmi cum alijs duabus sex palmorum, quàm cum una solùm.

44. Attritio dicitur à Dicastillone concurrere ad effectum Sacramenti per modum dispositionis, non meriti.

Hinc n. 263. docet non adeo malè, attritionem concurrere ad effectum Sacramenti, non per modum meriti, sed per modum dispositionis, quæ, ut talis, non est causa efficiens, sed pertinet tum ad genus causæ materialis, quatenus subjectum cum illa est dispositum; tum ad genus causæ formalis, quatenus tanquàm forma informans subjectum illud reddit capax ad illam ulteriorem formam: hæc autem forma potest esse sive multiplex, sive intensior cum una & eadem dispositione, dummodò multiplicetur, vel alio modo augeatur virtus ex parte causarum efficientium: sic quippe una & eadem diaphaneitas aëris aut vitri non minùs bene disponit ad recipiendum duplex lumen vel magìs intensum à duobus agentibus, quàm unicum, aut minùs intensum ab uno agente.

Porrò non requiri attritionem ad affectum gratiæ Sacramentalis quatenus meritoria est, sed quatenus est retractatio peccatorum sive aversio à peccatis, probat idem Auctor; quia ratio meriti congrui potest reperiri in alijs operibus, in eleemosyna v. g. aut operibus orationis, jejunij, fidei, spei &c. & tamen ea opera quantumvìs meritoria, non sufficerent ad recipiendum effectum gratiæ Sacramenti; & longè minoris meriti attritio sufficeret.

45. Attritio dici posset nō disponere præcisè quatenus est retractatio peccatorum.

Equidem responderi posset, attritionem non disponere quatenus præcisè est retractatio peccatorum sive aversio à peccatis (siquidem etiam per attritionem naturalem peccator avertitur à peccato & retractat peccatum, quæ tamen non disponit) sed quatenus est talis aversio, scilicet supernaturalis & meritoria de congruo; cui merito, & non alteri cuilibet, Deus ex liberalitate sua voluit correspondere tale determinatum prœmium unum vel plura, majus vel minus, pro varietate & multitudine Sacramentorum, ad quæ suscipienda disponit: disponit (inquam) non per modum applicationis ad subjectum, verum instar conditionis necessariæ ad productionem & receptionem effectûs. Patet in physicis: sic enim diaphaneitas aëris vel vitri non servit ad Solis applicationem, sed ad luminis productionem & receptionem.

Ex quo consectarium est, Baptismum reviviscentem producere effectum juxta dispositionem, quam tunc invenit, & non secundùm eam, quæ erat tempore, quo applicabatur.

Sequitur quæstio 4. qualis dispositio requiratur, ut Sacramentum Baptismi reviviscat, an sola attritio sufficiat, an verò interdum necessaria sit contritio, aut Sacramentum Pœnitentiæ? Pro resolutione

Nota duplicem à Doctoribus assignari obicem Sacramenti; unum positivum (ut vocant) qui est peccatum mortale, quod committitur in ipsa susceptione Baptismi, vel certè post Baptismum acceptum: alterum verò negativum, qui est sola non dispositio, sive carentia dispositionis ad effectum Baptismi requisitæ sine novo peccato mortali. Hoc prænotato Dico:

Obex Sacramenti alius est positivus, alius negativus.

CONCLUSIO IV.

Si obex fuerit negativus, sufficit attritio; sin verò positivus, opùs est contritione vel confessione.

46. Quarè, si obex fuerit negativus, sufficiat attritio.

PRima pars est communis contra Vasq. disp. 160. cap. 2. in principio. Ratio; quia Baptismus (ut probavimus conclus. 2.) reviviscit ad omnem effectum, quem habuisset, si à principio legitimè fuisset susceptus; ergo ad primam gratiam justificantem; ergo cum sola attritione: aliàs enim nunquàm se solo primam gratiam conferret, cùm tamen primò collatus aliquando eam efficiat.

Reponit Vasq. n. 22. Neque Augustinus, neque ullus antiquus Scholasticus id docuit neque asseruit, eodem modo operari Baptismum præteritum cum attritione, sicut præsentem; sed solùm incipere prodesse & valere ad remissionem peccatorum recedente fictione peccati, cum qua receptus fuit, per veram contritionem aut confessionem. Et verò cùm hæc res auctoritate magìs quàm ratione nitatur, non est, (inquit) in ea quidquam pro arbitratu asserendum, quod ab antiquis Patribus & Doctoribus assertum non est. *Vasquez.*

Sed contra: Augustinus & antiqui Scholastici (ut ipse fatetur n. 11.) loquuntur de fictione, quæ fuit peccatum indignæ receptionis Sacramenti; non verò de ea, quæ fuit solùm ex defectu doloris necessarij, sine culpa tamen ob ignorantiam: nam (inquit

(inquit num. 22.) supponere videntur ut quid impossibile moraliter, Catechumenum baptizari, nisi aut cum sufficienti dolore, aut certè non sine culpa, cùm nullus sit adultus, qui priùs non instruatur de necessarijs ad Baptismum. Cur igitur de casu illo ita raro, eo modo philosophabimur?

47. *Augustinus agnoscit æqualem virtutem in Baptismo indignè suscepto, & dignè.* Respondeo: quia S. August. agnoscit æqualem virtutem in Baptismo indignè suscepto, & dignè, lib. 6. contra Donatistas c. 5. *Quia illud* (Baptisma) *& in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est, quod neque æquitate alicuius augetur, nec alicuius iniquitate minuitur.* Et alioquin is, qui post Baptismum cum obice negativo susceptum non peccasset, nequaquam iustificari posset, nisi per contritionem, sicut in Lege veteri; immò peioris esset conditionis, quàm is, qui post Baptismum plura peccata commisisset, hic enim per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ (cuius alter est incapax) posset iustificari.

Porrò non meminit S. Doctor præsentis casus, non quia moraliter impossibilis (nam contingere potest quempiam bonâ fide existimare se attritum supernaturaliter, cùm solùm habeat attritionem naturalem) sed quia rarior est in ijs, qui in vera Ecclesia baptizantur; & agebat Aug. de illis, qui voluntariè suscipiebant Baptismum in hæresi vel schismate, de quibus non erat dubium, quin peccarent mortaliter, seclusâ ignorantiâ, quæ minimè præsumebatur.

48. *Pro sententia opposita malè citatur Scotus.* Pro sententia Vasq. citat Dicastillo tract. 2. disp. 2. num. 191. Scotum 4. dist. 4. q. 5. propositione 3. sed falsò; nam (ut supra ostendi) Doctor illâ quæstione nihil asserit, sed disputativè solùm proponit plures sententias. Deinde loquitur potissimùm cum D. Aug. de fictione sive obice positivo.

Denique contrarium videtur indicare num. 7. ibi: *Et tunc illa propositio: peccatum mortale post Baptismum non delctur, nisi per pœnitentiam; debet intelligi de peccato commisso post Baptismum, vel omninò inhærente; sic scilicet quòd de ipso nec fuerit contritio nec attritio in Baptismo, nec post Baptismum.* Igitur si post Baptismum fuerit attritio de peccato ante Baptismum commisso; delebitur per Sacramentum Baptismi ex mente Scoti, quæ est prima pars conclusionis.

49. *Necessitatē contritionis vel confessionis in obice positivo varij negant; Paludanus, Sylvester, Suarez.* Venio ad secundam: & quidem sufficientiam Contritionis vel Confessionis omnes unanimiter concedunt; quid enim aliud requiri posset? Ast verò necessitatem negat Paludanus 4. dist. 4. q. 5. n. 24. ubi probabile existimat, sufficere attritionem: quod etiam docet Sylvester V. Baptismus 4. circa finem; Suarius disput. 28. sect. 5. post 2. conclus. & alij, quos sequitur Dicastillo supra n. 199. *Dicastillo.*

Probatur ergo Primò auctoritate Divi Augustini in quo lego veracem Confessionem, Correctionem, Reconciliationem, Catholicam pacem, vinculum Charitatis; nusquam Pœnitentiam ut comprehendit Contritionem & Attritionem. Aug. secuti sunt Scotus, D. Thom. & alij veteres Scholastici. Cumque hæc res (ut statim diximus ex Vasq.) auctoritate magis, quàm ratione nitatur, iudico nullatenus recedendum à communi doctrina propter particularem opinionem aliquorum Recentiorum nullâ auctoritate SS. Patrum fundatam. *Sed probatur conclusio ex D. Augustino. Quem sequuntur Scotus, D. Thom. & alij.*

Probatur Secundò ex ratione: peccatum in susceptione Baptismi, vel post Baptismum commissum, est subiectum clavibus Ecclesiæ; ergo per se & directè remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ, vel certè per Contritionem, quæ includit votum Sacramenti. *Probatur secundò ex ratione.*

Consentiunt Adversarij. Quid ergo? Baptismus (inquiunt) reviviscens delere illud potest per accidens & indirectè. 50. *Non satisfit ab Adversarijs per indirectam & accidentalem deletionem.*

Fundantur Primò: quia Sacramentū Pœnitentiæ cum sola attritione remittit peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt.

Secundò: Eucharistia secundùm probabilem sententiam, quam superiùs amplexi sumus, per accidens, vel meliùs, secundariò confert primam gratiam, quando quis accedit inculpabiliter cum sola attritione.

Tertiò: Sacramentum Pœnitentiæ indirectè delet peccata commissa ante Baptismum: ergo similiter Sacramentum Baptismi, utique principaliter institutum ad conferendam primam gratiam, licèt directè & per se non remittat nisi peccata ipsum præcedentia; per accidens equidem & indirectè poterit delere consequentia & concomitantia, salvâ semper obligatione ea subiiciendi clavibus Ecclesiæ, habitâ opportunitate & accedente precepto confessionis.

Incipio à fine; & gratis admisso antecedente, nego consequentiam. Disparitatem do, quòd quando Pœnitentia indirectè delet peccata commissa ante Baptismum, adsit aliud Sacramentum, videlicet ipse Baptismus, per quem directè eadem remittuntur: porro in reviviscentia Baptismi per solam attritionem, nullum habemus Sacramentum, per quod illa peccata post Baptismum commissa per se expelluntur. Quemadmodùm ergo sola Pœnitentia nequit indirectè remittere peccata antecedentia Baptismum, sic neque solus Baptismus peccata subsequentia. 51. *Responsio ad illorum fundamenta.*

Ad secundum respondeo Primò: saltem 52.

ex præcepto, ut Sacramenta vivorum conferant suum effectum, requiritur contritio.

Secundò: passim à Doctoribus admittitur, Extremam Unctionem secundariò causare primam gratiam, juxta illud Jacobi 5. v. 15. *Et si in peccatis sit, remittentur ei:* ergo peccatum habituale non est obex comparatione Eucharistię, in quantùm pręcisè est Sacramentum vivorum.

Jac. 5.

53. Esto (replicat aliquis Adversariorum) ergo minùs erit obex respectu Baptismi. Concedo totum, si tamen est tale peccatum, pro quo auferendo Sacramentum est institutum. Ostendat itaque quicumque ille est, Baptismum esse institutum vel saltem secundariò in remissionem peccati concomitantis vel subsequentis ipsum, & jungo dexteram.

Non ostenditur baptismum esse institutum, ne quidem secundariò, in remissionem peccati subsequẽtis vel concomitantis.

Hinc quia Extrema Unctio, cæteraque Sacramenta vivorum non sunt ordinata nisi ad salutem sive primam, sive secundam, hominum baptizatorum, invalidè suscipiuntur à non baptizatis; & quamvi validè susciperentur, si Deo ita placuisset, non dubito tamen quin inutiliter (ut patet in homine non baptizato recipiente validè Sacramentum Eucharistiæ) propter obicem peccati antecedentis Baptismum, pro quo remittendo solus institutus est Baptismus; qui etiam propterea invalidè confertur homini baptizato, quia solùm ordinatus pro salute hominum non baptizatorum.

Igitur licèt gratia ejus quandoque per accidens conferatur homini jam baptizato, non tamen remittet nisi peccata antecedentia, quæ cùm non possint deleri, nisi simul remittantur concomitantia & subsequentia, opus est tali casu ad reviviscentiam Baptismi contritione vel confessione.

54. Superest primum fundamentum, quod facilè destruitur ex dictis. Etenim Sacramentum Pœnitentiæ institutum est à Deo ad remittenda omnia peccata tam in confessione recensita, quàm quæ confessione inclusa esse intelliguntur. Tridentinum sess. 14 cap. 5. ibi: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ ..... universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* Et infrà explicans illam integritatem, sic inquit: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut, postquàm quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eâdem confessione inclusa esse intelliguntur.* Igitur ex institutione divina etiam absolvuntur; quidni per se & directè?

Sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad remittenda peccata in confessione inclusa; Trident.

Quæ & absolvuntur directè:

Si inferas: Ergo non manet obligatio illa peccata confitendi, quando memoriæ occurrerint. Invenirentur fortasse, qui totum concederent: ego autem ne in re tantæ consequentiæ recedam à communi praxi totius Ecclesiæ, 55.

Respondeo negando consequentiam. Quis enim ignorat peccata per se & directè remitti per contritionem, cum obligatione tamen confitendi? Potuit ergo, & de facto voluit Christus (ut probat communis Ecclesiæ sensus & traditio) quòd omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt sive directè, sive indirectè remissa per contritionem, confessionem, aut aliud Sacramentum, semel in confessione explicentur. Jam autem ubi institutio Baptismi pro peccatis post Baptismum commissis? Quære diligẽter, & cùm inveneris, nè recedas ab ea.

Manet tamen obligatio illa confitendi.

De cætero, ratio congruentiæ unius institutionis, & non alterius, esse potest; quia aliàs vix unquàm in magnis peccatoribus fieret remissio peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ sine perfecta contritione, cùm ordinariè aliquorum obliviscantur, & nequeat unum peccatum remitti sine alio; adeoque Sacramentum neutiquam serviret ad sublevandum difficultatem perfectæ contritionis, & jure merito confessio impossibilis diceretur, & carnificina conscientiarum appellaretur. 56.

Ratio congruentię diversæ institutionis.

Quando ergo causa aliqua non potest habere effectum suum primarium, nisi antecedenter, concomitanter vel consequenter aliud quidpiam operetur, censetur secundariò accepisse vim illud operandi. Hæc autem non procedunt in Sacramento Baptismi; quippe hic institutus est principaliter in remissionem peccati originalis, & consequenter peccatorum actualium ante Baptismum commissorum, cùm impium sit secundùm Aug. à Deo dimidiam sperare veniam; quem effectum habere potest, imò regulariter habet, licèt non causet remissionem mortalium post Baptismum perpetratorum, quandoquidem casus fictionis voluntariæ rarissimus sit, & hæc peccata possint tolli vel per contritionem; quæ generaliter ordinata est in remedium omnium peccatorum; vel sanè per Sacramentum Pœnitentiæ, specialiter *pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum.* Trident. sess. 14. can. 1.

Trident.

Ex quo confirmatur, quod antea dixi, etiam peccata confessione inclusa, per se, quam-

quamvis secundariò, spectare ad Sacramentum confessionis; secùs peccata post Baptismum commissa ad Sacramentum Baptismi, cùm neque ex Scriptura, neque ex Concilijs aut SS. Patribus id ullatenus colligatur. Gratìs igitur remissio istorum peccatorum tribuitur Baptismo reviviscenti, quæ nullo prorsus casu adscribi potest Baptismo primò collato.

57. Nullum Sacramentum habet vim ad remittenda peccata futura.

Adde nullum Sacramentum habere vim ad remittenda peccata futura; sunt quippe Sacramenta ex sua institutione sanctificationes & mundationes præsentes, utique medicinæ vulnerum præcedentium curativæ, & contra sequentia præservativæ; atque adeò remissionis debitorum præsentium, neutiquàm futurorum.

Non remittuntur ex parte Dei peccata, antequam committantur.

Profectò etiam ex parte Dei non remittuntur peccata, antequàm committantur; nec pro ipsis applicatur à Christo solutio. An fortè putas, quòd homo, qui hodie baptizatur, acquiret jus ut peccata ejus crastina die perpetranda per illius Baptismi gratiam deleantur? Absit: neque enim qui lucratur indulgentias hodiernâ die, obtinet remissionem pœnæ pro peccatis futuris, etsi fructus indulgentiæ jam impediatur; sed solùm pro ijs, quæ jam commisit, & pro quibus applicatur nunc pretium ex thesauro Ecclesiæ; nam solvere nunc pro futuris, esset quasi dare impunitatem & licentiam peccandi in futurum.

58. Confessio valida & informis (postquam commissa sunt nova peccata) non reviviscit per solam attritionem generalem.

Præterea: si quis post confessionem validam & informem (esto talis detur & reviviscat) committeret nova peccata, existimas quòd per solam attritionem generalem revivisceret ista confessio, & simul indirectè remitteret peccata post commissa ante eorumdem confessionem, aut de illis contritionem? Id existimare est conjecturare; non oportet autem ob meram conjecturam, contra sensum communem, adscribere, Sacramentis novos effectus.

Et quamvis illum effectum concederemus Pœnitentiæ, utpote quæ aliquo casu directè illa peccata remittit, scilicet quando debitè subjiciuntur clavibus Ecclesiæ; adhuc tamen meritò negaretur Baptismo, utpote cujus directa vis nunquam se circa hujusmodi peccata exerit. Quare si credimus D. Aug. & sequimur ducem rationis, dicendum planè arbitror, peccatum subsequens esse obicem seu impedimentum, quò minùs Sacramentum Baptismi habeat directum effectum circa peccata præcedentia.

59. Hactenus de reviviscentia Baptismi: sed numquid eadem est ratio & doctrina de alijs Sacramentis? Certum in primis est apud omnes, Pœnitentiam non reviviscere ex hypothesi, quòd hoc Sacramentum nunquam detur validum & informe. An autem valor informis, quem aliqui asserunt, convincat ejus reviviscentiam, constabit ex dicendis.

Pœnitentia non reviviscit, posito quòd non detur valida & informis.

A plerisque etiam negatur reviviscentia Eucharistiæ.

A plerisque etiam excipitur Eucharistia; tum quia sæpe iterabilis est ex sua institutione, etiam eodem die, nisi obstaret prohibitio Ecclesiæ; tum quia sequeretur eum, qui toto tempore vitæ sacrilegè communicasset, semel in fine debitè communicando, vel aliàs legitimè se disponendo, repentè fieri sanctissimum ex opere operato, quod ex se incredibile apparet, & obviat communi sensui fidelium; qui frustrari se existimant gratiâ, si sumant in malo statu.

60. Fundamento tamen illorum respondetur, Poncius.

Ad hoc tamen posset responderi cum nostro Poncio Sum. Theol. disp. 41. n. 92. solùm reviviscere ultimam communionem, id est, Eucharistiam sacrilegè susceptam non conferre gratiam, nisi auferatur obex antequàm iterum sit sumenda. Sicuti si Matrimonium vel Extrema Unctio reviviscerent; equidem manens in malo statu quousque mortuâ conjuge duxerit secundam, aut ob novum periculum mortis rursus inungatur, non reciperet gratiam prioris Sacramenti, sed solùm secundi Matrimonij, aut secundæ Extremæ Unctionis.

Vel omnes Eucharistiæ reviviscent, vel nullæ.

Verumtamen & hoc simile cui relevatum est? Profectò vel omnes confessiones validæ & informes reviviscent; vel nulla: ergo similiter dicendum de Eucharistia; nam sanctitas Sacramenti, quam aliqui ex Aug. allegant pro ratione, in omnibus habet locum, quocumque tempore obex tollatur.

61. Sacramenta omninò, vel saltem pro aliquo tempore inìterabilia, videntur aliquibus magis necessariò debere reviviscere.

Quod attinet reliqua Sacramenta, vel sunt omninò initerabilia, ut Confirmatio & Ordo, vel saltem pro aliquo tempore, ut Extrema Unctio durante eodem periculo mortis, & Matrimonium quamdiù uterque conjux vivit; & ideo aliquibus videtur magis necessaria eorum reviviscentia, nè qui semel indignè aut sine sufficienti dispositione (subinde etiam inculpabiliter) ea suscepisset, in perpetuum vel pro certo tempore careat gratiâ valde utili; immò quodammodò necessariâ ad finem proprium uniuscujusque obtinendum.

62. Objectioni in contrarium

Et si objicias: Sacramenta non causant, nisi quòd significant; sed Sacramenta non significant illum effectum ut futurum, sed ut præsentem; ergo non causant illum postea, ablato obice:

Respondet Lugo.

Respondet Lugo disp. 9. n. 109. sicut Baptismus, quia est institutus per modum regenerationis, colligitur ab August. habere illam vim causandi ablato obice, atque adeò

adeò institutus esse ad id significandum; sic de alijs Sacramentis ex peculiari eorum fine colligitur instituta esse ad operandum etiam ablato obice, & per consequens ad id significandum, licèt id non evidenter, sed probabiliter ex eorum institutione colligatur.

Equidem his non obstantibus, ita se habet de reviviscentiâ definita sententia voluntatis Dei.

CONCLUSIO V.

Habere effectum gratiæ, recedente fictione seu obice, soli convenit Baptismo, non autem alijs Sacramentis.

63. D. Thom. Scotus & alij antiquiores faciendo expressam mentionem reviviscentiæ Baptismi, & non aliorum Sacramentorum, videntur conclusionem supponere.

Est communior DD. Gab. Majoris, Soti & aliorum, quos citat Covarr. in cap. Alma p. 1. §. 4. n. 13. & quamvis D. Thom. in Summa, Scotus & alij antiquiores Theologi hoc non dicant expressè, tamen quia de solo Baptismo explicant, quomodò recedente fictione habeat effectum, circa alia verò Sacramenta de hoc nihil dicunt, videntur ut certum supponere, quòd alia Sacramenta non habeant hoc privilegium. Consimiliter Divus Augustinus locis supra citatis, ubi Baptismo tribuit hunc effectum, nunquam alijs Sacramentis eum adscribit.

Fundamentum Conclusionis ex D. Augustino non faciente mentionem aliorum Sacramentorum.

Atque hinc sumitur fundamentum conclusionis; quippe non sunt fingendi effectus Sacramentorum absque fundamento in Scriptura vel traditione Patrum; quia Sacramenta sunt signa efficacia ad placitum instituentis, quod placitum non potest nobis aliter innotescere, quàm per Scripturam vel Ecclesiæ traditionem: jam autem nihil habemus, unde constet alijs Sacramentis, præter Baptismum, esse hoc privilegium concessum.

64. Nec valet argumentum à pari.

Porrò argumentum à paritate rationis in positivis nullius est momenti, nisi ostendi possit privilegium, v. g. uni concessum, irrationabile esse, si non extendatur ad aliud, in quo militat eadem vel similis ratio; quod in præsenti non habet locum; juxta enim voluntatem suam facit Deus tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quarè fecisti?

Non est etiam eadem ratio Baptismi & aliorum Sacramentorum.

Omitto, quòd non sit eadem ratio Baptismi, & aliorum Sacramentorum; vel enim alia Sacramenta sunt instituta ad primam gratiam & remissionem peccatorum conferendam, ut Sacramentum Pœnitentiæ; vel augendam primam, ut cætera; vel denique ad conferenda auxilia quædam specialia ad finem cujusque Sacramenti. Pœnitentia repeti potest quoties homini placuerit; similiter Eucharistia est iterabilis: augmentum autem gratiæ, & auxilia actualia, quæ per Sacramenta initerabilia vel simpliciter vel pro aliquo statu solent conferri, alijs medijs possunt obtineri, ut orationibus, jejunijs, operibus misericordiæ & charitatis &c. De gratia baptismali quid dicam? Cùm sit directè remissiva peccati originalis, & actualium Baptismum præcedentium, nequit haberi nisi per Baptismum primò collatum aut ejus votum, vel certè per Baptismum reviviscentem; quoniam hoc Sacramentum absolutè initerabile.

Dices Primò: Rationes omnes, ob quas Aug. Baptismo tribuit reviviscentiam, etiam conveniunt alijs Sacramentis ab Eucharistia distinctis, ac præsertim ijs, quæ imprimunt characterem: inter quas hæ sunt præcipuæ, quòd Baptisma sit opus Christi ex se sanctum, sive vim sanctificandi habens, perpetuò in homine incorruptum perseverans ratione characteris & statûs, in quo hominem constituit, qui perpetuò immutabilis perseverat. 65. Objectio prima ex D. August.

Respondeo, ista quidem asseri à D. Aug. non tamen adferri pro rationibus adæquatis, ob quas putet Baptisma reviviscere: nec ex istis libris contra Donatistas satìs apertè colligi potest, quid eum moverit ad hoc asserendum, nisi quod lib. 1. cap. 10. dum facit comparationem inter Baptismum & semen, & dicit neminem intrare posse regnum Dei nisi renatus fuerit, videatur motus secundo nostro argumento suprà conclus. 1. quod non habet locum in alijs Sacramentis; nimirùm quòd nemo salvari possit nisi renatus ex aqua (ut autem quis renascatur ex aqua, debet per eam justificari) quæ est quasi quoddam semen, per quod Christus in Ecclesia & ex Ecclesia generat filios, adeoque oportuit vim sanctificandi in aqua non perire, sed permanere, donec ablato impedimento ad regenerationem concurreret. Responsio.

Objicies Secundò & principaliter: Trident. sess. 14. cap. 2. in fine, Sacramentum Pœnitentiæ comparat in necessitate Baptismo dicens: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Et quamvìs sit iterabile, non est tamen obligatio illud iterandi circa eadem peccata semel 66. Objectio secunda ex Tridentino.

semel validè subjecta clavibus: ergo si posset esse informe; quidni reviviscere? Nam alioquin illa peccata non remitterentur directè per claves Ecclesiæ, nec esset obligatio ea confitendi ad hunc finem, quod ex vi præsentis institutionis videtur absurdum.

Ad quam respondet Vasquez.

Respondet Vasq. disp. 161. cap. 2. n. 13. Quamvis hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem pro remissione mortalium, quæ post Baptisma commissa sunt, tamen si informe esse posset, non ideò necessarium ad salutem diceretur, quia peccata mortalia nonnisi virtute ejus re ipsâ suscepti aut ejus voto remitterentur, sed quia aut his duobus modis remitti deberent, aut si ré ipsâ susceptum peccata non remitteret propter obicem & impedimentum, saltem ad hoc conduceret, ut impleto semel præcepto confitendi peccata illa, contritio ipsorum haberi posset, per quam sine ullo voto iterum ea confitendi remitterentur, quæ contritio sine tali voto haberi non posset, nisi priùs in illo Sacramento confessionis informi explicata fuissent, quâ etiam ratione Sacramentum ipsum re susceptum ad remissionem eorum conducere diceretur. Hæc ille, docens in principio cap. Si alicui Sacramento convenit recedente fictione, quâ impeditum fuit, gratiam conferre, nulli alteri nisi Baptismo id convenire.

67. Et si instes: quia hoc ipsum dici poterit de necessitate Baptismi; Fateor, ideoque hæc sola non est adæquatum fundamentum reviviscentiæ. Quod ergo? Necessitas, Sanctitas, Auctoritas D. Aug. & communior sensus Ecclesiæ.

Reperitur in Tridentino Baptismus validus & informis; non sic talis Pœnitentia.

Interim tamen (discursûs gratiâ, non intentione quidpiam resolvendi) reperio in Concil. Trident. Baptismum validum & informem sess. 7. can. 4. nusquam verò Pœnitentiam validam & informem, sed cap. 3. sess. 14. sic lego: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Sed quorsum hæc? Ut intelligas ex verbis Trident. in objectione citatis nullum posse formari argumentum pro reviviscentia Pœnitentiæ informis, quam nec ibi, nec alibi Concil. agnoscit.

68. Agnoscit planè (reponit quis) nisi velis dicere peccata semel validè confessa & absoluta rursum debere subjici clavibus Ecclesiæ.

Quid si dixero? Certè contrarium ex Trident. non convinces, utpote quod solùm agit de Confessione cum effectu remissionis in re, & non in jure tantùm.

Dices: Ad quid ergo valet confessio informis? Respondeo: ad quid valet Extrema Unctio cum obice suscepta, maximè quando in illa infirmitate obex non removetur? Ad quid valet Eucharistia in malo statu suscepta? Planè ad nihil.

Sacramenta informia erunt adhuc valida, quia constant materiâ & formâ essentiali.

Quomodò ergo Sacramenta valida? quia constant materiâ & formâ essentiali, & producerent suum effectum, si invenirent subjectum dispositum. Quid si enim homo moriatur statim post illam confessionem; num ideo apud suos Auctores invalida? Et tamen numquam habitura est aliquem effectum.

Sacramenta valida informia conferre pro effectu jus ad remissionem peccatorum accedente debitâ dispositione, petitio est principij.

Immò verò (inquis) jam habuit. Et quem quæso? jus ut peccata illa postmodùm accedente debitâ dispositione remitterentur. Quàm clara petitio principij! Probatum id oportuit, non suppositum; vel si asserendo probatur, negando refutatur. 69.

Non suppono (replicat aliquis Adversariorum) sed probo: quia alioquin forma nullam habebit veritatem. Nego: nam significabit: quantùm est ex me confero tibi gratiam, sive remitto tibi peccata.

Contra: Ergo etiam erit validum Sacramentum, quamvis nullus adsit dolor; siquidem & in illo casu absolutio potest habere illam significationem: similiter etsi nulla adsit confessio. Respondeo negando consequentiam; quia tunc deest quasi materia Sacramenti, quæ aliàs supponitur adesse.

Concludo hunc discursum, & dico: Confessio valida & informis, si detur (quod non puto) vel nihil operatur, si eadem peccata iterum oporteat subjicere clavibus Ecclesiæ; vel ad summum confert jus, ut peccata illa postmodum per contritionem aut absolutionem aliorum peccatorum directè vel indirectè possint remitti. 70.

In hoc est verbum verum; quia decet tam sanctè accedere ad sacras functiones, ut non indigeant reviviscentiâ. Sin autem minùs sanctè accesseris, pœnitentiam age; & sicut voluntas fuerit in cœlo, sic fiet. Sed quam pœnitentiam? Optima est Contritio charitate perfecta, vel Attritio cum Sacramento, & in Sacramentis vivorum necessaria, si nunquam conferant primam gratiam: cæteroquin, sicuti primò suscepta cum sola attritione, etiam cognita, sine novo tamen peccato mortali, propter ignorantiam præcepti, secundariò (ut multi docent) conferunt primam gratiam, ita cum eadem semper poterunt reviviscere, nisi fuerit obex positivus, id est, peccatum mortale tempore vel naturâ posterius susceptione.

Atque hæc satis de reviviscentia Sacramentorum, que purè putè dependet à voluntate Christi seu Dei, quæ nimis obscura est, ut asseramus alia Sacramenta præter Baptismum reviviscere. Et ab eadem voluntate Christi dependet legitimus Minister Sacramentorum, de quo instituitur

SECTIO SEPTIMA.

De Ministro Sacramentorum.

1. 1. Cor. 4. SIc nos existimet homo (inquit Apostolus 1. Cor. 4. v. 1.) *ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Indubiè igitur ille omnis & solus est minister Sacramentorum, quem Christus in sua institutione designavit. Quis autem singulorum Sacramentorum in particulari minister à Christo sit assumptus, pertinet ad disputationes de singulis in particulari; in præsenti solùm proponemus aliqua communia ministris omnium Sacramentorum.

Non omnes Christiani in omnibus Sacramentis administrādis habent potestatem. Trident. Suppono autem ex Concil. Trident. sess. 7. can. 10. non omnes Christianos in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Verba Trident. sunt: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

2. Oppositus error est Lutheri. Oppositus error est Lutheri, qui in lib. de Missa privata & Unctione Sacerdotum edito anno 1534. non solùm omnibus hominibus, sed etiam dæmonibus tribuit potestatem ministerialem omnium Sacramentorum: Ego (inquit) *non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed è contra dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea rescirerem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ in specie hominis, vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum evangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi nos accepisse.* Hæc ille.

Cujus probationes invalidæ. Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas & efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbis & ordinatione: tum quia Judas, qui erat membrum diaboli, non minùs prædicabat & baptizabat, quàm cæteri Apostoli. Cur igitur non possit diabolus, quod possunt membra ejus?

3. Bellar. Sed hæ probationes parum habent momenti: facilè respondet Bellar: lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 24. lit. F. Ad 1. Sacramentorum efficaciam non pendere à quacumque qualitate ministri; non enim à bonitate v. g. tamen pendet à qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister; talis autem est, ut sit homo.

Ad 2. fatetur Judam fuisse membrum diaboli, sed non ut tale administravit Sacramentum, verùm ut minister Christi; quia verus homo erat, & à Christo acceperat potestatem Baptizandi, quorum neutrum diabolo convenit. Et sanè Lutherus erat membrum diaboli, comedebat vitaliter, bibebat, dormiebat; num propterea hæc poterat diabolus? & quare non poterat? Citò respondeo: quia non erat homo constans animâ & corpore, sed spiritus, qui carnem & ossa non habet, adeoque incapax est ejusmodi operationum corporalium.

In altero extremo versatur Calvinus, qui nequidem in necessitate concedit mulieribus baptizare. Sic enim scribit in Antidoto ad can. 10. sess. 7. jam citatum: *Nemo sanus Christianos omnes in verbi, Sacramentorumq; administratione pares facit: non solùm quia decenter & ordine geri omnia in Ecclesia decet, sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur ministri.* Et infrà: *Porrò munus Baptizandi ubi mulierculis iniunctum reperient, quemadmodùm illis permittunt?* 4. Calvinus nequidem in necessitate concedit mulieribus baptizare.

Respondeo in communi sensu & perpetuâ traditione Ecclesiæ. Sed, ut propiùs ad rem accedamus, pro doctrina Catholica erit

CONCLUSIO I.

Ordinarius minister Sacramentorum ex vi præsentis institutionis est solus homo viator ratione utens.

VLtima pars nullam patitur contradictionem; constat quippe apud omnes, administrationem Sacramentorum, quæ in usu consistunt, necessariò esse actionem humanam, 5.

humanam, atque ad eam requiri certam intentionem (ut infrà explicabitur) quæ absque usu rationis nequeunt haberi. Et quamvìs Eucharistia validè ministretur ab amente aut puero, certum tamen est non esse ministros à Christo ad hoc munus deputatos.

Administratio Sacramentorum in usu consistens necessariò est actio humana.

6. Ratio prioris partis Conclusionis est voluntas Christi.

Porrò ratio à priori primæ partis est voluntas Christi, qui sicut instituit Sacramenta pro Ecclesia sua militante, sive pro membris Ecclesiæ militantis, ita quoquè voluit ordinarios ministros Sacramentorum esse membra ejusdem Ecclesiæ actu, vel obligatione.

Quæ nobis innotescit ex perpetuo & communi usu totius Ecclesiæ. Luc. 22.

Hæc voluntas nobis innotescit ex communi & perpetuo usu totius Ecclesiæ. Deinde ex ipsa Scriptura sacra; siquidem de Eucharistia Luc. 22. v. 19. non Angelis, sed Apostolis, qui erant homines viatores, dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*; & de Baptismo Matth. ultimo v. 19. *Baptizate omnes gentes.* De Extrema Unctione Jac. 5. v. 14. *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum* &c. de Pœnitentia Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. De Ordine & Confirmatione constat ex Concilijs & traditione ministrum regulariter debere esse Episcopum, qui (ut dicitur ad Heb. 5. v. 1.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum.* Denique Matrimonium fatentur omnes non posse fieri nisi inter homines, qui simul sunt contrahentes & ministri. Unde dixit Adam Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* &c. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem; & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et Christus Mar. 12. v. 25. *Cùm à mortuis surrexerint, neque nubent, neque nubentur* &c.

Matth. ult. Jac. 5. Joan. 20. Heb. 5. Gen. 2. Mar. 12.

7. Ratio congruentiæ ex Scoto.

Rationem congruentiæ assignat Doctor Subtilis 4. dist. 6. q. 1. n. 3. ibi: *Generaliter etiam congruum est ab homine viatore conferri Baptismum* (eadem est ratio de alijs Sacramentis) *& non ab Angelo aliquo; tum quia Christus, qui instituit, homo fuit; tum quia in Sacramento est aliquid sensibile & aliquid spirituale, & per consequens magis congruit ministro, & utenti sensu & intellectu, quàm purè intellectuali.*

Non obstat, quòd dispensatione divina aliquando Angeli ministraverint Sacramenta.

Cum hoc tamen stat, quòd ex privilegio & dispensatione divina aliquando Angeli Sacramenta ministraverint & ministrent, ut ibidem docet Scotus n. 2. ibi: *Dixit autem generaliter suppositum naturæ intellectualis, quia si bonus Angelus extraordinariâ potestate baptizaret in corpore assumpto cum omnibus prædictis conditionibus, tunc supponendum esset verum esse eius Baptismum; quia non fieret nisi de præcepto Dei: nec esset ille baptizatus ab Angelo iterùm rebaptizandus; sicut Michaël prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in monte Gargano, asserens eam à se dedicatam fuisse.*

8. Aliud exemplum magìs ad propositum legimus apud Nicephorum lib. 11. histor. cap. 20. ubi narrat. S. Amphilochium fuisse ab Angelis consecratum Episcopum: *Angelos* (inquit) *Deus misit, qui mysticâ & arcanâ benedictione, & Episcopali arrogatione eum dignati, intellectuali modo consecrarunt, & Hierarcham civitatis Iconij renuntiarunt.*

Nicephorus.

Si fuit (inquit Card. Lugo disp. 8. n. 1.) intellectualis solùm consecratio, non fuit sensibilis, atque adeò nec propriè Sacramentalis. Consentio, si verum est quod supponitur, scilicet, consecrare intellectuali modo idem esse quod consecrare insensibiliter.

Lugo.

Ast quæ necessitas istiusmodi identitatis? Certè testatur sacra pagina non uno, sed diversis locis, Sanctos Angelos sensibiliter locutos, aliasque actiones sensibiles exercuisse. An ideo vitali ac corporali modo, id est, per organa corporis animati, ad tales actiones propriè destinata? Minimè; quia magìs spirituali modo, id est modo spiritibus proprio, ac quodammodò intellectuali, id est, solius intellectûs Angelici naturali acumine attingibili. Sic loquebantur per solam aëris collisionem & fractionem artificiosam ad corpus assumptum, ad quam sufficiebat virtus motiva secundùm locum. Et pari modo comedebant & bibebant, non virtute principij vitæ corporalis, & in ordine ad nutritionem, sed per solùm motum localem, cibum ac potum in corpus assumptum demittendo.

Consecrare in intellectuali modo nõ est idẽ quod consecrare insensibiliter.

9. Hoc extraordinarium Angeli privilegium non obscurè indicat Aug. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 15. in fine his verbis: *Nemo ergò accipit sine dante, sed quod pertinet ad Baptismi sanctitatem: adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat, sive per se ipsum donante Deo, sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sive per Ioannem, sive per hominem iniquum* &c. Adde, sive per Angelum iniquum; ita enim sentit Doctor noster suprà, ibi: *Si etiam malus Angelus in corpore assumpto baptizet, & constet, quòd esset de præcepto Dei, talis habendus esset pro baptizato; quia oportet malum Angelum etiam invitum obedire Deo.* Sed non esset sine certa revelatione super hoc habita credendum, quòd malus Angelus verè baptizaret.

Extraordinarium illud Angeli privilegium indicat Augustinus.

Quidquid sit, an Angeli aliquando baptizarint, aut alia Sacramenta, quæ in usu

consistunt,

Non ostenditur impossibilitas cur nequeant Angeli, etiam sine corpore assumpto, ministrare Sacramenta quæ consistunt in usu.

consistunt, ministraverint; fide humanâ ex historijs creditur, interdum administrasse hominibus Eucharistiam. Impossibilitas quoque aliorum non potest ostendi, etiam sine corpore assumpto, dummodò applicent materiam, & efforment voces sensibiles, quibus formam essentialem exprimant.

10. Dices cum Lugone supra: Sacramentum nostrum includit verba humana & actiones humanas; immò actiones hominis habentis talem potestatem, Sacerdotalem v. g. vel Episcopalem, quales non sunt actiones Angelicæ; igitur fatendum est, non fieri tunc Sacramentum omninò ejusdem rationis cum nostris; sed poni eumdem effectum per aliud medium aliquantulùm diversum.

Sacramentum est signum practicum gratiæ, quia sensibiliter materia applicatur & forma profertur à quocumque ministro legitimo.

Respondeo negando antecedens; non enim Sacramentum est signum practicum gratiæ (quod est tota ipsius essentia) quia materia applicatur, vel forma profertur ab homine, aut per actionem vitalem ordinario vel extraordinario modo (illa quippe omnia impertinentia sunt ad significationem, & per consequens ad causalitatem, quæ ex sola significatione desumitur) sed quia sensibiliter materia applicatur, & forma profertur à quocumque ministro legitimo, ordinario, sive extraordinario; siquidem æqualiter ex communi instituto significat lotio v. g. vitalis, & non vitalis; similiter prolatio formæ per principium vivificans corpus, & per principium dumtaxat assistens. Neque attendit Deus aut Ecclesia ad modum applicandi materiam aut formandi verba, sed ad significationem; non quàm habet materia vel forma à proferente, sed ex communi usu aut institutione Christi.

11. Etenim interrogo, an ille, cui excisa est lingua à Tyranno ob confessionem fidei, possit ministrare Sacramentum, Deo supplente in ipso per miraculum defectum instrumentorum, & dando vocem & loquelam absque lingua? Vel etiam, si edentulus, qui dentibus appositis artificialiter loquitur formatè, sine quibus tamen nequit intelligibiliter formare verba; an hic (inquam) possit baptizare, tametsi non loquatur per instrumentum conjunctum? Nemo dubitat quin possit.

Pariformiter discurro de ipsa lotione baptismali, ad quam requiritur ut fiat per ministrum, sive per instrumentum conjunctum quantùm ad functionem vitæ, sive per separatum, perinde judico. Enimverò in artificialibus & moralibus multa fiunt per instrumentum non conjunctum, quæ tamen artifici aut alteri causæ morali tribuuntur. Sanè quis credat invalidè eum baptizare qui ad lotionem non utitur manibus, quæ tamen sunt instrumentum conjunctum & connaturale, quod ad ejusmodi actionem communiter deservit?

Dato, actionem vitalem ministri requiri ad ministerium Sacramenti, id intelligendum est de lege Dei ordinata.

Dato quoque quòd actio vitalis ministri requireretur ad ministerium Sacramenti, id intelligendum est de lege Dei ordinata; non autem de potentia Dei absoluta, seu extraordinaria commissione. 12.

Medium quidem tunc aliquantulum est diversum, sed non formaliter, sive in ratione Sacramenti; nam eodem modo significabit & causabit gratiam, præsertim cùm Sacramentum in ratione sua non includat intrinsecè personam ministri, imò nec potestatem ipsius, quàmvis & persona & potestas requirantur, ut ponatur actio Sacramentalis, quæ sola immediatè significat & movet Deum ad producendam gratiam.

Minister non aliter concurrit ad effectum, quàm per ipsum Sacramentum, quod ponit.

Unde minister non aliter concurrit, quàm per ipsum Sacramentum, quod ponit; vocetur causa ministerialis, vocetur moralis mediata, quæstio est de nomine.

Nec video quarè Sacerdos medijs verbis potiùs moraliter concurrat ad positionem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, quàm minister Baptismi mediâ ablutione & prolatione formæ ad gratiam baptismalem, aut certè persona Sacerdotis in Sacramento Pœnitentiæ ad causandam remissionem peccatorum; quippe tam ad absolutionem, quàm consecrationem, requiritur character Ordinis; & verba prolata nullum sunt habitura effectum, si ab alia persona proferantur: non apparet (inquam) sufficiens differentia; ni fortè in eo, quòd conficiens Eucharistiam sustineat personam Christi, cùm non utatur verbis suis, sed Christi, ut dicunt Sancti Patres, & patet ex Canone missæ.

Eadem est ratio de anima separata, quæ de Angelo. Non obstat quod retineat Characterem.

Hactenus de Angelo; & eadem prorsus est ratio de anima separata: quia nec etiam ipsa est homo. 13.

Nec obstat, quòd retineat characterem; quippe character (ut diximus sect. 4. conclus. 7.) non est ipsa potestas, sed signum potestatis in via acceptæ, quod etiam manet in animabus damnatis. Num ideo & ipsa potestas? Negat communis sententia.

Ex qua videtur inferri nec hominem gloriosum, sive animam unitam corpori glorioso in statu comprehensoris, licèt retineat characterem, posse esse validum ministrum nostrorum Sacramentorum. Nam in primis (inquit Lugo disp. 8. n. 2.) post diem judicij omnes sacerdotes retinebunt characterem suum, & tamen tunc non poterunt consecrare Eucharistiam, non solùm 14.

Lugo.

ex defectu

ex defectu materiæ panis & vini; sed etiam ex defectu potestatis, quam scilicet acceperunt solùm ad consecrandum in hoc mundo ante diem judicij, ut videtur colligi ex Apostolo 1. ad Cor. 11. v. 26. in illis verbis: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; ubi juxta communem interpretationem explicatur institutio sacrificij Eucharistici facta solùm pro tempore hujus mundi duraturi usque ad consummationem sæculi. Hæc ille.

1. Cor. 11.

Dicastillo.

Respondet Dicastillo disp. 3. n. 41. ex illa Scriptura ad summum probari cessationem omnium Sacramentorum novæ Legis post resurrectionem generalem, quando nulli ampliùs erunt homines viatores, pro quibus solis (ut suo loco patebit) Sacramenta sunt instituta. De cætero dum Sacramenta durant cum sua significatione, & sunt tempora & subjecta capacia significationis & effectûs illorum, adhucque eorum viget usus; non video (inquit) cur signum illud sensibile, exhibitum ab homine, quantumvis non viatore, non possit valere.

Ex nullo capite constat hominem non viatorem esse institutum Ministrum Sacramenti.

Respondeo: quia neque ex Scriptura, neque ex Concilijs aut Traditione constat hominem non viatorem à Christo assumptum & institutum fuisse ministrum Sacramentorum Ecclesiæ militantis: ille autem solus (ut dixi in principio hujus sectionis) est ordinarius & legitimus minister, quem Christus in sua institutione designavit.

15. Et hæc est ratio à priori hujus sententiæ, quam his verbis exprimit Card. supra num. 3. Sacramenta data sunt Ecclesiæ ut ministrentur ijs, qui sunt intra Ecclesiam, ab Ecclesia visibili militante per suos ministros, quales non sunt ij, qui jam sunt extra hunc mundum, & qui nullo modo subjacent directè vel indirectè Ecclesiæ. Alioquin Episcopus damnatus cum corpore & anima, ex odio in Deum ad irrogandam injuriam Sacramento, conferret alteri damnato, qui similiter ibi esset cum corpore & anima, Sacramentum Confirmationis & Ordinis, nisi Deus per miraculum impediret. Sed hæc instantia frivola est: ut enim statim dixi, Sacramenta non sunt instituta nisi pro viatoribus.

16.
Probationem ex verbis Jacobi

Aliam probationem ejusdem Auctoris eodem numero in principio desumptam ex verbis Jac. 5. v. 14. *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum* &c. qui autem non est viator non est Presbyter hujus Ecclesiæ, sed fuit; improbat Dicastillo n. 43. dicens, esse Presbyteros Ecclesiæ triumphantis; quòd verò debeant esse militantis, hoc est quod quærimus, an necesse sit quòd sint in militante; & contendimus satis esse, quòd pro tunc sint in militante, hoc est, cum ijs, qui sunt in militante; & satis etiam est, quòd sint ordinati ab Ecclesia, ut dicantur Presbyteri Ecclesiæ. Ita præfatus Auctor.

Improbat Dicastillo;

Sed non rectè.

Sed contra: hoc etiam est quod quærimus, an sufficiat quòd sint Presbyteri Ecclesiæ triumphantis, & pro tunc sint in militante. Probet id Dicastillo, & jungimus dexteras. Intereà certum nobis est Jacobum locutum fuisse de Presbyteris Ecclesiæ militantis, & nequidem somniasse de Presbyteris Ecclesiæ triumphantis, cùm fortè nullus ante generalem resurrectionem, quando cessabit usus Sacramentorum, talis futurus sit. Ut quid ergo Christus talem designasset in ordinarium ministrum suorum Sacramentorum?

17.
Qui & pro sua opinione adducit Div. Thomam, sed curvè.
Ut ostenditur ex D. Thomâ primò.

Dicastillo pro sua opinione (quam putat Suarez disp. 13. sect. 1. probabiliorem) allegat auctoritatem D. Thom. q. 64. a. 7. ad 2. Sed (ut bene notavit Cardinalis supra num. 3.) S. Thomas id non asserit, sed permittit in solutione illius argumenti, quia ad propositum parum referebat, cùm adhuc eo admisso negari posset consequentia de Angelis, de quibus contendebat argumentum posse administrare vera Sacramenta.

Ostenditur secundò.

Adde, quòd Doctor Angelicus videatur loqui etiam de animabus separatis, cùm de facto non constet aliquem purum hominem exceptâ Dei genitrice Maria cum corpore glorioso esse in cælo. Verba ejus sunt: *Ad 2. dicendum, quòd Sancti, qui sunt in cælo, sunt similes Angelis quantùm ad participationem gloriæ.* Quis autem ambigat animas gloriosas esse similes Angelis quantùm ad participationem gloriæ?

18.
Responsio ad historiam de S. Thoma Apostolo singulis annis suos communicante.

Optimè quoque respondet Emin. ad historiam, quam ex alijs Auctoribus refert Thomas Stapletonus in Collectaneo de S. Thom. Apostolo, scilicet anno 1120. Patriarcham quemdam Indorum, Joannem nomine, Romam venisse, ibique Calixto II. Papæ & Cardinalibus in consistorio testatum esse, S. Thomam Apostolum omni anno communicare solitum populum suum manu propriâ dignis porrectâ, & retractâ ab indignis. Respondet (inquam) quidquid sit de veritate illius historiæ, ex illa non haberi quòd Apostolus consecraret Eucharistiam, sed solùm, quòd illam distribueret.

Et esto utrumque fecerit, id non ex communi lege, sed ex singulari Dei concessione fecisse; quod ab omnibus fortasse fatendum erit, cùm constare non possit Apostolū

T cum

cum suo vero corpore comparuisse, totiesque repetito miraculo resurrexisse, & iterum mortuum fuisse. Quarè credibilius est, animam solam cum corpore aëreo adfuisse; quemadmodùm Angelus in corpore assumpto communicavit S. Bonaventuram, per specialem potestatem sibi à Deo ad illum actum concessam.

19. Status hominis viatoris est qualitas essentialis ministri ordinarij Sacramentorum.

Igitur, ut transeamus ad alia, quæ sunt majoris utilitatis, status hominis viatoris est qualitas essentialis ministri ordinarij Sacramentorum novæ Legis, quæ tamen extraordinariè sive ab Angelis, sive ab animabus separatis, aut hominibus beatis validè administrantur; quemadmodùm ordinarius minister Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus, extraordinarius autem ex speciali commissione Pontificis simplex Sacerdos.

Sed cùm hæc satis constent, major olim fuit in Ecclesia controversia propter Cyprianum & alios Patres Africanos, qui putabant Baptismum ab hæreticis collatum irritum esse, an similiter bonitas aut fides ministri sit conditio essentialiter requisita ad valorem Sacramenti? Modò inter Catholicos summa est consensio; enimverò omnes unanimiter docent, quòd

CONCLUSIO II.

Nulla fides aut bonitas ministri requiritur ad valorem Sacramenti.

20. Conclusio est definita à Tridentino.

Ita novissimè definivit Concil. Trident. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Et de Baptismo can. 4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti, cùm intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

ante docuerat Florentinum.

Idem priùs docuerat Concil. Florent. in decreto Unionis agens de ministro Baptismi: *Minister (inquit) huius Sacramenti* &c. *In causa autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus & mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ* &c.

21. Contrarius error fuit Joannis Wiclef.

Contrarium errorem defendit Joannes Wiclef, cujus articulus 4. à Concil. Constantiensi sess. 8. damnatus talis erat: *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.*

Olim etiam D. Cyprianus, secutus Agrippinum prædecessorem suum in Episcopatu Carthaginensi, cum multis Africæ Episcopis constanter asseruit, & suâ eloquentiâ ac eruditione acerrimè propugnavit invaliditatem Baptismi collati ab hæreticis, obsistente sibi Stephano Papa cum universali Ecclesia; quo factum est, ut cæteri tandem Africani Episcopi suum errorem retractaverint, teste D. Hier. dialogo contra Luciferianos. D. Cyprianus propugnavit invaliditatem Baptismi collati ab hæreticis.

Cyprianum quoque se ante mortem correxisse docet Aug. epist. 48. ibi: *Cyprianum autem sensisse aliter de Baptismo, quàm forma & consuetudo habebat Ecclesia, non in canonicis, sed in suis, & in Concilij litteris invenitur. Correxisse autem istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Qui tamen ante mortem se correxit.

Et lib. unico de Baptismo c. 13. ibi: *Sic etiam in martyre gloriosissimo Cypriano si apud hæreticos vel schismaticos datum Christi Baptismum nolebat agnoscere, dum eos nimium detestaretur, quos à Catholica unitate, quam multùm dilexit, separatos dolebat, tanta eius merita usque ad triumphum martyrij consecuta sunt, ut & charitatis quâ excellebat luce, illa obumbratio fugaretur, & ut sarmentum fructuosum fieret fructuosius, si quid habebat purgandum, si nullâ re alia, certe passionis falce ultimâ tolleretur.*

Rationem à priori Catholicæ veritatis assignat Doctor Subtilis 4. d. 5. q. 1. n. 4. *Veritas (inquit) quæstionis patet ex auctoritatibus multis, quòd quâcumque malitiâ minister sit malus, sive hæresis, sive schismatis, sive morum, salvâ unitate Ecclesiæ, si intendit facere quod facit Ecclesia, & servet modum Ecclesiæ, verè confert Baptismum; & talis Baptismus verè habet effectum in baptizato non obstante malitiâ ministri, nisi obstet malitia suscipientis in hoc quod recipit à tali ministro. Veritas autem istius solutionis non habet nisi rationem unam propter quid, scilicet quia ita placuit Christo instituere, ut malitia ministri non impediret Sacramentum, nec eius effectum.* Hæc Scotus. 22. Conclusionis ratio à priori, ex Scoto.

Porrò hoc beneplacitum Christi probatur maximè ex perpetua & constanti traditione Ecclesiæ, quam contra Cyprianum ursit Stephanus Papa, de qua D. Augustinus lib. 2. de Baptismo c. 7. ita scribit: *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem.* 23. Beneplacitum Christi ut malitia ministri non impediret Sacramentum, probatur maximè ex perpetua traditione Ecclesiæ; De qua Augustinus:

Nondum

Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia; in ipsis quoque schismaticis & haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs posteriorum; & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata leguntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi coepisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quae post magnos dubitationis fluctus ad plenarij Concilij confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse, non corrigi. Hucusque Divus Augustinus qui ex professo in libris de Baptismo contra Donatistas, qui errorem Cypriani resuscitaverant, eum refellit, multis auctoritatibus & rationibus ostendens extra veram Ecclesiam validum conferri Baptismum.

24. Eamdem veritatem plurimis alijs locis luculenter docuit, praesertim tract. 5. in Joannem ante medium, ibi: *Baptisma tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur: non qualis est ille, per cuius ministerium datur.* Et paulò post medium: *Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?* Et circa finem ex illo Joannis 4. versu 2. *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius*, colligit Judam validè baptizasse, cùm ab eo baptizati non sint iterum baptizati; & addit: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat.*

Qui & conclusionem luculenter docuit.

Rursus lib. de unico Baptismo cap. 11. *Prorsus (inquit) fieri potest, ut aliqui verum habeant Baptismum, & non habeant veram fidem.* Quod probat à simili: *Sicut fieri potest, ut habeant verum Euangelium, quod non rectè intelligendo, falsi aliquid credant de Deo. Numquid propter ipsam fidei falsitatem, etiam Euangelium, quod verum apud ipsos invenitur, detestandum aut emendandum putabimus?* Plura testimonia vide apud Magistrum 4. dist. 5. lit. A. haec sufficiant in re clara & ab omnibus Catholicis (ut dictum est) admissa.

Magist.

25. Solùm adverto cum Scoto supra n. 4. quòd ita fuerit Baptismus instituendus, plures esse rationes congruentiae. Praecipua sumitur ex fine: *Quia (inquit Doctor n. 5.) si Baptismus* (eadem est ratio aliorum Sacramentorum) *non posset conferri nisi à bono, non esset in magnum remedium viatoris, sed quasi communiter in detrimentum; cum enim nullus possit esse certus de bonitate propria, multo magis nec de bonitate alterius: ergo si ex bonitate ministri dependeret Baptismus, nunquam posset aliquis esse certus se verè recepisse Baptismum; quod est inconveniens.*

Congruentiae talis institutionis, ut non noceat malitia ministri, ex Scoto.

Et si obijcias, quòd nec modò potest esse certus, quia nescivit dispositionem suam propriam, hoc non obstat; quia satis potest nosse certitudinaliter, sicut requiritur certitudo, quòd ipsemet intendit recipere Baptismum, & hoc sufficiet ex parte eius. Si dicas, quòd non potest esse certus de intentione ministri; hoc non obstat: quia probabiliter praesumi potest, quòd ministri talem actum exercentes, intendant facere illud, ad quod actus secundum se ordinatus est: sed non ita posset haberi certitudo de bonitate vel sanctitate ministri.

Hanc rationem indicat D. August. lib. 1. contra litteras Petiliani c. 3. ibi: *Ergo baptizantur à bonis ut possint fidem percipere, non reatum. Sed quomodo & de istis securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quae latet oculos accipientis? Ita secundum eorum sententiam fit salus illa spiritualis incerta, dum contra Scripturas Sanctas, quae dicunt: Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine* (Psal. 117.) *& : Maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine* (Jere. 17.) *spem baptizandorum auferunt à Domino Deo, & in homine ponendam esse persuadent.* S. Aug.

26. Nec satisfacit, quod aliqui haeretici respondent, solos publicos infideles vel malos invalidè Sacramenta administrare: nam eadem est ratio de publico & privato, si malitia per se nocet; & saepe qui coram hominibus malus est, coram Deo bonus est. Cur ergo ille cum bona conscientia non validè ministraret? Et cur qui bonus habetur, & interim reverà malus est, non ministraret invalidè?

Non satisfaciunt haeretici, dicentes solos publicos infideles vel malos invalidè Sacramenta administrare.

27. Accedit, quòd Sacramenta habeant valorem ex meritis Christi, & ex opere operato. Cur ergo malitia applicantis officeret? Nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* 1. Cor. 3. v. 7. Qui etiam in omni Sacramentorum collatione est principaliter operans, teste D. Aug. tract. 6. in Joan. ante medium, ibi: *Quid ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniretur, quod avertat à nobis Deus opinari, nisi quamdam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive iusti, sive iniusti, non tribueretur sanctitas Baptismi nisi illi, super quem descendit columba, de quo dictū est:* Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. *Petrus baptizet*; Hic est, qui baptizat. *Paulus*

Malitia applicantis non officit, cum Sacramenta habeant suum valorem ex meritis Christi. 1. Corinth. 3. S. August.

Paulus baptizet; Hic est, qui baptizat. *Iudas baptizet*; Hic est, qui baptizat. *Vt sicut illa determinatio sua* (inquit Scotus supra n. 4.) *quâ tribuit signo esse certum signum, est ab ipso immediatè omninò & primò; ita & assistentia consequens illam determinationem ad cooperandum sit immediatè ab ipso*, id est, ex determinatione voluntatis suæ, præcedente omnem conditionem ministri.

Omninò quippe *iniustum est* (ait idem Doctor n. 5.) *alterum pro iniquitate alterius puniri, quando ille alter nullo modo communicat iniquitati illius, ita ut possit sibi imputari; sed ille baptizandus disponit se ad gratiam quantùm potest: si ergo malitia ministri impediret, ille puniretur propter culpam alienam, nullo modo sibi imputandam.* Appositè D. Chrysostomus Homiliâ 85. in Joannem sub finem: *Sacerdos & linguam & manus prabet: neque enim iustum est propter aliùs malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes, offendi.*

28. Non est contra honorem Dei & Sacramẽtorũ, quòd validè administrentur à malis.

Et tantùm abest, ut sit contra honorem Dei & Sacramentorum, quòd validè administrentur à malis & infidelibus ministris, ut per hoc Dei bonitas magis elucescat, qui malis bene utitur; & Sacramentorum efficacia, quam habent à principali auctore, magis commendetur.

Matth. 7.

Audi verba Christi Matth. 7. v. 22. & 23. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Et indignum putabimus Deo & Sacramentis ab ipso institutis, si ea causaverint gratiam sanctificantem collatã à malis ministris? Circumcisio Samaritanorum hominum infidelium (juxta August. lib. 2. contra Cresc. c. 31.) valebat: & non magis existimabimus Baptismum valere, qui applicat merita Christi jam exhibita, cùm circumcisio solùm applicaret exhibenda? Hactenus conclusionem probavimus, nunc respondeamus objectionibus in contrarium.

S. Aug.

29. Objectioni S. Cypriani.

Et primò quidem occurrit ratio S. Cypriani, scilicet: Quod quis non habet, non potest dare; infideles & peccatores non habent Spiritum Sanctum sive gratiam sanctificantem; ergo non possunt eam dare.

Confirmatę ex Ecclesiastico & aliis Scripturis.

Confirmatur primò ex illo Eccli. 34. v. 4. *Ab immundo quid mundabitur?* Secundò ex eodem cap. v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio illius?* Tertiò Psalm. 140 v. 5. dicitur: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quartò Deus Malachiæ 2. versu 2. minatur malis Sacerdotibus, dicens: *Maledicam benedictionibus vestris.* Denique Matth. 7. v. 18. ipsa veritas Christus attestatur: *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.*

Psal. 140.

Malach. 2.

Matt. 7.

30. Responde-tur cum Scoto,

Respondeo ad rationem Sancti Cypriani cum Scoto supra n. 6. in fine: *Baptizans non dat gratiam, sed Sacramentum; & illud habet in virtute, quia habet Ordinem.*

Et D. Augustino.

Etenim *consentimus* (inquit D. August. lib. 5. de Baptismo, c. 22.) *Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse; Baptisma autem dare posse; quod quidem illis & dantibus & malâ fide accipientibus valeat ad perniciem tanquàm tantò munere Dei male utentibus: sicut etiam maligni & invidi quos & intus esse testatur, remissionem peccatorum dare non possunt, tunc vos Baptismum posse dare omnes fateamur.* Siquidem (ut idem S. Doctor ibidem cap. 21. ait) *Sacramentum gratiæ dat Deus per malos; ipsam verò gratiam non nisi per se ipsum vel per Sanctos suos; & ideo remissionem peccatorum vel per se ipsum facit vel per illius columbæ membra, quibus ait: Si cui dimiseritis, dimittentur.*

Remissionem ergo peccatorum non dant mali sive intus sive foris, sed applicant instrumenta, quibus infallibiliter assistit Spiritus Sanctus, qui per se ipsum abluit conscientiam. Sic quippe medicus infirmus per sua pharmaca potest mederi.

31. Instantia.

Et quamvis per unam partem corporis humani non possit vita derivari ad alteram, nisi illa pars derivans prius vivat eâdem vita: attamen *non est sic* (ait Scotus supra) *in corpore mystico, quod est Ecclesia; quia non est in eis una vita numero: nec oportet, quòd illud membrum, quod ministerialiter dat vitam alteri, sit propinquius principio vitæ in participando vitam, sed tantùm in gradu ministrandi.* Porrò *in toto corpore humano vita una est omnium partium, & participatur ab eis ordine quodam, quia primò in corde, secundò in aliis, secundùm quod propinquiùs se habent ad illud principium vitæ.*

Accedit virtutem cordis humani esse finitam, Dei autem infinitam, quæ etiam per mortuos potest vivificare. Figuram habes Joan. 6. ubi Christus per lutum cæcum illuminavit, quod aptius est ad excæcandum; & Elizæus 4. Reg. 13. mortuus suscitavit alium.

32. Responsio ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem dico, Scripturam debere intelligi de immundo quà tali. Unde subdit: *Et à mendace quid verum dicetur?* scilicet ut mendax est; alioquin diabolus, qui mendax est & pater mendacii, coactus dixit verum: *Scio qui sis, Sanctus Dei* Mar. 1. v. 25. Et quid vetat immundum per aquas mundas alium mundare?

Marc. 1.

Ad

33. Responsio ad secundā. Ad secundam confirmationem Respondeo per Baptismum intelligi legalem, non autem Baptismum Christi; & illud *à mortuo* non significat habitudinem causæ, sed ad terminum à quo. Unde vulgata lectio habet: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio eius?*

S. Aug. Ceteroquin, retentâ illâ lectione Donatistarum, attendite quid dicat D. Aug. lib. 2. contra Cresconium cap. 27. *Mortuos* (inquit) *intelligamus, sicut dixi, in quorum nomine Baptizantur idolorum cultores, ut ab illo quemque intelligas baptizatum, in cuius nomine se credit esse mundatum. Ita enim & illic nullus excipitur; nullus quippe mortuus Deus paganorum mundare potest credentes in se. Si autem hoc loco omnem hominem peccatorem intellexeris mortuum, tanta, qua non vis, te sequentur, ut ipse quemadmodùm vivas invenire non possis, dicente Ioanne:* Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est: *ita ut omninò non invenias hominem, à quo baptizeris, si omnem peccatorem devitare volueris. Quamquàm si prorsus mortuum non intelligeres nisi hæreticum vel schismaticum, ut quisquis apud eos baptizatur à mortuo, quid ei prodest lavatio eius: quod vides tam præcipiti præsumptione sic accipiatur, ac si dictum sit, qui baptizatur ab hæretico vel schismatico, nec sic contra nos esset, qui fatemur nihil prodesse homini Baptismum Christi, si apud hæreticos vel schismaticos baptizetur, eis ipsis tribuens Baptismum, quo baptizatur, sed tunc ei prodesse incipere cùm transit ad Corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi. Tunc enim sub eodem Baptismo, quod & foris Christi erat, sed foris posito nihil proderat mundato, proderit ab eo* (scilicet Christo) *cuius membris insertus est.* Quasi diceret; qui ab impijs baptizatur, non à mortuo, sed à Christo habet, quòd Baptismus ei prosit.

1. Ioan. 1. v. 8.

34. Responsio ad tertiam ex D Augustino. Ad tertiam confirmationem Respondeo ex eodem Aug. eodem loco: *Fuge* (inquit) *frater ab insano intellectu ad sanum, ut in hoc testimonio de oleo peccatoris, sicut superiora eiusdem psalmi verba præscribunt* (utique hæc: *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me*) *blandam lenitudinem & fallaciam adulatoris intelligas. Ita enim & nullus erit exceptus, & non impinget in angustias insuperabiles malus baptizator occultus.* Igitur Sacramentum non est *oleum peccatoris*, quod in psalmo ponitur, sed est *oleum Dei*; non enim *eorum meritis à quibus ministratur; nec eorum, quibus ministratur*, constat Sacramentum; *sed propriâ sanctitate atque veritate propter eum, à quo institutum est, malè utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.* Ita Aug. de Baptismo lib. 4. contra Cresc. cap. 16.

Ad quartā. Ad quartam confirmationem patet ex contextu, benedictiones ibi significare abundantiam temporalium; immediatè quippe præcedit: *Mittam in vos egestatem.*

35. Ad ultimā. Ad ultimam confirmationem dico; Sacramentum non esse fructum ministri, sed Dei instituentis; quemadmodùm & gratia sanctificans fructus Dei & Sacramenti, non autem ministri, ut ex dictis liquidò constat. Cæterùm per arborem malam intelligit Christus hæreticos & falsos Doctores, & solùm docet ex eorum doctrina non posse nasci bonos fructus, hoc est per eam mores non posse corrigi, sed perverti; & ita eorum opera pro maxima parte esse mala; & si quæ bona sint, illa non provenire ex illa doctrina; sed aliunde.

36. Notandum SS. Patres plerumque agere de valore Sacramentorum quoad effectum gratiæ. Pro solutione plurimarum aliarum objectionum, quæ desumuntur ex varijs Canonibus juris, notantum est SS. Patres plerumque agere de valore Sacramentorum quoad effectum gratiæ, & docere, quòd illi, qui scienter & sine justa causa Sacramenta ab hæreticis suscipiunt, potiùs polluantur, quàm sanctificentur, ut loquitur D. Amb. libro de ijs qui mysterijs initiantur cap. 4. circa medium: *Est* (inquit) *in aliquibus aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Utique non defectu Sacramenti, sed dispositionis, quia accedunt cum peccato, scienter communicantes cum hæreticis, maximè in rebus sacris.

S. Ambr.

Scot. *Ad primum* (inquit Doctor subtilis supra) *dico, quod aut hæreticus baptizat parvulum in forma & intentione Ecclesiæ, & nihil obest parvulo, nec quantùm ad salutem, nec quantùm ad effectum. Aut baptizat adultum, & adhoc confert sibi Sacramentum & effectum eius, si in adulto non est aliquis malus motus, puta assensus in hæresim baptizantis, vel intentio ut fiat discipulus eius: & de tali intelligenda est auctoritas Ambrosii.*

Notandum secundò. Si verò aliquando agant de nullitate Sacramentorum quoad substantiam, vel agunt de ijs hæreticis, qui materiam & formam mutabant, aut significant hoc esse timendum, ubi est erronea doctrina, utì sæpe experientia docet, etiam in nostri temporis hæreticis.

Notandum tertiò canones decreti non esse majoris auctoritatis, quàm conditor eorum. Notandum præterea Canones Decreti non esse majoris auctoritatis, quàm conditor eorum. Sæpe etiam Ordinationem aliquam dici irritam à jure Canonico; quia ordinatus suspenditur ab usu, executione Ordinis validè suscepti, vel certè quia Ordinatio est illicita.

Responsio ad ea quę in particulari ab aliquibus objiciuntur. Ex his facilè est respondere ad ea, quæ in particulari ab aliquibus objiciuntur. Sunt autem

Canon. 46. Apost. autem: Primò Canon 46. Apostolorum: *Episcopum aut presbyterum hæreticorum suscipientem Baptisma damnari præcipimus*. Respondeo, qui admittit hæreticos ad baptizandum; pro ratione enim subijcitur: *Quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* 2. Cor. 6. v. 15. 2. Cor. 6.

38 Objectio secunda ex canone 67. Obijcitur secundò Canon 67. ibi: *Qui enim à talibus* (hæreticis) *baptizati aut ordinati sunt, hi nec fideles, nec clerici esse possunt.* Respondeo ab ijs, qui non utuntur debitâ formâ. Dicunt hîc aliqui non esse validum argumentum ex Canonibus Apostolorum, quia ab hæreticis quidam appositi & magna controversia de eorum origine & numero.

39. Objectio tertia ex distinct. 19. cap. 19. Tertiò, Dist. 19. cap. 19. dicitur Anastasius Pontifex nutu divino percussus, quia voluit occultè revocare Acacium hæreticum, ibi: *Et quia voluit occulte revocare Acacium, & non potuit, nutu divino percussus est.* Adde: Et quia approbavit Sacramenta ab ipso collata, ut patet ex cap. præcedenti, ibi: *Secundùm Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullum de his, quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes sive Levitas secundùm Canones ordinavit, ulla ex nomine Acacij portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.* Ita Anastasius II. ad Anastasium Augustum Epist. 1. cap. 7. & 8.

Quod ibidem probat 6. rationibus quas ita perstringo verbis Glossæ. Prima est, quia in Sacramentis virtus Christi operatur, quæ omnem maculam repellit. Secunda est de radijs solis, qui etsi transeant per loca fœtida, tamen non coinquinant. Tertia est de Juda, qui licèt malus fuisset, multa tamen fecit, quæ rata sunt habita. Quarta est de auctoritate Domini, qui præcepit verba Scribarum & Pharisæorum servanda & implenda. Quinta ratio est, quòd omne bonum à quocumque fiat, fit à Deo. Sexta denique est, quia in Sacramentis non est attendum qualis vel quis conferat, sed quid conferat; quia incrementum solus Deus præbet.

Historia de Anastasio Pontifice divino nutu percusso conficta est à schismaticis Laurentianis. Ecce compendium eorum, quæ latiùs hâc conclusione deduximus. Non est autem verisimile Pontificem propter illam sententiam, quæ est veritas Catholica, à Deo punitum fuisse. Quarè communiter reijcitur illa historia ut figmentum à Schismaticis Laurentianis ad vitam Anastasij additum. Quod vel inde satis ostenditur; quia Acacius obijt tempore Felicis III. cui successit Gelasius, & Gelasio Anastasius, ut testatur Nicephorus lib. 16. cap. 12. & alij. Quomodo ergo potuit Anastasius de eo revocando tractare, qui jam obierat? Nicephorus.

40. Objectio quarta ex cap. 10. dist. 19. Obijcitur quartò cap. 10. ejusdem dist. 19. quod sic se habet: *Propter totius indisciplinationis eius doctrinam, quæ Constantinopoli orta est, statutum est, nè Maximus fuisse aut esse iam putetur Episcopus; neque hi, qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatûs obtineant, omnibus scilicet, quæ circa eum vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis.* Respondeo: annotatio Gregoriana habet Maximum illum non fuisse unquam Episcopum, & probat ex Epistola Adriani Papæ ad Basilium Imperatorem. Quid ergo mirum, si ejus ordinationes decernantur irritæ?

41. Objectio quinta ex cap. 24. 1. q. 7. Obijcitur Quintò cap. 24. 1. q. 7. ibi: *Innocentij Papæ sententiâ constat declaratum, quod Nezelon (quem constat ab hæreticis ordinatum) quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit.* Respondeo: Nezelon (ut notat Glossa ibi) ordinatus fuit ab hæreticis in Episcopum præter formam Ecclesiæ, & sic ordinem Episcopalem non recepit; adeòque nihil dare potuit, non propter hæresim, sed defectu characteris Ordinis.

42. Objectio sexta ex 1. q. 1. cap. 69. Sextò 1. q. 1. cap. 69. ex Leone Epist. 37. dicitur: *Manifestum est per crudelissimam, insanissimamque sævitiam* (scilicet Arianam) *in Alexandrina sede omne cœlestium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio* &c. Et cap. 72. eâdem Gregorius lib. 3. dial. cap. 31. Eucharistiam ab Ariano Episcopo confectam vocat sacrilegam consecrationem. *Superveniente* (inquit) *paschalis festivitatis die, intempesta noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet.*

Respondeo, solùm illis juribus significari, hæreticos conficientes & administrantes Sacramenta extra necessitatem gravissimè peccare. Et ita intelligo quod dicit Pelagius c. *Schisma* 24. q. 1. *Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur*; quia videlicet schismatico est judicium; præmiserat quippe: *Quia spiritum non habent corporis Christi, sacrificium habere non possunt*, ad sui & aliorum scienter cum ipsis communicantium utilitatem. Cap. 1. Schisma 24. q. 1.

Et ideo Joannis 20. antequam Christus daret potestatem Apostolis remittendi peccata, præmisit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. non quia gratia Spiritûs Sancti erat necessaria ad valorem Sacramenti; nam docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. *etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti* Joan. 20. Trident.

Sancti in ordinatione collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere; sed ne indignè ministrarent.

43. Sic igitur Sacramenta soli Ecclesiæ data sunt, quia sola vera Ecclesia rectè illis utitur. Attamen multa contra jura dantur intus & foris, nec tamen ideo vel nulla vel non data dicuntur: quin immò *omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*, inquit D. Aug. lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 10. Qui totam hanc doctrinam tract. 8. in Joannem declarat similitudine aquæ transeuntis per lapideum canalem, in quo etsi non fructificet, eo quòd lapideus sit, tamen prodest areolis ad quas transit. Lib. 3. contra Cresconium cap. 8. comparat malum ministrum agricolæ, cujus malitia non obest fructibus ab agro ferendis. Et lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 10. assimilat gratiam Sacramenti lumini solis super locum immundum. Atque hic sit finis hujus controversiæ, quam fortassis pleniùs discussimus ac festinus quispiam lector desideret. Propero ad alia magis intricata, inter quæ primo loco occurrit intentio ministri.

Declaratur doctrina variis comparationibus à D. Augustino.

44. Est autem intentio actus liber voluntatis ad aliquid agendum, distinguiturque ab attentione, quæ est actus intellectûs considerantis ea, quæ homo agit. Porro intentionem ministri esse necessariam ad valorem Sacramentorum negant hæretici nostri temporis. Lutherus lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo sic ait: *Non dubitem si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini; non enim in conferentis tantum, sed etiam in suscipientis fide vel usu sita est virtus Baptismi.* Et art. 12. inter damnatos à Leone X. *Si Sacerdos* (inquit) *non seriò, sed iocò absolvat, si tamen credat se esse absolutum, verissimè est absolutus.*

Intentionem Ministri esse necessariam ad valorem Sacramentorum negat Lutherus.

His consonat Calvinus in Antidoto Concil. Trident. sess. 7. can. 11. ubi sic ait: *Quod enim de consecrandi intentione garriunt, à sophistis nullâ ratione probabili fuit proditum.* Et infra: *Ego verò sacrosanctæ institutioni Christi tantùm defero, ut si Epicureus quispiam intus totam actionem subsannans, mihi cœnam hanc Christi mandato, & secundùm regulam ab eo datam, ritúq; legitimo administret, non dubitem panem & calicem illius manu porrectum, vera mihi esse Corporis & Sanguinis Christi pignora.* Contra hos hæreticos & eorum asseclas tenenda est ut fide certa

Cui consonat Calvinus.

CONCLUSIO III.

Ad valorem Sacramentorum requiritur in ministro intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.

Est definita in Concil. Florent. in decreto Unionis ab Eugenio IV. post ultimam sess. sub hac forma verborum: *Hac omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquàm materiâ, verbis tanquàm formâ & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorū si aliquid desit non perficitur Sacramentum.* Et in Concilio Trident. sess. 7. can. 11. qui talis est: *Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Idem docet sess. 14. c. 6. ibi: *Atque ideo non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, ut Sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem verè & coram Deo esse absolutum.* 45.

Conclusio est definita in Concilio Florent.

Et Tridentino.

Ratio à priori est voluntas Christi, qui voluit administrationem Sacramentorum esse actionem humanam, ad quam necessaria est intentio. Ita docet Scotus 4. dist. 6. q. 5. ubi n. 2. duplicem insinuat intentionem ministri, ibi: *Dico ergo distinguendo de intentione quantùm ad obiectum, respectu cuius dicitur intentio, quòd minister potest dici intendere vel actum illum quem exercet, vel finem propter quem talis actus est exercendus.* Et addit: *Secundò magis propriè accipitur intentio, quia magis respicit finem propter quem intenditur.*

Ratio à priori est voluntas Christi, ex Scoto.

Qui distinguit duplicem intentionem.

Hoc prænotato n. 3. Respondet ad quæstionem his verbis: *Dico ergo, quòd oportet ministrum habere intentionem primo modo, scilicet respectu actûs, quem exercet: Cuius* (inquit) *ratio est; quia intentio requiritur in quocumque homine agente aliquid non fortuitò, vel exercente aliquem actum humanum, propriè loquendo de actibus humanis, qui scilicet causantur per intellectum & voluntatem ab homine. Ille autem actus, quem minister debet exercere, debet esse humanus in eo, & non casualis vel fortuitus: est enim actus, ad quem Deus obligavit ministrum ex parte sui & suscipientem ex parte sua, actus autem ad quem homo obligatur debet esse humanus, non casualis vel fortuitus, quia super fortuita non cadit obligatio: ipsa etiam obligatio est, ut homo intendat illud ad quod obligatur.* 46.

Ita

Ita Doctor de intentione primo modo, quam nemo Catholicorum facilè negaverit, imò neque hæreticorum; quippe stat cum joco & irrisione Sacramenti etiam exteriore. Progrediamur ad intentionem secundo modo, in qua reperiemus majorem contradictionem & difficultatem.

Finis, propter quem actus est exercendus, secundùm Scotum, alius principalis est, alius remotus.

Pro hac notat Scotus supra, quòd finis, propter quem actus est exercendus, sit duplex: *Principalis* (inquit) *& remotus, utpote quòd baptizatus* (loquitur de Baptismo) *fiat filius regni, qualis fieri non potest, si non habeat gratiam, per quam est dignus vitâ. Alius est proximus & minùs principalis, ut scilicet baptizatus fiat Christianus, sive membrum Ecclesiæ militantis; & utrumque finem potest aliquis intendere in universali vel particulari.* Quod recentiores sic explicant, ut alia sit intentio gratiæ sive effectûs Sacramenti, alia ipsius Sacramenti.

47. Requiritur ad valorem Sacramenti intentio finis principalis seu proximi.

Si ergo quæratur à me, quæ intentio requiratur? Respondeo verbis Doctoris Subtilis supra n. 4. & *Dico, quòd intentio finis ultimi nullo modo requiritur in baptizante; quia paganus nullo modo intendit ordinare istum, quem baptizat ad vitam æternam: requiritur tamen intentio finis proximi; & hoc vel in particulari, vel in generali: in particulari, ut si intendat istum intrare legem Christianorum servandam: in generali, si intendat facere circa istum, quod Christiani solent facere circa suos.*

Ratio congruentiæ illius ex Scoto.

Pergit Doctor: *Ratio autem quarè requiritur ista intentio respectu finis proximi, & non respectu finis ultimi, est congrua: quia scilicet Deus voluit istum actum exercitum à ministro esse humanum in eo, & non tantùm ut est talis actus in natura (quia in hoc non distingueretur à quacumque alia balneatione, cum aliis verbis) sed in quantùm est actus alicuius ut ministri exercentis signum Dei: habens autem aliquem actum humanum intendit finem illius actûs, ut est sibi actus humanus: ergo minister intendit finem proximum istius actus, ut est sibi impositus: sed finis ille ultimus, scilicet ordinare istum ad vitam æternam, non est finis huius, ut est actus humanus, ad quem finem oporteat actum istum ordinare ut sit sibi humanus.*

48. Probat à simili n. 5. *Si quis* (inquit) *legislator institueret in sua politia, tactum manûs esse signum practicum amicitiæ; non intenderet quòd utentes illo signo præcisè haberent actum humanum circa istud in quantum est tale quid materialiter; sed in quantùm est tale signum institutum. Et si disposuisset omne tale signum facere servari; non faceret hoc servari, nisi homo exerceret actum istum, ubi est institutus ad talem finem.* Ex his liquidò constat, quid sit, juxta mentem Doctoris Subtilis, velle facere quod facit Ecclesia. Pro quo sit

CONCLUSIO IV.

Intentio faciendi quod facit Ecclesia, non est voluntas solùm faciendi seriò actum illum externum, sed est intentio efficiendi verum Sacramentum, sive utendi verbis illis & rebus secundùm institutionem Christi, hoc est, eo modo, quo Ecclesia sive universalis, sive particularis, aut etiam parochus, aut alia persona validè conficiens Sacramentum, illis utitur.

Est communis contra nonnullos Doctores Catholicos, qui videntur docere ad valorem Sacramenti sufficere voluntatem faciendi simpliciter actum externum quem facit Ecclesia, etsi cum animo merè interno non conficiendi Sacramentum. 49. Conclusio est communis.

Quam tamen post Trid. oppugnat Joannes Marius Scribonius; Non tamen loco à Lugone citato.

Hanc opinionem post Concil. Florent. & Trident. novissimè defendit multis pro ea adductis argumentis Joannes Marius Scribonius Gallus in Pantalithia seu Summa Theologiæ disp. 1. de Sacramentis in genere q. 7. non autem q. 6. (quam citat Card. Lugo disp. 8. n. 14.) quippe ibi impugnat sententiam hæreticorum, & solvit argumenta Alphonsi Salmeronis è Societate Jesu, quibus lib. 1. disputationum in Epistolas Pauli 1. parte disp. 2. probat privatam intentionem ministri, qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut derisoriè facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta aut eorum effectus, etiamsi Sacramentum in forma Ecclesiæ consueta administret, quibus (inquam) probat hanc intentionem non vitiare Sacramentum.

Notat quoque Dicastillo disp. 3. n. 46. Lugonem immeritò taxare Scribonium, quòd jam abolitam & sepultam sententiam conatus fuerit excitare; nam video (inquit) non antiquos tantùm, sed recentiores etiam in illam inclinare, illamque ut probabilem & piam, aut etiam veram, sequi. Citat autem Sylvestrum, 50. Notat Dicastillo Lugonem immeritò taxare Scribonium;

Catha-

Catharinum, Angelum, Alensem, Durandum, Gabriëlem, Valentiam, Michaëlem Zanardum, & alios apud Dianam 3. parte tract. 4. resol. 17. Et quod caput est (verba sunt Dicast.) S. Thom. non semel aut uno in loco, sed iterum ac tertiò id vel asserit, vel probabile putat.

Diana.

Sed minùs rectè.

Sed reverà hic Auctor vel sibi ipsi non constat, vel non intellexit sententiam Scribonij (& quid mirum, cùm fateatur se illum nunquam legisse?) nam num. 53. affirmat plerosque alios Auctores & ipsum D. Thom. non esse contrarios communis doctrinæ assertores; neque enim docent perfici Sacramentum, sed Deum misericordiâ suâ supplere defectum Sacramenti, non faciendo ut Sacramentum sit validum; sed conferendo ex misericordia gratiam, non characterem. Scribonius autem quid? docet (ut apparet) non solùm conferri ex misericordia gratiam, sed etiam vi Sacramenti imprimi characterem, sive Sacramentum simpliciter esse validum; salvâ tamen (ut loquitur) Sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritate & determinatione, quam & sequi (inquit) usque ad mortem, & sequendam penitus doceo tanquàm columnam veritatis.

51. Probatio Conclusionis ex auctoritate Ecclesiæ.

Porro illa auctoritate & determinatione præcipuè nititur nostra conclusio: quippe non efficaciùs probatur, quàm ex definitionibus Conciliorum præcedenti conclus. citatis, ex quibus colligimus hanc fuisse divinam voluntatem, quæ est ratio à priori. Certum etenim est, si Deus voluisset, intentio solius actûs externi sufficisset. Nunc autem Ecclesia definiens contra hæreticos requiri ad valorem Sacramenti animum seriò & non joco agendi, satis significat ultra actionem externam seriò exercitam, necessariam esse intentionem internam efficiendi Sacramentum.

Non negarunt hæretici actionem externam, etiam seriam.

Enimverò hæretici non negarunt actionem externam, etiam seriam (ut patet ex Calvino supra citato) sed censebant confici verum Sacramentum à ministro, *intus* (ut loquitur Calvinus) *totam actionem subsannante*. Quamquàm non dubitem, quin etiam admiserint validum ministerium cum irrisione externa. Et in hoc ultimo dumtaxat Catharinus, Scribonius & alij videntur ab ipsis differre. Quid enim refert, quòd fiat animo interno irridendi, si non requiritur animus conficiendi?

Respondes cum Scribonio supra q. 7. in principio: Cùm homo sit agens liberum, nisi intentionem haberet Sacramentum conficiendi & conferendi, nunquàm ad hoc opus procederet, præsertim cùm nullo metu perculsus, nullâ pollicitatione illectus, sed spontaneâ voluntate hoc opus conficiendum aggrediatur: in omni siquidem actu humano sive libero est intentio agentis, cùm omne agens voluntarium agat ex proposito & intentione.

En primum ruinosum fundamentum, super quo hic Auctor ædificat domum, levissimo vento subvertendam. Quid enim faciliùs & clariùs, quàm actum externum, v. g. ablutionem & prolationem verborum, ex sola Christi institutione habere rationem Sacramenti? Sicuti ergo ante institutionem Sacramenti poterat quispiam velle abluere & proferre verba absque intentione Sacramenti; ita & post institutionem liberum unicuique est abluere & proferre verba, sine vel cum animo conficiendi verum Sacramentum. Interrogo siquidem: si paganus aliquis, qui nihil unquam audivit de Sacramento Baptismi, proferret formam & ablueret infantem, num ideo intentionem haberet Sacramentum conficiendi & conferendi?

52. Responsio ad primum fundamentum Scribonij, quod omne agens voluntarium agat ex proposito & intentione.

Dices: In facie Ecclesiæ verè infans ministro Sacramentorum fuit oblatus cum debita parentum intentione ut illi Baptisma conferret, & minister habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quia de facto facit; & consequenter verè censetur baptizare; quia Ecclesia non judicat de occultis. Ita Scribonius. 53.

Respondeo: non facit de facto quod facit Ecclesia; nam Ecclesia baptizat cum animo conferendi Sacramentum, ipse autem cum voluntate naturaliter abluendi & proferendi ista verba, v. g. ad pecuniam accipiendam, vel alium finem indifferentem. Aut si velit hic Auctor cum actu externo in facie Ecclesiæ necessariò esse conjunctam voluntatem conferendi Sacramentum, jam nihil docet diversum à communi sententia, ut patet. Nihilominùs satisfaciamus alijs ipsius argumentis.

Argumentatur itaque secundò: Minister vices gerit Ecclesiæ; sed Ecclesia verè judicat eum esse baptizatum; ergo minister per intentionem internam ipsi Ecclesiæ non conformem (quæ illa præter intentionem non conficiendi Sacramentum?) si habeat externam illi conformem, & faciat quod ipsa facit, Sacramentum irritare non potest; præsertim cùm virtus ejus extra actionem externam sese non extendat. Sed rursus petitur principium; jam jam enim negavi ipsum facere quod facit Ecclesia. Et sanè ubi aut quando Ecclesia judicavit eum verè esse baptizatum, quem minister baptizavit in facie Ecclesiæ absque 54.

54. Responsio ad fundamentum secundum, quod Minister gerat vices Ecclesiæ, quæ verè judicat eum esse baptizatum.

absque animo conficiendi Sacramentum? Quidem in foro externo habetur pro baptizato; sed quia de defectu intentionis internæ non constat.

Enimverò Ecclesia nonnè judicat Matrimonium publicè contractum esse validum, quamdiu non constat de defectu consensûs interni? Quis dixerit propterea esse validum in foro interno? Certè universa schola Theologica clamat contrarium. Etiam illi, qui docent ad alios contractus sufficere consensum externum, ad Matrimonium requirunt consensum internum. Et habetur cap. *Tua nos* de Sponsalibus, ibi: *Nos autem quid iuris sit, rescribentes: dicimus, quòd si res ita se habuerit, videlicet quòd ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto coniugium iudicari, cùm in eo nec substantia coniugalis contractûs, nec forma contrahendi coniugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodò affuit, & defuit omninò consensus* (scilicet internus) *sine quo cætera nequeunt fœdus perficere coiugale.*

Cap. Tua nos, de Sponsal.

55. Non pendet valor Sacramenti à judicio externo Ecclesiæ, quando illud judicium innititur falsæ præsumptioni.

Non ergo pendet valor Sacramenti à judicio externo Ecclesiæ, quando illud judicium innititur falsæ præsumptioni: præsumit autem Ecclesia ministrum publicè administrantem Sacramenta habere legitimam potestatem & intentionem, atque uti debitâ materiâ & formâ. Hinc tamen non sequitur, quin Sacramentum in foro interno possit esse invalidum ex defectu potestatis, materiæ aut formæ; addo ego, & intentionis internæ. Quamvìs enim intentio illa non sit pàrs intrinsecè componens Sacramentum, tamen (ut bene advertit Scotus supra n. 9.) *Sicut causa efficiens requiritur necessario ad ipsum, tanquàm causa extrinseca; ita illud quod est quasi principium agendi tali causa effectiva. Principium autem ultimatum determinans agens intellectuale ad agendum est intentio; quia tale agens per imperium voluntatis est causa activa motiva aliarum potentiarum, quæ subiacent imperio voluntatis.*

Scotus.

Minister Sacramentorum potiùs est minister Christi, quàm Ecclesiæ.

His accedit ministrum Sacramentorum potiùs esse ministrum Christi, qui agnoscit defectum intentionis, & judicat de occultis. Dicitur verò minister Ecclesiæ, quatenus ab ipsa & in ipsa ordinatus est, ut sit minister Christi.

56. Prætereà licèt operaretur nomine solius Ecclesiæ, adhuc actus foret invalidus ex defectu intentionis internæ, prout accidit in absolutione ab excommunicatione, quæ datur à Sacerdote nomine Ecclesiæ. Ita Card. supra n. 53. Cùm (inquit) sequatur conditiones condonationum & contractuum.

Lugo.

Et si respondeas cum Scribonio in solutione tertiæ objectionis: si judex proprius proferat exteriùs sententiam absolutionis, reum esse verè absolutum, quantumcumquè interiùs aliud intendat, dummodò exterius illam fictionem non prodat. Hæc responsio (ait Lugo supra n. 18.) est in primis contra Theologos omnes, qui nullum actum legitimum validum judicant, quando fit absque interno consensu.

Sed fallitur Emin. nam contractus omnes, etiam gratuitos, valere solo consensu debito, sentit Basilius Pontius de Matrimonio lib. 2. cap. 4. secutus Turrianum disp. 55. dub. 12. Eandem opinionem defendit Dicastillo de Justitia & Jure tract. 3. disp. 1. dub. 19. num. 457. & sequentibus. Item tract. 4. dub. 4. & in opere de Sacramentis tract. 11. de Matrimonio disp. 1. dub. 4. & 7. cum fundamento, an sine fundamento in re, alibi examinabimus.

Non rectè ait Lugo, Theologos omnes nullum actum legitimum validum judicare, quando fit absque cōsensu interno. Basil. Pontius. Turrianus. Dicastillo.

57. Virtus ministri extendit se extra actionem externam.

Redeo ad secundum argumentum Scribonij, & quod in illo addit; virtutem ministri extra actionem externam sese non extendere, falsum ostendo vel in hoc unico, quòd laicus possit exercere eandem prorsus actionem externam, quam Sacerdos; & tamen non conficiet Sacramentum, v. g. Eucharistiæ; ergo virtus Sacerdotis extendit sese ad valorem, sive ad esse Sacramenti illius actûs externi, quod est aliquis effectus moralis, imò & physicus in Sacramento Eucharistiæ, scilicet Corpus & Sanguis Christi, quæ si non physicè, saltem moraliter mediatè ponit præsentia sub speciebus panis & vini; & idem posset dici de gratia & charactere in alijs Sacramentis. Deinde sufficit, quòd Deus physicè non causet effectum Sacramentalem, nisi positis signis cum tali intentione interna.

Quâ responsione facilè satisfit reliquis argumentis istius Auctoris; omnia enim, præter ultimum, supponunt Sacramenta à Christo instituta, non pendere ab intentione interna, vel certè intentionem ministri contrariam non posse impedire causam principalem, qui est Deus, vel sufficere intentionem faciendi opus externum prout fit ab Ecclesia, quæ omnia aut sunt, aut involvunt, vel certè supponunt id, de quo disputamus, & ad summum probant Christum potuisse sic instituere Sacramenta, quod non negamus; sed dicimus ex Concilijs citatis satis constare, ea ipsa de facto instituta esse dependenter ab intentione interna.

Si petas, ubi Christus requisiverit istam intentionem (quod est ultimum argumentum Scribonij) solùm quippe dixit: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos* &c. Et alibi: 58.

Ubi requisiverit Christus intentionem internam.

Euntes

Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; ubi nullam prorsus facit mentionem intimæ illius intentionis, quam nos requirimus.

Respondeo, etiam non facere mentionem intentionis faciendi quod facit Ecclesia, & tamen illa requiritur secundùm omnes. Eo ipso ergo, quòd misit Apostolos suos tanquàm ministros ad baptizandum, voluit quòd operarentur ut ministri, scilicet ex intentione faciendi id, quod faciunt, non suo nomine, sed mittentis, sive ex intentione faciendi id, quod is, qui eos mittit, instituit, quæ est intentio valida.

Omissis ergo alijs argumentis Scribonij, quæ non difficulter solvi possunt ex dictis & dicendis; contra conclusionem sic explicatam

59. Responsio ad argumentum primum de Athanasio baptizante; Objicitur Primò: Athanasius ludens baptizavit, quem Baptismum validum declaravit Alexander Patriarcha Alexandrinus. Respondeo cum ludo posse stare intentionem faciendi actum validum, sive faciendi quod facit Ecclesia; etiam cum fictione externa, dummodò adhibeatur legitima materia & forma.

Quid si enim aliquis fingeret se joco agere propter periculum circumstans? Æstimo validum fore Sacramentum (si cætera adsint) coram Deo, licèt fortè ab Ecclesia judicaretur invalidum; neque enim à judicio ipsius (ut supra dixi) pendet valor Sacramenti, cùm illud sæpe possit falli.

60. Ex quo non parum confirmatur communis sententia; quippe si Christus non instituit actum externum serium, id est, qui circumstantibus appareat Sacramentum, quo fundamento asseremus talem actum sufficere? Aut si sufficit; ut quid pœnitens dubius, sub conditione animo retentâ, absolvi solet? aut ex pluribus hostijs consecrari una mente tantùm determinata? Certè frustraneus est ejusmodi animus internus; quandoquidem Confessarius ita exteriùs se gerat, ac si absolutè absolveret, & consecrans quasi omnes hostias ante se positas consecraret.

Ad propositum igitur, Athanasius adhuc puer baptizavit quidem alios pueros ad ludum & recreationem, interim tamen intendit non simulatè & fictè, sed verè facere, quod viderat Episcopum aut Presbyteros in Ecclesia facientes, prout natura puerorum est actiones seniorum quoad possunt imitari. Cujus rei signum est, quòd noluerit baptizare eos, qui jam erant baptizati, omniaque necessaria debitè fuerint adhibita.

Simili modo responderi potest ad exemplum Genesij Martyris, quem aliqui asserunt validè fuisse baptizatum, eo quòd primò quidem joco, & ad irrisionem Catholicæ fidei; postea verò, mente divinâ gratiâ in melius commutatâ, seriò fuerit petitus; & ex parte ministri cum animo irridendi simul adfuerit voluntas, Deo ita suâ omnipotentiâ cor ejus dirigente; voluntas (inquam) faciendi, quod faciunt Christiani. 61. Et Genesio baptizato,

Pro quo noto, dupliciter quidpiam joco fieri. Primò ita, ut quis omninò seriò faciat aut facere cogitet, tametsi id ipsum referat ad jocum & recreationem tanquàm finem extrinsecum, sive finem agentis; & de tali joco hîc loquimur, quando asserimus eum posse stare cum seria voluntate administrandi Sacramentum, sive cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Secundò dicitur aliquid joco fieri, quando ita fictè & derisoriè exercetur, ut jocus non tantùm sit extrinsecus finis facti, sed ipsum factum intrinsecè sit jocus & ludus. Et si tali joco, seu repræsentatione solùm comicâ Baptismus exhibitus fuerit Genesio (ut multi putant, & probabilius apparet) dicimus eum fuisse invalidum; ideoque Genesium instar alterius Pauli, non vi Sacramenti, sed ex singulari beneficio, divinâ gratiâ præventum, per contritionem charitate perfectam fuisse justificatum, & ex fidei Christianæ irrisore factum fuisse ejusdem præconem.

Et sanè justificatio adscribi nequit Baptismo, esto validus fuisset; quia saltem fuisset infructuosus sacrilegè suscipienti, nisi quis dicat monitione Angeli (de qua meminit historia apud Vincent. Bellua- 62. censem in Speculo hist. lib. 12. cap. 104.) Vincent. Bellvac. Genesium conversum fuisse, adeoque Baptismum recedente fictione per reviviscentiam effectum suum contulisse.

Sed contra est, quòd illa monitio Angeli præcesserit ipsum Baptismum; sic enim refertur: *Aqua hæc* (inquit Angelus) *delet omnia ista* (peccata) *quæ te fecisse cognoscis* (quippe in libro omnia & singula scripta legebantur) *Cùm autem aquâ perfusus esset, simul & liber ille perfusus, nive candidior effectus est; ita etiam ut signum scripturæ præteritæ non demonstraret.* Si ergo valuit Baptismus, etiam primò collatus contulit remissionem peccatorum; vel si peccata per contritionem præcedentem remissa fuerunt, contulit gratiam remissivam peccatorum, & valuit ad expiationem reatûs pœnæ, qui adhuc supererat.

Quidni potuit Deus illi Baptismo, etsi

etsi apparenti tantùm, annectere pœnæ remissionem, ut illam imaginem veri Baptismi honoraret? Sic quippe legimus in Prato spirituali c. 176. Judæum quemdam moribundum in deserto à comitibus petijsse Baptismum; cumque aqua deesset, arenâ ab illis baptizatum, & statim convaluisse. Porro illa remissio pœnarum sufficit, ut dicatur aqua delere peccata. Ita enim Act. 22. dictum est ab Anania Paulo jam per contritionem justificato: *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua*; utique quoad pœnam temporalem.

Prato spirit.

Actor. 22.

63. Objectio secunda ex D. Augustino.

63. Objicitur secundò auctoritas D. Aug. lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. (& refertur cap. 31. de Consecratione dist. 4.) ubi sic incipit dicere: *Solet etiam quæri, utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si fortè hoc curiositate aliquâ didicit quemadmodum dandum sit; & utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea, quæ putatur Ecclesia: an iocans, sicut in mimo?* In quibus verbis (ut patet) solùm loquitur de simulatione vel fallacia accipientis.

Equidem in sequentibus agit de fallacia, simulatione & ioco etiam conferentis, ibi: *Quid* (inquit) *prosit animus veraciter dantis fallaciter accipienti, non video; sed arbitremur etiam fallaciter aliquem dantem, cùm & tradens & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Catholica, utrum hoc magìs Baptisma sit acceptandum; an illud, quod in mimo datur. Si quis existat fideliter, subitò accipiens commotus, an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimùm distat inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia, ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil interest. Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant; cur extra intersit non video, quando ille, qui accipit non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plùs valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur? & tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.*

64. Ecce proposita quæstio. Sed quæ responsio? *Nobis tutum est in ea non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata sunt; id autem fit cura secura vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Et continuò annexit: *Veruntamen si quis fortè me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem, quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem, quo eram cùm ista dictarem; nequaquam dubitarem habere eos Baptismum* (nota bene) *qui ubicumque* (in Ecclesia vel extra eam) *& à quibuscumque* (fidelibus sive infidelibus, veraciter sive fallaciter dantibus) *illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquàm eis ad salutem spiritalem non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ insererentur Ecclesiæ.*

Ubi nihil affirmat D. Aug. eò quòd nihil illuc usque definitum videret in Concilijs; sed quid dicturus esset, si in Concilio interrogaretur, & eodem modo affectus esset quo tunc, exponit; interim tamen nihil decernens.

Prosequitur autem: *Sicut iam præteritis maiorum statutis, non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur ..... Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludricè & mimicè & ioculariter ageretur* (nempe tam ex parte dantis, quàm accipientis; hoc enim est totum ludricè agi) *utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum concordi oratione & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem, ita sanè ut post me dicturos sententias, nè quid iam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarem: quantò magis ergo nunc sine præiudicio diligentioris inquisitionis vel maioris auctoritatis istud dixisse accipiendus sum?*

Quid prudentius, humilius & securius hoc processu in credendis? Quis ex his non clarissimè intelligit, quid August. docuisset, si Ecclesia tunc temporis istam difficultatem determinasset, prout fecit postmodùm in Concil. Florentino & Tridentino? Procul dubio usque ad effusionem sanguinis definitionem Ecclesiæ propugnasset. Profectò si hæretici imitati fuissent hanc summam animi modestiam & submissionem sub Ecclesiæ judicio, non utique tunicam inconsutilem sive Ecclesiam Christi tam fœdè dilacerassent.

Card. Lugo disp. 8. n. 45. ne tanto Doctori (ut ait) crassissimam ignorantiæ labem concedat, respondet Aug. nomine fallaciter dantis vel suscipientis non intellexisse dantem vel suscipientem absque intentione, sed absque vera fide aut existimatione 65. Responsio Lugonis.

requisita

requisita de veritate Sacramenti, vel cum simulatione, fingendo se aliter sentire, quàm reverà sentiat, id est, cum Catholicis simulando se Catholicum, cum hæreticis hæreticum.

Quanta benignitas in interpretanda mente D. Aug. Equidem in principio ejusdem numeri fatetur Aug. in eo capite de multis dubitasse; de quibus modò propter clariorem Conciliorum lucem nobis exhibitam ampliùs non dubitamus.

66. Expositio P. Hauzeur. Et verò quia locus difficilis est, addo expositionem non multùm discrepantem à præcedenti R. A. Patris F. Mathiæ Hauzeur Tomo 2. Anatomiæ in omnia & singula opera D. Aug. ubi commentans hunc locum, quærit cur dubitet de nullitate Baptismi ludricè tantùm & mimicè suscepti aut collati absque ulla fide suscipientium aut conferentium, vel intentione quidpiam seriò agendi? Et respondet: quia potest aliquid ludricè vel mimicè geri, & tamen sine intentione contraria institutioni. Porro sicut causæ naturales, quamvis joco tantùm applicatæ, habent tamen suos effectus connaturales, nisi impediantur appositione alicujus contrarij; ita & Sacramentum Baptismi videtur habere semper aliquem effectum suę institutionis, nisi obstet obex contrariæ voluntatis. Hæc ille. Quæ sit autem ista contraria voluntas, non explicat. Sanè si intelligat positivam voluntatem non conficiendi Sacramentum, communis sententia Theologorum est non sufficere in ministro ad validum Sacramentum absentiam hujusmodi voluntatis, sed requiri positivam voluntatem conficiendi Sacramentum. Ubi verò illa adest, non video quomodò totus Baptismus ludricè, mimicè & jocularitér detur, nisi fortè secundùm exteriorem apparentiam. Profectò causæ naturales etiam cum contraria voluntate, imò & à stultis atque pueris applicatæ, suum operantur effectum.

67. Objectio tertia ex D. Augustino. Objicitur tertiò idem Sanctus Doctor Tract. 5. in Joan. ibi: *Non timeo adulterum* (in actu baptizandi) *non ebriosum, non homicidam* &c.

Responsio Scoti. Respondet Scotus supra n. 10. *Ad secundum dico, quòd ebriosus est, qui est assuetus ad ebrietatem: & iste non semper est ebrius, quia non semper impeditus ab actu rationis. Verum ergo dicit Aug.* Non timeo ebriosum, *id est, assuetum generaliter ad ebrietatem; quia consuetudo mala non prohibet, quin Baptismus ab eo collatus sit bonus, non tamen quando est ebrius, & hoc dico perfectè, quando totaliter impeditur ratio.*

Quòd ita debeat intelligi S. Aug. manifestè colligitur ex adjunctis: *Non timeo* (inquit) *adulterum, non homicidam.* An in actuali peccatò? minimè; neque enim tunc solent baptizare, sed in habituali; siquidem in eo occupatur isto loco, ut probet malitiam ministri non obesse valori Baptismi: *Quia* (inquit) *columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat.* Vide supra conclusion. 2.

Objicitur quartò: Christus potuit instituere Sacramenta independenter ab intentione ministri, & magis congruum est sic fecisse, nè (ut superiùs ostendimus ex D. Aug. & Chrysost.) ex sola malitia ministri suscipiens patiatur detrimentum. Secundò, ad evitandas continuas anxietates & scrupulos fidelium circa valorem Baptismi & aliorum Sacramentorum. 68. Objectio quarta ex ratione.

Respondeo etiam contingere posse ex malitia ministri, ut defectu materiæ vel formæ Sacramentum sit invalidum. Quis autem propterea dicit materiam & formam non esse necessariam, aut Deum supplere defectum materiæ vel formæ? Et tamen potuisset Deus ita instituere Sacramentum, ut valeret in quacumque materia vel forma collatum, dummodò circumstantes & suscipiens bona fide crederent esse legitimam. Responsio.

Quin immò faciliùs & sæpiùs accidit invaliditas Sacramenti ex defectu materiæ aut formæ, quàm intentionis; nullus quippe minister ignorat necessitatem intentionis, in qua elicienda nulla prorsus est difficultas; adeò ut non habere esset extremæ malitiæ, qualis non debet ulli adscribi. Unde manet moralis certitudo, qualem habemus de multis alijs, de quibus magis rationabiliter possemus dubitare, v. g. quòd simus filij talis patris, cùm facilè fieri possit, & subinde fiat, quòd ex levitate matris, tentatione, aliave occasione, simus filij aliorum. At verò minister & circumstantes interdum, etiam inculpabiliter, ignorare possunt essentialem materiam & formam, quæ pendent ex mero beneplacito Dei; intentio autem quasi naturaliter & per se connectitur actui externo; eo ipso enim quo minister vocatur ad Sacramenti administrationem (nisi sit omninò perversus aut dæmoni devotus) & vocatus adest, habet aliquam intentionem, confusam saltem, in actu (ut vocant) exercito, faciendi quod fideles petunt, aut quod Ecclesia facit; etsi non habeat adeò reflexam & expressam faciendi quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit. Sæpiùs accidit invaliditas Sacramenti ex defectu materiæ aut formæ quàm intentionis.

Et sanè cùm hæc ita sint, equidem nemo anxius est vel scrupulizat aut dubitat propter defectum materiæ aut formæ de valore sui Baptismi, Absolutionis aut aliorum Sacra- Et tamen propterea nemo anxius est de valore sui Baptismi.

Sacramentorum. Aliud est de bonitate ministri (ut ex dictis supra colligi potest) illa enim sæpiùs in ministris deest, sæpiùs de vitæ honestate parum sollicitis.

Neque Deus omnibus inconvenientijs debuit providere, alioquin dicamus etiam infantes in utero solâ fide parentum posse justificari; imò & aliorum, quando ex malitia parentum in utero suffocantur, nè videlicet malitia parentum innocentibus noceat; vel (si placet) excipiamus omnes illos à regula generali, quam expressit Christus Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quis hoc asseret absque magna temeritate?

Joan. 3.

69. Propter raros ergo casus non debuit Deus mutare ordinarium cursum suæ providentiæ, aut ita instituere Sacramenta, ut nunquàm possint irritè conferri bonâ fide suscipienti. Aliunde verò (inquit Lugo supra n. 50.) congruum erat Sacramentales actiones esse actiones religiosas & cæremonias sacras, quibus Deus ab hominibus coleretur; atque adeò oportebat fieri ex intentione exercendi cultum illum: cultus enim non est sola actio externa, sed requirit voluntatem internam colendi.

Propter raros casus non debuit Deus mutare ordinariū cursum suæ providentiæ.

Sed in oppositum facit, quòd externa collatio Sacramenti possit hominibus apparere ficta ac derisoria, & nihilominus esse validum Sacramentum, juxta eundem Auctorem n. 20. Videtur ergo sufficere, quòd actio Sacramentalis sit cultus aliquis materialis, qui accedente debitâ intentione possit fieri cultus formalis; & talis etiam cultus esset actio externa sine intentione conficiendi Sacramentum.

70. Objicitur quintò: In alijs actibus humanis, puta contractibus & similibus, sufficit in nuntio vel ministro nuda executio operis; v. g. si ex præscripto Domini emat vel vendat, non requiritur particularis ipsius intentio emendi vel vendendi, ita quòd etsi contrarium intenderet, adhuc dominium rerum per actum externum transferretur.

Objectio quinta ex ratione.

Responsio. Respondeo primò cum communiori sententia, tam essentialiter requiri consensum internum ministri pro Domino ementis vel vendentis, quàm ipsius Domini; præterquàm quòd aliquando emptio & venditio valeat, etsi de facto Dominus ampliùs non consentiat; si v. g. revocatio mandati mandatario non innotuerit, de quo alibi. Aliud fortè est de nuntio, qui non dicitur contrahere nomine mittentis, sed solùm significat consensum & voluntatem ipsius; quæ voluntas si reverà non existat, vel potiùs si fuerit revocata, etiam nuntio ignorante, nihil efficitur; sicut etiam si verba nuntiantis sint indifferentia, & proferantur nomine proprio, & non Domini.

In alia sententia, quæ ad valorem contractús non requirit nisi actum externum cum consensu debito, respondetur, saltem quemlibet dominum ita posse dare potestatem ministro pro se contrahendi, ut non valeat quod actum fuerit, nisi accesserit interna intentio. Porro (ut dictum est) noluit Christus valere Sacramentum absque intentione interna ministri.

Similis est objectio, quam habet Scotus supra n. 5. *Instrumentum non oportet quod habeat actionem propriam; quia in actione propria non esset instrumentum, sed principale agens: nec multò magis oportet, quod instrumentum habeat intentionem respectu finis, sed sufficit quòd dirigatur à principali agente intendente finem: minister est instrumentum Dei; ergo &c.* 71.

Objectio sexta ex Scoto.

Respondet Doctor n. 6. *Quòd aliud est loqui de causa secunda, & aliud de instrumento propriè dicto; causa enim secunda habet formam propriam in esse quieto, quæ est sibi ratio agendi in ordine suo, & hoc respectu eiusdem effectûs, respectu cuius agit causa principalis in suo ordine; ita quòd universaliter secunda causa propriè accepta effectum principalis causæ per formam suam propriam attingit, in virtute tamen causæ principalis agentis, quia subordinatur illi.* Jam autem (ut ait n. 9.) *Minister est causa secunda respectu ablutionis, non tantùm ut ablutio est, sed ut Sacramentalis; & ideo habet propriam intentionem, cum sit agens voluntarium & non naturale, illam scilicet quæ pertinet ad cognoscentem.*

Cui idem Respondet.

Plura alia objiciuntur contra hanc veritatem, sed quia nullius ponderis sunt, ab illis referendis & refellendis supersedeo. Quæro autem, an quemadmodùm requiritur intentio conficiendi Sacramentum, ita etiam sit necessarius animus conferendi effectum Sacramenti? Resolutio Doctoris Subtilis est hæc:

CONCLUSIO V.

Cum voluntate non conferendi effectum Sacramenti stat intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Dico (inquit supra n. 4.) *quòd intentio finis ultimi nullo modo requiritur in baptizante* &c. Et n. 9. *Sed respectu principalis effectûs* 72.

Scotus.

effectûs Baptismi, scilicet gratiæ, potest dici minister instrumentum respectu Dei, eo modo quo agens dispositivum dicitur instrumentum respectu perficientis in secundo modo: & tale agens non habet intentionem respectu termini principalis agentis, sed respectu sui proprij termini; & ita concedo quòd non est necesse baptizantem habere intentionem respectu ultimi finis Baptismi.

Ratio conclusionis.

Ratio est manifesta: quia effectus non spectat ad essentiam Sacramenti; ergo possum velle conficere Sacramentum nihil cogitando, vel etiam ignorando ejus effectum; per consequens non intendendo, cùm intentio necessariò præsupponat attentionem sive considerationem. Et sanè quomodò administrans Sacramentum indigno, quod probabilius judicat non reviviscere, potest intendere effectum gratiæ, quem scit Sacramentum nunquàm habiturum? Impossibilium certè nulla est voluntas efficax. Et quid prohibet tali casu habere voluntatem contrariam, videlicet non conferendi effectum?

73. Non est necessaria intentio per actionem externam dependenter à meritis Christi conferendi effectum Sacramenti.

Herculè non video, quomodò generaliter verum sit, quod quidam nuper in Thesibus publicis proposuit: Necessaria est intentio per actionem externam dependenter à Christi meritis conferendi effectum Sacramenti; hoc enim intendebat consecrans in cœna Christus, cujus factum nobis in exemplum est. Ut enim omittam, quòd Baptismus à Judæis (qui nec Christum, nec merita ejus recipiunt) collatus in nomine Trinitatis sit validus juxta responsum Nicolai Papæ I. ad consulta Bulgarorum cap. *A quodam Iudæo* de consec. dist. 3.

Nicolaus Papa.

Quot quæso reperiuntur ministri Sacramentorum, qui in actuali exercitio cogitant de meritis Christi? Credo, quòd vix ullus. Ergone omnia illa Sacramenta erunt invalida? Profectò valde malè provisum esset saluti fidelium, si talis explicita intentio, qualem tamen absque dubio Christus consecrans in cœna habuit, requireretur.

Quòd si Auctor ille solùm loquatur de intentione implicita, quæ semper involvitur in explicita voluntate conficiendi Sacramentum; quandoquidem effectus ex meritis Christi quasi naturaliter consequatur independenter ab intentione ministri, ita ut in potestate ejus non sit posito Sacramento impedire ipsius effectum, optimè convenimus; nam hoc est quod asserimus & contendimus, ministrum videlicet in sua causa semper velle effectum; quod non est aliud, quàm intendere ipsam causam, sive Sacramentum causativum gratiæ & actu causans, quando in subjecto adest debita dispositio.

Alioquin scire velim, an Baptismus Lutheranorum, qui non credunt per Baptismum suscipientem justificari, sed per specialem ejus fidem, ad quam Sacramentum excitat, an (inquam) Baptismus ille valeat? Nullus hactenus dubitavit, dummodò conferatur cum debita materia & debita forma; nec puto præfatum Auctorem contrarium responsurum, si interrogaretur. Et tamen quis dixerit hæreticos illos explicitè intendere conferre gratiam per illud Sacramentum dependenter à meritis Christi? Jam jam enim dixi ipsos non credere Sacramentum habere talem effectum. 74.

Si respondeas, sufficere quòd intendat effectum in genere, quisquis tandem ille sit. Contra: Christus in cœna consecrans voluit effectum particularem, qui reverà per consecrationem efficiebatur, scilicet corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini.

Ad illud autem, quod prædictus Auctor addit: Imò non aliud est, quod intendi possit: in materia enim & forma nihil producitur quod rationem causæ sanctificativæ in actu primo constituat, cùm hoc ipsum ex parte ab intentione formaliter habeatur. Respondeo intendi posse, & deberi rationem causæ sanctificativæ in actu primo, quæ nequidem ex parte formaliter habetur ab intentione, sed totaliter à materia & forma ut substant institutioni Christi; nam (ut ostendi sect. 3. conclus. 1.) intentio non est formale & intrinsecum constitutivum Sacramenti, sed causa ejus efficiens. 75.

Intendi debet à ministro causa sanctificativa in actu primo.

Intendit igitur minister ponere materiam & formam non ut substant, sive ut dependent à sua intentione, sed ut substant institutioni Christi. Voluit quidem Christus ut materia & forma sacramentalis dependerent ab intentione ministri, non tamen ut à concausa formali, verùm ut à causa extrinseca efficiente, sicuti dependent ab ipsa persona ministri.

Ex dictis infero etiam cum explicita intentione non conferendi effectum, v. g. in hæretico, qui ex errore putat Sacramentum non conferre gratiam, posse stare voluntatem faciendi quod facit Ecclesia, adeòque verum Sacramentum. Error quippe ille privatus, & intentio desuper fundata, non destruit absolutam intentionem faciendi quod Christus instituit; sed est veluti ex suppositione quòd Christus Sacramentum non instituerit cum tali effectu, cujus contrarium si minister cognosceret, voluntatem istam non haberet. 76.

Cum intentione non conferendi effectum potest stare verum Sacramentum.

Simili modo hæretici conficiunt Sacramentum,

mentum, si absolutè intendant facere quod Christus instituit, aut vera Ecclesia facit, etsi expresè non intendant facere, quod facit Papa, aut quod faciunt papistæ: hæc enim posterior intentio est ex suppositione sive sub conditione quòd hi non servent institutionem Christi, nec faciant veram Ecclesiam.

Aliud dicendum foret, si hæretici intenderent expresè non facere quod hi faciunt, etiamsi hi essent cõformes institutioni Christi aut constituerent veram Ecclesiam: tunc enim posterior intentio priorem manifestè destrueret. Et eodem modo ratiocinandum est, si hęreticus in priori casu nollet conferre Sacramentum, casu quo haberet talem effectum, quem ex errore putat illud non habere. Pro quo

77. Quænam voluntas è duabus ex errore contrarijs, sortiatur effectum.

Nota, quando aliquis ex errore habet duas voluntates contrarias; v. g vult consecrare Eucharistiam, & non offerre Sacrificium, quia judicat illa esse distincta; vult contrahere Matrimonium, & non efficere Sacramentum (supposito quòd contractus inter fideles inseparabiliter sit Sacramentum) & idem cernitur in intentionibus mox assignatis in hæreticis; tunc (inquam) illa voluntas sortitur effectum, quæ prævalet; quamvis enim utraque videatur absoluta & efficax, reverà tamen una dumtaxat talis est, illa videlicet, quæ ex suo modo tendendi explicitè vel implicitè est magìs universalis, & reflexiva supra aliam.

Porro talis ordinariè censetur voluntas conficiendi Sacramentum, quando quis dicit: *volo omnino conficere Sacramentum*; hæc quippe videtur implicitè revocare omnes voluntates contrarias: siquidem homo ita constitutus est, ut si sciret Eucharistiam v. g. esse verum Sacrificium, adhuc vellet conficere. Si autem aliter affectus est (quod pendet à circumstantijs particularibus) constat apud omnes Sacramentum esse invalidum; jam quippe prævalet posterior intentio, & implicitè vult non conficere Sacramentum.

Unde si aliqui contrahant Matrimonium ex errore indissolubilitatis aliàs non contracturi; neque valet in ratione contractûs, neque in ratione Sacramenti; valet autem si absolutè & simpliciter contrahant, quamquàm speculativè judicent esse dissolubile: supponitur etenim voluntas contrahendi & conficiendi Sacramentum magìs universalis & reflexiva supra aliam, adeòque revocatoria alterius.

78. An voluntas universalior & reflexiva sit formaliter unica.

Quæret fortassis hîc aliquis, an illa voluntas universalior & reflexiva sit formaliter unica, an verò duplex? Dicastillo dis. 3. n. 169. existimat necessarium esse, ut volens simul cum intentione & voluntate alicujus objecti, v. g. Sacramenti, habeat aliquam aliam voluntatem revocandi voluntatem contrariam.

Opinio Dicast.

Probat à priori n. sequenti ex distinctione objectorum & separatione unius voluntatis ab alia; nam voluntas, quâ quis vult ut aliquid fiat, habet pro objecto id, quod est faciendum, seu effectionem illius; voluntas verò quâ vult, ut ea voluntas prævaleat, etiamsi fortè haberet priùs, vel habeat postea aliam voluntatem in contrarium, habet propriè pro objecto derogationem alterius & stabilitatem oppositæ.

79. Refellitur.

Verùm quarè voluntas unico actu non potest velle, v. g. Eucharistiam conficere in omni eventu, omni (quantum in se est) sublato obstaculo priùs habito vel postea habendo, sicut ex mente ejusdem Auctoris n. 173. potest eadem intentione velle Eucharistiam conficere & non sacrificare? Certè haud scio disparitatem, cùm etiam conficere Eucharistiam & non sacrificare sint objecta distincta, & una voluntas possit ab alia separari. Nam voluntas quâ quis vult ut aliquid fiat, habet pro objecto id, quod est faciendum, seu effectionem illius; voluntas verò, quâ vult ut aliquid non fiat, habet pro objecto id, quod non est faciendum; sive non effectionem illius. Si ergo voluntas unico actu potest attingere duo objecta contraria, cur non magìs duo objecta disparata?

Probabiliter non requiritur ulla actualis intentio ad voluntates contrarias præteritas vel futuras.

Nec puto quòd Dicast. hoc negaret; quia solùm oppugnat Lugonem, qui docet universaliorem illam & reflexivam voluntatem non requirere ullam actualem attentionem ad voluntates contrarias præteritas vel futuras, sed satis esse si voluntas ita habitualiter affecta sit, ut si intellectus proponeret aliquod obstaculum, adhuc perseveraret in præsenti volitione. Quod non arbitror improbabile, quidquid Dicastillo contradicat.

80. Objectio prima.

Dices primò: Voluntas merè habitualis, & in sola animi præparatione, nihil operatur; v. g. si quis putans occidere feram occidat hominem, non peccat, neque est irregularis; licèt occidisset si scivisset. Similiter non peccat, qui ex ignorantia jejunij comedit carnes, comesturus etiamsi oppositam habuisset scientiam; &c. Ergo in præsenti habitualis ille affectus non potest efficere ut hæc potiùs, quàm illa volitio sit efficax.

Responsio.

Respondeo negando consequentiam. Assigno disparitatem: quia peccatum formale necessariò est actualis difformitas à

à lege,

lege, quæ requirit voluntarium actuale. Unde non est idem: peccat, & peccasset; sic quippe sæpissimè homines deberent dici peccare; quandoquidem si tales vel tales circumstantiæ occurrissent, peccassent. Porro in casu nostro habemus absolutam & actualem volitionem consecrandi v. g. Eucharistiam, & dubitatur dumtaxat de ejus efficacia.

Quemadmodùm ergo dispensatio Principis (ut docetur in tractatu de Legibus) censetur inefficax, si Princeps noluisset dispensare errore detecto, ex cap. fin. de filijs Presbyterorum in 6. ibi: *Cùm non sit verisimile Sedem ipsam cum illo prædictum patiente defectum voluisse si hoc fuisset expressum dispensare*; quidni pari ratione voluntas aliqua absoluta possit revocare contrariam ex solo habituali affectu operandi, non obstante quâcumque voluntate contrariâ?

Cap. fin. de fil. Presbyt. in 6.

81. Objectio secunda;

Dices secundò: Operans dubitat quomodò fuerit affectus. Respondeo, vel tunc utramque voluntatem fuisse inefficacem; vel certè efficacia unius dijudicanda est ex communi prudentum judicio in talibus circumstantijs.

Quæ solvitur in simili.

Accipe simile: contraxit aliquis sponsalia cum errore divitiarum; si error dedit causam contractui, id est, si cognitâ paupertate noluisset contrahere, liberè potest resilire à contractu sponsalitio; si autem error non dedit causam contractui, id est, si equidem contraxisset, manent sponsalia inirritabilia. Quòd si dubitet, an voluisset contrahere, vel non; dico, si quilibet prudens non contraxisset, præsumitur & hunc noluisse contrahere; ac per consequens liberum ipsi est sine alia causa resilire, quia fortissima præsumptio desumitur à communiter accidentibus.

82. Sententia Lugonis, quòd prævaleret posterior voluntas, si utraque esset æqualis.

Petes, quid si utraque voluntas esset æqualis? Respondet Lugo disp. 8. num. 124. prævaleret posterior: nam sicut posterius testamentum semper prævalet priori, etiamsi quando fit posterius, non recordetur homo prioris à se facti; sic si herì applicasti sacrum hodiernum pro Petro, & hodie immemor illius voluntatis applices pro Paulo per voluntatem æquè absolutam & efficacem, videtur præferenda hæc posterior: quod tamen intelligendum est (inquit) cum limitatione statim apponenda.

Et quæ ista? Tunc voluntas posterior prævalet, quando prior solùm manet habitualiter, ut in exemplo applicationis sacri crastini; secus si utraque influit in actum. Pono ergo casum, quòd Sacerdos in principio missæ applicavit fructum Petro, & in actuali consecratione conscius prioris intentionis applicat æqualiter Paulo; cujus erit fructus? Respondet Card. nullius; sicuti si quis unâ & eâdem intentione vel duabus simul æqualiter vellet consecrare Eucharistiam sine Sacrificio, non fieret Sacramentum; quia voluntas simul vult ponere aliquod impossibile.

Rectè judicasti. At quis indicavit vobis hesternam applicationem non influere in hodiernum sacrum, tametsi solùm habitualiter permaneat? Nonnè eâdem disp. num. 93. magis tibi probatur sententia Suarij & aliorum asserentium validè applicari Sacrificium per intentionem habitualem? Vel si non influit eo modo, quo applicatio debet influere ut habeat suum effectum; quomodò, si sola esset, influeret? 83.

Et pono casum, quòd die Lunæ applicaverit sacrum celebrandum die Mercurij Petro, die autem Martis Paulo; cùm utraque solùm habitualiter existat quando celebro, quæro cujus erit fructus? Præterea, esto non influat habitualis intentio in Sacrificium, dum contraria actualis supervenit; jam non utraque voluntas erit æquè absoluta & efficax, sed actualis efficax, habitualis inefficax.

Hinc probabilius arbitror, utramque voluntatem fore inefficacem; adeoque nec Petro, nec Paulo fructum aliquem ex hujusmodi Sacrificio obventurum, eodem modo ac si simul pro utroque æqualiter & totaliter fuisset oblatum. 84.

Sed probabilius utraque foret inefficax.

Aut, si hoc non placet, accipe Reg. 54. de Reg. juris in 6. *Qui prior est tempore, potior est iure.* Cùm ergo secundùm Lugonem supra num. 99. applicatio Sacrificij sit quasi donatio & dispensatio emolumenti, quemadmodùm res duobus in solidum vendita vel donata debetur priori emptori vel donatario, nisi posteriori sit tradita; ita vix dubito, quin Deus judex justus, cujus est fructum donatum tradere, priorem tempore donatarium, utpote potiorem jure, juxta regulam allegatam, præferet posteriori.

Vel dicendum priorem esse efficacem. Reg. 54. in 6.

Quòd si respondeas, quia prior donatio fuit revocata per posteriorem. Contra: hoc quæritur, an prior donatio inter vivos revocetur per posteriorem, quando procedit ex ignorantia; & faciliùs negatur, quàm affirmatur.

Ad simile de Testamento habes responsionem sect. 3. conclus. 4. Vide ibi dicta.

Et hæc quidem satis prolixè de intentione in communi, quæ dividitur primò 85.

Quid sit intentio directa & indirecta.

primò in directam & indirectam. Prior est, quâ aliquid volumus secundùm se, à qua aliquid dicitur voluntarium directè. Posterior, quâ tantùm in causa; & quod ita volitur, vocatur voluntarium indirectè.

Aliqui per voluntarium directum intelligunt illud, in quod voluntas tendit per actum positivum ordinatum ad illud sive in se ipso, sive in causa: & ita ebrietas secuta ex nimia potatione est voluntaria directè, & volitio nimiæ potationis est intentio directa ebrietatis. Voluntarium autem indirectum erit, puta interna omissio voluntatis, & illud in quod voluntas non tendit actu ordinato ad illud neque in se neque in causa, ut omissio sacri prævisa in somno vel lusu.

Alij vocant voluntarium directum, quod in se ipso amatur mediatè vel immediatè, ut cùm volo ambulare & alium assequi, tam ambulatio, quàm assecutio est voluntaria directè. Indirectum, quod potuit voluntas impedire, & non impedivit; v. g. si quis videt alterum erraturum, & non monet, error alterius est voluntarius indirectè. Deinde, si videt effectum secuturum ex sua actione, qui tamen illi displicet, ut homicidium ex ebrietate.

His suppositis de ratione nominis, quærunt Theologi an sufficiat ad valorem Sacramenti voluntas sive intentio illius in causa? Explico: aliquis scit, se in ebrietate vel somno proferre verba consecrationis; vult ergo, quando est sui compos, per verba postea in somno vel ebrietate prolata validè consecrare. Pro resolutione erit

CONCLUSIO VI.

Intentio Sacramenti debet esse directa, hoc est, collatio Sacramenti debet esse libera in se, & non tantùm in causa, v. g. in ebrietate in illum finem intenta, ut in ea Sacramentum conferatur.

86. Est communis; sed efficax ejus probatio non parùm difficilis. Et quidem quando quis se non inebriat eo fine (quamquàm prævideat se prolaturum verba Sacramenti, & velit etiam ea esse valida, nec minùs ipsam ebrietatem) satìs constat non confici Sacramentum; quippe verba illa non procedunt ut effectus ab illa priori voluntate ebrietatis, tanquam à causa morali; sed ab ebrietate, ut à causa physica.

Accedit, quòd, ut verba significent, non sufficiat velle me significare, si ea verba protulero; at requiritur quòd ad hunc finem velim ea proferre, atque adeò ut velim ipsam prolationem, & hæc oriatur ex intentione significandi per verba; alioquin non loquor humano modo, cùm tamen ministerium Sacramenti debeat esse actio humana, ut ex dictis liquet.

Major difficultas est in casu conclusionis; siquidem tunc verba oriuntur mediatè ex illa intentione priori, & non tantùm sunt volita sive voluntaria in causa, sed etiam directè & formaliter secundùm se ipsa, juxta tertium modum supra relatum; quemadmodùm nepos directè procedit ex avo; quamvìs mediatè. *Difficultas contra Conclusionem.*

Confirmatur: quia qui effundit aquam in puerum, solùm vult ablutionem in causa, scilicet in illa effusione; similiter si conjux v. g. projiciat chartam, in qua alteri significat suum consensum. Quidni etiam valeat Matrimonium, si velit significare consensum suum in somno & ebrietate? Propter hæc aliqui censent Baptismum v. g. ita collatum esse validum, sed iterandum sub conditione.

Oppositum docet conclusio, cujus ratio est: quia nec tales locutiones vel actiones sunt humanæ; licèt enim ad illas non semper requiratur libertas actualis, ut patet in illo, qui distractè consecrat; necessaria tamen est virtualis, id est, actualis præcedens, quæ humano modo adhuc influat in opus præsens, sive (ut loquitur Emin. Lugo disp. 8. num. 103.) licèt locutiones illæ sint liberæ denominativè, non possunt tamen significare more humano mentem loquentis præsentem, id est, quid sentiat pro tunc de rebus sive præsentibus, sive præteritis, sive futuris. Enimverò ebrius vel dormiens nihil de facto sentit de illis, de quibus loquitur, nequidem virtualiter; porro distractè celebrans exprimit saltem mentem, quam virtualiter habet, id est, derivatam humano modo ex priori mente magìs explicita. 87. *Ratio Conclusionis.* *Lugo.*

Et esto verba possent significare mentem merè præteritam; tamen Christus non instituit nisi verba & actiones, quæ exprimerent mentem præsentem; quippe instituit ea, prout sunt signa humana, & prout significant humano modo & di- *Christus non instituit nisi verba & actiones quæ exprimerent mentem præsentem.*

& directè ex institutione id, ad quod sunt instituta; non quatenùs indirectè & à posteriori possunt arguere aliquam causam, quam habuerunt; ad hanc enim significandam non sunt institutæ ab hominibus voces.

88. Hinc qui in ebrietate aut somno emeret, venderet, voveret &c. nihil efficeret, quamvìs hæc antea prævidisset, & eo fine se inebriasset; nam volitum solùm ut ponendum, quando deerit usus rationis, non est voluntarium per modum effectûs humani.

Cur perjurium prævisum ebrij non habeat malitiam perjurij, æquè ac homicidium.

Ex his quoque fit, quòd perjurium ebrij vel dormientis, etiam prævisum, non habeat malitiam perjurij, nec sit peccatum reservatum; sicut secundùm multos est homicidium. Disparitas assignatur; quia justitia, cui adversatur homicidium & similia, prohibet etiam apponere causam, ex qua talia damna proximo inferuntur; neque enim minùs nocet homicidium aut furtum in ebrietate vel in somno, quàm cum actuali & plena libertate commissum. Religio autem, cui opponitur perjurium, vetat dumtaxat adduci Deum in testem falsè per verba formalia; illa quippe sola possunt esse vera adductio Dei in testem; talia porro non sunt verba dormientis vel ebrij; unde neque convitia, neque mendacia in hujusmodi hominibus æstimantur.

89. Unde cognoscatur differentia inter actionem ebrij & distracti. Responsio Lugonis.

Petes, unde cognoscamus differentiam supra positam inter actionem ebrij & distracti? Respondet Emin. Lugo supra num. 106. Experientia ipsa testatur nos diversitatem experiri inter recitationem v. g. cum sola intentione virtuali in vigilia, & illam, quæ fit in somno. Consistit autem non tam ex parte objecti (nam in utroque casu volumus actu tenuissimo & confuso illam convenientiam, cujus confusè recordamur) sed ex parte potentiæ; quippe in uno casu potentia est integra & soluta; in alio autem ligata somno vel ebrietate; ac proinde in distracto vult illud objectum tota quidem, sed non totaliter propter distractionem ad alia; in ebrio autem solùm est semipotentia, ut sic loquar: non enim est jam tota anima seu anima vigilans, quæ operatur, sed anima dormiens, obtenebrata & excæcata; ex qua diversitate principij refunditur diversitas in actionem, quam experimur, ratione cujus una dicitur humana, alia non; quia scilicet ad hanc non attendit homo ut homo, sed homo ligatus ex parte potentiæ, similisque brutis in modo operandi.

Hanc responsionem oppugnat Dicastillo disput. 3. num. 123. multis interrogationibus, quarum postremæ sunt: Quæ pars est ista semi seu media, quæ manet? anticane vel postica? dextera vel sinistra? superna vel inferna? ubi latet altera? an una dormit, dum altera vigilat? an una sobria est, & altera ebria, ut non tota potentia operetur, sed semipotentia? Cur ergo ibi totam, & hîc non totam operari dicis? 90. Oppugnatur à Dicastillone.

Sed non recte.

Respondeo absque interrogatione: potentia ebria vel dormiens circa nullum objectum operatur humano modo; sive nullam exercet operationem humanam, sed dumtaxat operationes brutales; & ita semipotentia vocatur, id est, potentia exercens semioperationem, hoc est, imperfectam, & pro tunc proximè incapax operationis perfectioris: potentia autem distracta, quamvìs daremus eam non operari humano modo circa objectum à quo distrahitur, nisi adsit levis aliqua & remissa cognitio cum indifferentia (ut vult Dicastillo supra num. 124.) de quâ sequenti conclusione, adhuc tamen operatur humano modo sibi proprio circa alia objecta, ac proinde tota operatur, hoc est, exercet operationem, ad quam tota virtus potentiæ exigitur, quamquam non totaliter, id est, quamquàm non exerat illam virtutem circa objectum, à quo distrahitur.

Assignatio differentiæ à Dicastillone est melior.

Cæterùm non diffiteor, meliùs explicari hanc differentiam, si dicamus cum Dicastillone, ad actionem distracti concurrere aliquam cognitionem cum indifferentia; secus ad actionem ebrij vel dormientis. His non obstantibus contra conclusionem

Objicitur Primò: In recipiente Sacramentum non requiritur tanta libertas, ut patet in Baptismo & Pœnitentia; ergo neque in administrante. Respondeo negando consequentiam: quippe suscipiens non agit ut minister Christi, nec significat; nec oportet, quòd operetur humano modo, sed quòd recipiat, seu potiùs patiatur, quod humanâ actione ipsi confertur, vel, ut meliùs loquar, quod in ipsum minister liberè operatur; siquidem collatio Sacramenti non est propria aliqua donatio, etiam in Sacramento Ordinis, licèt Episcopus dicat: *Accipe potestatem*, quod bene notandum est pro alibi dicendis. Probatur manifestè: quia Ordo puero collatus valet, cùm tamen hic sit incapax acceptationis, quæ necessaria est ad validam donationem. 91. Objectio prima ex paritate inter recipientem & administrantem Sacramentum.

Ratio à priori hujus disparitatis inter ministrum & suscipientem est voluntas Christi sic instituentis; congruentia verò, quia in actionibus humanis magis requiritur intentio agentis, quàm patientis; & sapiens bene vult bona dispensari amentibus, non tamen ijs vult committere dispensationem.

92. Cur neuter conjux validè contrahat matrimonium in somno?

Ex quo patet, quarè neuter conjux validè contrahat matrimonium in somno vel ebrietate (intellige per se, nam per procuratorem valet; quippe consensus antè ebrietatem virtualiter manet in consensu procuratoris, qui quasi est organum vitale, per quod conjux suum consensum manifestat, sed tale ut eodem modo operetur sive mandans dormiat, sive non, de quo plura proprio loco) ratio, inquam, est; quòd uterque contrahens sit simul recipiens & ministrans Sacramentum; actus autem in quantùm ministri necessariò debet esse humanus. Ita Sanchez de Matrimonio lib. 1. disp. 8. n. 20. sicut (inquit) si aliquis sui compos audivit confessionem, & factus insanus absolveret, nulla esset absolutio: similiter si tunc baptizaret, quamvis antea id in animo haberet, irritus esset Baptismus.

Sanchez.

93. Basil. Pontius.

Sed contra arguit Basilius Pontius lib. 4. de Matrimonio cap. 1. n. 19. Res manet inexplicata; id enim est cujus rationem inquiro sub hac forma: Negari non potest in ebrietate manere virtualem intentionem, ut constat in eo, qui ante Baptismum voluit baptizari.

Responsio ad objectionem Basilij Pontij.

Respondeo omninò negari debere, ne cogamur concedere in ebrietate quempiam validè posse absolvere, consecrare &c. Siquidem ex communi sententia Theologorum tam antiquorum, quàm recentiorum, sufficit ad valorem Sacramenti intentio virtualis. Non remanet igitur in ebrietate vel somno intentio virtualis, sed habitualis, quæ satis est ad susceptionem Baptismi, absolutionis &c. secùs ad ministrationem Matrimonij, aliorumque Sacramentorum, propter rationem jam assignatam.

94. Qui videtur ignorasse distinctionem inter consensum virtualem & habitualem.

Videtur præfatus Auctor ignorasse, aut certè non satis considerasse distinctionem inter consensum virtualem & habitualem, quæ tamen, etiam apud veteres Theologos, communis est. Hinc num. 14. sic ait: Alij eidem difficultati respondent ad susceptionem alicujus Sacramenti sufficere virtualem intentionem, quia susceptio non est actus humanus: quare solùm requiritur ne ponat obicem, & si adultus fuerit, ut aliquando saltem habuerit voluntatem, nunquamque retractaverit. At verò actionem ministri debere esse humanam, ac proinde ex parte ipsius requiri, ut actualis consensus comitetur verba ipsa aut signa exteriora. Atque idem dicendum de quovis alio contractu; quia contrahentes sunt causæ efficientes illius contractûs. Hæc solutio omni veritate destituitur. Quamvis enim notum sit discrimen inter susceptionem & administrationem Sacramenti, quòd illa non sit humana actio, hæc autem maximè, & ideo debeat esse ex deliberatione perfecta; attamen falsum est debere simul cum verbis concurrere actualem consensum, sed sufficere virtualem sive ad rationem contractûs, sive ad rationem Sacramenti.

Et quidem in ratione Sacramenti planè constat in Sacerdote consecrante; licèt enim non adsit actualis intentio in consecrante, tenet consecratio si præcesserit intentio, eo quòd alijs medijs actionibus virtute continuetur, quæ oriuntur ex illa expressa priori intentione. Et de contractu idem dicendum esse constat, quia ad contractus non ampliùs requiri potest, quàm actio humana; ea autem esse potest cum intentione virtuali, ut manifestum est in administratione Sacramentorum. Hucusque Pontius.

Planè actio humana potest esse cum intentione virtuali. Sed nunquid ideo hæc solutio omni veritate destituitur? Minimè; nam hujusmodi intentio virtualis est actualis consensus concomitans medijs alijs actionibus verba ipsa aut signa exteriora. Deinde interrogo ego unum verbum: Sacerdos aliquando potest validè consecrare in ebrietate vel somno? 95.

Refert quidem aliquos, sed tacito nomine, Petrus Cabrera in præsenti quæst. 68. art. 7. in comment. art. 1. qui id docent de Baptismo, quam sententiam & ipse probabilem censet: præsertim (inquit) si illa actio, quam dormiens exequitur, ortum habet ex efficaci voluntate conferendi Baptismum, quam in vigilia habuit. Verùm illis Auctoribus annumerari nequit Pontius, qui in eodem capite num. 6. negat in ebrietate fieri contractum Matrimonij, etiam dato, quòd præcesserit consensus & verba tunc proferantur: quia (inquit) ea prolatio verborum non est humana actio, cùm non conjungantur humano modo cum voluntate præcedente.

Sententia Petri Cabreræ.

Cui annumerari nequit Basilius Pontius.

Quod colligit à posteriori; quia etiamsi quis habuisset animum dicendi convitia in aliquem si inebriaretur, & in ebrietate proferret,

ferret, non censeretur injuriam facere, nec conviciari; sicut neque censetur mentiri aut fidem frangere, qui in ebrietate facit oppositum ejus quod promiserat. Ergo idem dicendum, ex mente illius Auctoris, de consecratione, quæ non minùs debet esse actio humana, quàm contractus; & tamen ad illam ex doctrina ejusdem sufficit intentio virtualis, & negari non potest in ebrietate manere virtualem intentionem. Hæc concilia benigne lector, & eris mihi magnus Apollo.

96. Objectio secunda quòd actio facta in somno possit esse culpabilis. S. Dionysius.

Objicitur secundò: Actio facta in somno potest esse culpabilis, adeoque voluntaria & humana; ergo etiam Sacramentalis. Respondeo cum Sanchez supra: bonum ex integra causa, malum autem ex singulari defectu, teste D. Dionysio cap. 4. de Divinis nominibus. Cùm igitur Sacramenta sint quoddam bonum, exigunt plenam libertatem; at peccatum cùm malum sit, satis est quòd sit volitum in sua causa, sive (quod in idem recidit) ad malitiam sufficit voluntarium interpretativum. Unde illud peccatum non est liberum ut humana actio, sed ut effectus physicus, quem, quia homo prævidit, potuit & debuit vitare. Sic in veteri lege domino imputabatur in culpam, si ejus bos aliquem læsisset, & tamen actio illa bovis propterea non erat humana.

Ut ergo imputetur omissio aliqua vel actus secutus in ebrietate in culpam, hoc est, ut denominetur culpa à voluntate præterita, in qua tota malitia formalis residet, satis est quoquo modo fuisse volitum sive in se, sive in sua causa; formaliter, sive interpretativè seu virtualiter, ut quidam loquuntur. At (inquit Sanch. supra) cùm homo non teneatur vitare sponsalia & matrimonium (eadem est ratio de alijs actionibus Sacramentalibus) non censetur voluntas virtualis circa illa.

97. Bass. Pontius.

Sed contra opponit Pontius supra n. 13. Ut effectus secutus ex aliqua causa positiva dicatur mihi voluntarius, non est necessarium ut præcepto tenear, sed satis est, si ego liberè adhibui causam ex qua sequeretur, ut satis constat, licèt ut sit peccatum, requiratur ea præcepti obligatio. Hæc ille & alij plures in tract. de Voluntario, quamvis contrarium sit magis commune, de quo nolumus hîc disputare; quidquid enim dicatur, certum est effectum secutum non liberè, in somno v. g. vel ebrietate, non esse voluntarium formaliter sive per actum præsentem, sed ad summum moraliter sive interpretativè; quod voluntarium minimè sufficit ad actionem humanam, id est, proximè liberam, qualem ex dictis oportet esse actionem Sacramentalem.

Et ratio ulterior disparitatis est, quòd tota malitia, v. g. homicidij, reperiatur in actu interiori, ita ut ille, qui voluntariè ponit causam, puta ebrietatem, æqualiter coram Deo peccet sive sequatur homicidium, sive per accidens impediatur. Porro actio Sacramentalis essentialiter est signum sensibile seu externum; ita quòd ratio Sacramenti principaliter & formaliter consistat in actu exteriori. Sicuti ergo voluntas occidendi proximè debet esse libera, & sine hac libertate homicidium nullo modo est peccatum formale; ita è converso actio externa Sacramenti proximè oportet sit libera: nec sufficit libera voluntas ministrandi; quia non illa, sed ipsum ministerium est Sacramentum. 98. Disparitas inter actionem culpabilem & Sacramentalē.

Omitto, quod probabiliter docet Vasquez 1. 2. disp. 94. n. 9. opus illud vel omissionem factam in somnis non informari malitia morali, ut idem peccatum mortale cum voluntate constituat, sicut informatur actus exterior, quamdiu sub potestate voluntatis perseverat; ac proinde opus illud vel omissionem in somno vel ebrietate solùm esse effectum peccati. Hæc ille. Et credam ego voluntatem Sacramenti omninò præteritam constituere seu componere cum opere facto in somno vel ebrietate actionem Sacramentalem humanam seu proximè liberam?

Ex dictis colligitur Sacramentum fore validum, si minister sit compos mentis quando verba profert, quamvis statim antequàm audiantur fiat amens; tota quippe illa actio prout à ministro, fuit humana. Forma quoque Sacramenti non sunt verba audita, sed prolata. Addit Dicastillo disp. 3. n. 125. & sequentibus, valere Baptismum, quando liberè aqua est effusa, licèt antequàm aqua corpus tangat, effundens dormiat, vel etiam ampliùs non vivat; quia jam moraliter ablutio posita fuit à tali ministro: siquidem suppositâ effusione naturaliter resultat, sine concursu efficientis, qui si viveret, nihil ampliùs præstaret, quàm quod vivus præstitit. 99. Sacramentum erit validum, si minister dum profert verba sit compos mentis, etsi, antequā audiantur, fiat amens. Dicastillo.

Sicuti quando quis in odium fidei præcipitatur ex turri, censetur verè martyr, etiam dum præcipitans moritur ante præcipitatum, esto in martyrio requiratur aliquis inferens mortem in odium fidei, quemadmodum in Sacramento Baptismi requiritur aliquis baptizans. Ratio autem alia dari nequit, quàm quòd mors in sua causa ante mortem Tyranni posita fuerit. Ita ille Auctor, salvo tamen semper (ut adjungit) meliori judicio, præsertim Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Ecclesiæ. Sed casus non sunt morales, ut indigeant ulteriori examine.

100. Scotus. Examinanda potiùs venit secunda divisio intentionis, in actualem videlicet, virtualem & habitualem, quam Doctor Subtilis 4. dist. 6. q. 6. n. 2. sic explicat: *Ille* (inquit) *dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicitum respectu eius quod intendit: ille autem dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ipsum ad talem actum.*

Subjungit intentionem virtualem his verbis: *Si aliquis intendit in principio Missæ celebrare Missam, si postea est distractus, non habet actualem intentionem quando est distractus. Patet: quia non intelligit tunc illud in actu, ergo nec vult illud in actu; nec habet tantùm intentionem habitualem, quia talem habet dormiens; habet ergo se medio modo. Et hanc eius dispositionem, dico intentionem virtualem; quia scilicet virtute alicuius intentionis priùs habita actualiter, facit omnia quæ facit ex illa tanquam ex radice; ita quòd illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cuilibet istorum actuum, sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuscumque ordinati ad finem: & pro tanto manente intentione cuiuscumque ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima virtualiter in omnibus istis.* Ita Scotus.

101. Quid sit intentio actualis, habitualis & virtualis. Igitur ex mente ipsius, intentio actualis est, quâ ego actu intendo v. g. baptizare, quando profero verba & effundo aquam. Habitualis, intentio merè præterita non retractata. Virtualis, quæ manet in virtute & influit in opus. Exemplum hujus sit: *Intendens* (inquit doctor supra) *ire ad Sanctum Iacobum, ex intentione huius finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de S. Iacobo, nec de reverentia eius. Dico tamen quòd semper meretur, quia vel habet intentionem eorum quæ sunt ad finem illum, cuius est illa prima intentio, vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus, licèt cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes & ab intentione illa prima, & ab intentionibus proprijs eorum, quæ sunt ad illum finem.*

Hæc est communis explicatio earum intentionum. Controvertitur autem, an quælibet sufficiat ad valorem Sacramenti? Respondeo & dico:

CONCLUSIO VII.

Sola habitualis intentio non sufficit ad validam administrationem Sacramenti, quod consistit in usu.

Ita expresè docet Scotus supra n. 3. ubi sic ait: *Ad propositum dico, quòd sola intentio habitualis non sufficit in Baptismate.* Rationem adjungit: *Quia propter istam non dicitur actus eius, licèt sit conformis illi habitui*, id est, voluntati prætetitæ, *actus humanus. Nam si aliquis habeat habitum inclinantem ad desiderium sanitatis, si curatur nullo modo intendens sanitatem, sed ad ludum, non dicitur consequi sanitatem per aliquem actum humanum, sed casualiter vel fortuitò, non magis quàm si non habuisset intentionem ad sanitatem: ergo sola intentio habitualis non sufficit respectu finis actûs humani, ut humanus est.* 102. Ratio conclusionis ex Scoto.

Atque hæc est hodie in omnibus scholis recepta sententia, illa utique ratione; quia Sacramentum debet conferri ex intentione faciendi quod facit Ecclesia; ergo intentio debet proximè vel remotè esse causa Sacramenti. Porro præterita voluntas in nullo suo effectu permanens nequit ullatenus influere in Sacramentum; adeoque Sacramentum non confertur ex vi illius intentionis.

Obijci solet; quia ad applicandum fructum Sacrificij sufficit intentio habitualis; ergo etiam ad valorem Sacramenti. 103. Objectio.

Vasq. disp. 138. cap. 6. n. 74 negat antecedens. Etenim Sacerdos non alia potestate applicat & alia offert, sed eo ipso quo potestatem habet offerendi, habet etiam applicandi; siquidem alteri applicare valorem Sacrificij, est ei per Sacrificium prodesse; hoc autem facit Sacerdos eo ipso, quòd pro illo offert: atqui præterita illa voluntas, puta quam heri habui, non est sufficiens ut Sacrificium hodiernum pro illo offerri dicatur; ergo neque ut valor ei applicetur. Minor probatur: quia Sacrificium non minùs est actus humanus, quàm Sacramentum; quippe secundùm rem idem sunt: ergo sicut Sacramentum necessariò pendet ex ministri præsenti actuali voluntate vel virtuali, ita etiam oblatio Sacrificij. Responsio Vasquez.

Suarez disp. 13. sect. 3. conclus. 2. quem alij communiter sequuntur, admisso antecedente, negat consequentiam. Et hoc videtur magìs conforme menti fidelium, qui putant se satìs validè applicare fructum Sacrificij si præcedenti die applicent, licèt postea non recordentur, dum tamen voluntatem illam non retractent. Do rationem differentiæ: quia intentio efficiendi Sacrificium aut Sacramentum, est intentio factiva operationum realium, quæ fiunt in Sacrificio 104. Responsio Suarez. Differentia inter intentionem applicandi & sacrificandi.

ficio aut Sacramento; v. g. intentio proferendi verba consecrationis, vel in alijs Sacramentis abluendi, ungendi &c. quæ actiones reales non possunt fieri nisi ex intentione physicè existente aut in se, aut in aliquo effectu ex illa derivato. Intentio verò applicandi valorem Sacrificij non est factiva alicujus actionis realis, quæ debeat ex ipsa intentione procedere; sed tantùm est applicativa valoris: ad hoc autem sufficit quòd voluntas præcesserit, & non sit revocata.

Unde (ut bene notat Suarez supra) voluntas habitualis conficiendi Sacramentum non comparatur voluntati quasi de præsenti absolutæ, & ex tunc applicanti fructum Sacrificij crastinâ die offerendi; sed voluntati quasi de futuro, ita ut nunc tantùm sit propositum applicandi postea Sacrificium tali personæ. Quemadmodum ergo hæc voluntas non sufficit, si postea tantùm maneat in habitu, & non accedat alia voluntas quâ offeratur & applicetur Sacrificium tali personæ; ita etiam non sufficit sola habitualis voluntas ad Sacramentum.

105. Alia ratio disparitatis ex Lugone. Lugo supra n. 99. aliam assignat rationem disparitatis: quia applicatio Sacrificij est quasi donatio & dispensatio emolumenti, atque ideo sequitur naturam donationum & dispensationum, ad quarum valorem in humanis sufficit voluntas habitualis. At verò Sacramentum est actio sacra, quæ dum fit, debet fieri ex intentione saltem implicita operandi nomine Christi; atque ideo debet procedere ex tali intentione, ut sit actio humana. Hæc ille.

An sufficiat ad valorem donationis voluntas habitualis. Porro ad valorem donationum inter homines sufficere voluntatem habitualem, probatur ex donatione facta sub conditione; hâc quippe impletâ sine novo consensu donatio est valida. Cur ergo similiter applicatio seu quasi donatio (siquidem non esse propriè donationem constat, quia non requiritur acceptatio donatarij) fructûs Sacrificij nunc facta sub conditione crastinæ sacrificationis hâc impletâ sine novo consensu coram Deo non habebitur rata? Nam & Deus & Ecclesia ratum habent Matrimonium sub conditione contractum eo ipso quò impletur conditio, non expectato novo consensu contrahentium, dummodò prior consensus non fuerit revocatus.

An sacerdos sit dominus vel quasi dominus fructûs Sacrificij. Quòd autem sacerdos sit quasi dominus fructûs Sacrificij, aut meliùs applicationis fructûs, vel inde profectò liquet; quia in ordinatione sua accipit potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis; ergo jus habet ex concessione veri Domini, Christi scilicet instituentis hoc Sacramentum & Sacrificium, pro libitu suo disponendi de fructu Sacrificij, huic vel illi eum applicando; quod magìs propriè est habere dominium ipsius applicationis, quàm fructûs qui applicatur; sicut dispensator dicitur habere dominium sive jus ad bona distribuenda, manente tamen dominio eorum penes dominum.

Sed contra: dispensator non potest dispensare bona quæ non habet; ergo neque Sacerdos fructum Sacrificij nisi in actuali sacrificatione, cùm tunc solùm illum habeat. 106. Objectio.

Respondeo distinguendo antecedens: quæ non habet nec in re nec in spe, concedo; quæ non habet in re, sed in certa spe, nego antecedens: sic quippe dominus agri vendit hodie fructus illius post annum speratos; ergo similiter hodie potest Sacerdos dispensare fructus Sacrificij crastini infallibiliter obventuros. Responsio.

Vel aliter: quia dominus agri non ita vendit fructus proventuros, quàm bene ipsam spem fructuum, quæ de facto existit; aliter (inquam) respondeo: non potest dispensare bona pro tempore quo non habet, concedo; pro tempore quo habiturus est, nego antecedens. Sacerdos autem non applicat efficaciter fructus pro nunc, sed nunc validè, efficaciter solùm pro tempore Sacrificij futuri: idque ut minister Christi in actu primo, quando applicat validè; in actu verò secundo, quando efficaciter, id est, quando voluntas præterita sortitur suum effectum, in actuali nempe sacrificatione.

Lugo supra n. 95. existimat Sacerdotem non solùm esse ministrum Christi dum actu sacrificat, sed etiam quando extra altare applicat fructum Sacrificij futuri; dedit enim ei potestatem applicandi & dispensandi fructum Sacrificij, ut rem propriam (meliùs dixisset, ut rem alienam; nam, ut mox audivimus, dispensator non est dominus rerum, quas dispensat) cui voluerit: & hâc potestate uti poterit, etiam extra actionem sacrificandi. Sed hoc est quod quæritur, ut notat Dicastillo disp. 3. n. 135. & quod à Vasquesio supra negatur. An Sacerdos sit minister Christi, etiam extra altare applicans fructum Sacrificij futuri.

Addit Emin. n. 96 licèt voluntas illa haberetur quando minister adhuc Sacerdos non est, posset postea non retractata habere effectum, v. g. si cras consecrandus Presbyter, hodie dicat: *Ex nunc applico Sacrificium crastinum pro meo patre*; habebit cras effectum, si non retractetur. Sicut si Petrus antequam sit dominus libri, dicat: 107.

Volo

Volo ut, si liber ille fiat meus, sit post unum annum Ioannis. Si cras eligar in Prælatum, ex nunc pro tali die concedo tibi licentiam. Si cras accipiam à Pontifice facultatem designandi centum imagines cum certis indulgentijs, hodie communico tibi viginti, quas cras poteris designare.

In his omnibus exemplis efficacia quidem voluntatis sive effectus procedit à potestate vel dominio; sed non propterea ipsa actualis & valida voluntas, cùm existat antequàm potestas vel dominium habeatur. Ergo similiter efficacia voluntatis Sacerdotis aut non Sacerdotis antecedenter applicantis fructum Sacrificij procedet à potestate à Christo accepta, licèt non ipsa voluntas validè applicans. Et hoc est quod dixi superiùs, Sacerdotem agere ut ministrum Christi in actu secundo quando efficaciter applicat fructum.

Responsio ad fundamentum Vasquez. Ex quo facilè solvitur fundamentum Vasq. supra relatum: enimverò nil aliud probat, quàm Sacerdotem non prodesse alicui efficaciter, nisi in ipsa & per ipsam sacrificationem, quæ essentialiter est oblatio, non reflexa, sicuti est illa voluntas hodierna, quâ volo & peto à Deo ut Sacrificium seu oblatio crastina huic vel illi prosit, sed directa, sive actio, quâ fit Sacrificium.

108. Objectio. Restat unica objectio, quæ videtur habere non modicam difficultatem: nam ex dictis (suppositâ eorum veritate) videtur sequi, hodie validè contrahi Matrimonium cum impedimento dirimente sub conditione: *Si Pontifex dispensaverit.* Quæ quidem controversia non est propria hujus loci; quia tamen Em. Lugo & Dicastillo hîc eam tractant, paucis libet nostram opinionem apponere, longiorem tractatum in proprium locum reservando.

Responsio Lugonis. Respondet itaque Em. n. 98. ad objectioné propositam negando sequelam: quia (inquit) in hoc casu voluntas hodierna non solùm non est efficax, sed neque est valida in ratione voluntatis propter incapacitatem subjecti, quod jura reddunt incapax ad habendam illam voluntatem; atque adeò perinde existimatur, ac si hodie nullam prorsus haberet voluntatem, eò quòd positivè jura irritam & nullam eam reddunt.

109. Quæ non placet Dicastilloni. Hæc responsio minimè placet Dicastilloni. Unde n. 139. sic incipit arguere: Imprimis falsò distinguit non efficacem & non validam; nihil enim aliud est in re præsenti non esse efficacem, quàm non esse validam voluntatem; illa enim dicitur non valida, quæ non valet efficere & causare effectum, quem vult causare: atqui hoc ipsum est eam voluntatem esse inefficacem.

Sed videtur sui oblitus, fortè ex affectu contradicendi sententiæ Lugonis; nam n. 136. approbat exempla Card. statim à nobis allata tanquam vera, in quibus tamen, ut ad oculum patet, Em. accipit voluntatem efficacem pro illa, quæ de facto efficit & sortitur effectum; consequenter inefficacem pro ea, quæ de facto non causat, quam validam vocat, si nata est efficere pro tempore, in quod refertur ejus effectus; invalidam verò si pro nulla reputetur, hoc est, si nec jam, nec unquàm postea possit habere aliquem effectum. Cur ergo insimulat Em. falsæ distinctionis? Sed immeritò.

110. Prætereà (inquit Dicastillo) hoc ipsum sive distinctum, sive non distinctum, reperitur in hoc casu nostro, & in exemplis à Lugone allatis. Sicut enim habens impedimentum Matrimonij non est capax conferendi jus corporis sui ad generationem, & admittendi jus in corpus alterius interim dum durat impedimentum; ita Petrus non est capax conferendi librum Joanni, interim dum non est dominus libri.

Ecce rursus hallucinatur, non attendens unam incapacitatem oriri ex jure naturali, quod dictat neminem posse donare quod suum non est; adeòque non irritat voluntatem absolutè & simpliciter, sed solùm pro tempore, quo res est alterius: alteram autem ex jure positivo, quod, ut Lugo supponit (quamvis falsò) reddit consensum contrahentium, etiam sub conditione dispensationis, absolutè & simpliciter nullum, ac si nunquàm fuisset.

Explico: jus naturale ad contractum Matrimonij requirit consensum utriusque conjugis; hodie unus consentit: peto, an ille consensus sit validus antequam accedat consensus alterius? Nemo dubitat. Interrogo iterum, an etiam sit efficax? Si per efficacem intelligis, qui pro nunc causat contractum, omnes negant: si verò ad efficacem sufficiat, quòd natus sit causare obligationem matrimonialem cùm advenerit consensus alterius partis, indubiè est efficax.

Pergamus: jus positivum annullat Matrimonium inter consanguineos; consentiunt absolutè: inquiro, an consensus sint validi, ita quòd accedente dispensatione Pontificis sine novo consensu utriusque partis Matrimonium sit perfectum? Quis audeat asserere? Et tamen pro tunc personæ sunt capaces. Ergo fieri potest, quòd per jus positivum ita annulletur aliqua voluntas, ut nec pro præsenti, nec pro futuro possit

possit habere aliquem effectum; ut etiam Dicastillo num. 142. admittit in casu Matrimonij ante legitimam ætatem contracti, de quo statim.

Dicastillo.

111. Præmitto hanc objectionem: Neque donatio rei alienæ valida est, si non expressè referatur ad tempus, in quo erit mea; ergo (ut vult Dicastillo) eadem est ratio donationis libri, qui pro nunc non est meus, & contractûs Matrimonij cum impedimento, etiam jure tantùm humano dirimente; quippe si consanguinei referant suum consensum ad tempus habile, sublati scilicet impedimenti, etiam tunc Matrimonium sine novo consensu perficietur.

Respondeo negando antecedens: cùm enim donatio sit voluntas dominium rei in alterum pro perpetuo transferendi, assero (salvo meliori) donatarium sine novo consensu donantis posse rem retinere, etsi sciat tempore donationis non fuisse donantis, dummodò constet ad eum pertinuisse tempore intermedio, & intereà voluntatem non fuisse revocatam.

Ducor ratione supra assignatâ: quia jus naturale non declarat talem voluntatem nullam & invalidam; sed dumtaxat ostendit non posse habere effectum, sive esse inefficacem pro tempore, quo res manet sub alterius dominio. At verò jus positivum declarat Matrimonium absolutè & simpliciter contractum inter consanguineos, declarat (inquam) irritum & nullum veluti si nunquam ullus consensus extitisset.

Simili modo jus naturale declarat irritum Matrimonium inter cognatos in quocumque gradu lineæ rectæ; cognatio quippe illa immutabilis est; dominium autem rerum facillimè transfertur ab uno in alterum.

112. Et dato quòd esset paritas inter donationem libri & Matrimonium contractum cum impedimento consanguinitatis, saltem est disparitas juxta Dicastillonem inter donationem libri & Matrimonium contractum ante legitimam ætatem, quo tempore (inquit num. 142.) adest impedimentum pro tunc dirimens seu annullans Matrimonium, etiam respiciendo tempus postea habile; quia illa voluntas imperfecta, quantumvìs perseveret, fuit ab initio invalida, tanquam procedens à principio incapaci ex parte sua. Quæ doctrina secundùm illum Auctorem locum habet in omnibus casibus in quibus inefficacitas & invaliditas provenit ex parte principij volentis seu habentis eum actum voluntatis; secùs quando oritur ex parte rei volitæ per illum actum.

Idem.

Unde si Petrus sit minorennis, quando voluit, ut liber, qui ad dominium illius veniret, post annum obveniret Joanni; etiamsi tempore, quo Joannes habiturus erat librum, jam Petrus esset majorennis, non valebit illa cessio vel donatio ex vi prioris voluntatis. Eodem modo si Superior vel Prælatus futurus non haberet ætatem, aut aliquid aliud ex parte sua requisitum, ut ea voluntas ex nunc pro tunc eliciatur validè, semper erit invalida, quantumvìs perseveret, & nunquàm convalescet: non secùs atque in exemplo testamenti, in quo si impeditus facere testamentum sit incapax incapacitate se tenente ex parte ipsiusmet personæ, sive propter defectum plenæ deliberationis, sive emancipationis &c. voluntas ipsius non convalescet, etiamsi postea veniat ad ætatem plenæ deliberationis, aut assequatur emancipationem; atque hoc, quantumvìs in hoc & præcedentibus, quando elicit actum, se referat ad tempus habile, propter rationem dictam. Ita Dicastillo; verè an falsò, judicent prudentes.

Vellem ego scire, quarè non emancipatio potiùs se teneat ex parte personæ non emancipatæ, quàm consanguinitas ex parte personæ consanguineæ: & per consequens, cur minùs valeat Matrimonium impuberum sub conditione: *Si Pontifex dispenset*, quàm Matrimonium cum consanguinea. 113.

Dico ergo (salvo meliori) vel omne Matrimonium inter inhabiles, sub conditione: *Si Pontifex dispensaverit* (supposito quòd aliquando dispenset, & adsit justa causa dispensandi) valet, vel nullum. Quæ autem pars eligenda sit, an validitas, an invaliditas, videbimus proprio loco ubi de Matrimonio conditionato. Certum mihi est jus positivum potuisse irritare omnem talem consensum; quòd verò fecerit, nullibi in jure lego.

Vel omne Matrimonium inter inhabiles, sub conditione: *si Pontifex dispensaverit*, valet, vel nullum.

Quidquid sit de hac controversia, probabilius existimo cum Suario, aliam esse rationem Sacrificij, aliam Sacramenti, & ad applicationem Sacrificij sufficere intentionem habitualem, minimè verò ad valorem Sacramenti. Sed nunquid requiritur intentio actualis? Responsio erit

CONCLUSIO VIII.

Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis.

114. ANte probationem adverto, non ita controverti inter Doctores de veritate hujus conclusionis, quàm bene de ratione quidditativa intentionis virtualis, aliquibus exigentibus tenuissimum ac confusum actum intellectûs & voluntatis, qui vix percipiatur (sicut in expedito cytharædo) quo volumus recitare verba vel operari: alijs asserentibus continuari actionem sacramentalem cum solis actibus imaginativæ & appetitûs materialis.

Scotus. Conclusionem docet Scotus 4. dist. 6. quæst. 6. num. 3. ibi: *Nec requiritur in baptizante semper intentio actualis.* Probat: *quia non obligavit Deus hominem ad impossibile vel nimis difficile, cuiusmodi est non distrahi:*

S. August. *quia secundùm D. August. 3. de lib. arbit. cap. ultimo: Non est in potestate nostra, quin visis tangamur, nec etiam plùs obligavit ministrum in illo actu, quàm in exequendo actus aliorum Sacramentorum. In conficiendo autem Eucharistiam, quæ est excellentissimum Sacramentum, non obligavit hominem ad non distrahi, qum prius intendens celebrare, licèt in proferendo verba sacramentalia distractus sit, verè tamen conficit.*

Probatio Conclusionis ex judicio totius Ecclesiæ. S. August.

Atque hoc est judicium totius Ecclesiæ; ex quo optimè post Scripturam colligitur voluntas instituentis, quæ est ratio à priori. Siquidem (ut ait Aug. Epist. 118.) *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum in Ecclesia est saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.*

115. Scotus. *Ex his concludo* (inquit Doctor Subtilis supra) *quòd sufficit in baptizante intentio virtualis*, quam sic notificat: *hoc est, quòd aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit nunc verè actus baptizandi; sive in isto actu habeat intentionem actualem vel aliquam ex eâ descendentem, sive non. Intelligo autem, quòd descendit iste actus absque omni motu voluntatis contrario interveniente.* Igitur ex mente Scoti destruitur virtualis intentio per voluntatem contrariam, vel etiam per nimis longam interruptionem sive temporis moram, quæ æquivalet retractationi; aut sanè per hujusmodi statum hominis, qui non compatitur actionem humanam, puta somnum, ebrietatem, amentiam &c.

Intentio virtualis destruitur per nimiam interruptionem, quæ æquivalet retractationi.

Neque enim per *motum contrarium voluntatis* intelligit Doctor solam expressam revocationem prioris voluntatis (quippe cum illa neque permanet intentio habitualis) sed omnem motum incompossibilem cum isto actu, tam habitualem, quàm actualem.

Colligo ex simili quod subjungit: *Sicut* (inquit) *si induens se ad missam, intendens celebrare secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, & ex isto procedat continuè, fortè secundùm aliquem habitum derelictum in phantasia, cum magna distractione, verè facit ea, quæ necessaria sunt ad istum actum sacramentalem, qui est conficere.* Scotus.

Constat autem Sacerdotem interrumpere suam intentionem per somnum, ita ut ampliùs non maneat virtualiter, etsi hoc faceret ut meliùs posset celebrare, quia v.g. jam non est bene dispositus. Ratio est: quia celebratio subsequens non descendit ex intentione illa actuali per actum aliquem humanum; quamquàm sit moraliter impossibile, ut homo sanæ mentis & alicujus conscientiæ absque intentione actuali aut virtuali sacras vestes induat, ad altare accedat, & alia ad Sacrificium pertinentia peragat. Interrumpitur etiam per somnum.

Sed contra: Per somnum non interrumpitur exterior actio hominis quærentis suum inimicum, ut eum occidat: ipsum enim quiescere (inquit Arriaga disp. 43. de Vitijs n.28.) judicatur deservire ut meliùs possit deinde exequi intentum, id est, quærere hostem. Similiter (ut ibidem docet hic Auctor) Sacerdos non interrumpit suam volitionem celebrandi, etsi in via nonnihil detineatur interrogando obvium amicum, quomodò valeat, & quid novi audiatur. 115. Objectio.

Incipio ab ultimo, & respondeo: confabulatio de rebus impertinentibus tam protracta posset esse, ut etiam intentionem interrumperet; alioquin quod modicum est in moralibus, pro nihilo reputatur. Responsio prima.

Contra: Modicus somnus interrumpit. Respondeo: fortè non. Deinde per somnum (ut dixi) homo constituitur in statu, in quo nequit proximè elicere actum humanum.

Unde dico ad primum, probabilius videri per ordinarium somnum moraliter discontinuari actiones ordinatas ad eandem v. g. occisionem, ita ut jam sint plura numero peccata specialiter in confessione explicanda, quæ, somno non intercedente, unicum dumtaxat constituissent. 117.

Respondeo II. negando consequentiam: plus enim videtur requiri ad intentionem virtualem necessariam pro valore Sacramenti Responsio secunda.

menti

menti, quàm ad intentionem requisitam ad moralem continuationem plurium actuum externorum ad eundem finem tendentium; hæc siquidem continuatio pendet à morali hominum judicio; plures autem docti judicant somnum ad eundem finem conducentem non interrumpere moraliter cæteras concausas ejusdem effectûs.

Porro ad Sacramentorum requiritur talis intentio ex institutione Christi, quæ sufficiat ad operandum humano modo; ergo ad minùs requiritur talis dispositio, cum qua possit consistere actio humana, non solùm quando actio sacramentalis exercetur; sed etiam tempore intermedio. Et quamvis hæc disparitas evidenti & convincenti ratione non posset probari, sufficit nobis communis sensus Ecclesiæ, qui in his, quæ spectant institutionem Sacramentorum, maximè spectandus est, quando deest auctoritas Scripturæ, Traditionis & Conciliorum.

118. Ratio congruentiæ pro conclusione. Hæc ergo erit ratio congruentiæ: quia videlicet intentio virtualis, quam asserimus, sufficit ad operandum humano modo; ad orationem quoque, vota, contractus, eorumque valorem ac meritum: ergo etiam ad confectionem Sacramenti; & alioquin fideles infinitis perplexitatibus, & Sacramenta ipsa innumeris exponerentur sacrilegijs, quoniam (ut supra ex Scoto dixi) moraliter impossibile est non distrahi ob diversissima objecta occurrentia, & humani ingenij volubilitatem.

Studiosè tamen curare debet Sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat, ita exigente devotione & reverentiâ debitâ rebus sacris ac divinis: non quòd requiratur actus elicitus, quo velit v.g. consecrare, distinctus ab ipso actu consecrationis; sed sufficit quòd intellectus advertat actum consecrationis, & voluntas eum velit ac approbet, applicando potentiam executivam. Cæteroquin continuò dicere ore vel mente: *volo consecrare*, & similes scrupulosæ reflexiones potiùs devotionem & reverentiam impediunt. Age igitur attentè quod agis, ac de illo cogita, non de extraneis, ut rectè notat Bellar. lib. 1. de Sacramentis in genere c. 27. Bellarm.

119. Quænam sit natura intentionis virtualis. Sed cùm in his satis conveniant Theologi, dissentiunt tamen in elucidanda natura intentionis virtualis, ut in principio conclusionis notavi. Ratio dissentionis est: quia (ut jam jam dixi) intentio virtualis talis esse debet, ut sufficiat ad operationem humanam; qualem utique esse Christus voluit omnem actionem sacramentalem. Porro si dixerimus cum Scoto, in distracto neque inveniri intentionem primam actualem, neque aliquam aliam imperantem, v.g. consecrationem, quæ à distracto perficitur; non apparet quomodò illa consecratio sit operatio humana; quippe actio externa libera requirit attentionem & intentionem præsentem, ut sibi objicit Doctor Subtilis supra num. 4. *Si quæratur* (inquit) *quomodò potest aliquis effectus, qui modo est, reduci in illam intentionem primam sicut in causam; si nunc non est ista intentio, neque alia imperavit istum actum?* Scotus.

Respondet: *Dicitur, quòd est per quamdam virtutem impressam virtuti motivæ, per voluntatem actualiter intendentem; & quamdiu manet illa virtus impressa, illa virtus motiva movet: ut si aliquis intenderet ire ad aliquem locum, & post in via cogitet de alijs, in illis actuali volitione fiebat actualis impressio in potentiam motivam, & quamdiu illa impressio manet, movet ad terminum volitum, & procedit homo. Paulatim autem minuitur ista impressio, & tandem deficit, & cessat homo à motu; & tunc dicitur ab istis, quòd homo non habet intentionem virtualem, nisi dum habet effectum impressum à voluntate actu intendente in potentiam aliquam inferiorem.* Ita Doctor ex Richardo hîc q. 3. art. 1. in solut. 2. arg. Richardus.

Contra quam solutionem arguit in hæc verba: *Sed mirum videtur, quomodò voluntas possit esse virtus factiva causans talem formam in ista potentia organica; mirum est etiam, quòd si causaretur ibi, unde paulatim deficeret.*

Hinc ex propria sententia aliam subjungit explicationem, inquiens: *Potest ergo dici, quòd in appetitu sensitivo sive phantasiâ est aliqua dispositio, secundùm quam movet, cessante actu voluntatis imperantis eis. Vel aliter ad propositum, quòd sive voluntas actu intendens aliquid relinquat in potentijs inferioribus, sive non, ordinatè tamen habet suas volitiones respectu finis, & eorum, quæ sunt ad finem: & cùm ad aliquam istarum pervenerit, & actum potentiæ inferioris correspondentis imperaverit, potest ille actus inferior imperatus manere, licèt intentio nec prima nec secunda maneat: & dum manet ille actus, voluntate quantumcumque distractâ dicitur manere intentio virtualis.* 120. Explicatio intentionis virtualis ex Scoto.

Exinde ad argumentum concedit, *quòd aliquis actus requiritur ad hoc, quòd effectus sit, & ille actus potest dici, quo producitur effectus extra. Sed si quæras* (inquit) *aliquem actum, secundùm quem fit operatio immanens agenti, talem non oportet dare tunc manentem, quando effectus exterior elicitur: sicut manifestum est, quòd*

 multi

multi effectus actu causantur, quando actualis motio causæ agentis per intellectum, à quo producuntur, non manet.

Ponit exemplum in naturalibus: *Quia projecto lapide in aqua, primus circulus est causa secundi, & sic deinceps; non tamen semper manet primus quamdiu cæteri. Ita etiam universaliter in motu proiectorum priùs cessat pars motori propinquior, quàm remota.*

121. Quam sequuntur Suarius, Vasquez, &c.

Hanc sententiam sequitur Suarius disp. 13. sec. 3. post 2. conclusionem. Vasq. disp. 138. n. 78. & sequentibus, ac plures alij. Lugo disp. 8. n. 87. ait: Si aliquis contendat continuari actionem sacramentalem cum solis actibus imaginativæ & appetitûs materialis, non est quòd in hoc immoremur: hoc enim sufficiet ad declarandum, quomodò intentio & voluntas præterita maneat virtualiter, & influat in actionem præsentem. Dicastillo disp. 3. n. 100. ait probabiliorem sibi videri sententiam Gabriëlis 4. dist. 6. q. 1. art. 1. notabili 3. nullam scilicet esse intentionem virtualem, quæ non sit simul actualis, & actu inhærens in voluntate respectu alicujus objecti: *Sed non* (inquit Gabriël) *respectu eiusdem*; quia est actualis respectu medij, & virtualis respectu finis, quem actu non intendit.

Scotum sequitur Gabriël, quem immeritò pro altera sententia citat Dicastillo.

Neque Scotus id negat, quem sequitur Gabriël supra conclus. 5. ipsissimis ejus verbis citatis. Sic enim concludit: *Sufficit ergo in baptizante, quòd aliquando habuit intentionem actualem baptizandi, ex qua descendit actus baptizandi, sive in illo actu habeat intentionem actualem baptizandi, vel non: quia fortè intendit circa actum lavandi, ut est talis actus in natura, aut aliquod impertinens. Intelligendum tamen est, quòd descenderit ille actus absque omni motu voluntatis contrario: sicut si induens se ad missam intendit celebrare secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, & ex illo procedat continuè, fortè ex aliquo habitu derelicto in phantasia cum magna distractione; ita tamen quòd faciat ea, quæ necessaria sunt ad consecrationem, verè conficit Eucharistiæ Sacramentum. Hæc Scotus.* Si ergo Dicastillo amplectitur sententiam Gabriëlis, immeritò recedit à sententia Scoti, eamque impugnat duplici argumento, uno Theologico, altero Philosophico. Expendamus utrumque.

122. Argumentum Dicastillonis contra sententiam Scoti.

Theologicum est: Virtualis intentio sufficit ad continuandum meritum & augendum illud pro ratione plurium operum, quæ fiunt ex vi præcedentis intentionis; sed sola operatio externa, consequens ex alia propter applicationem potentiæ executivæ, non sufficit ad meritum; ergo &c. Majorem probat: quia alioquin in orationibus, in professione religiosa, in multis alijs operibus religionis, misericordiæ, justitiæ cessaret meritum toto tempore, quo quis illa exercendo inculpabiliter desinit elicere expressè & explicitè actum intentionis, occupatus in attentione ipsius operis pij, quod ex tali intentione incœpit agere; quod durissimum esset. Minor probatur: quia ad meritum requiritur libertas; actio autem illa externa sine ulla advertentia mentis, non magis est libera, quàm si fieret à dormiente.

Respondeo ex Scoto negando Minorem; ut enim vidimus superiùs, existimat Doctor cum intentione virtuali hominem semper mereri, confirmans exemplo Martyris: *Fortè* (inquit) *Martyres in actu sustinendi Martyrium non habuerunt intentionem, nisi istam virtualem; quia immensitas pœnarum absorbebat fortè usum rationis* (circa finem) *ista tamen perpessio pœnarum erat quidam effectus derivatus ex intentione servandi fidem Dei: & ideo dum durabat passio, durabat semper ista intentio virtualiter, sicut in effectu.* Responsio. Scotus.

Hinc ad probationem minoris dico, actionem illam externam sacramentalem, derivatam ex libera intentione conficiendi Sacramentum, sufficientem ex ea participare libertatem ad rationem meriti saltem externi, sive ad denominationem meriti; nam formalis ratio meriti (secundùm communiorem sententiam) non reperitur nisi in actu interiori, qui solus formaliter est liber (prout hîc supponitur esse primus actus intentionis) adeò ut actus externus, etiam cum plena advertentia procedens ab illa intentione præsente, per se loquendo nihil addat de merito, neque actus malus de demerito. 123.

Quamvis igitur in illis actionibus externis distractis non sit perfectissima libertas, quæ requiritur ut actus internus voluntatis sit verè meritorius, tamen ab omnibus habentur pro actibus humanis, & denominantur merita à voluptate interna præterita perfectè libera, ex qua mediatè proveniunt.

Aliud est, ex communi hominum sensu, de actibus externis dormientium, qui non procedunt à voluntate interna præterita, ne mediatè quidem; neque aliquis judicat ipsos esse humanos, cùm subjectum omni prorsus actu humano destituatur, imò proximè ejus sit incapax; adeoque prima volitio non manet in aliquo suo effectu: vel enim homo solùm determinatur ab appetitu, vel non humano modo à voluntate, quia cum imperfecto usu intellectûs, aut veriùs cum solo usu phantasiæ, quemadmodùm 124. Disparitas inter externos actus dormientium, & actiones distractorum.

modùm bruta animalia. In homine autem distracto certum est quòd & voluntas & intellectus operetur, si non circa objectum à quo distrahitur, saltem circa aliquod. Et esto operaretur etiam circa actionem distractam, v. g. consecrationem, ablutionem &c. (ut vult Dicastillo) tamen adeò remissè, ut homo nequeat id scire.

Sicut ergo illa advertentia talis qualis non sufficit ad peccatum mortale (nam reperitur in motibus secundò primis, ac varijs animi passionibus, quæ tamen, communi calculo Doctorum, non imputantur defectu deliberationis in gravem culpam) ita etiam se solâ insufficiens est ad meritum; quippe (secundùm multos) tanta deliberatio requiritur ad merendum, quanta ad vovendum: porro ut votum obliget (secundùm communem sententiam) exigitur deliberatio requisita ad peccandum mortaliter.

125. Igitur admissâ illâ exiguâ advertentiâ, adhuc recurrendum est, ut actus externus voti obliget, & ut sit meritorius, ad primam actualem volitionem perfectè deliberatam, quâ voluit se obligare Deo per externam v. g. professionem: similiter ut consecratio distracta sit meritoria, dato etiam quòd sit aliqua imperfecta libertas, recurrere debemus ad primam volitionem efficacem consecrandi per verba à Christo instituta. Si ergo illa prima volitio potest communicare consecrationi libertatem requisitam ad meritum (quam de se non habet) quando imperfectè est libera; cur non etiam quando nullo modo in se est libera in quantùm actus sacramentalis, puta si homo nullam habeat omninò cogitationem Sacramenti, dummodò saltem (ut Gabriel ait) intendat circa illum actum, ut est talis actus in natura, aut aliquid impertinens?

Falsò Dicastillo ex sententia Gabrielis requirit tenuem attentionem ex parte objecti.

Unde falsò Dicastillo ex sententia Gabrielis requirit tenuem illam attentionem ex parte objecti seu finis intenti, cujus certè nullibi meminit hic Auctor; quamvis etiam expresè non neget hujusmodi attentionem ordinariè adesse, sicut nec Scotus. Profectò non satis apparet quomodò actiones subsequentes possent fieri, nisi directæ ab actuali intellectione, & consequenter imperatæ ab actuali volitione: nam phantasia sæpe non potest cognoscere rationem actionum quæ fiunt, utpote dependentium à notitia intellectuali; nec est naturalis inter actiones v. g. missæ continuatio, ut una alteram necessariò sequatur.

126. Potuit Deus requisivisse minorem

Interim absolutam necessitatem non convincit argumentum propositum; præsertim cùm Deus potuerit sic ordinasse, ut minor libertas sufficeret ad meritum continuandum, quàm incipiendum; ad continuationem actûs humani, quàm ad primam positionem, estque consonum sensui communi id factum esse. Enimverò omnes judicant in votis, contractibus &c. sufficere & requiri, quòd plenè deliberatè inchoëntur, etsi intereà evagatione mentis humanitùs semper interveniente, præsens libertas actualis operationis continuatæ turbetur: quippe perseverando in actione externa priùs proposita, manet satis idem propositum in ordine ad effectus morales; secùs quàm in incidente in somnum, in quo status libertatis (utì jam sæpe dixi) velut in actu primo tollitur seu interrumpitur.

libertatem ad meritum continuandum, quàm incipiendũ.

Adeoque licèt concederemus parvam illam & confusam attentionem in homine distracto, quam requirit Dicastillo, sufficere ad meritum vitæ æternæ etiam inchoandum, ut multi docent (quamvis contrarium indicet Scotus 3. dist. 39. n. 4 ibi: *Si autem fiat perjurium indeliberatè, quantumcumque frequenter fiat, cùm actus meritorius requirat, quod sit plenè humanus, & hoc est esse ex plena deliberatione &c.*) adhuc non satis clarè ostenditur necessitas ejusmodi attentionis ad valorem & meritum actionis sacramentalis continuatæ, quæ cum plena & perfecta deliberatione est inchoata, ejusmodi (inquam) attentionis præsertim circa finem Sacramenti.

Admissâ sufficientiâ attentionis tenuis ad inchoandũ meritum, non ostenditur ejus necessitas ad valorem Sacramenti; præsertim circa finem Sacramenti.

Quod solùm videtur velle Scotus (ut colligo ex verbis ejus supra relatis ad calcem conclus. 6.) explicans enim intentionem virtualem, ponit exemplum peregrinantis ad S. Jacobum, confirmans exemplo Martyris. Et de primo dicit: *Ex intentione hujus finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de S. Jacobo, nec de reverentia ejus.* Quis autem dubitet eum cogitare de suo itinere, in quo de facto laborat? 127.

127. Quod solùm intendit Scotus.

Sicut laborans in vinea tota die propter mercedem ad alendam familiam, quamvis non continuò cogitet de isto fine aut de labore suo propter istum finem, indubitatè tamen advertit & vult laborem corporalem, in quo actualiter occupatur.

Similiter quamquàm Martyres propter immensitatem pœnarum fortè non habuerint semper perfectum usum rationis, quo continuò adverterent ad finem priùs deliberatè intentum, videlicet fidem Deo servandam; non videtur tamen ordinariè ita usum rationis in ipsis fuisse extinctum, ut nullo modo adverterent ad mate-

materialia tormenta, quæ patiebantur.

Qualiter vi tormentorum, usu rationis sopito, mereantur Martyres.

Quòd si aliquando vi tormentorum adeò usus rationis fuerit sopitus, ut essent instar dormientium, tunc eo modo meriti sunt per illas passiones, quo modo quis demeretur, qui plenè deliberatè disponit se ad fornicandum, etsi fornicatio in somno perficiatur, ut existimat Doctor Subtilis 3. dist. 15. n. 18. ibi: *Et si objicitur, quòd tunc fortis politicus non virtuosè exponit se talibus passionibus excessivis, quia in eis non potest uti virtute propter vehementiam earum, & ita privat se virtute. Respondeo ipsum pati tales dolores, est obiectum bonum eligibile propter bonum finem: & ideo electio habens illud pro obiecto bona est adhibitis circumstantijs debitis circumstantibus eam, licèt bonus actus formaliter, qui est dilectio voluntatis, non maneat cum talibus tormentis, passionibus coniunctis, ad quæ se exponit. Ita etiam exponens se fornicationi, si in momento summæ delectationis non utatur ratione, nec per consequens voluntate; peccat tamen mortaliter exponendo se illi passioni, in qua non potest uti ratione: quemadmodùm aliquis potest meritoriè vel demeritoriè exponere se dormitioni propter bonum finem, in qua non potest uti ratione.* Itaque in illa circumstantia rerum, perpessio pœnarum in Martyre potiùs erit effectus meriti, quàm meritum formaliter, sicuti fornicatio illa non est peccatum formaliter, sed effectus peccati.

Scotus.

128. Accedit ad propositum nostrum, quod habet Doctor. 2. dist. 41. n. 2. ubi assignans triplicem modum, quo actus aliquis possit referri ex charitate in finem ultimum, his verbis describit relationem virtualem: *Alio modo virtualiter, sicut ex cognitione & dilectione finis deventum est ad volitionem huius entis ad finem; puta ex cognitione & dilectione Dei pertinente ad portionem superiorem, portio inferior considerat talem actum, puta pœnitentiæ, esse assumendum, & postea illum exequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoscitur, nec diligitur.* Similiter ergo Scotus ab intentione virtuali non separat omnem prorsus advertentiam & volitionem, sed dumtaxat advertentiam & volitionem finis, præsertim perfectam illam & omninò deliberatam, quæ fuit incipiendi seriem certarum actionum ad eundem finem conducentium.

Idem.

129. Hæc satis superque pro solutione argumenti Theologici. Examinemus Philosophicum, quod est tale: Quando operatio est tempore interrupta, non solùm ab ipsa intentione, quæ in se jam cessavit, verùm neque ab ipso effectu externo, qui cum tali intentione incæpit, potest procedere: atqui in administratione Sacramentorum sæpe interveniunt aut saltem possunt intervenire actiones omninò impertinentes; ergo &c.

Respondeo: tot & tam graves actiones indifferentes possent intercurrere, quòd intentio virtualis non maneret; ac proinde nisi prior intentio post illas actiones resumeretur, Sacramentum minimè conficeretur. Cæterum quod parum est; in moralibus pro nihilo reputatur. Porro actio Sacramentalis quamvis in rigore physica sit; non tamen nisi compositum aliquod morale, quod moraliter causat suum effectum, ex institutione & juxta voluntatem Christi. Potuit autem Christus instituere Sacramentum independenter ab intentione ministri, ergo etiam ut sufficiat intentio actualis moraliter continuata, licèt physicè interrupta.

Responsio ad argumentum Philosophicum.

Et certè ita Christum de facto instituisse, 130.
colligimus ex communi sensu Ecclesiæ, quæ expressè nunquàm requisivit à ministro Sacramenti tenuem illam & confusam advertentiam. Nec mirum, cùm minister (ut vult Dicast. sup. n. 100.) non discernat se operari cum tali advertentia aut intentione; ut videre (inquit) est in ijs, qui ex habitu pulsant instrumentum aliquod musicum. Nam cùm artificiosè satis & perfectissimè ludant fidibus, necessariò id præstare debent cum advertentia mentis & motione voluntatis, & tamen nec in ipsa actione versantes sæpe advertunt se advertere, nec suæ advertentiæ postea recordantur.

Sed nunquid aliquando advertunt? Quis ambigat? Et nonne in somno posset quis artificiosè pulsare cytharam, legere, cantare, scribere &c? Unde igitur scit se advertere in vigilia, si non advertat se advertere?

Profectò asserendum est vel semper in 131.
homine distracto reperiri illam confusam advertentiam, vel certè quandocumque aliquis distractè administravit Sacramentum, dubius erit & anxius de valore sui actûs, quod magnum esset inconveniens; ut proinde non existimem Deum, qui suaviter omnia disponit, plus exigere ad valorem Sacramenti, quàm intentionem virtualem, ut Scotus & alij veteres Scholastici eam explicant, quamvis fortassis non adesset illa confusa advertentia, quam nemo scire potest se habuisse. Equidem vix dubito, si talis minister interrogaretur, quarè v. g. abluat & proferat hujusmodi verba, quin statim responderet, utique ad conficiendum Sacramentum: contrarium certò certiùs eveniret in homine ebrio aut dormiente.

Et

132. Et hactenus quidem de secunda divisione intentionis. Sequitur tertia in intentionem absolutam & conditionatam. Notitiam terminorum suppono; Theologis enim scribo. Neque est Theologus, qui dubitet de sufficientia intentionis absolutę. Et cùm triplex sit conditionata, de præsenti, præterito & futuro, satis convenit inter Doctores conditionatam de præsenti & præterito ratam esse in omni Sacramento; pro solo autem Matrimonio, etiam de futuro, Sit itaque

CONCLUSIO IX.

Omnia Sacramenta validè ministrantur sub conditione de præsenti vel præterito: solùm Matrimonium recipit conditionem de futuro, id est, suspensivam valoris.

133. Sacramenta debent ministrari absolutè. SAcramenta debent ministrari absolutè, hoc est, sine appositione alicujus conditionis extrinsecæ, id est, quæ de jure non inest (puta: *Si pater consentiat: Si es prædestinatus: Si Christus mortuus est pro nobis &c.*) nisi subsit justa causa. Quod luculenter probat universalis praxis Ecclesiæ, à qua non receditur saltem sine peccato veniali, subinde etiam non absque peccato mortali, ut patebit ex dicendis. Hoc prænotato

Sacramenta validè ministrantur sub conditione de præsenti vel præterito naturaliter cognoscibili. Instit. de verb. oblig. Prima pars conclusionis est communis, intellecta de conditione naturaliter cognoscibili. Ratio patet: quia talis intentio conditionalis transit in absolutam, juxta illud Instit. de Verb. oblig. §. 7. *Conditiones quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omninò non differunt. Veluti:* Si Titius consul fuit, *vel* Si Mævius vivit, dare spondes? *Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se habent, statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.* Ita jus civile, quo utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus contradicat, cap. 1. de Novi operis nuntiatione, ibi: *Quia verò sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuvantur.* (Cap. 1. de novi operis nuntiatione.)

Quin immò jus Canonicum expresse decernit Baptismum conditionatum cap. 2. de Baptismo, dicens: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* (Cap. 2. de Baptismo.) De valore ergo hujus Baptismi non est ambigendum.

Dubitatur autem, an valeat Sacramentum sub conditione naturaliter incognoscibili? v. g. baptizat aliquis sub conditione: *Si suscipiens est prædestinatus.* Quæritur (inquam) an talis Baptismus sit validus ex hypothesi, quòd suscipiens sit prædestinatus? Asserit Suarez disp. 13. sect. 3. ante conclus. 4. se non invenire sufficientem rationem, quę convincat ad dicendum, ex hac intentione in re ipsa non confici Sacramentum, si conditio posita in re ipsa existit, quamvis ignoretur. Censeo tamen (inquit) inprimis talem modum esse iniquissimum, & gravissimum sacrilegium continere; utique propter incertitudinem & periculum nullitatis. 134. An valeat Sacramentum sub conditione naturaliter incognoscibili? Sententia Suarez.

Addit, tale Sacramentum esse iterandum (saltem sub conditione) quia & simpliciter dubium est, an intentio sub tali conditione sit sufficiens, & saltem hîc & nunc in tali persona est incertum, an in re existat talis conditio. Cùm tamen, licèt fortasse contingat non esse prædestinatum, nihilominus baptizari debeat. Quod verum existimat, etiam in casu, quo ex eventu futuro constare posset de existentia conditionis pro tempore Baptismi collati, puta si conditio fuerit: *Si Deus sciat te hoc anno victurum.* Rationem assignat: quia non debet homo esse suspensus & dubius de suscepto Sacramento. 135.

Sed nescio, quarè hic Auctor simpliciter dubitet de validitate istius Sacramenti, si conditio in re existat, cùm nullam adferat rationem dubitandi præter incertitudinem & indecentiam, quæ ex illa oritur. Et licèt propter illam indecentiam aliquibus videatur, Christum, qui prudentissimè instituit Sacramenta, non voluisse pro illo casu valere Sacramentum; equidem facillimè respondetur, multa nobis apparere imprudenter facta, quæ tamen in judicio Dei sunt prudentissima. 136. Non rectè dubitat Suarez de validitate Sacramenti, si conditio in re existat.

Quid enim imprudentius apparet humanæ ratiocinationi, quàm Deum hominem in excelsum montem, vel in sanctam civitatem à diabolo assumi? *Mens refugit credere* (verba sunt S. Gregorij Papæ homil. 16. in Euangelia) *humana hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensamus. Certè iniquorum omnium caput diabolus est, & huius capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? an non diaboli membra Iudæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo* (S. Greg.)

mirum

mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi?

137. Hæc & similia apparent humano intellectui irrationabilia, quæ tamen in consistorio SS. Trinitatis, prudentissimè sunt disposita. Et quis dubitet multa alia magis indecentia ex malitia hominum fieri in administratione & confectione Sacramentorum, quæ proptereà non reddunt Sacramenta irrita? Christus igitur prudenter instituit, ut generaliter Sacramentum valeat sub conditione de præsenti & præterito, quamvìs per accidens ex malitia hominum inde sequatur aliquod inconveniens. Hinc omnes docent valere Sacramentum, quod confertur sub conditione de præsenti, quam minister suâ culpâ ignorat in re existere, licèt mortaliter peccet sic administrando.

138. *Suarez.* Et sanè (ut bene advertit Suarez suprà) sæpe quis baptizatur sub hac conditione: *Si non es baptizatus*, quamvìs illa conditio sciri non possit.

Non est differentia inter has conditiones: si non es baptizatus, & : si es prædestinatus, nisi quoad licitum.

Dices: Magna est differentia inter hanc conditionem, & illam: *Si es prædestinatus*; tum quia est de re humana, quæ per se loquendo & sciri potest, & per accidens est occulta; tum maximè quia licèt propter talem conditionem incertum sit, an præsens Baptismus sit validus; tamen simpliciter est certum, hunc hominem manere baptizatum vel præsenti Baptismo, vel præterito: secùs quando conditio naturaliter est incognoscibilis; tunc siquidem & ipse Baptismus, qui sub tali conditione confertur, incertus est; & simpliciter dubium est, an talis homo sit baptizatus. Cùm ergo illa conditio sit omninò aliena ab humana cognitione, præter humanum operandi modum est aliquid sub ea velle efficere.

Cap. Ad Apostolicam de Regul.

Respondeo: Illa differentia solùm probat ministerium illicitum, non autem invalidum; etenim secundùm jus Canonicum cap. *Ad Apostolicam* 16. de Regul. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Accedit, quòd Deus, cujus est habere ratum vel irritum Sacramentum, optimè noverit adimpletionem vel non adimpletionem conditionis.

139. *Objectio.* Dices: Ergo Sacerdos validè applicabit fructum Sacrificij pro illo, quem Deus novit primò petiturum. *Responsio.* Respondeo concedendo totum, si pro necessitate aliqua jam nunc existente, v. g. pro aliquo jam nunc defuncto.

Instantia. Sed contra: Congregatio Cardinalium Concil. Trident. interpretum, & ex ejusdem congregationis sententia Paulus V. hujusmodi consuetudinem Sacrificia applicandi tanquam periculosam, fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit ac improbavit, mandavitque Cardinali de Guevarra Archiepiscopo Hispalensi, talem usum abolere & prohibere Excommunicationis atque alijs pœnis.

Respondeo Primò: Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Hæc autem verba prohibitionem tantùm sonant, non etiam irritationem aut invaliditatem, de qua hîc solùm disputamus. 140. *Responsio I.*

Respondeo Secundò, declarationem non expressè loqui in nostro casu quando offertur Sacrificium pro necessitate præsente, idque sub conditione præscientiæ Dei, ut patet ex verbis quæ generalia quidem sunt, distinguenda tamen, ubi ratio sufficiens distinctionis occurrit. Meritò autem generaliter Pontifex illam consuetudinem prohibuit tanquàm periculosam &c. quia sæpiùs occurrere potest, ut necessitas illa, pro qua postea prima Missa est petenda, non sit præsens, & per consequens non prosit illi, qui postmodum offert stipendium. *Responsio II.*

Prætereà fieri potest, ut subjectum pro tunc non sit capax fructûs Sacrificij, utpote in peccato mortali, vel quia non indiget satisfactione; aut certè si indiget pro aliquibus venialibus, nondum tamen de illis dolebat, & per consequens non poterat liberari à reatu pœnæ per Sacrificium; non enim pœna remittitur ante culpam. 141.

Adde, ex parte offerentis stipem minui fructum; nam petendo missam & offerendo stipendium, concurrimus suo modo, & offerimus illud Sacrificium cum Sacerdote, cui oblationi correspondet partialis fructus, ut videbimus agentes de fructu Sacrificij. Propter hæc itaque fatentur omnes, jure meritissimo illam consuetudinem esse prohibitam à Pontifice, & in praxi à Prælatis inferioribus debere prohiberi. Auctores pro una & altera parte vide apud Dianam Tract. de Celeb. Miss. resol. 15. *Diana.*

Hucusque de prima parte conclusionis. Discutiamus secundam, quæ duplicem habet exponentem. Prima sit: Matrimonium recipit conditionem suspensivam valoris. Secunda: nullum aliud Sacramentum illam admittit. Utraque est certa & recepta in praxi; non defuit tamen modernus aliquis Theologus (inquit Lugo de Pœnitentia disp. 13. n. 108.) qui speculativè probabile esse dixerit, valere absolutionem Sacramentalem sub conditione de futuro, v. g. *Si cras restitueris*, quâ adveniente, incipiat absolutè habere effectum. 142. *Matrimonium recipit conditionem suspensivam valoris, & nullum aliud Sacramentum illam admittit. Lugo.*

Quod

Conditio de futuro non suspendens valorem, potiùs est de præsenti. *Instit. de verb. oblig.*

Quod addo: quia conditio de futuro, quæ non suspendit valorem, v. g. *Si Deus videat te crastina die restituturum quæ injustè rapuisti*, non ita est de futuro, quàm de præsenti. Quin imò sola conditio suspensiva propriè in jure vocatur conditio, Instit. de verb. oblig. §. 5. *Sub conditione stipulatio fit, cùm in aliquem casum differtur obligatio: ut si aliquid factum fuerit vel non fuerit, committatur stipulatio.*

Quid si ergo Confessarius dicat: *Absolvo te pro nunc, si cras restitues?* Sanè illicita est absolutio, quia contra consuetum modum: interim apparet valida, quia impræsentiarum verum est (quamvis ignotum) id, ad quod sententia restringitur: siquidem sufficit impleri conditionem pro illa temporis differentia, pro qua minister intendit.

Nec verò repugnat valorem præsentem pendere à futuro, prout patet in emptione inita cum pacto legis commissoriæ facto verbis directis, sic ut si conditio de futuro postea non impleatur, v. g. si intra certum tempus pretium non solvatur, contractus sit nullus, atque adeò res ab initio inempta. Quod ipsum admittendum est mediatè contingere in collatione Sacramenti sub hac conditione: *Si Deus futurum noverit*; quandoquidem prævisio divina, etsi præsens, præsupponat objecti futuritionem.

143. Cur Matrimonium recipiat conditionem suspēsivam valoris.

Sed (ut progrediamur) quæ putas est ratio primæ exponentis? Existimo, quia cæteri contractus recipiunt conditionem suspensivam, nisi aliter legibus instituti sint: nullibi autem jus generaliter prohibet apponere conditionem contractui matrimoniali; quin imò pluribus locis significat aliquando id licere, ut suo loco videbimus. Porro quæ contractûs, eadem est ratio Sacramenti; nam Christus non immutavit naturam contractûs, sed dumtaxat eam ad dignitatem Sacramenti elevavit.

Hinc in multis non valet argumentum à Sacramento Matrimonij ad Baptismum, Confirmationem &c. uti nec in præsenti materia. Ratio est: quia Christus hæc Sacramenta non reperit quoad suum materiale, sed prout voluit, instituit: instituit autem ut valerent tunc, quando poneretur materia & forma, ut liquidò constat ex consensu omnium DD. qui hactenus de Sacramentis scripserunt. Insuper instituit pro formâ verba propriè dicta, cùm tamen in Matrimonio sufficiant æquivalentia.

144. Cur cætera Sacramenta non recipiant talem conditionem.

Hæc ergo est probatio secundæ exponentis, de qua sic discurro: Sacramenta tunc valent & conferunt effectum, quando ponitur materia & forma; atqui in Baptismo & cæteris omnibus, præter Matrimonium, vel ponitur materia & forma ante conditionem impletam, vel nunquam ponitur; ergo vel tunc valent, vel nunquam. Probatur minor, quæ sola habet difficultatem: quia materia, v. g. Baptismi, est realis ablutio; forma, verba realia, *Ego te baptizo* &c. atquì quando impletur conditio suspensiva, neque ablutio realis, neque verba realia ampliùs existunt; ergo &c.

Dices: Existunt virtualiter in relatione ministri ad tempus futurum, seu potiùs in conditione futura; quemadmodùm existit consensus matrimonialis, qui est forma Sacramenti Matrimonij. 145. Objectio.

Respondeo: Ad alia Sacramenta non sufficit virtualis existentia materiæ & formæ, seu materia & forma virtualis, sed requiritur materia & forma actualis seu realis. Ratio voluntas Christi, quæ ostenditur per continuum usum totius Ecclesiæ, in qua nunquàm legitur aliquod Sacramentum, præter Matrimonium, collatum fuisse sub conditione suspensiva; sed semper Ecclesia judicavit, & adhuc judicat non esse in potestate ministri suspendere effectum Sacramenti positâ materiâ, formâ & debitâ intentione: alioquin dicamus Sacerdotem posse consecrare, aut Confessarium absolvere pro crastina die. Responsio.

Contra: Minister non intendit nunc absolutè ministrare Sacramentum. Esto: ergo efficiet positâ conditione, cùm jam intentio ejus conditionata transierit in absolutam, nego consequentiam; sola quippe intentio non est causa Sacramenti, sed insuper legitima materia & forma; v. g. in Baptismo realis ablutio, & realia verba: *Ego te baptizo* &c. 146.

Instas: Neque minister Matrimonij potest suspendere effectum Sacramenti positâ materiâ, formâ & legitimâ intentione. Respondeo concedendo totum: sed disparitas est, quòd forma Sacramenti Matrimonij (quæ est consensus absolutus quocumque signo externo expressus, actualis aut virtualis) tunc solùm ponitur, quando conditio adimpletur; secùs formæ aliorum Sacramentorum. 147.

In rigore nequidem Sacramentum Matrimonij ministratur sub conditione.

Unde in rigore loquendo nequidem Sacramentum Matrimonij ministratur sub conditione, sed potiùs contractus matrimonialis incipit; perficitur autem tam in ratione contractûs, quàm Sacramenti, impletâ conditione; hoc est, impletâ conditione, vel quando jam impletur,

Z verum

verum est dicere : *Nunc est Sacramentum Matrimonij, & antea non fuit.* Quarè sufficit ne contrahentes peccent, quòd sint in statu gratiæ, quando adimpletur conditio. Alias difficultates differo in proprium locum.

148. Non valet argumentum à sententia judiciali extra Sacramentum ad sententiam Sacramentalem.

Ex his satìs colligitur, non rectè deduci argumentum à sententia judiciali extra Sacramentum ad sententiam Sacramentalem, quam de novo Christus instituit, & essentialiter voluit consistere in verbali absolutione. Sicut ergo non sequitur : sententia extra Sacramentum potest ferri scripto vel in absentem, igitur & in Sacramento; ita etiam ex valore sententiæ conditionalis de futuro extra Sacramentum, malè infertur valor hujusmodi sententiæ in Sacramento; nisi idem velimus dicere de Sacramento Ordinis, in quo confertur potestas; quia & aliæ collationes potestatum sic fieri possunt, quod est inauditum. Itaque Christus non instituit in nova Lege sententiam utcumque, sed taliter prolatam, per talem ritum & formulam verborum, non æquivalentium, sed formalium & realium. Plura in materia de Pœnitentia.

Ad alia festino, & quæro ultimò, an intentio debeat ferri super materiam determinatam? Pro responsione instituitur

CONCLUSIO X.

Intentio faciendi quod facit Ecclesia, necessariò debet esse circa materiam determinatam.

149. Est communis & certa. Colligo ex verbis formarum : *Ego te baptizo, absolvo* &c. *Hoc est corpus* &c. *Confirmo te : Indulgeat tibi Deus : Accipe potestatem : Accipio te in meum, vel meam.* Quæ omnia significant determinatam materiam ex qua aut circa quam Sacramenti. Et quid mirum, quandoquidem intentio ministri operativa sit & efficax, actiones autem sint circa singularia?

Determinationi materiæ qualiter non obstet error privatus.

Porro huic determinationi non obstat error privatus, quo quis existimat se solùm habere unam hostiam consecrandam, cùm sint plures; aut quo putat se baptizare, confirmare, absolvere, inungere, ordinare Petrum, & est Paulus; si modò habuerit intentionem generalem consecrandi omnes hostias ante se positas, similiter baptizandi, confirmandi &c. personam præsentem, quæcumque illa sit, aut quomodocumque vocetur. Et hæc censetur ordinaria cujuslibet intentio in his Sacramentis, quando non constat de contraria, ne Sacramentum absque ratione exponatur nullitati.

Dico : *In his Sacramentis*; quia in Matrimonio regulariter minister alligat suam intentionem ad hanc particularem personam, non autem ad quamlibet præsentem. Do disparitatem : quia multùm interest ministro Matrimonij, cum qua persona contrahat; parum autem vel nihil ministro aliorum Sacramentorum, quam personam confirmet, baptizet &c. 150. Quid dicendum de materia Matrimonij.

Cæterùm, si contrahens Matrimonium dicat : *Accipio in meam coniugem personam hic præsentem quæcumque tandem sit*, error personæ non invalidabit contractum; quippe speculativus solùm est, & non practicus, id est, contractus non dirigitur illo errore : & è converso, si consecrans v. g. intendat hanc hostiam quam posuit, & nullam aliam, error circa materiam reddet consecrationem irritam, utpote quæ illo errore dirigitur; idem est de Baptismo, Confirmatione &c. si minister adstringat suam intentionem ad certam personam.

Petes, an ergo sit invalida Ordinatio eorum, qui accedunt cum legitimo aliquo impedimento, puta irregulares, aut carentes patrimonio & beneficio, vel legitimis litteris dimissorijs &c? Solet namque in aliquibus locis Officialis Episcopi ante Ordinum collationem publicè protestari, Episcopum non habere intentionem eos ordinandi. 151. Utrum sit invalida ordinatio accedentium cum legitimo aliquo impedimento?

Respondeo affirmativè, si reverà Episcopus habeat talem intentionem. Putant tamen aliqui, protestationem illam solùm fieri ad terrendum; Episcopum autem habere absolutum animum ordinandi eum qui accedit, quicumque ille sit; tum quia in Pontificali non invenitur talis protestatio, sed formula dumtaxat, quâ ordinandi moneantur ab Episcopo, vel ex parte ejus, nè accedant cum aliquo impedimento; tum etiam propter inconvenientia, quæ nata sunt sequi ex tam generali, restricta & conditionata voluntate; facilè siquidem contingere potest, ut quis habeat impedimentum & nesciat, vel non recordetur : item potest oriri dubium, an reverà habuerit impedimentum. Non debet autem res adeò gravis exponi tam facili periculo nullitatis & reordinationis. Quidquid de hoc sit; Lugo disp. 8. sect. 7. in fine consulit eo modo

Ordinato

Ordinato cum impedimento, ut adeat Episcopum, ejusque exploret intentionem; vel si id fieri nequeat, recipiat iterum sub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio cum periculo invaliditatis aliorum Sacramentorum, quæ ex Ordinatione pendent.

152. *Cur contractus Matrimonij non sit æquè validus, ac contractus emptionis, etsi alia res numero substituatur.* Petes rursum, cùm contractus emptionis communiter valeant, etsi alia res numero, ejusdem tamen speciei & æqualis bonitatis, substituatur; cur (inquam) contractus Matrimonij non sit validus, si persona quæ substituitur, sit æquè bona, pulchra &c. Pro responsione

Nota ex tract. de Justitia & Jure, quemlibet contractum irritari per errorem in substantia rei; v. g. qui vendit vitrum putanti esse gemmam, non facit validam venditionem. Ratio est manifesta: quia deest consensus in talem rem; nihil quippe volitum, nisi cognitum: porro consensus est essentia contractûs.

L. 9. ff. de Contrah. empt. Et ita decernitur ff. de Contrah. emptione L. 9. *In venditionibus* (inquit) *& emptionibus consensum debere intercedere, palam est ..... Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti; quia in corpore dissensimus, emptio nulla est.* Et infra: *Inde quæritur, si in ipso corpore non erratur, sed in substantia error sit, ut puta si acetum pro vino veneat, æs pro auro, vel plumbum pro argento, vel quid aliud argenti simile, an emptio & venditio sit?* Respondet Ulpianus: *Si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit ut embamma*, id est, intinctus; *aliud pro alio venisse videtur: in cæteris autem nullam esse venditionem puto quotiens in materia erratur.* Porro quis audeat vel leviter suspicari, non errari in materia Matrimonij, si una persona pro alia obtrudatur? Equidem variatio personæ in hominibus æquivalet variationi speciei in alijs rebus.

Molina. Unde etiam (secundùm Molinam de Justitia Tomo 2. disp. 340. n. 21.) talis variatio facit irritam emptionem servi & ancillæ, juxta legem civilem mox allegatam, ibi: *Idem est, si ego me Stichum, tu Pamphilum absentem vendere putasti: nam cum in corpore dissentiatur, apparet nullam esse venditionem.* Quanto potiori jure emptionem (ut sic loquar) conjugis, ex cujus variatione maxima resultat diversitas ad intentum Matrimonij, & vitam communem perpetuam?

153. Rationabiliter ergo contrahens Matrimonium censetur suam voluntatem alligare ad hanc personam, etiam magìs, quàm emens aurum alligat suam voluntatem ad aurum. Contrarium evenit in emptione vini, vestis & similium rerum; parum enim refert ad intentum ementis sive hæc, sive alia numero, aut etiam aliquando specie diversa detur, dummodò sit æquè bona.

Contra: Etiam alia uxor poterit esse æquè bona, imò fortè melior. Respondeo hanc æqualitatem aut meliorationem non posse ab hominibus prævideri, cùm pendeat ex quàm plurimis circumstantijs, ut placeat conjugi vel displiceat. Quarè meritò quisque non alieno, sed suo vult judicio fidere in re tanti momenti. *Non obstat Conclusioni uxorem non intentam posse esse intenta meliorem.*

Hucusque de conditionibus necessarijs in ministro ad validam administrationem Sacramenti. Ad licitam verò insuper requiritur, Primò sanctitas sive status gratiæ. Sed nunquid sub gravi obligatione?

CONCLUSIO XI.

Peccat mortaliter qui absque necessitate conficit Sacramentum in malo statu, præsertim si ex officio ad id est consecratus.

Quòd sit aliquod peccatum absque urgenti necessitate conficere Sacramentum in peccato mortali, nemo dubitat. 154. *Peccat conficiens Sacramentum in malo statu. S. August.* Testis est D. August. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 10. post medium, & habetur 1. quæst. 1. cap. 78. *Omnia* (inquit) *Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Testis Nicol. I. ad consulta Bulgarorum cap. 71. & habetur 16. q. 8. cap. ultimo, ibi: *Nicolaus I.* *Porro qualiscumque Sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest. Idcirco ab eo, usquequo judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona administrando se tantummodò lædunt; & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat; & unde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.*

Trident. Accedat testimonium Concilij Trident. sess. 13. cap. 7. *Non decet* (inquit) *ad sacras ullas functiones quemquam accedere nisi sanctè.* In quibus verbis pro fundamento hujus obligationis sive decentiæ statuit Concilium sanctitatem operis. Unde subdit: *Certè quò magìs sanctitas & divinitas cælestis hujus Sacramenti* (Eucharistiæ) *viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, nè absque magna reverentia & sanctitate ad id peri-*

percipiendum accedat. Addere possumus: *Et ad conficiendum.* Quemadmodùm ergo ad minùs venialiter peccat, qui suscipit Sacramentum in malo statu, præcisè propter Sacramenti sanctitatem; ita etiam pari ratione, qui conficit.

155. Et certè si ministros Sacramentorum veteris Legis oportebat esse mundos, juxta illud Isaiæ 52. v. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini*; quantò magis convenit ministros Sacramentorum Legis Euangelicæ esse mundos & sanctos? Quippe in tantùm perfectione, dignitate & sanctitate Sacramenta novæ Legis excedunt Sacramenta antiqui testamenti, in quantùm sanctitas vera, id est, gratia sanctificans, per quam homo constituitur filius Dei adoptivi, excedit gratiam sive sanctitatem legalem, quæ non consistebat nisi in mundiria quadam corporali aut remotione quarumdam legalium irregularitatum.

Isaiæ 52.

156. Profectò tanti æstimatur à multis causalitas illa moralis gratiæ sanctificantis, quæ propria est Sacramentis à Christo institutis, ut propter illam solam non dubitanter asserant, reos esse peccati mortalis, qui Sacramentum quodcumque ministrant in malo statu, etiamsi ad hoc ex officio specialiter non sint consecrati. Ita Vasquez disp. 136. cap. 3. à num. 26. cum alijs, quos citat & sequitur Emin. Lugo disp. 8. num. 149. Licèt enim (inquit num. 148.) testimonia jam allegata non explicent malitiam peccati mortalis, sed solam malitiam & culpam, ex hoc tamen infertur, hanc posse esse culpam gravem quando materia est gravis, qualis videtur esse collatio Sacramentorum, quæ est res omnium sanctissima & gravissima; ut enim referri solet ex Dionysio Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia: *Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum.*

Sentiunt multi propter causalitatem moralem gratiæ sanctificantis, peccare mortaliter administrantes Sacramentum quodcumque in malo statu, etsi ad hoc ex officio non specialiter consecratos; ita Vasquez, Lugo & alij.

S. Dionysius.

Et ideo Christus tribuens discipulis potestatem remittendi peccata per infusionem gratiæ sanctificantis, præmisit Joan. 20. v. 22. hæc verba: *Accipite Spiritum Sanctum*, volens significare necessitatem Spiritûs Sancti inhabitantis eum, qui alios sanctificat.

Joan. 20.

157. Ratio itaque à priori hujus sententiæ rigidioris, est sanctitas illius actionis. Enimverò apparet valde indecens, quòd minister Sacramentorum, sive huic muneri specialiter deputatus sit, sive non, gerens personam Christi in illa actione, quâ confert alijs gratiam sanctificantem, sit mancipium diaboli & inimicus ipsius Christi, sive (ut loquitur Vasq.) quòd minister gratiæ neque concordet cum principali auctore gratiæ, neque cum instrumento.

Ratio Conclusionis ex sanctitate actionis.

Rationem à posteriori assignat Vasq. supra num. 36. ex Gabriële 4. dist. 5. quæst. unica art. 3. dub. 2. Si quis in actuali ministerio peccaret peccato odij, aut alio genere peccati mortalis, etiam peccaret mortali peccato sacrilegij contra Sacramentum, indignè nimirum illud tractans; atqui eadem est ratio peccati actualis, & habitualis; ergo &c.

Ratio à posteriori assignata à Vasquez ex Gabriële

Respondet Dicastillo disp. 3. num. 228. Primò, Majorem eâdem facilitate negari posse, quâ asseritur. Secundò, gratis concessâ majore, negat minorem; probabile quippe est peccare veniali sacrilegio qui recipit Eucharistiam in actuali peccato veniali, secùs in habituali.

A Dicastillone oppugnata

Sed contra: disparitas est, quòd moraliter homo non sit sine peccato habituali veniali; adeoque Deus non censetur illam dispositionem requirere; bene sine peccato veniali actuali, & mortali habituali.

Adstruitur.

158. Cæterùm, quamvis ex auctoritate & ratione hæc sententia sit probabilis, non tamen reddunt illam certam. Nec ego (inquit Joannes Poncius in Cursu suo Theologico disp. 41. quæst. 9. conclus. 1.) existimarem conveniens reddere jugum Domini gravius, quàm ipsemet expressit aut per se, aut per Ecclesiam suam, sive in Concilio generali aliquo, sive ex declaratione alicujus Pontificis. Unde refunderem hanc obligationem in jus positivum significatum sufficienter per communem consensum DD. consentiente Ecclesia, & confirmatum consuetudine communi omnium ministrorum Sacramentorum non laborantium ignorantiâ, qui omnes existimant se peccare mortaliter. Ita hic Auctor.

Conclusio ex auctoritate & ratione probabilis, non tamen est certa.

Joan. Poncius.

Non rectè refundit Poncius obligationem gravem in jus positivum.

Verùm ubi legerit communem illum consensum DD. vel quis indicaverit ei communem illam consuetudinem omnium ministrorum, ignoro; hoc scio, quàm plurimos DD. contradicere ipsius conclusioni (quæ generaliter affirmat, quemlibet ministrum peccare mortaliter) omnes (inquam) qui docent solum ministrum ad id specialiter consecratum peccare mortaliter; nec aliud communis consuetudo ministrorum declarat.

159. Quarè signanter in conclusione addidi: *Præsertim si ex officio* &c. Et de illo dumtaxat loquitur Paulus V. in Rituali Romano Titulo de ijs, quæ in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt, ibi: *Cùm igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihilq; excellentius*

Cur sit appositum Conclusioni: præsertim si ex officio, &c.

Rit. Rom.

aut

aut magis divinum habeatur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino instituta; Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni ferè temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuò curabit, ut integrè, castè, pièque vitam agat: nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque à pravis ministris eorum effectus impediri; impurè tamen & indignè ea ministrantes, in æterna mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat: sed si habeat copiam confessarij & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

Non dixit: *debeat confiteri*; quia tale præceptum divinum vel humanum non reperitur ad aliud Sacramentum, etiam recipiendum, præter Eucharistiam, de qua specialiter id constituitur vel declaratur à Concilio Trident. sess. 13. cap. 7. potiùs in ordine ad passivam illius receptionem, quàm ad administrationem. Sufficit ergo contritio; quam si bonâ fide putat se sacerdos elicuisse, poterit à novo peccato mortali per istam bonam fidem excusari. *Trident.*

160. *Cui sententia sic restricta innitatur.* Atque hæc sententia sic restricta est communissima, fundata in lumine naturali, quod dictat graviter adversari reverentiæ Deo ac rebus sacris debitæ, quòd hostis Dei ac Christi permanens voluntariè in statu tam indigno, tractet res tam sacras, quibus sanguis Christi sive ejus merita, ac vera sanctitas suscipienti communicatur, per actionem, ad quam ritè obeundam sit consecratus, & specialem potestatem ac sanctitatem acceperit.

Contrariæ sententiæ videri posset P. Marchant. Solus, quem scio, Reverendissimus P. Marchant in suo Tribunali Sacramentali nullâ innixus auctoritate & debili ratione permotus, videri posset velle refragari. Nam tomo 1. Tract. 2. tit. 5. q. 1. conclusionem quartam, quæ talis est: *Qui in peccato mortali actu existens confessiones audit & absolvit pœnitentem, mortaliter peccat*, sic explicat: Notanter (inquit) dixi (qui in peccato mortali actu existit) id est, qui in eo voluntate remanet, sive per actualem, vel virtualem malitiosam voluntatem, sive per complacentiam aut negligentiam; non enim illum actu in peccato mortali existere censeo, quem reverà de peccato mortali pœnitet, & jam ab illo aversus, voluntatem plenè ad Dominum conversam habet: etsi tamen, ob motum adhuc insufficientem ad perfectam contritionem, in peccati reatu existat.

Et q. 2. hanc ponit conclusionem secundam: *Nec confessarius tenetur ad perfectam contritionem, ita ut illius sit conscius, saltem opinativè & probabiliter.* Ratio (inquit) iterùm est: quia non extat tale præceptum; prætérquam etiam quòd sæpe sit in multis casibus moraliter impossibile: quis enim viâ ordinariâ se perfectè contritum judicare aut verè æstimare potest? sæpe etiam contingit, ut quis citò ad infirmum evocetur, ita ut non detur tempus aut medium, quo hujusmodi contritionem excitet, mente alijs fortè, quæ ad hoc ministerium spectant, distractâ. 161. *Idem.*

Quæris autem, ad quid ergo Confessarius teneatur? Respondet, & est conclusio 3. *Confessarius per se non tenetur nisi ad bonum & verum motum cordis, quo quantùm in se est, de peccato doleat, sitque totaliter aversus ab omni voluntate peccaminosa cum conversione ad Deum, & proposito opportunè confitendi.* Ratio est: quia hoc sufficit ut dicatur se verè præparare ad gratiam, & facere quod in se est juxta præsentem obligationem. Hæc Marchantius, cui in omnibus non possum subscribere, ut patebit ex dicendis. *Idem.*

Sanè quod attinet casum necessitatis: *Nemo potest ad impossibile obligari* Reg. 6. de Reg. Juris in 6. Hinc in conclusione, ex communi sententia, addidi illam restrictionem: *Absque necessitate*; quippe cum Sacramenta instituta sint in salutem animarum, non est irreverentia, si in extrema necessitate, ut subveniatur proximo, qui aliàs sine Baptismo aut Absolutione moreretur, ministrentur à peccatore. Sic enim videmus multa fieri circa personam Regis vel Principis in casu necessitatis, quæ extra illum gravissimam irreverentiam continerent. Præceptum ergo charitatis proximi periclitantis præponderat præcepto Religionis; non quòd possit in necessitate irreverenter tractari Sacramentum, sed quia ratione ipsius cessat irreverentia, quæ alioquin fieret. 162. *Qui impugnatur. Reg. 6. in 6.*

Ex quo tamen malè infertur conclusio generalis, hoc est, id etiam esse licitum extra necessitatem, ut prædictus Auctor videtur argumentari, & ante ipsum Vasq. 1. 2. q. 63. cap. 2. n. 9. in fine: Quis (inquit) dicere audeat licitum non esse ministrare Sacramentum absolutionis petenti illud in articulo mortis per sola signa contritionis, etiamsi sint contrariæ de hac re opiniones? quòd si licitum est ita succurrere existenti in periculo mortis, signum est alioqui sine tali necessitate licitum esse. *Ex licito in necessitate non rectè infertur licitum extra necessitatem: Quod tamen videtur fecisse Vasquez.*

Quæ isthæc consequentia? Similis planè illi: licitè ministratur agonizanti Sacramentum Baptismi in materia dubia, quando certa nequit haberi: ergo etiam sano homini & bene valenti, quando certa potest haberi. Quis Theologus sic argumentatur? Certè falsissimum est, ut ostenditur ex innumeris casibus in hac & alijs materijs moralibus, illud semper licere extra necessitatem, quod licet in necessitate.

163. Responsio ad rationem Marchantij. Porro ad rationem Marchantij Respondeo, extare virtutem Religionis, quæ supposità institutione Sacramentorum, jure naturali obligat ad dignam ac reverentem eorum ministrationem & susceptionem. Vel ergo non requiritur contritio existimata ad dignam susceptionem Confirmationis, Extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonij, quod est contra torrentem DD. sine ullo fundamento, & ab ipso Marchantio supra conclus. 3. negatur; vel etiam requiritur ad reverentem ministrationem.

Respondes cum Auctore allegato negando paritatem; disparitas enim (inquit) magna est: qui Sacramenta vivorum suscipere debet, si peccati mortalis sit conscius, urgetur præcepto speciali de non ponendo obicem Sacramento & ejus effectui: unde necessariò aut confiteri debet aut conteri. Ita Ille.

164. Ast interrogo, ubi extat tale præceptum? Faciliùs dicitur, quàm ostenditur. Sanè hactenus nemo aliud produxit, quàm quod legitur apud Apostolum 1. Cor. 11. v. 28.
1. Cor. 11. & 29. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Prætereà: minister tenetur facere quod vel quantùm in se est, ut in gratia ministrare possit: potuit autem confiteri cum attritione, & conteri cum proposito confessionis. Ita sibi objicit Marchantius supra. Respondet autem: Illud (*quod vel quantùm in se est*) non debere intelligi quoad omnia media, sed quoad ea tantùm, quæ sine superaddito gravamine in ejus potestate sunt, nimirum juxta modum, quo communiter peccatores à peccato averti solent, ubi singulare præceptum non est. Hic autem modus non est nisi per bonum cordis motum in Deum, & aversionem à peccatis, cum proposito opportuno tempore confitendi. Neque enim absque gravamine ad præceptum confessionis obligari quis potest, quod in sola perceptione Eucharistiæ obligare declaravit Ecclesia; neque contritionis necessitate, quæ non est in potestate hominis omni tempore, etiamsi præceptum de audienda confessione pœnitentis urgeret. Hucusque Marchantius.

Contra: Non magìs est in potestate hominis elicere contritionem, quando urget præceptum suscipiendi Eucharistiam, quàm dum instat præceptum administrandi Sacramentum Pœnitentiæ; ergo si peccator propter impossibilitatem excusatur ab irreverentia ministrando Sacramentum Pœnitentiæ in malo statu sine contritione existimata, etiam excusabitur suscipiendo Eucharistiam, cùm tamen Concil. Trident. sess. 3 cap. 7. declaret, eam probationem necessariam esse, *ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* 165.

Ergo supponit Concilium hominem obligari saltem ad contritionem; adeòque eam esse possibilem cum gratia Dei, quæ non deest facienti quod in se est, juxta commune Theologorum proverbium: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam,* maximè ad actus supernaturales, quando alioquin jure naturali vel divino præcipiuntur; nam (ut habet Regula Juris supra relata) *Nemo potest ad impossibile obligari.* Igitur si Deus obliget me ad actum supernaturalem, debet subministrare gratiam necessariam ad actum illum eliciendum, alioquin omissio illius non imputabitur mihi in peccatum. Proinde viâ ordinariâ, qui facit quod in se est ad eliciendam contritionem, verè & certò moraliter potest judicare & æstimare se perfectè contritum.

Nec aliam dispositionem exigit communissima & verissima sententia ad ministrationem & susceptionem Sacramentorum: 166.
non quòd nostra æstimatio aliquid conferat ad rem & sanctitatem, si vera contritio non sit; quin imò contingere posset, quòd qui magìs contritus est, minùs se æstimet contritum; sed quia hæc æstimatio possibilis est (scit enim unusquisque ob quod motivum doleat de peccatis) & reverentia debita Sacramentis videtur eam requirere tum ob sanctitatem ipsius Sacramenti, tum ob sanctitatem ministri, qui ad illud munus obeundum specialiter Deo est consecratus, & specialem à Deo accepit gratiam.

Ex dictis hac conclusione sequitur Primò, peccare mortaliter contra Religionem, Sacerdotem in malo statu consecrantem, absolventem, inungentem; Episcopum quoque, aut alium Sacerdotem ex commissione Papæ ordinantem vel confirmantem. Similiter Sacerdotem aut Diaconum ex commissione ejus solemniter baptizantem. 167. Sacerdos in malo statu consecrans, absolvens &c. peccat mortaliter.

Dico

D. Thom.

Dico *solemniter* : quia *in articulo necessitatis* (ait D. Tho. 3. parte q. 64. a. 6. ad 3.) *non peccaret* mortaliter *baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare : sic enim patet quòd non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti.* Qui à fortiori idem diceret de laico. Contrarium tamen non est improbabile, & sequitur manifestè ex sententia Vasq. Lugonis & aliorum, qui (ut diximus supra) existimant sufficere sanctitatem Sacramenti, quæ eadem dubio procul invenitur in Baptismo sive à Sacerdote, sive à laico, sive solemniter, si privatim ministrato.

Supposità necessitate specialis consecrationis ad graviter peccandum, plurimi adhuc docent graviter peccaturum baptizantem non solemniter.

Imò verò etiam multis ex illis, qui docent necessariam esse ad graviter peccandum specialem consecrationem, displicet illa sententia D. Tho. idque quia tales acceperunt gratiam Ordinationis ad baptizandum, etiam non solemniter. Quid si enim Ecclesia non instituisset Baptismum solemnem, sicut potuit non instituere, an ideo Sacerdos extra necessitatem baptizans in malo statu non peccasset mortaliter? Potest quidem in necessitate conferri Baptismus à non consecrato; si tamen confertur à consecrato, quidni & consecratio & specialis gratia concurrant? Certè ideo Sacerdos Diacono, Diaconus cæteris debet præferri, ut infra videbimus, ubi de ministro Baptismi.

168. Ex eadem diversitate sententiarum oritur, utrimque probabile esse, peccare scilicet, & non peccare novo peccato mortali contrahentes Matrimonium in malo statu, præcisè in quantùm sunt ministri. Equidem à prudenti pendet judicio, quæ in præsenti æstimari debeat gravis irreverentia, & quæ levis: multi autem prudentes judicant talem ministrationem esse irreverentiam gravem, multi etiam levem. Omnes conveniunt Parochum tali Matrimonio assistentem & sponsos benedicentem, non graviter inhonorare Sacramentum; quippe qui illud non ministrat, sed assistit tantummodò tanquam testis, sive notarius publicus ex voluntate Ecclesiæ essentialiter requisitus. Et hinc

169.

Sacerdos probabiliùs non peccat mortaliter audiendo Confessionem in peccato mortali, modò contritus absolvat.

Sequitur Secundò, Sacerdotem probabiliùs & veriùs non peccare mortaliter, audiendo confessionem in peccato mortali, modò contritus absolvat; quia ad mentem Doctoris Subtilis in sola absolutione essentialiter consistit Sacramentum Pœnitentiæ. Per confessionem quidem applicatur materia absolutionis, sed à pœnitente, confessario se habente merè passivè; posset siquidem absolvere, etsi præter intentionem audivisset. Quamvis ergo auditio latè sit actus judicialis, strictè tamen non est actio confessarij, sed potiùs effectus actionis pœnitentis. Unde per illam auditionem non operatur aliquam gratiam, sed est quid requisitum, ut per absolutionem, quæ est propria ejus actio, suo modo sanctificet. Cùmque pœnitens pro tunc non debeat esse in gratia, imò nequidem attritus (sufficit quippe, quòd ante absolutionem doleat) cur id requiratur in alio, qui materiam istam admittit?

Ita interrogat quidam recens Scriptor, & prosequitur: Materia ista non est ita collativa gratiæ uti forma: nam si esset, cur pœnitens non deberet esse pro tunc in gratia? sicut in Baptismo videtur debere Sacerdos esse in gratia & dum abluit & dum formam profert, cùm utrumque sit æquè collativum gratiæ. Alioquin dici posset sufficere, ut sit in statu gratiæ instanti collationis gratiæ sive prolationis ultimæ syllabæ. Equidem quis convincet ita dicentem? Tamen ampliùs refutatur, quia minister debet esse in statu gratiæ quatenùs ex officio confert gratiam, quod facit etiam dum incipit ponere partem : nam omnes partes æquè sunt collativæ gratiæ; neque ipse confert gratiam, nisi quatenùs conficit signum gratiæ, quod æquè competit toti Sacramento. Hactenùs ille.

Ast contra : quando pœnitens absolvitur, quando baptizatur infans vel adultus, non debent esse in gratia, & tamen in absolvente vel baptizante ex officio id requiritur. 170.

Prætereà, esto confessio sit pars essentialis Sacramenti, adeóque causativa gratiæ; num ideo bene sequitur: absolvens debet esse in statu gratiæ; ergo etiam confitens? Minimè. Et si causam quæris, audi quarè: confitens ponitur in statu gratiæ per ipsum Sacramentum; secùs absolvens. Quid si enim quispiam se ipsum validè posset baptizare aut absolvere, numquid requireretur status gratiæ ante completum Baptismum aut Absolutionem? Quomodò ergo erunt Sacramenta mortuorum? Communicet aliquis se ipsum, nonne ante communionem debet se probare per confessionem, aut saltem per contritionem? Quis ambigat? quippe Sacramentum est vivorum, quod per se non confert primam gratiam, sed præsupponit illam in subjecto.

Sic ergo Sacramentum Pœnitentiæ aut Baptismi præsupponit quidem gratiam in conferente, sed non in suscipiente. Optima igitur disparitas inter ablutionem & confessionem est, quòd in ista Sacerdos habeat se activè, in hac verò (ut dixi) solùm passivè:

passivè: vel in sententia Scotistarum, quòd Baptismus essentialiter consistat in ablutione & prolatione formæ, Pœnitentia autem in sola absolutione.

171. Sacerdos extra statū gratiæ Eucharistiam distribuens, peccat mortaliter. Est contra Vasquez Lugonem &c.

Sequitur tertiò probabiliter peccare mortaliter Sacerdotem, qui extra statum gratiæ distribuit Eucharistiam, etsi ab alio confectam. Ita passim Theologi, reclamante Vasq. disp. 136. cap. 3. n. 39. quem sequitur Em. Lugo disp. 8. n. 155. cum nonnullis alijs, quos refert Diana tomo 1. de Celeb. Miss. resol. 23. probabiliter contrarium opinantibus, eò quòd non conficiat Sacramentum, nec proximè sanctificet tanquàm minister Christi, utì in alijs Sacramentis; sed solùm localiter applicando Sacramentum, quod eodem modo daret gratiam etsi applicatum fuisset à laico vel amente. Neque enim communicans alios est causa moralis gratiæ, id est, movens Deum ad dandam gratiam; quamvis alio sensu minùs proprio possit dici causa moralis, quia videlicet applicat Eucharistiam ex intentione sanctificandi; sicut qui inducit Presbyteros ut ungant infirmum, appellatur causa moralis illius unctionis.

Nec obstat, quòd Sacerdos ad hoc sit consecratus, quia (secundùm illos Doctores) consecratio per se non inducit obligationem, saltem gravem. Admittunt equidem actionem illam, quia aliquo modo sancta, proveniens à ministro ad illam ordinato, exigere aliquo modo sanctitatem ministri; non tamen ita graviter, ut ipsa confectio Sacramenti. Hæc pro sententia Vasquesij.

172. Probatio ex auctoritate præsertim Pauli V.

Contraria (quæ est communior in scholis) specialiter fundatur in auctoritate: nam cap. fin. 16. q. 8. Nicol. 1. expresè agit de ministrante Eucharistiam. Vide verba in principio hujus conclusionis. Verùm (ut superiùs notavi) Pontifex ibi non explicat malitiam mortalem, de qua sola hîc controvertitur. Meliùs ergo probatur auctoritate Pauli V. in Rituali Rom. Titulo supra citato, ubi postquàm de indignè ministrantibus Sacramenta generaliter dixisset: *In æternæ mortis reatum incurrunt*; §. *Cæterùm*, specificando Sacramenta, de quorum ministerio in generali egerat, & de quibus in speciali deinceps restabat in Rituali agendum, inter cætera enumerat Eucharistiam; utique ejus distributionem: nam illa sola Parochis propria est: *Cæterum* (inquit) *illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere præscribuntur; cujusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, extrema Unctio & Matrimonium.*

Et infra tractans particulariter de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento statim in principio Tituli majorem exigit venerationem in ejus administratione, dicens: *Omnibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis religiosè sanctèq; tractandis magna ac diligens cura adhibenda est; sed præcipuè in administrando ac suscipiendo Eucharistiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius & admirabilius habet Ecclesia Dei; cùm in eo contineatur præcipuum & maximum Dei donum, & ipsemet omnis gratiæ & sanctitatis fons auctorq; Christus Dominus.* Atque illa erit ratio hujus probabilis opinionis, puta, quia Sacerdos sustinet personam Christi (cui proprium est nos pascere corpore & sanguine suo) in munere augustissimo, id est, in administratione dignissimi Sacramenti, ad quam specialiter est consecratus.

Propter eamdem rationem putant aliqui idem dicendum esse de Diacono ministrante Eucharistiam ex commissione Sacerdotis: nam (inquiunt) Diaconus etiam ordinatur, ut ex commissione Sacerdotis ministret Eucharistiam: *Diaconum* quippe *oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare.* Ubi sub ministerio altaris comprehendi potest distributio Eucharistiæ. 173. An eadem sit ratio obligationis Sacerdotis & Diaconi.

Alij excusant Diaconum à peccato mortali, causantes ipsum ad hoc non ordinari jure divino, seu vi Sacramenti Diaconatûs, sed solùm assumi ex concessione Ecclesiæ à Sacerdote committente: à quo (si id vellet Ecclesia) etiam posset delegari idem ministerium Subdiacono, qui tamen idcirco non esset ad hoc ordinatus à Christo vi Subdiaconatûs; & olim dabatur Eucharistia singulis laicis servanda in tempus opportunum, & tunc proprijs manibus ori ingerenda: quod & modò fieri posset, si Ecclesia judicaret expedire.

Itaque ad hoc munus jure divino solus ordinatur Sacerdos juxta illud hymni matutinalis officij SS. Sacramenti: *Sic Sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit ut sumant & dent cæteris*: sic tamen, ut Deus non prohibuerit id alijs rationabiliter communicari; prout de facto Ecclesiâ ita permittente, Sacerdos necessitate occurrente dispensationem Dominici corporis committere potest Diacono, quemadmodùm olim Sixtus Pontifex commiserat dispensationem Dominici sanguinis B. Laurentio, ut legitur in divino officio Festi, Responsorio 4. *Experire* (inquit) *utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.*

Non itaque ex sua ordinatione habet

potestatem

174. Diaconus non habet ex sua ordinatione potestatem distribuendi Eucharistiam, uti habet potestatem baptizandi.

potestatem distribuendi Eucharistiam, uti habet potestatem baptizandi, sed dumtaxat præ cæteris aptior est ad hoc ministerium, quia peculiariter consecratus in ministrum immediatum Sacerdotis, adeoque ad serviendum in rebus dignioribus; Subdiaconus autem ordinatur ad ministrandum in alijs minùs dignis, ut proindè Diaconus ministret soli Sacerdoti, Subdiaconus autem Diacono. Et ita major causa requiritur ut in hoc ministerio Sacerdos utatur operâ Subdiaconi vel Laici, quàm Diaconi. Igitur per ministerium altaris quod ex vi Ordinationis suæ competit Diacono, propriè intelligitur cantatio Euangelij, & alia munia, quæ ordinario jure Diaconus obit in Sacrificio Missæ.

En probabilitas hujus opinionis magìs speculativæ quàm practicæ, cùm rarissimus hodie occurrat casus, in quo Diacono datur commissio ministrandi hoc Sacramentum.

175. An Sacerdos, supposito quòd peccet mortaliter, tot committat peccata mortalia numero distincta, quot sunt diversæ licèt continuæ distributiones Eucharistiæ.

Quæstio magìs practica est, an Sacerdos supposito quòd peccet mortaliter, tot committat peccata mortalia numero distincta, adeoque in confessione explicanda, quot sunt homines, quibus uno actu continuo & successivo distribuit Eucharistiam. Sed quia decisio non est hujus loci, elige quod placet; nam utraque pars est probabilis.

Affirmativa sententia Dicastillonis.

Affirmativam tenet Dicastillo disp. 3. n. 234. & plures alij, eò quòd singulæ distributiones sint diversæ actiones terminatæ & completæ, non componentes unam, sed omninò separatæ: sicuti si quis plures homines occideret diversis ictibus, continuò tamen & successivè: similiter si pluries, sed continuò fornicaretur, nemo dubitat quin committeret plura peccata numero distincta sigillatim in confessione explicanda; imò (secundùm illos Auctores) etsi plures unico ictu occideret.

176. Negativa sententia Tanneri, Henriquez, Dianæ, Marchantij Probatur ex ratione.

Nihilominùs negativam partem docent Tannerus, Henriquez, quos refert & sequitur Diana parte 1. Tract. de Circumstantijs resol. 41. Eamdem sustinet Marchantius Tomo 1. sui Tribunalis Tract. 3. Tit. 4. quæst. 2. conclus. 2. Reg. 2. vocans aliam opinionem intolerabilem. Ratio ipsius est: quia omnes illæ distributiones ad unum numero ministerium integrale, sive ad unam actionem moralem spectant. Distributio enim illa sive ministerium naturâ suâ non determinatur ad unam hostiam, quemadmodùm occisio aut fornicatio; sed per modum cœnæ & convivij postulat, ut omnibus ad mensam se præsentantibus eodem ministerio sacratissimus cibus apponatur. Unde Christus Apostolis accumbentibus dicebat per modum unius ministerij: *Comedite ex hoc omnes: bibite ex eo omnes*, etsi successivè singuli, etiam de manu ejus, acciperent.

Probat à simili: Caupo qui mensam apponit in tempore prohibito, vel prohibitis cibis instructam, cùm per modum unius convivij apponat, ex ratione ministerij, etiamsi viginti homines accumbant, tantùm unum peccatum committit. Probatur à simili.

177. Reprobatur simile.

Simile profectò nimiùm claudicans. Enimverò apponere mensam est actus de se indifferens, & peccatum dumtaxat scandali, idque indirecti, nisi caupo positivè intendat violationem jejunij, aut incitet vel urgeat ad comedendum, quo casu admittit Marchantius esse plura peccata. Dico (inquit) ex vi ministerij & appositionis; aliud enim est si singulos ad comedendum incitaret aut urgeret. At cur hoc? Nonne etiam ad rationem ministerij spectat invitare convivas ad comedendum & bibendum?

Dices: Quia invitando est positiva causa cur singuli illi peccent. Esto; etiam apponens mensam est causa, saltem negativa, cui imputantur omnia illa peccata, quæ à comedentibus committuntur, quia potuit & debuit impedire, & non impedivit.

Respondes, appositionem esse unicum actum moraliter. Sed contra: etiam invitatio potest esse unicus actus; nam possunt omnes simul una voce invitari: deinde quamvìs singulatim omnes invitarentur, cùm sit unicum convivium, moraliter erit una invitatio.

Assignet ergo Auctor ille differentiam inter appositionem & invitationem, cur magìs hæc sit multiplex peccatum, quàm illa; & fortè eadem reperietur inter appositionem & distributionem Eucharistiæ in malo statu, quæ est actus intrinsecè malus, & multiplex numero saltem physicè.

Cæteroquin cùm ipsa expositio Venerabilis in loco ordinario communicantium sit quasi appositio mensæ, etsi quis distinctis horis Eucharistiam distribueret, unicum solùm committeret peccatum; quod negat Marchantius supra in fine istius Regulæ, dicens: Si pluribus vicibus moraliter à se invicem distinctis se præsentet, sicut censetur in peccato mortali multiplicare ministerium, sic censetur multiplicare peccata. Sicut si quis in Natali Domini tres Missas in peccato mortali celebraret, ter peccatū mortale committeret. Similiter qui tribus distinctis temporibus se distributioni Sacræ Communionis, aut Cōfessionibus audiendis in peccato mortali exponeret, pro ratione triplicis ministerij distincti 178.

tria peccata mortalia incurreret. Hæc ille.

Sed quæro ego: quæ sunt illa tria tempora? Altum silentium. An forsitan tres distincti dies? An tres horæ? an tres quadrantes unius horæ? Quid si per triduum continuum maneat Sacramentum expositum? An toties peccabit, quoties de novo egreditur? Quid si ergo maneat per totum diem in altari & primâ horâ accedat unus, secundâ alius; sicuti manens in sede confessionali nunc unum absolvit, post quadrantem alium? Num recessus à sede erit necessarius ad multiplicationem peccatorum? Quid si Sacerdos in Natali Domini tres Missas celebret uno actu continuo & successivo non recedens ab altari?

Et (ut revertamur ad cauponem) quid si mensâ stratâ & cibis appositis, singulorum convivantium ori cibos ingereret, essetne unum numero peccatum? Quid si hâc horâ unus accederet, sequenti horâ alius; annè pluries peccasset caupo? Quid si plures successivè accederent indignè ad hoc Sacramentum, numquid minister absque multiplicatione peccatorum multiplicabit distributiones?

179. Doctrina Marchantij de eo qui in statu peccati mortalis exposuit se ad audiendas confessiones.

Sed pergamus cum Marchantio: Idem (inquit) censendum est de eo, qui se exposuit ad audiendas confessiones; etiamsi centum successivè se præsentent, & ab eo in peccato mortali existente absolvantur, unum tantùm peccatum mortale committit: quia ministerium & actionem naturâ suâ communem omnibus accedere volentibus exercet, quam explicamus per verbum: *pro tribunali sedere: judicium facere: causas dicere.*

Confirmata duobus exemplis, æque dubijs.

Confirmat Primò, exemplo judicis sæcularis. Secundò, exemplo Baptismi, in eo, qui per modum aspersionis plures simul baptizaret. Verùm hæc exempla æquè dubia sunt, & tam facilè asseritur in illis committi plura peccata, quàm unum. Ponamus quippe judici alicui inferiori prohibitum esse per superiorem ullam causam judicare: nihilominùs sedet pro tribunali, judicat decem; quidni committat decem peccata? Certè non video rationem convincentem contrarium, cùm sint judicia omninò distincta.

Dato quoque in tali Baptismo non reperiri nisi unicum peccatum, adhuc disparitas est, quòd unicus solùm sit actus, qui an possit habere plures malitias numero distinctas, alio loco à DD. disputatur probabiliter in utramque partem; in casu autem principali sunt plures numero distributiones: sicut quando plures successivè baptizantur, sunt plura Baptismata: quidni etiam plura peccata, si minister solemniter baptizans non est in statu gratiæ?

Eodem loco præmemoratus Auctor docet, celebrantem Missam in peccato mortali, non peccare tribus peccatis ex eo quòd in mortali consecret, in mortali communicet, & in mortali illam populo distribuat, sed tantùm uno: quia hi omnes actus ejusdem numero ministerij & celebrationis seu actionis sacræ partes sunt, quibus perficitur quoad integritatem. Unde sufficit Sacerdoti explicare, quòd Missam in peccato mortali celebraverit. 180. An celebrans Missam in peccato mortali peccet triplici peccato.

Similiter (inquit) qui Baptismum administrat solemniter, etsi plures actus Sacramentales concurrant, ut Exorcismi, Unctiones, Ablutio &c. tantùm unum peccatum committit, quia illi actus ex institutione Ecclesiæ actionem principalem Baptismi concomitantur.

Sed quis non videat discrepantiam inter actus concomitantes Baptismum ex una parte, & consecrationem, sumptionem ac distributionem Eucharistiæ ex altera? Nam actus concomitantes Baptismum, ut Exorcismi, Unctiones &c. seorsim sumpti non sunt materia peccati mortalis: at verò consecratio seorsim sumpta constituit peccatum mortale, similiter sumptio & distributio Eucharistiæ. Atque contingere potest, ut quis in peccato mortali consecret, non autem communicet seipsum aut populum; & vice versa ut non consecret in mortali, licèt communicet seipsum vel populum in mortali. Cur ergo non peccet triplici peccato, qui in eadem Missa consecrat in mortali, communicat in mortali, & distribuit Eucharistiam in mortali? 181. Discrepantia inter actus concomitantes Baptismum ex una parte, & consecrationẽ, sumptionem ac distributionem Eucharistiæ ex altera.

Fateor: sufficienter confitetur Sacerdos, qui consecravit & sumpsit Eucharistiam in mortali, dicendo: Celebravi Missam in peccato mortali; siquidem absque consecratione & sumptione non celebratur Missa: ergo etiam qui consecravit, sumpsit & distribuit Eucharistiam in peccato mortali, sufficienter confitetur dicendo: Celebravi Missam in peccato mortali; negatur Consequentia: nam sine distributione Sacrificium essentialiter & integraliter est completum, & hodie frequentissimè celebratur Missa absque distributione Eucharistiæ; ergo Confessionarius ex istis verbis non intelligit distributionem in peccato mortali, esto intelligat consecrationem & sumptionem. Hæc longiùs, quàm res hoc loco postulet. Transeo ad alia.

Sequitur 4. non esse peccatum mortale in statu peccati mortalis elevare cum reverentia 182. Non est peccatum

mortale elevare in mortali hostiam sacram à terra;

rentia hostiam sacram à terra; veluti si quis peccator Christum degentem in terris vidisset lapsum, & cum reverentia porrectâ manu eum levasset. Præterea transferre de loco ad locum, aut cum eadem benedicere populum. Ratio patet: quia hæ actiones non sunt administratio Sacramenti. Ex qua ratione

183. Nec benedicere Corporalia &c.

Sequitur 5. Episcopum extra statum gratiæ benedicentem corporalia, consecrantem Ecclesias aut calices, non peccare mortaliter; quia etsi ad ista munia sit consecratus, non conficit tamen verum Sacramentum nomine Christi.

Nec conficere sacram Chrisma; cui tamen contradicit Lugo.

Idem dicitur de Episcopo conficiente sacrum Chrisma, vel benedicente oleum pro infirmis, quidquid contradicat Card. Lugo supra n. 156. motus hac ratione: quia licèt per consecrationem Chrismatis & benedictionem olei non perficiantur Sacramenta Confirmationis vel Extremæ Unctionis, incipiunt tamen fieri per illas; quippe constituitur oleum in ratione materiæ validæ, sicut per formam Baptismi constituitur aqua in ratione materiæ Baptismi. Sicut ergo consecrans Eucharistiam debet esse in statu gratiæ, licèt tunc Sacramentum non applicet; quia nimirùm ponit materiam proximam, quæ postea quando applicatur dat gratiam: ita etiam Episcopus consecrans Chrisma, ponit materiam Sacramenti, quæ postea dat gratiam; etenim postea non datur gratia solùm intuitu verborum vel unctionis, sed etiam intuitu Chrismatis vel olei benedicti; atque adeò intuitu benedictionis præteritæ: ergo Episcopus benedicens non minùs sua actione concurrit ad sanctificationem eorum qui unguntur, quàm Episcopus vel Presbyter ungens.

184. Disparitas inter Sacerdotem inungentem & Episcopum conficientem Chrisma;

Respondeo negando consequentiam: quid enim clarius, quàm Presbyterum ungentem conficere Sacramentum, quod proximè & per se sanctificat; Episcopum verò benedicentem præparare dumtaxat materiam remotam, quæ non sanctificat, neque est pars Sacramenti, nisi quando novâ & distinctâ actione à Presbytero applicatur? Quæ ergo similitudo inter aquam Baptismi, quæ per formam constituitur actualis pars Sacramenti, & oleum benedictum, quod fortè nunquàm causabit gratiam defectu unctionis? Certè perexigua.

Item inter consecrantem Eucharistiam & benedicentem oleum.

Et minor, imò nulla, inter consecrantem Eucharistiam, & benedicentem oleum; nec enim ideo consecrans debet esse in statu gratiæ, quia Sacramentum applicatum est causativum gratiæ sanctificantis; sed quia actu conficit Sacramentum, causans moraliter omnis gratiæ fontem, Corpus scilicet & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini.

Sequitur 6. pariformiter dicendum esse, cum DD. communiùs, de Clericis minorum Ordinum exercentibus in malo statu munia suorum Ordinum; quemadmodùm etiam de Subdiacono canente Epistolam, aut Diacono canente Euangelium & ministrante Sacerdoti; quamquàm oppositum de Clericis majorum Ordinum, de Diacono præsertim, non sit improbabile, cùm hic ex sua ordinatione valde propinquè concurrat ad tremendũ illud Sacrificium, etiam tenendo pedẽ calicis, & cum Sacerdote offerendo. 185.

Non peccant mortaliter Clerici minorum Ordinum, nec Subdiaconus aut Diaconus ministrantes.

Nihilominùs irreverentia non videtur excedere latitudinem peccati venialis; quia isti verè non administrant Sacramentum. Idque verum existimamus (secluso scandalo & contemptu) etsi sæpiùs fieret: quippe nec multiplicatio venialium, nec voluntas plura peccata venialia committendi, facit mortale; nisi objecta coalescant, quod hic non fit; vel nisi immineat periculum proximum peccandi mortaliter, quod utique abesse potest.

Posito quòd peccent suprapositi venialiter; & taliter solùm delinquent sæpe repetendo.

Et ita intelligendus est D. Aug. Epist. 108. ad Seleucianam, ubi in fine sic ait: *Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo; sed illa utique, quæ humana fragilitati, quamvis parva, tam crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & opprimens, sicut unum aliquod grande peccatum*, ad quod disponunt. Etenim (juxta D. Gregor. parte 3. Past. admon. 34.) *Fit plerumque ut mens assueta malis levioribus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat.* Teste siquidem Ecclesiastico cap. 19. v. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Unde D. Aug. verbis jam citatis subjungit: *Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat navem atque submergat?* 186.

Qualiter intelligendus sit D. Augustinus de repetitione actûs venialiter peccaminosi.

S. Greg.

Eccli. 19.

Quod alijs verbis sic explicat lib. 50. Homil. Homil. ultima c. 8. (aliàs cap. 3.) *Quæ* (peccata venialia) *quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium & adulterium, vel cætera huiusmodi; tamen omnia simul congregata, velut scabies quò plura sunt necant, & nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filijs hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ dissecentur.*

Non quòd Sanctus Doctor velit, plura illa venialia per se esse mortalia secluso scandalo, contemptu & periculo gravioris peccati,

tria peccata mortalia incurreret. Hæc ille.

Sed quæro ego: quæ sunt illa tria tempora? Altum silentium. An forsitan tres distincti dies? An tres horæ? an tres quadrantes unius horæ? Quid si per triduum continuum maneat Sacramentum expositum? An toties peccabit, quoties de novo egreditur? Quid si ergo maneat per totum diem in altari & primâ horâ accedat unus, secundâ alius; sicuti manens in sede confessionali nunc unum absolvit, post quadrantem alium? Num recessus à sede erit necessarius ad multiplicationem peccatorum? Quid si Sacerdos in Natali Domini tres Missas celebret uno actu continuo & successivo non recedens ab altari?

Et (ut revertamur ad cauponem) quid si mensâ stratâ & cibis appositis, singulorum convivantium ori cibos ingereret, essetne unum numero peccatum? Quid si hâc horâ unus accederet, sequenti horâ alius; annè pluries peccasset caupo? Quid si plures successivè accederent indignè ad hoc Sacramentum, numquid minister absque multiplicatione peccatorum multiplicabit distributiones?

179. Doctrina Marchantij de eo qui in statu peccati mortalis exposuit se ad audiendas confessiones.

Sed pergamus cum Marchantio: Idem (inquit) censendum est de eo, qui se exposuit ad audiendas confessiones; etiamsi centum successivè se præsentent, & ab eo in peccato mortali existente absolvantur, unum tantùm peccatum mortale committit: quia ministerium & actionem naturâ suâ communem omnibus accedere volentibus exercet, quam explicamus per verbum: *pro tribunali sedere: iudicium facere: causas dicere.*

Confirmata duobus exemplis, æque dubijs.

Confirmat Primò, exemplo judicis sæcularis. Secundò, exemplo Baptismi, in eo, qui per modum aspersionis plures simul baptizaret. Verùm hæc exempla æquè dubia sunt, & tam facilè asseritur in illis committi plura peccata, quàm unum. Ponamus quippe judici alicui inferiori prohibitum esse per superiorem ullam causam judicare: nihilominùs sedet pro tribunali, judicat decem; quidni committat decem peccata? Certè non video rationem convincentem contrarium, cùm sint judicia omninò distincta.

Dato quoque in tali Baptismo non reperiri nisi unicum peccatum, adhuc disparitas est, quòd unicus solùm sit actus, qui an possit habere plures malitias numero distinctas, alio loco à DD. disputatur probabiliter in utramque partem; in casu autem principali sunt plures numero distributiones: sicut quando plures successivè baptizantur, sunt plura Baptismata: quidni etiam plura peccata, si minister solemniter baptizans non est in statu gratiæ?

180. An celebrans Missam in peccato mortali peccet triplici peccato.

Eodem loco præmemoratus Auctor docet, celebrantem Missam in peccato mortali, non peccare tribus peccatis ex eo quòd in mortali consecret, in mortali communicet, & in mortali illam populo distribuat, sed tantùm uno: quia hi omnes actus ejusdem numero ministerij & celebrationis seu actionis sacræ partes sunt, quibus perficitur quoad integritatem. Unde sufficit Sacerdoti explicare, quòd Missam in peccato mortali celebraverit.

Similiter (inquit) qui Baptismum administrat solemniter, etsi plures actus Sacramentales concurrant, ut Exorcismi, Unctiones, Ablutio &c. tantùm unum peccatum committit, quia illi actus ex institutione Ecclesiæ actionem principalem Baptismi concomitantur.

181. Discrepantia inter actus concomitantes Baptismum ex una parte, & consecrationẽ, sumptionem ac distributionem Eucharistiæ ex altera.

Sed quis non videat discrepantiam inter actus concomitantes Baptismum ex una parte, & consecrationem, sumptionem ac distributionem Eucharistiæ ex altera? Nam actus concomitantes Baptismum, ut Exorcismi, Unctiones &c. seorsim sumpti non sunt materia peccati mortalis: at verò consecratio seorsim sumpta constituit peccatum mortale, similiter sumptio & distributio Eucharistiæ. Atque contingere potest, ut quis in peccato mortali consecret, non autem communicet seipsum aut populum; & vice versa ut non consecret in mortali, licèt communicet seipsum vel populum in mortali. Cur ergo non peccet triplici peccato, qui in eadem Missa consecrat in mortali, communicat in mortali, & distribuit Eucharistiam in mortali?

Fateor: sufficienter confitetur Sacerdos, qui consecravit & sumpsit Eucharistiam in mortali, dicendo: Celebravi Missam in peccato mortali; siquidem absque consecratione & sumptione non celebratur Missa: ergo etiam qui consecravit, sumpsit & distribuit Eucharistiam in peccato mortali, sufficienter confitetur dicendo: Celebravi Missam in peccato mortali; negatur Consequentia: nam sine distributione Sacrificium essentialiter & integraliter est completum, & hodie frequentissimè celebratur Missa absque distributione Eucharistiæ; ergo Confessionarius ex istis verbis non intelligit distributionem in peccato mortali, esto intelligat consecrationem & sumptionem. Hæc longiùs, quàm res hoc loco postulet. Transeo ad alia.

182. Non est peccatum

Sequitur 4. non esse peccatum mortale in statu peccati mortalis elevare cum reverentia

mortale elevate in mortali hostiam sacram à terra; rentia hostiam sacram à terra; veluti si quis peccator Christum degentem in terris vidisset lapsum, & cum reverentia porrectâ manu eum levasset. Præterea transferre de loco ad locum, aut cum eadem benedicere populum. Ratio patet: quia hæ actiones non sunt administratio Sacramenti. Ex qua ratione

183. Nec benedicere Corporalia &c. Sequitur 5. Episcopum extra statum gratiæ benedicentem corporalia, consecrantem Ecclesias aut calices, non peccare mortaliter; quia etsi ad ista munia sit consecratus, non conficit tamen verum Sacramentum nomine Christi.

Nec conficere sacrum Chrismas cui tamen contradicit Lugo. Idem dicitur de Episcopo conficiente sacrum Chrisma, vel benedicente oleum pro infirmis, quidquid contradicat Card. Lugo supra n. 156. motus hac ratione: quia licèt per consecrationem Chrismatis & benedictionem olei non perficiantur Sacramenta Confirmationis vel Extremæ Unctionis, incipiunt tamen fieri per illas; quippe constituitur oleum in ratione materiæ validæ, sicut per formam Baptismi constituitur aqua in ratione materiæ Baptismi. Sicut ergo consecrans Eucharistiam debet esse in statu gratiæ, licèt tunc Sacramentum non applicet; quia nimirùm ponit materiam proximam, quæ postea quando applicatur dat gratiam: ita etiam Episcopus consecrans Chrisma, ponit materiam Sacramenti, quæ postea dat gratiam; etenim postea non datur gratia solùm intuitu verborum vel unctionis, sed etiam intuitu Chrismatis vel olei benedicti; atque adeò intuitu benedictionis præteritæ: ergo Episcopus benedicens non minùs sua actione concurrit ad sanctificationem eorum qui unguntur, quàm Episcopus vel Presbyter ungens.

184. Disparitas inter Sacerdotem ungentem & Episcopum conficientem Chrismas Respondeo negando consequentiam: quid enim clarius, quàm Presbyterum ungentem conficere Sacramentum, quod proximè & per se sanctificat; Episcopum verò benedicentem præparare dumtaxat materiam remotam, quæ non sanctificat, neque est pars Sacramenti, nisi quando novâ & distinctâ actione à Presbytero applicatur? Quæ ergo similitudo inter aquam Baptismi, quæ per formam constituitur actualis pars Sacramenti, & oleum benedictum, quod fortè nunquàm causabit gratiam defectu unctionis? Certè perexigua.

Item inter consecrantem Eucharistiam & benedicentem oleum. Et minor, imò nulla, inter consecrantem Eucharistiam, & benedicentem oleum; nec enim ideo consecrans debet esse in statu gratiæ, quia Sacramentum applicatum est causativum gratiæ sanctificantis; sed quia actu conficit Sacramentum, causans moraliter omnis gratiæ fontem, Corpus scilicet & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini.

Sequitur 6. pariformiter dicendum esse, cum DD. communiùs, de Clericis minorum Ordinum exercentibus in malo statu munia suorum Ordinum; quemadmodùm etiam de Subdiacono canente Epistolam, aut Diacono canente Euangelium & ministrante Sacerdoti; quamquàm oppositum de Clericis majorum Ordinum, de Diacono præsertim, non sit improbabile, cùm hic ex sua ordinatione valde propinquè concurrat ad tremendũ illud Sacrificium, etiam tenendò pedẽ calicis, & cum Sacerdote offerendo. 185. Non peccant mortaliter Clerici minorum Ordinum, nec Subdiaconus aut Diaconus ministrantes.

Nihilominùs irreverentia non videtur excedere latitudinem peccati venialis; quia isti verè non administrant Sacramentum. Idque verum existimamus (secluso scandalo & contemptu) etsi sæpiùs fieret: quippe nec multiplicatio venialium, nec voluntas plura peccata venialia committendi, facit mortale; nisi objecta coalescant, quod hîc non fit; vel nisi immineat periculum proximum peccandi mortaliter, quod utique abesse potest. Posito quòd peccent suprapositi venialiter, & taliter solùm delinquent sæpe repetendo.

Et ita intelligendus est D. Aug. Epist. 108. ad Seleucianam, ubi in fine sic ait: *Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo, sed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tam crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & opprimient, sicut unum aliquod grande peccatum*, ad quod disponunt. Etenim (juxta D. Gregor. parte 3. Past. admon. 34.) *Fit plerumque ut mens assueta malis levioribus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat.* Teste siquidem Ecclesiastico cap. 19. v. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Unde D. Aug. verbis jam citatis subjungit: *Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat navem atque submergat?* 186. Qualiter intelligendus sit D. Augustinus de repetitione actûs venialiter peccaminosi. S. Greg. Eccli. 19.

Quod aliis verbis sic explicat lib. 50. Homil. Homil. ultima c. 8. (aliàs cap. 3.) *Quæ* (peccata venialia) *quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium & adulterium, vel cætera huiusmodi; tamen omnia simul congregata, velut scabies quò plura sunt necant, & nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ dissecentur.*

Non quòd Sanctus Doctor velit, plura illa venialia per se esse mortalia secluso scandalo, contemptu & periculo gravioris peccati,

peccati, ad quod sunt proxima dispositio: sed quia (ut loquitur Ser. 41. de Sanctis) *Licèt illis peccatis occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibusdam pustulis & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cælestis aut vix aut cum grandi confusione permittant. Et ideo continuis orationibus & frequentibus ieiunijs & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assiduè redimantur, ne fortè simul collecta cumulum faciant, & demergant animam.* (*Idem.*)

Demergant (inquam) nonne in infernum? Nequaquam; sed in ignem Purgatorij, de quo ibi agit Aug. addens: *Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo Apostolus dicit, quia in igne revelabitur. Et si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* (*1. Cor. 3.*)

Et sanè si venialia multiplicata per se constituunt mortale, assignet aliquis certum numerum illorum peccatorum; alioquin semper erimus incerti an mortaliter peccemus, otiosè v.g. mentiendo, imò semper peccabimus mortaliter, quia semper exponimus nos periculo mortaliter delinquendi, quæ sunt hactenùs inaudita. Itaque si semel aut bis cantare Euangelium in malo statu non est grave delictum, neque erit centesima vice, nisi (ut dixi) ratione scandali, aut certè periculi gravioris mali.

187. *Non videt Vasquez, cur Diaconus ministrans in mortali peccet venialiter, si nullum de illare extet præceptum. Non rectè tamen sentit, si alicujus peccati rei forent, mortalis culpæ reatum incursuros.*

Cæterùm Vasq. disp. 136. cap. 4. n. 45. dicit se non videre, quâ ratione, si nullum de hac re extet præceptum, venialis etiam peccati rei sint Diaconi & Subdiaconi, qui in peccato mortali ministrant. Neque ego video; nam omne peccatum (ut ibidem Vasq. notat) est transgressio legis.

Præterea (inquit) si alicujus peccati rei essent, mortalis culpæ reatum incurrerent; neque enim levis actio censeri debet cantare solemniter Epistolam aut Euangelium; alioquin Diaconi & Subdiaconi suspensi aut excommunicati non peccarent mortaliter, nec consequenter incurrerent irregularitatem, si semel aut iterùm solemniter fungantur suis munijs, quod est contra omnes.

188. Respondeo solemniter cantare Epistolam vel Euangelium esse materiam levem in ordine ad præceptum naturale religionis de non ministrando rem sacram in statu peccati mortalis, propter minorem sanctitatem, quam in se habet; hoc tamen non obstat, quin jure positivo possit graviter prohiberi. Neque enim omnem obligationem lex naturalis per se determinavit, sed hominibus data est potestas ut, ubi etiam nulla est obligatio naturalis, positivam sub mortali imponant; magìs, ut gravem superaddant levi præexistenti. Enimverò distractio voluntaria per longum tempus in recitatione officij non præcepta, est solùm culpa venialis; quia continet levem irreverentiam contra sanctitatem illius actionis: equidem accedente præcepto humano fit materia gravis, sufficiens ad peccatum mortale.

Simile reperitur in peccatis factis in loco sacro, quæ quidem ex sanctitate loci contrahunt aliquam malitiam venialem sacrilegij, rarò tamen mortalem, ubi specialis prohibitio legis Ecclesiasticæ non intervenerit: propter quam utique placita sæcularia, & alia quæ referuntur in Cap. *Decet* de Immunitate Eccles. in 6. sacrilegia sunt mortalia vel venialia pro ratione materiæ in se consideratæ antecedenter ad aliquam legem. Fieri autem potest, ut materia in se gravis, respectu diversarum legum gravis sit & levis, v. g. auditio Missæ est materia gravis respectu legis Ecclesiasticæ, quia multùm conducit ad profectum spiritualem uniuscujusque, qui est finis istius legis: & idem esset si in aliqua Religione talis auditio singulis diebus præciperetur. Porro si præcipiatur per legem civilem tanquàm medium ad bonam gubernationem Reipublicæ, censetur materia levis, quia licèt finis gravis sit, tamen illa auditio parum conducit ad ejus consecutionem. Quid si ergo & ipse finis esset levis? (*Cap. Decet de Immun. Eccl. in 6.*)

Sic igitur in præsenti solemniter cantare Euangelium vel Epistolam, ex se est materia sufficiens & capax gravis obligationis, tanquàm principalis actus Ordinis Diaconatûs aut Subdiaconatûs; cumque plurimum conducat ad finem legis Ecclesiasticæ suspensionis aut excommunicationis (ut consideranti liquet) dubio procul graviter delinquit Diaconus vel Subdiaconus exercens talem actum sibi per suspensionem vel excommunicationem prohibitum: è contra verò lex naturalis, cùm solùm respiciat sanctitatem actionis, dictat parvam esse irreverentiam actionem istam exercere in statu peccati mortalis, quia sanctitas ejus parva est in comparatione actionum sacramentalium, quæ sunt causæ efficaces gratiæ sanctificantis.

189. *Objectio prima ex jure graviter inhibente Clericis ministrare ante pœnitentiam. Greg. IX.*

Objicies Primò: Graviter prohibetur omnibus Clericis ministrare in Ordinibus susceptis ante pœnitentiam de peccatis gravioribus, c. ultimo de Temp. ordin. *Quæsitum est* (inquit Gregor. IX.) *de Sacerdotibus vel alijs Clericis, qui post reatum adulterij, periurij, homicidij vel falsi testimonij, bonum conscientiæ rectæ perdiderunt.* Et infra: *Respondemus*

demus .... si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini iudicij obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam Ordinibus non ministrent. Et cap. ultimo de Cohabitatione Clericorum, idem Pontifex ad eandem quæstionem sic respondet:

Idem. *Verùm etsi quemlibet pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspensum* &c.

190. Respondeo, Pontificem ibi specialiter talem ministrationem non prohibere (ut patet ex verbo monitionis) sed indicat solùm obligationem naturalem non ministrandi; non quòd in singulis actionibus singulorum Ordinum sit novum peccatum mortale (quis enim credat Acolythum portantem cereos, & Ostiarium aperientem ostia templi peccare mortaliter?) sed quòd sit aliquod peccatum, & quidem grave ex genere suo, quod ob timorem divini judicij sit vitandum; ne dum exteriùs profitemur sanctitatem, quam debemus habere & non habemus, nos ipsos coram Deo condemnemus, juxta illud Apostoli ad

Rom. 2. Rom. 2. v. 1. *In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Et infra v. 3. *Existimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Unde non dicit Pontifex eos ministrare in damnationem suam, sed *in testimonium suæ damnationis.*

Forte etiam (ut advertit Emin. Lugo

Lugo. disp. 8. n. 147.) in illis textibus sermo est non de singulis actionibus istorum Ordinum, sed de toto officio & exercitio, quod absque gravi peccato esse non poterat, quia juxta antiquos canones, qui nunc etiam ex parte observantur, ministri saltem altaris communicabant in Missa solemni de manu celebrantis, ut ex can. 9. Apostolorum & decreto Anacleti Papæ & multis Auctoribus observat Suarez disp. 69. de Euch. sect. 3. §. *Ad secundum.*

Suarez. 191. Objectio secunda de Diacono in mortali ministrante punito. Objicies Secundò: Legimus Deum morte corporali punivisse Diaconum ministrantem in peccato mortali, Spec. Exempl. dist. 9. exempl. 110. ergo ministrando peccabat mortaliter.

Respondeo negando consequentiam Primò; quia Deus morte corporali potest punire peccatum veniale. Sic videtur punivisse Ozam 2. Reg. 6. eò quòd tenuisset

2. Reg. 6. arcam, *quoniam calcitrabant boves & declinaverunt eam.* Quin imò justè infligit mortem temporalem filijs innocentibus ob peccata parentum, Exodi 20. v. 5. *Ego sum Domi-*

Exodi. 20. *nus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Patet in filio Davidis nato ex

2. Reg. 12. adulterio 2. Reg. 12. v. 14. *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi morte morietur.*

Quantò potiori jure (& hæc sit secunda responsio) potuit Deus punire morte temporali peccatum luxuriæ præteritum, in quo Diaconus ille ministrabat? Equidem per illam impudentiam, licèt non mortalem, demeruit remissionem, vel dilationem supplicij, quod jam meruerat.

Petes, quid dicendum sit de concionante in statu peccati mortalis? Responsio plana est ex jam dictis de Diacono & Subdiacono. Si tamen peccatum sit publicum, natum est exinde sequi grave scandalum in populo, adeoque gravis culpa in ejusmodi concionatore. Ita quidam recens Auctor. 192. Non peccat mortaliter in malo statu prædicans.

Sed cupio doceri, quod sit illud scandalum, quod præcisè oritur ex concione hominis peccatoris: vel enim est temerarium judicium, quo populus judicat concionatorem dicere & non facere; quis autem credat judicium temerarium, quo judicatur res luce meridiana clarior? vel est fornicatio v.g. aut aliud peccatum, ad quod auditores inducuntur exemplo concionatoris; & hoc non oritur præcisè ex concione, sed ex mala vita præcedente omnibus cognita; vel certè foret non fructificatio in populo: & quis nescit concionatorem pium & sanctum quandoque nullum aut parvum fructum facere, etiam aliquando suâ culpâ, v. g. propter ridicula, quæ miscet verbo Dei? nemo tamen propterea arguit ipsum mortalis scandali.

Non video ergo quæ sit illa ruina spiritualis proximi tam gravis, quæ nata est sequi ex tali concione, nisi fortè contemptus formalis verbi Dei, qui ordinariè non intervenit; sed potiùs admiratio & justa indignatio contra hujusmodi concionatorem, ut qui priùs deberet facere quàm docere, exemplo Christi qui *cœpit facere & docere,* audeat publicè docere & dicere, quæ in conspectu totius populi non observat. Non apparet qualiter promiscuè ex scandalo dato mortaliter peccet.

193. Ut ut sit de scandalo, quod ordinariè natum est sequi, haud dubito, quin aliquando ex hujusmodi concionibus, aut certè vita concionatoris, grave possit generari scandalum, apud hæreticos maximè & infideles, qui judicant populum cum Sacerdote; juxta communem versum: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Vilipendunt quoque & derisui habent Christianam Religionem, falsam existimantes ejus doctrinam, cui concionator non solùm non conformiter, sed multùm difformiter vivit.

Propter hæc & similia meritò D. Aug. lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 10. (&

habetur can. *Omnia* 1. q. 1.) *Omnia* (inquit) *Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus: sicut & verbum Dei. Vnde dictum est: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Ubi annumerat concionatores ministris Sacramentorũ; quia tamen Sacramenta majorem continent sanctitatem, quàm conciones, quæ solùm remotè disponunt hominem ad veram gratiam sanctificantem; hinc fit ut ministri Sacramentorum ad id specialiter consecrati peccent mortaliter administrando Sacramenta in malo statu; concionatores autem concionando solùm venialiter per se loquendo.

Et sanè non minùs peccat minister Sacramentorum ministrando indignis, quàm ministrando indignè. Pro quo pono hanc conclusionem.

CONCLUSIO XII.

Ministrans indigno quodcumque Sacramentum peccat mortali sacrilegio, & sæpe scandalo, nisi justa causa excuset.

194. PEr indignum intellige eum, qui quidem suscipit verum Sacramentum, sed non gratiam Sacramentalem propter indispositionem. Probatur autem prima pars conclusionis ex Scriptura Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.*

Math. 7.

Ratio Conclusionis.

Ratio est: quia ministri Sacramentorum sunt dispensatores mysteriorum Dei, teste Apost. 1. Corint. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Et addit: *Hic iam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Porro fidelitas dispensatoris in hoc maximè elucet, quòd dispenset res Domini sui juxta ejus voluntatem, id est, sic ut habeant effectum, ad quem à Domino ordinatæ sunt. Alioquin & facit injuriam Domino, & rei quam malè dispensat.

1. Cor. 4.

Quemadmodùm ergo suscipiens Sacramentum indignè (ut dicemus sectione sequenti) peccat graviter contra Religionem; quia facit contra reverentiam debitam, impediens effectum Sacramenti; ita etiam indigno Sacramentum administrans. Quod graphicè expressit D. Chrysost. Homilia 60. ad populum Antiochenum his verbis: *Inhumanus accedat nemo* (loquitur de Sacramento Eucharistiæ; eadem autem est ratio de alijs Sacramentis vivorum & mortuorum respectivè ad suam dispositionem) *nemo crudelis & immisericors, nemo prorsùs immundus. Hæc ad communicantes dico, & ad vos ministrantes. Nam & ad vos sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quemquam, illius culpæ conscij, huius mensæ participem esse concedatis: sanguis eius de manibus vestris exquiretur; sive quis dux militiæ sit, sive Præfectus, sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis.* S. Chrys.

Profectò si Sacerdos graviter peccat contra reverentiam debitam Sacramento, & contra officium suum, hostiam sacram v.g. projiciendo in terram, pedibus conculcando &c. quidni etiam porrigendo indigno, qui non est nisi fœda cloaca omnium sordium? *Sepulchrum patens* (inquit Psalm. 5. v. 11.) *est guttur eorum.* Psalm. 5.

Quod attinet secundam partem conclusionis, scilicet peccatum scandali, noli de eo dubitare quando indignus, non paratus suscipere Sacramentum, positivè invitatur, ut in tali statu suscipiat: scandalum quippe activum nihil est aliud, quàm dictum vel factum minùs rectum, præbens occasionem proximo peccati. 195. Quandonam indigno administrans Sacramentum, peccet peccato scandali.

Dixi: *In tali statu*; quia non videtur illicitum generaliter omnes invitare ad susceptionem Sacramentorum, quamvìs prævideatur aliquis indignè accessurus; siquidem non invitatur ut in malo statu suscipiat, sed ut dignè se disponat sicut potest & debet, ac ita dispositus accedat.

Exemplum habemus in Christo, qui omnes Apostolos invitavit ad Eucharistiam illis verbis: *Accipite & comedite: Bibite ex eo omnes*, cùm tamen optimè nosset Judam accepturum in malo statu.

De quo ergo hîc disputatur, est, an simpliciter ministrans Sacramentum indigno petenti semper peccet peccato scandali. Ratio pro parte affirmativa fit: quia semper formaliter cooperatur peccato indignæ susceptionis; debuit siquidem hîc & nunc (ut suppono) peccatum illud impedire; ergo omissione minùs rectâ est causa ruinæ proximi. 196.

Et quidem admisso gratìs (de quo hîc non disputo) actum externum malum superaddere novam malitiam formalem actui interiori, non dubito de veritate. Quia tamen contrarium probabile est & magìs commune,

commune, videlicet actum exteriorem per se loquendo non augere malitiam voluntatis internæ, idcirco teneo dari posse casum, rarissimum licèt, in quo ministrans indigno non peccet peccato scandali; ideoque in conclusione notanter posui ly *sæpe*. Casus autem est, quando proximus ita paratus est accipere Sacramentum, ut mala ejus voluntas propter meum ministerium haud mutetur ex inefficaci in efficacem, neque magis intendatur aut diutiùs continuetur.

Casus, in quo ministrans indigno Sacramentum non peccet peccato scandali.

Enimverò in his circumstantijs, quæ rarissimè occurrent, non video, licèt etiam accederet positiva invitatio; non apparet (inquam) cur ministrans tali indigno debeat dici peccare peccato scandali, quandoquidem ex tali ministerio aut etiam invitatione, nullum proximo sequatur spirituale detrimentum.

197. Objicies Primò: Communi calculo Doctorum reus est peccati mortalis scandali, qui à malefico, quantumvìs parato, petit ut maleficium maleficio tollat: cujus ratio redditur, quòd maleficus id justè exequi nequeat; & quantumvìs paratus esset, hoc tamen numero peccatum ipso non petente nequaquàm perpetraret; & licèt voluntatem perpetrandi haberet, non exequeretur, nisi hic induceret; quæ omnia locum habent in casu proposito.

Objectio prima de petente à malefico quantumvis parato ut maleficium maleficio tollat.

Responsio. Respondeo: supponit quidem communis sententia talem peccare, sed peccato maleficij, utpote qui positivè illud vult, secùs peccato scandali. Vel si aliqui sint, qui expresè asserant peccatum scandali, dico intelligi debere, ut aliquid probent, fuisse locutos in opinione, quæ actui externo tribuit specialem malitiam; aut certè non in circumstantijs à nobis supra requisitis; quæ, quia vix (ut dixi) simul omnes reperiuntur, ideo fortassis generaliter admittunt malitiam scandali in tali invitatione.

Idem dicendum judico juxta principia posita de illo, qui induceret meretricem publicam jam omnimodè paratam ad fornicandum, ut peccet secum vel cum tertio similiter parato.

198. Objicies Secundò: si duo essent ad pugnam parati, non possem sine peccato contra charitatem illis subministrare instrumenta, vel hortari ad pugnam externam.

Objectio secunda de duobus ad pugnam paratis, quibus nequeunt subministrari instrumenta.

Responsio. Respondeo: sine peccato proprio scandali, nego; sine alio peccato contra charitatem, concedo. Et assigno disparitatem, quia per pugnam externam infertur nocumentum corporale alteri vel utrique parti, quod charitas dictat removendum, quantùm commodè fieri potest; in alijs autem casibus non infertur nisi nocumentum spirituale, quod totum illatum est ante meam inductionem.

Objicies Tertiò: Nemo sine peccato potest stultum provocare ad fornicationem externam. Respondeo rursum cum distinctione: sine peccato scandali, nego; absque peccato fornicationis, concedo; quippe provocanti fornicatio stulti est voluntaria, adeoque peccaminosa, propter affectum internum; qui quoniam in stulto non invenitur, voluntarius scilicet & liber, hinc fornicatio non est ipsi formaliter mala. 199.

Objectio tertia de provocante stultum ad fornicationem. Responsio.

Instas: Ergo saltem qui sine voluntate actûs exterioris præberet amenti occasionem aliquam peccati, nullum incurreret reatum, etiam dum abest omnis justa causa ponendi talem occasionem. 200.

Præbens amenti sine voluntate actûs exterioris occasionem peccati, non peccabit mortaliter peccato scandali.

Respondeo iterum distinguendo consequens: reatum peccati venialis, nego; ad minus enim erit actus otiosus: reatum culpæ mortalis, concedo totum; dummodò peccatum externum non vergat in detrimentum corporale aut spiritale tertij, quod ex charitate teneor avertere, quantùm commodè possum.

Quâ ratione fortassis dici posset, omne peccatum externum esse vitandum & impediendum, nisi incommodum consequens excuset; etenim aliqua fit irreverentia legislatori per transgressionem, etiam duntaxat materialem, suæ legis; illa tamen irreverentia non tanta est, ut sub mortali obligetur quis eam impedire, prout alibi dicetur. Quin sæpissimè justa se offert causa non solùm permittendi peccatum materiale, verùm etiam formale.

Et ideo in conclusione addidi illam restrictionem: *Nisi justa causa excuset*; hæc siquidem facit, ut ministrans indigno Sacramentum non ita censeatur cooperari peccato ipsius, quàm bene illud permittere. Porro permissionem peccati alieni in quàm plurimis occurrentijs licitam esse nemo, qui vel à limine Theologiam salutavit, ignorare potest; in omni quippe materia morali hujusmodi casus se præsentant. 201.

Licet aliquando ministrare Sacramentum indigno.

Ratio autem in præsenti casu est, quia tota malitia hujus ministerij oritur ex perversa voluntate suscipientis; siquidem posset dignè suscipere, vel saltem non indignè, si vellet. Sicuti ergo (ut sect. sequenti patebit) aliquo casu licet petere Sacramentum ab indigno ministro, quando digna ministratio pendet à libera voluntate ipsius; simili ratione etiam interdum licitum est ministrare indigno.

Et

Magis incumbit Ministro impedire indignam susceptionem Sacramenti, quàm suscipienti indignam ministrationem.

Et quamquàm magis incumbat ministro impedire indignam susceptionem, quàm suscipienti indignam ministrationem; hinc tamen solùm sequitur, quòd requiratur major causa ut ministretur indigno, quàm ut ab indigno recipiatur. Sanè etsi nulla assignari posset ratio à priori hujus nostræ restrictionis, sufficientissimè ostendit exemplum Christi ministrantis Judæ indigno Sacramentum Eucharistiæ, malitiam ab hoc actu esse separabilem. Hinc erit

CONCLUSIO XIII.

Publicè indignus, etiam publicè; occultè indignus non nisi occultè est repellendus à Sacramento, ad quod quilibet jus habet, puta à Sacramento Eucharistiæ.

202. ITa Rituale Romanum Tit. de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ibi: *Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis ijs, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestéq; infames, ut meretrices, concubinarij, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alij eius generis publici peccatores; nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.* Ergo publicæ meretrici, de cujus conversione publicè non constat, nequit Eucharistia publicè ministrari, quantumvis in foro Sacramentali foret absoluta; tum quia talis ad hujusmodi administrationem non habet jus, tum quia id foret scandalosum.

Publicæ meretrici, de cujus conversione publicè non constat, nequit Eucharistia publicè ministrari.

Occultos verò peccatores (prosequitur Rituale) *si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.* Hæc est communis sententia, sed explicatu satis difficilis. Ut autem faciliùs & clariùs intelligatur,

203. Nota primò, omnes habere jus petendi Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis; petendi (inquam) à Pastore animarum suarum tamquam pascua sibi debita ex institutione Christi; cùm hac tamen diversitate, quòd Pastor possit & debeat magis exactè investigare dignitatem vel indignitatem petentis in Sacramento Pœnitentiæ; tum quia valor absolutionis pendet à dispositione pœnitentis; tum quia in illo Sacramento est judex, cujus est inquirere merita aut demerita causæ, ne proferat sententiam injustam.

Omnes habent jus petendi Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis.

Similiter ad ministrandum Baptismum adultis non sufficit, quòd Pastor ignoret indispositionem petentis; sed tenetur positivè inquirere & examinare fidem, aliasque dispositiones illius, nisi fortè communiter ab omnibus haberetur dispositus. In Eucharistia, Confirmatione & Extrema Unctione præsumitur quis bonus, nisi constet contrarium. Excipe communionem primam parvulorum aut rudium, circa quam investiganda est à Parocho, sive Catechistâ, sive Confessario sufficientia instructionis. De Ordine & Matrimonio dicam conclusione sequenti.

Ad ministrandum Baptismum non sufficit, quòd pastor ignoret dispositionem petentis.

Nota secundò ex Suario de Euch. disp. 67. sect. 1. in fine, præceptum negandi Sacramentum indigno non esse simpliciter negativum; cùm enim sit præceptum naturale, nullo casu licitum esset Sacramentum dare peccatori; obligat quippe præceptum naturale negativum semper & pro semper; constat autem exemplo Christi aliquando esse licitum. 204.

Præceptum negandi Sacramentum indigno non est simpliciter negativum. Ita Suarez.

Reducendum igitur est ad affirmativum prudenter & fideliter dispensandi mysteria Dei: quod formaliter sumptum (ut sic dicam) semper servandum est, quotiescumque aliquod Sacramentum dispensatur. Et hinc fit ut, si commodè possit, debeat indigno denegari, non tamen semper cum quocumque incommodo & sine ulla exceptione.

His prænotatis, haud equidem efficaciùs probatur secunda pars conclusionis, quæ sola habet difficultatem, quàm ex communi usu & praxi totius Ecclesiæ, quæ præcipuè fundatur in facto Christi communicantis in ultima cœna Judam Iscariotem, quem probè noverat esse in statu peccati mortalis. 205.

Indigno posse ministrari Sacramentum non probatur efficacius, quàm ex communi usu Ecclesiæ innixo facto Christi.

Verum quidem est, non semper quodcumque particulare factum Christi trahendum esse in consequentiam: attamen cùm Christus ibi Eucharistiam instituerit, præcipiens Apostolis ut hoc facerent quod ipsum viderant fecisse, quis non prudenter judicet etiam distributionem hujus Sacramenti ibidem à se factam in exemplum proposuisse, quod tota postmodùm Ecclesia imitaretur?

Profectò parum verosimilè est Christum Ecclesiam suam à principio usque modò in tanto errore reliquisse, si verus error est, & non potiùs voluntas Christi Domini, qui Apostolos eorumque successores dispensatores

tores constituit suorum Sacramentorum, seu bonorum communium Ecclesiæ. Optimè autem dispensator administrat res Domini sui, quando eas distribuit juxta ipsius voluntatem: & aliunde (ut dixi notabili secundo) hoc præceptum non est aliud, quàm prudenter & fideliter dispensandi mysteria Dei.

206. Non rectè probatur ex præcepto Ecclesiæ cap. 3. 6. q. 2.

Addunt aliqui præceptum Ecclesiæ, quod habetur cap. 3. 6. q. 2. *Placuit, ut si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quamdiù excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab alijs non communicetur Episcopis* &c. Ita Concil. Africanum cap. 99. & 100. Idem dicitur cap. 2. eâdem causâ & quæstione.

Verùm in his capitibus (præterquàm quòd sint Concilij particularis) non agitur de administrando Sacramento, sed de communicatione debita excommunicatis, ad quam denegandam oportet excommunicationem esse publicam. Hinc tamen non rectè infertur, talem communicationem deberi, in quâ Sacramento & Christo specialiter fit injuria, sed illa solùm, quæ salvo cujusque jure fieri potest. Unde ut peccatori negetur Sacramentum, impertinens est excommunicatio aut non excommunicatio, dummodò certò constet de peccato commisso & non remisso.

207. Indubiè Ecclesia non potuit nec voluit id præcipere, nisi aliunde constet de honestate illius actionis in istis circumstantijs,

Nec ex eo, quòd Sacramentum institutum sit in utilitatem hominum.

quam aliqui probant ex eo, quòd Sacramẽtum institutum sit in utilitatem hominum; ergo inquiunt præferenda est utilitas sumẽtis & conservatio ejus famę obligationi Religionis de dignè tractãdo Sacramento; sicut supra diximus posse peccatorem licitè baptizare infantem moribũdum, quia non censetur indignè ministrare Sacramentũ ob instãtem necessitatẽ parvuli periclitantis, in cujus remediũ Baptismus institutus est à Christo.

Quamvìs ergo majus sit Religionis præceptum, quàm Justitię, & ideo videatur minor ratio habenda de fama proximi conservanda, quàm de tractando indignè Sacramento: illa tamen regula hîc non habet locum, quia reverà non concurrunt duo præcepta, sed unum solùm de non infamando proximo: pręceptum quippe Religionis non est negandi Sacramentum indigno, sed solùm non dandi indigno absque justa necessitate, qualis intervenit in hoc casu. Hæc illi.

208. Sed hoc est quod quæritur, videlicet an hîc possit intervenire justa necessitas, & an talis sit infamia proximi. Unde meliùs dixissent, præceptum quidem Religionis majus esse, quia Religio est perfectior & nobilior virtus; obligationem tamen justitiæ quandoque præponderare, puta in casu communiter recepto, quando habens votum castitatis corrupit virginem ignaram voti sub spe Matrimonij; tenetur enim eam ducere ex virtute Justitiæ, non obstante priori obligatione ex Religione. Et ratio suo loco redditur: quia materia obnoxia obligationi Justitiæ est incapax obligationis voti sibi repugnantis; quia Deus non vult sibi offerri de alienis bonis, nec vult coli cum injuria proximi.

An obligatio Justitiæ aliquando præponderet præcepto Religionis?

Sed hæc quoque ratio non modicam patitur difficultatem (ut suo loco patebit) ubi enim revelatum est Deum cedere juri suo jam acquisito per votum, propter damnum proximo per injuriam à vovente illatum? Numquid qui sponsalia contraxit cum Catharina, liberatur ab obligatione sua, quia postea Elisabetham corrupit sub spe Matrimonij? Quis asserat? An fortè Deus minùs jus acquisivit ex promissione sibi facta sub conditione sanitatis conferendæ, eâ jam restitutâ, quàm prima sponsa ex simplicibus sponsalibus? Unde ergo constat cedere juri suo?

An Deus cedat suo juri acquisito per votum, propter damnum à vovente tertio illatum?

Cùm igitur in multis casibus (unus sit, ad evitandum damnum in bonis temporalibus) liceat revelare peccatum proximi; & cùm debeam revelare, si aliquis petat hostiam sacram ut pedibus eam conculcet; quid obstet quò minùs possim & debeam proximum infamare ad præcavendam injuriam & irreverentiam quæ fit Sacramento, & Deo per indignam Sacramenti susceptionem? 209.

Respondent: quia Deus cedit juri suo. Sed unde hoc constat? Ex ejus (inquiunt) facto. Bene, optimè. An igitur qui hodie cedit juri suo quod habet ad proprium honorem, volens colaphis cædi, etiam crastinâ die impunè cæditur?

An rectè colligatur ex facto Christi, ipsum cessisse absolutè suo juri?

Deinde interrogo: Judas sumendo indignè Eucharistiam, nullam irrogavit injuriam Christo & ejus Sacramento? Quomodò ergo peccavit? Si peccavit (de quo nemo dubitare potest) quomodò Christus cessit juri suo?

Respondeo: cessit juri suo (si ita loqui placeat) non quod habebat, ne Judas in statu peccati mortalis Eucharistiam susciperet; nec enim Christus voluit aut invitavit Judam, ut acciperet in malo statu; sed ut dignè se disponeret, sicuti per gratiam Dei poterat, & sic ederet de

isto pane & de calice biberet. Quo ergo jure cessit? Illo utique, quod habebat ne minister Judæ indigno Sacramentum distribueret; nam hoc Christus volens fecit. Facto ergo suo ostendit ministrum in aliquo casu sine irreverentia posse Sacramentum indigno ministrare.

210. Equidem licere Sacramentum tradere ad conculcandum aut conspuendum, nullo suo exemplo Christus demonstravit. Rationem disparitatis dat Lugo disp. 8. num. 179. quia conculcatio, & similes actiones sunt inhonorationes positivæ, adeoque cum infamia etiam injusti aggressoris debent impediri, non minùs quàm injustum damnum proximi in bonis vitæ, famæ aut fortunæ: indigna verò sumptio solùm est irreverentia negativa, sive non exhibitio omnis cultûs debiti, sicut collocatio sacræ hostiæ in capsula chartacea, vel in corporali sordido.

Differentia inter conculcationem & indignam sumptionem Eucharistiæ. *Lugo.*

Et sicuti magna est differentia in materia justitiæ inter eum, qui non solvit, quod debet; & eum, qui positivè aufert vel vult auferre, quod habeo: primum siquidem nequeo privatâ auctoritate per vim compellere ad solutionem; secundum possum vi compellere, etiam occidendo, si opus fuerit: ita quoque in casu præsenti teneor impedire, etiam cum infamia invasoris, ne dicam ejus occisione, positivam contumeliam sive ablationem honoris divini; secùs quamcumque inhonorationem, sive non redditionem cultûs debiti, quæ quodammodò reperitur in omni peccato mortali; quippe contemptus aliquis est, virtualis saltem, transgredi legem in conspectu legislatoris.

In quo consistat læsio honoris divini, quæ fit per indignã susceptionem Eucharistiæ.

Porro læsio honoris divini, quæ fit per indignam susceptionem Eucharistiæ aut alterius Sacramenti, in eo solùm videtur consistere, quòd aliquis peccet peccato sacrilegij majori vel minori pro dignitate rei sacræ, quam indebitè tractat. Quis autem dicat licitum esse proximum infamare, ut quodcumque ejus peccatum mortale, etiam sacrilegij, impediatur? Nam si possum, cur non teneor? quæ certè obligatio esset intolerabilis.

Quid dicendum, si quis vellet indignè Eucharistiam sumere ad positivè inhonorandum. *Lugo.*

Aliud fortassis esset (inquit Emin. num. 179. in fine) si quispiam vellet indignè sumere ad inhonorandum positivè Sacramentum, & significandum contemptum per illam indignam susceptionem: tunc enim jam videretur similis ei, qui acciperet ad conculcandum; atque ideo posset fortasse repelli, etiam cum infamia.

211. Et verò existimas, quia erit extra propositum discrepantia, quam assignat D. Bonaventura 4. dist. 9. art. 2. q. 4.? Sanè arbitror eam rei elucidandæ apprimè fore congruam. Sed quæ ista? *Ad illud* (inquit) *quod objicitur de medicina* (quam medicus sine mortali non potest dare ægroto, si sciat ipsum de ea moriturum) *& de illo qui projicit* (corpus Domini in latrinam) *patet responsio: quia ipse* (ministrans indigno) *non dat* (sicuti in casibus objectis) *sed reddit ut alienum. Dicendum* autem (secundùm eundem Seraphicum Doctorem ibidem) *quòd Dominus prohibet ut non dent, id est, non offerant, non quin reddant.* Et ita dicitur Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus*, non autem: *nolite reddere.*

S. Bonavent.

Si dicas: Canes, id est peccatores, non habent jus ad Sacramentum. Respondeo cum S. Bonav. supra: *Ad illud quod objicitur de occulto* (qui repelli debet, quando occultè petit) *dicendum quòd peccator indignus est, & in veritate non habet ius; habet tamen ius secundùm iudicium Ecclesiæ; quia non constat de peccato. Et ideo quando operatur secundùm veritatem & iudicium suum, non tenetur dare; quando secundùm iudicium Ecclesiæ, tenetur.*

Idem. Qualiter peccator habeat jus ad Eucharistiam.

Ex quo colligo responsionem ad regulam juris cap. *Qui scandalizaverit* de Regulis Juris: *Vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Nam, præterquàm quòd jus loquatur de veritate bonæ vitæ, veritas in præsenti non deseritur; quia in foro Ecclesiæ, in quo petit, dignus est.

Responsio ad regulam juris: *Vtilius scandalum &c.*

Planè conveniens erat Christum ita instituere Sacramentum, utique signum pacis in facto aut fieri, ut ex ejus administratione non esset nata frequenter sequi turbatio tam ex parte suscipientium, quàm ministri, & consequenter ipsius Sacramenti, quæ indubiè sequeretur, si occultus peccator publicè posset repelli: facilè quippe possent ministri infamare quos vellent, fingendo peccatum, ubi non esset; & è contrario fideles sæpe formidare & timere possent ne à ministris infamarentur, & ex illo metu, quamvis fortè non satis aliquando fundato, susceptionem Sacramenti cum præjudicio salutis amittere.

Cæterùm priusquàm respondeam ad principalem objectionem; Noto publicum esse peccatorem, cui sine nova infamia potest Sacramentum negari. Talis est, cujus delictum absolutè est publicum evidentiâ juris, id est, per sententiam; vel facti, hoc est, quando ita multis & talibus notum est, ut nullâ tergiversatione possit cælari. Docet autem Suarez de Euch. disp 67. sect. 5. conclus. 3. in his circumstantijs debere negari Sacramentum, etiamsi peccatum non sit notum illis, in quorum præsentia petitur. 212.

Quis sit publicus peccator.

Sententia Suarez de negando Sacramento publico peccatori.

Ratio

Ratio ejus est: quia talis absolutè in omni loco, etiam ubi crimen ejus nondum est publicatum, amisit jus ad famam suam, consequenter jus petendi Sacramentum cum obligatione ad dandum: neque verum est eum per rejectionem incurrere novam infamiam; sed cùm jam publicè infamis sit, sicut priùs delictum sive notitia ejus extenditur ad aliquos, qui per accidens illud ignorabant, ita etiam prior infamia.

Et quamvis per se loquendo esset contra charitatem in loco remoto delictum publicare; non tamen quando periclitatur reverentia debita Sacramento, aut alia justa adest ratio. Sibi ergo imputare debet, qui iniquè se ingerit, & est causa gravissimi Sacrilegij, si etiam facto perdat famam, ubi jure eam amiserat; præsertim quando morale periculum est, ut paulò post adstantes deveniant in notitiam delicti, quod nunc ignorant. Quòd si locus iste adeò remotus est, ut moraliter loquendo nunquàm delictum illbi sit publicandum; non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam erit (ut plurimi volunt) ejusmodi delictum retegere; & per consequens repelli non posset, si publicè petat Sacramentum.

213. *Sententiam Suarez sequitur Dicastillo; qui & docent negari posse Sacramentum, etiamsi delictum absolutè non sit publicum, modò illi norint, coram quibus Sacramentum petitur.*

Hanc sententiam sequitur Dicastillo disp. 3. n. 287. Qui ibidem n. sequenti cum Suario supra conclus. 1. asserit, negari posse Sacramentum, etiamsi delictum absolutè non sit publicum, modò illi norint, coram quibus Sacramentum petitur. Ratio patet ex dictis; quia ibi ex denegatione nulla sequitur infamia: si tamen aliqui adsint qui ignorent, non erit deneganda; quia delictum absolutè est occultum.

Quod limitat Dicastillo num. 289. nisi unus aut alter solùm adesset vir prudens & timoratæ conscientiæ, qui rem occultè servabit; tunc quippe videtur præponderare irreverentia inferenda Sacramento, conservationi famæ. Nam in probabili satìs sententiâ revelatio peccati in tali casu non est notabilis jactura famæ; ita ut uni aut alteri prudenti & secreto possint revelari defectus sine mortali in genere detractionis, etiam absque rationabili causâ. Cur ergo non liceat ad evitandam irreverentiam Sacramenti, maximè si inde prudenter speretur resipiscentia peccatoris?

Quis sit occultus peccator.

Ex his facilè deducitur quis sit occultus peccator, videlicet cui non potest negari Sacramentum sine notabili infamia, quæ sufficiat ad mortale peccatum. Similiter quid sit publicè vel occultè petere Sacramentum, videlicet quando sic petitur, ut possit vel non possit negari, quod petitur, absque gravi jactura famæ petentis.

214. *Objectio principalis.*

Venio ad objectionem; quæ in multis alijs materijs moralibus occurrit, estque istiusmodi: Nullo casu licet cooperari alterius peccato; atqui ministrans indigno cooperatur ejus peccato; ergo &c.

Solutio.

Respondeo distinguendo majorem: Non licet cooperari formaliter sive positivè, concedo; materialiter sive potiùs permissivè, nego. Similiter respondeo ad minorem: ministrans cooperatur formaliter peccato indignè suscipientis, nego; materialiter, sive potiùs permittit peccatum, concedo. Quis autem ignorat permissionem peccati frequenter nullum esse peccatum? Longior sim, si velim hìc omnes casus referre & explicare, cùm omnium eadem sit ratio.

215. *Cur actio ministrantis non sit proxima & formalis cooperatio ad indignã sumptionem.*

Sed contra: hæc responsio petit principium; nam hoc est quod inquiritur, quare nimirum actio ministrantis non sit proxima & formalis cooperatio ad indignam sumptionem, quæ hìc & nunc sine illa actione non poneretur; & æqualiter ex illa sequitur, sive extet rationabilis causa illam exercendi, sive non.

Respondeo, concursum physicum semper esse eundem; attamen moralem diversum. Etenim existente justâ causâ non censetur malitia indignæ sumptionis, quæ per accidens conjungitur ministerio sacramentali per se bono & laudabili, moraliter interpretativè voluntaria; secùs, quando sine ullo incommodo possum illam impedire. Quin etiam tunc, quando scilicet omnis abest justa causa, physicè & directè est voluntaria indebita administratio Sacramenti; quoniam rationabiliter Dominus exigit à dispensatore, ne sine causâ bona sua distribuat indignis.

216. Contra: hìc rursus supponitur quod est probandum, videlicet administrationem Sacramenti posse esse debitam, quandoquidem sit cooperatio proxima ad peccatum.

Ministerium Sacramenti est actio bona.

Respondeo ergo iterum, ministerium Sacramenti non esse cooperationem ad actionem, quæ hìc & nunc absque peccato suscipientis fieri non potest, sed ipsum est actio bona, vel distincta, ut in Eucharistia; vel eadem, ut in cæteris Sacramentis, quæ inficitur à sola mala voluntate recipientis, cujus minister neque est causa physica (ut patet) neque moralis suadendo, petendo, imperando aut non impediendo sine justa causa; imò nec potest impedire, nisi fortè continuationem ejus. Unde vel tota malitia est posita ante actionem Sacerdotis, vel si aliqua restat ponenda, v. g. continuatio malæ voluntatis, sive in Eucharistia deglutitio hostiæ,

hostiæ, tota quanta est pendet à libera voluntate suscipientis, qui potest & debet conteri de peccato commisso; ne indignè sumendo reatum suum sacrilegij continuet.

217. Tam rustici, qui in bello injusto avehunt spolia ex metu mortis, quàm mancipia Christiana, quæ in navibus Turcarum remigant, excusantur à peccato cooperationis.

Simile fit in rusticis, qui in bello injusto avehunt spolia ex metu mortis, & in mancipijs Christianis, quæ in navibus Turcarum remigant. Tam rusticos, quàm mancipia communis sententia excusat à peccato cooperationis: siquidem circumstantia mortis facit, ut actio indifferens, quæ aliàs esset moralis & formalis cooperatio, solùm sit materialis, sive permissio injusti damni; ita ut opus illud non sit malum prout procedit à voluntate ejus qui coactè agit, sed tantùm ut subest directioni cogentis & utentis eo ad malum finem. Si enim fur non tenetur rem furtivam cum gravi suo incommodo restituere; quidni innocens licitè faciat actionem indifferentem, ex qua prævidet secuturum damnum proximi, si non potest eam omittere sine periculo mortis?

Non licent actiones intrinsecè malæ, etiam ad evadendam mortem.

Dico signanter *actionem indifferentem*; quia sicut fornicatio ob intrinsecam suam malitiam non licet, etiam ad evadendam mortem; sic nec aliæ actiones intrinsecè malæ contra præceptum naturale negativum. Ideoque illicitum est mancipijs Christianis dirigere naves, explodere tormenta &c. similiter rusticis perfringere aut incendere domum &c. quia hæc intrinsecè mala sunt, utpote directa & propinqua oppugnatio ac læsio innocentis.

Ex quo patet doctrinam hanc non aperire viam cuicumque cooperationi ad actum pravum, ut putat Suarez de Censuris disp. 21. sect. 2. n. 60. ubi tenet sententiam contrariam. Pro qua

Suarez.

218. Objectio 1.

Objicitur Primò: Ergo etiam erit licitum deferre ignem, quo alij volunt domum alicujus incendere. Similiter ædificare templum idolo, aut conficere ipsum idolum.

Responsio.

Respondeo concedendo totum, nisi talis ædificatio aut confectio sit implicita protestatio falsæ fidei, quæ est intrinsecè mala, ut docetur in materia de Fide.

219. Objectio 2. Responsio.

Objicitur Secundò: Ergo datur bellum utrimque justum pro eadem re. Respondeo negando consequentiam; quia remiges illi non pugnant nisi materialiter, hoc est, remigando defendunt vitam suam: pugna namque formalis dicit actionem directè & immediatè damnificativam sive oppugnativam, qualis non est illa remigatio, quæ nullum infert damnum, nisi quatenus subest voluntati ejus, qui navem dirigit aut tormenta explodit.

Petes: quo ergo jure illi, qui oppugnantur, tales occidant? Respondeo jure defendendi propriam vitam, vel repetendi res sibi debitas, aut vindicandi injuriam illatam, ad quæ per accidens se habet occisio illorum remigum. Quemadmodùm justè oppugnans civitatem potest evertere turrim cum morte innocentium inclusorum; & sicut pueri vel amentes possunt occidi, si aliquem invadant per se vel alium, qui illis utitur ad sui protectionem, etiamsi non peccent formaliter. 220. Quo jure occidantur remiges.

Quamquàm enim tales remiges per se non pugnent, sunt tamen quasi instrumentum, saltem remotum, formaliter pugnantis; adeoque sicuti hic licitè occiditur jure belli, ita & illud eodem jure licet destruere.

Objicitur tertiò: Qui ex officio tenetur bona civium defendere ab injurijs aliorum; peccat si metu mortis apponat scalas domui alterius, ut sic fur possit ascendere & furari; ergo &c. 221. Objectio 3.

Respondeo admisso antecedente (si specialiter se obligavit ad illa damna impedienda cum periculo vitæ) negando consequentiam. Differentiam assigno, quòd actio illa, quæ de se est indifferens, directè fit contra obligationem, non communem, sed positivè superinductam, eo præcisè fine, ut tali casu non esset licita, quæ aliàs de se liceret. Responsio.

Equidem potuit homo juri suo renuntiare; quo facto, ex jure naturali tenetur subire tale periculum. Pariformiter si ex dicta remigatione, aut alia simili actione, sequeretur maximum detrimentum Reipub. Christianæ sive boni communis, foret indubiè illicita, cùm jure naturali pro bono communi unusquisque debeat vitam suam periculo exponere, quando spes affulget damni avertendi; quæ, quia rara est, honestas hujusmodì actionis regulariter obtinet. Sed hîc nondum finis: nam rursus contra Conclusionem

Objicitur: Petenti gladium apud me depositum, ut se vel alterum occidat, non possum eum reddere; ergo &c. Respondeo negando antecedens quando ex non redditione sequeretur gravissimum incommodum, cum quo non teneor vitam proximi conservare. 222. Quando possit reddi gladius apud aliquem depositus, ut petens se vel alium occidat.

Deinde disparitas est, quòd ex negatione gladij speretur major utilitas, quàm in casu nostro ex negatione Sacramenti; rarò enim tales emendabuntur, sed potiùs exasperabuntur, & plura adhuc committent peccata. Fatetur tamen Lugo supra n. 184. si ne-

Sentit Lugo, si necessaria foret infamia suscipientis ad evitandam ejus damnationem, posse & debere infamari.

si necessaria esset infamia suscipientis ad impediendam damnationem ejus æternam, me posse & debere eum infamare.

Si arguas: Non possum alicui auferre vitam, abscindere membrum, auferre bona temporalia, ut vitem damnationem ejus æternam; ergo nec auferre famam. Respondet negando Consequentiam; quia

223. Non sequitur tamen ad evitandam proximi damnationem, posse aliquem ipsum occidere.

qui aufert famam in nostro casu, non habet se, sicut qui aufert positivè pecunias; sed sicut qui pecunias apud se depositas non custodit; habemus siquidem delicta aliorum occulta, quasi deposita in nostra scientia, quæ custodire debemus, ne proximus amittat suam famam: depositarius autem cum gravi detrimento non debet servare depositum, sed potest illud à se projicere. Sic possumus aliquando delictum occultum proximi manifestare ad vitandum detrimentum, v. g. ad vitanda gravissima tormenta, quibus ab eo extorquemur; quia non obligamur ad custodiendum depositum cum tanto detrimento. Non ergo est aliquis ita plenè dominus suæ famæ, sicut suæ pecuniæ; famam enim solùm habet apud alios, qui sunt quasi custodes illius, atque adeò possunt ex gravi causâ eam non servare: pecuniam verò habet apud se, quam nemo ab ipso invito positivè potest auferre. Hæc ille.

Cæteroquin fama est bona existimatio multorum de vita & moribus alterius; hæc autem censetur moraliter apud alterum existere, quousque nihil fecit, ex quo justè possit generari mala existimatio. Unde definiunt famam Jurisperiti: *Fama est illæsæ dignitatis status, legibus & moribus comprobatus.* l. *Cognitionem* 5. ff. de Extraord. cog. Quam proinde nemo ab ipso rationabiliter invito positivè potest auferre; quemadmodùm nemo ab ipso rationabiliter invito positivè potest auferre pecuniam.

224. Resp. S. Bonavent.

Aliter, & breviùs respondet D. Bonavent. ad hanc objectionem: *Ad illud* (inquit) *quod objicitur, quòd non est reddendus gladius furioso, dicendum quòd in judicio teneretur reddere, si non constaret eum esse furiosum; & quia hic peccator in judicio & facie Ecclesiæ petit, & non apparet suum peccatum, ideo debet ei dare.* Ita Doctor Seraphicus.

225. Objectio.

Objicitur ultimò: Aliter potest Sacerdos vitare scandalum sive infamiam, ut si pro hostia consecrata daret panem benedictum: similiter si in alijs Sacramentis proferat formam sine intentione Sacramenti.

Resp. Bonavent.

Respondet S. Bonavent. *Ultimum patet: quia si deberet dare hostiam, nihilominus tamen peccaret ille, & ipse simulando, nisi fortassis ipse peccator hostiam peteret ad vitandam infamiam, & dominici corporis reverentiam.*

Hæc responsio quoad postremam partem (quæ tamen non est assertiva, sed dumtaxat dubitativa, ut patet ex ly *fortassis*) à plerisque rejicitur (etiam illis, qui admittunt alia Sacramenta posse simulari ad evadendum grave incommodum) idque non sine ratione, ut patebit ex conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO XIV.

Ad evadendam propriam mortem illicitè das hostiam non consecratam pro consecrata, licitè contrahis Matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum.

226. Prima ratio Conclusionis, quia datur populo occasio Idololatriæ.

PRima pars communiter probatur: quia datur occasio populo idololatriæ, esto Sacerdos ostendat adorandam hostiam consecratam, simul cum ea habens aliam non consecratam à tergo, quam solam det peccatori, conscio priùs & consentienti. Primò, quia vix unquàm potest fieri tale pactum cum peccatore. Secundò, quia moraliter impossibile est, quòd aliquis adstantium non adoret quando publicè datur, etiamsi illam non videat. Accedit, quòd ipsemet actus sumendi hostiam reverenter sit actus religiosus, & cultus quidam externus, qui non solet nec debet exhiberi nisi veræ Eucharistiæ. Similiter & administratio.

Non placet Vasquesio.

Hæc ratio displicet Vasquesio 3. parte disp. 209. cap. 4. n. 41. Non (inquit) quia Sacramentum debeat adorari sub conditione (hoc enim falsum est) sed quia sine periculo idololatriæ adorari potest imago Christi in cruce pendentis, etiamsi re ipsa dæmon ibi lateat, & operâ solùm ipsius illa appareat: quia idololatria non committitur sine expressa intentione adorandi pro Deo id, quod reverà Deus non est. Ac proinde qui adoraret hostiam non consecratam, apprehendens cogitatione suâ ibi Christum, idololatriam non committeret. Ita Vasq.

227. Cujus doctrina apparet difficilis Lugonis quia eâ positâ vix unquàm daretur idololatria.

Quam doctrinam Card. Lugo de Incarnatione disp. 37. sect. 4. n. 44. vocat difficilem; quia eâ positâ sequitur ferè nunquam dari idololatriam; ipsi enim Ethnici ideo adorant Jovem aut alium Deum, quia existi-

existimant habere veram divinitatem; qui tamen error non obstat, quò minùs ille cultus sit idololatria; quia licèt moveantur à ratione sufficienti ad verum cultum, verè tamen colunt illud subjectum, in quo non est divinitas. Sic ergo qui adoraret hostiam non consecratam, existimans sub speciebus illis contineri verum Christum, quamvis propter ignorantiam excusaretur à peccato, committeret tamen veram materialem idololatriam.

Et ita intelligendus venit Doctor Subtilis, quando 4. dist. 11. q. 6. n.2. in fine

Scotus.

ait: *Sed si in veritate non est ista materia consecrabilis, in consecrando nihil facit: nec tamen est idololatria, nec occasio idololatriæ populo; quia quantùm in se est, supponit materiam esse idoneam, & à se & ab alijs adorandam.* Ubi non intendit negare tali casu committi idololatriam materialem, sed solummodò excusat taliter celebrantem à peccato, propter ejus ignorantiam. Colligo: quia immediatè ante dixerat: *Vtèus forte potest magis excusari de peccato, quia supponit talem materiam esse bene præparatam.*

228. Quidquid sit de mente Scoti, mihi sanè

Dicastillo.

(inquit Dicastillo tract. 4. de Sacramentis disp. 9. dub. 21. n. 488.) non minùs difficilis est Lugonis impugnatio, quàm doctrina ipsa Lugoni. Quam difficultatem multis ibidem probat, quæ non libet nobis examinare, cùm in fine dub. dicat magna ex parte quæstionem esse vocis potiùs, quàm rei, & multos Theologos existimare ibi esse idololatriam materialem. Certum mihi est, non omnes Ethnicos, imò fortè nullos apprehendisse in idolis veram divinitatem (sicuti apprehendunt Catholici in hostia, quam putant verè consecratam.) nesciebant quippe quid esset vera divinitas; sed propter tenuem speciem & umbram quamdam divinitatis, quam putabant veram, tribuebant cultum proprium veræ divinitatis illis rebus, in quibus non erat divinitas.

Qualiter Ethnici cõmisissent idololatriã, etsi concepissent veram divinitatem.

Esto etiam concepissent veram divinitatem, nihilominùs commisissent idololatriam; quia cultum proprium veri Dei tribuebant alicui tanquam termino integro & objecto quod adorationis, in quo non erat illa divinitas. Denique peccabant; quia ob leves rationes putabant inesse divinitatem creaturis. Unde reverà non dirigebant cultum suum in verum Deum, sed in eum, quem stolidè & sine fundamento putabant Deum; sicut si quis aliquem ex plebe, imprudenter judicans ipsum esse Regem, adoraret loco Regis, talis verè non adoraret Regem, sed alium, cui nefariè hanc dignitatem tribuit.

Hâc ergo ratione relictâ, Vasq. communem sententiam probat: quia fictio in 229.

Probatio Conclusionis ex Vasquez; quia fictio in Sacramentis valde perniciosa est. Quæ & videtur esse Innocentij III. in casu, presbyteri fictè celebrantis.

Sacramentis valde perniciosa & execranda est. Quod fundamentum videtur expressisse in simili casu Innoc. III. in cap. *de homine* 7. de Celeb. Miss. *Quæsivistis* (inquit) *quid de incauto Presbytero videatur, qui cùm se sciat in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare; peractisq; cæteris circumstantijs, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem & vinum tantummodò purè sumit: ita credens per id, quod prætendit, populo satisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare.* Spectastis casum, audite responsionem. *Cùm ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora; licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter si se ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cùm ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solùm Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat.*

Sed reverà (ut bene notavit Dicastillo 230.

Sed (ut bene Dicastillo) non est similitudo in casu.

n. 491.) hic casus multum dissimilis est: nam, omisso, quòd nulla fuerit necessitas celebrandi fictè; poterat quippe & debebat Sacerdos ille per contritionem se disponere ad dignè offerendum Sacrificium verum; ut (inquam) illud omittam, in primis Sacerdos sacrificans sustinet personam ipsius Christi. Siquidem (ut loquitur Florent. in decreto Unionis.) *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*, agit de Eucharistia; conferendo verò hostiam, personam propriam.

Secundò, fictè sacrificando facit injuriam Christo, cujus nomine sacrificatur, & decipitur populus; quia privatur fructu Sacrificij, cui se putat assistere, & reverà non assistit: in nostro verò casu neque fit injuria Christo (ut patet) seclusâ idololatriâ; neque decipitur peccator, ad cujus petitionem datur hostia consecrata: populus quoque assistens nullo privatur fructu. Non ergo satis apparet, ex quo illa fictio valde perniciosa sit & execranda.

Profectò (ut omnes admittunt) licet, 231.

Licitum est, adhibitâ debitâ restrictione mentali cum impedimento dirimente ex gravi

etiam sine peccato mendacij; adhibitâ debitâ restrictione mentali ex gravi metu contrahere Matrimonium cum impedimento jure humano vel divino irritante; quippe Christus per elevationem Matrimonij ad dignitatem Sacramenti non mutavit

metu contrahere matrimonium. tavit intrinsecam naturam contractûs. Quis autem ambigat, absque gravi peccato, ad evitandam mortem, posse simulari contractum?

Casus, in quibus Joannes Sanchez affirmat posse simulari Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ. Quin etiam Joannes Sanchez in suis selectis disp. 36. n. 6. inquit: Si hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, nisi consecraret omnem panem in foro existentem, poterit proferre verba consecrationis, absque intentione tamen consecrandi, sine ulla labe mendacij: adest enim tunc justa causa utendi æquivocatione.

Et n. 7. docet posse Confessarium proferre verba Absolutionis absque intentione, ob fugiendam mortem sibi minatam à pœnitente, si non absolvat (ut expressè docet Ludovicus de San. Joan. 1. p. Summ. tract. de Eucharistia q. 7. a. 8. diff. 4. fol. 167.) tunc enim justa adest causa ad utendum æquivocatione. Sicut ille, cui minata fuit mors à latrone, nisi juret se daturum centum aureos, poterit verba juratoria exteriùs proferre absque intentione.

Immo (addit idem Auctor n. 8.) si scrupulosus quis anxiè petat Absolutionem, videat tamen Confessarius usu rationis aut materiâ carere ad eam impertiendam, poterit ob solatium scrupulosi verba Absolutionis absque intentione proferre, dum aliâ viâ prolationem cavere non posset, ut si scrupulosus linguam calleret latinam, attentusque esset, an verba Absolutionis proferrentur, vel non. Hæc ille. De quibus impræsentiarum quia non dispuro, ideo nihil definio; sed ad propositum nostrum

Quæro, an etiam Sanchez affirmet, licere Sacerdoti ministrare hostiam non consecratam pro consecrata mulieri, quam cogit maritus ad communicandum, quæ sine jactura opinionis non potest communionem omittere? Minimè, quidquid dicat Castro Palao tom. 1. tract. 2. disp. 1. p. 13. n. 8. Sic enim ait Sanchez supra n. 9. Id difficilius, an esto hostiam non consecratam loco consecratæ porrigere minimè Sacerdoti liceat, deceat tamen simulare se Eucharistiam in os illius immittere? Decere putat Henriquez lib. 6. c. 22. n. 5. ad vitandam infamiam accedentis ad communionem &c.

Porro de tali simulatione infra eodem numero loquitur Sanchez, dicens: si ad simulandum causa legitima adesset, ut si maritus minatus esset mortem uxori, nisi communicaret, quod videns illam communionis participem, suspicionem adversùs illam conceptam abjiceret; aut si uxori esset notum, maritum in Ecclesia illam observare, an communicet; vel minùs, ad confirmandam contra eam suspicionem conceptam; tunc poterit simulare Eucharistiam suscipere, & sacramentaliter confiteri, genuflectens ad pœnitentiarij pedes. Hæc ille. Ex quibus apparet Castro Palao Sanchium non legisse, aut certè non intellexisse.

De cætero quòd aliquando Sacerdos audiens confessiones in aliquo publico loco coram circumfusâ multitudine pœnitentium possit simulare se tunc absolvere pœnitentem, cui vel negat vel differt absolutionem, sive dicendo submissâ voce formulam deprecationis: *Misereatur tui* &c. aut alias preces, atque adeò simulare Sacramentum, quo jure prohibeatur non satìs apparere videtur, inquit Dicastillo supra. Nam (ut ibidem notat) in hoc casu non adhibetur forma Sacramenti, atque adeò non fit Sacramentum, quod exteriùs habeat materiam & formam. 232. Casus Dicastillonis, in quo Sacerdos potest simulare se absolvere pœnitentem.

Similiter quando fictè contrahis Matrimonium, non profers formam Sacramenti super debitam materiam, quemadmodùm in alijs Sacramentis, quorum materia & forma semper est determinata, ita ut exteriùs nequeant adhiberi subjecto capaci, quin sint ex se materia & forma Sacramenti; idque quia non admittunt propriam significationem aliam, quàm effectus sacramentalis; in Matrimonio verò etiam contractum significant, & solus legitimus contractus est tota essentia Sacramenti. Eo ipso ergo quo Ecclesia vel Deus irritat contractum, manet irritum Sacramentum, nec verba contrahentium sunt materia aut forma Sacramenti: & idcirco invalidè contrahens non peccat contra reverentiam Sacramenti; nec enim ipse illud irritat, nec ad irritationem cooperatur, cùm illa verba non sint forma aut materia contractûs validi, proinde neque Sacramenti; & quantùm est ex parte sua validè contraheret, nisi Deus vel Ecclesia irritaret.

Atque hâc restrictione excusari possunt hujusmodì contrahentes à mendacio; verba siquidem illa: *Accipio te in meam*, patiuntur hunc sensum: quantùm est ex parte mea accipio te, quod verissimum est; quippe non est irritum Matrimonium ex parte ipsius, sive defectu consensus ipsius, sed ex lege superioris. Ita Doctor Subtilis 4. dist. 29. q. unicâ n. 9. ibi: *Et per hoc posset responderi ad istud argumentum: iste scit se non transferre corpus suum, quia non liberè consentit, & signo exteriori ostendit se trans-* 233. Quomodò excusari possint fictè contrahentes matrimonium à mendacio. Scotus.

transferre, quantùm est in se; sed scit se non transferre, quia scit hæc non ratificari à superiore. Prosequitur: *Et si dicas, ergo ad hoc quod non mentiatur, oportet dicere:* Accipio te in meam, si Dominus permiserit. *Respondeo: ista conditio semper intelligitur, quantumcumque sit absoluta locutio, & isto modo debet intelligi absolutè verbum eius:* Accipio te in meam, *supple*, quantùm in me est, *præsuppositâ violentiâ istâ: & si Deus ratificaret per talem consensum, qualem nunc habeo, traditionem corporis mei fieri, traderem tibi meum, & in tantùm trado, quantùm tradi potest per talem consensum.*

234. An possit confessarius in aliquo casu proferre verba absolutionis sine intentione. Ex his satis liquet distinctio inter Sacramentum Matrimonij, & alia Sacramenta, quorum irritatio pendet à sola voluntate, seu intentione ministri. Matrimonio adjungunt aliqui Pœnitentiam; suppositâ quippe voluntariâ indispositione pœnitentis, non est in libertate ministri conficere verum Sacramentum: vel ergo mori debet (ut supponitur in casu) quod durissimum apparet, vel potest proferre verba sine intentione.

Parum autem refert, quòd pœnitens putet se absolutum; quia etsi absolveretur cum vera intentione, non esset absolutus. Et aliunde si dimittatur sine ulla Absolutione, periculum est, quòd equidem postea non confitebitur, ac proinde non evitatur illud incommodum. Prætereà talis pœnitens vel scit suam Absolutionem non valere, & nullum sequitur inconveniens; vel bona fide existimat valere, & postmodùm confitendo cum legitima dispositione, ab illis peccatis indirectè absolvitur.

Cùm ergo verba formæ Absolutionis sæpiùs sine intentione absolvendi liceat proferre, ut patet in Absolutione generali extra Sacramentum; immò in ipso Sacramento, sub conditione: *Si pœnitens est dispositus*; cur non etiam (saltem absque gravi sacrilegio) ad mortem evitandam, tametsi exteriùs aliquibus appareat verum confici Sacramentum? Hæc illi. Bene, an malè, judicent viri doctiores.

Atque ut in confectione Sacramenti omnis fictio esset graviter prohibita, non proptereà sequitur illam sic esse prohibitam in casu Conclusionis, in quo non conficitur Sacramentum, sed scienti & volenti in Dominici corporis reverentiam confertur hostia non consecrata pro consecratâ. Quæ omnia manifestè declarant, quàm difficile sit, supposito quòd non interveniat idololatria, convincere grave sacrilegium in tali simulatione.

235. Dicastillo. Hinc Dicastillo post diffusam impugnationem sententiæ Lugonis, tandem aliquando coactus illi adhæret, solùm dissentiens in voce idololatriæ, nolens illas actiones externi cultûs vocare propriam idololatriam. Sed parum curandum de nomine, quando constat de re, quæ juxta magìs communem sententiam & judicium prudentum valde dissonat rationi; tutissimum autem est in hoc & similibus casibus sequi communem sensum fidelium, quamvìs fortè evidens & convincens ratio nos lateat.

Sic ordinariè docetur, aliqua peccata facta in Ecclesia, puta tactus impudicos & similia, contrahere malitiam gravis irreverentiæ; quia populus graviter illis offenditur & scandalizatur: licèt enim malitia scandali videatur diversa & per accidens, tamen indicat propriam malitiam, quando sub illa movet actus ad scandalum. Profectò gravitas vel levitas materiæ non solùm desumenda est ex lege positiva, sed etiam sæpe ex prudenti ratione, judicante per legem naturalem. Porro prudens ratio gravem judicat irreverentiam in administratione hostiæ non consecratæ loco consecratæ, undecumque illa gravitas proveniat. Hæc est communis sententia, à qua judico in praxi non facilè recedendum.

Quæro autem ulteriùs: Ab Ordine & Matrimonio publicè repelli potest indignus? Respondeo:

CONCLUSIO XV.

Ab Ordine & Matrimonio publicè repellitur, cujus impedimentum occultum potest probari. Ordinariè tamen licet Matrimonium cum peccatore.

PEr impedimentum intelligo tam irritans, quàm solùm impediens. Atque in primis quod attinet ad Sacramentum Ordinis, Prælatis Ecclesiæ ex officio incumbit inquirere de idoneitate promovendorum seu ordinandorum; quippe collatio Ordinis aut beneficiorum non est merus actus pascendi, quemadmodùm alia Sacramenta; sed est actio juridica, vel saltem Gubernatoris & Principis, ad quem spectat eligere ministros idoneos. Sibi ergo imputent si rejiciantur cum infamia, cùm ingerant se contra publicam utilitatem in ea munia & officia, ad quæ non sunt idonei, sive ex jure naturali, sive etiam ex solo jure 236. Prælatis Ecclesiæ ex officio incumbit inquirere de idoneitate ordinandorum.

jure positivo: præsertim cùm ordinandi per se nullum habeant jus obligans Episcopum ad Ordines ipsis conferendos.

Ordinandi interrogati tenentur impedimentum detegere, etiam cum propria infamia.

Unde, quod plus est, interrogati tenentur impedimentum detegere, etiam cum propria infamia c. *Nisi cum pridem* 10. de Renunt. ibi: *Licèt irregularitatem hujusmodi non potuerit subticere.* Et cap. *Innotuit* 20. de Elect. ibi: *Qui suum maluit confiteri reatum, quàm læsâ conscientiâ thronum ascendere pastoralem.* Clarissimè c. *Ex pœnitentibus* 55. dist. 50. ibi: *Deponatur à clero, quia se ordinationis tempore non prodidit.* Ad quæ videtur attendisse Lucius Papa relatus in c. *Ad aures* 5. de Temp. ordinat. ubi dicit, Episcopum debere non ordinare Religiosos Prælato contradicente; & reddit rationem: *Quoniam esse potest, quòd Prælati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salvâ conscientiâ nequeunt sublimari.*

237. Quid fieri debeat, si ordinandus jus habeat ad ordines ratione beneficij aut dignitatis, quam possidet. Lugo.

Petes, quid si ordinandus jus habeat ad Ordines ratione beneficij, aut dignitatis quam possidet? Respondet Lugo debere ordinari, si impedimentum occultum non potest probari. Ubi insinuat eum, qui non prætendit jus, repelli posse, etsi crimen occultum nequeat probari. Quod ego intelligendum puto non de quolibet peccato mortali, sed de tali crimine, quod vel irritat Ordinationem aut impedit ex jure humano, aut certè notabiliter reddit hominem inidoneum ad Ordinis functionem.

Probat autem Cardin. suam resolutionem ex c. *Ex tenore* 4. de Temp. ordinat. ubi Alexand. III. de Clerico, qui adeò deliquerat, *quòd si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab Ordine quem susceperit, & ampliùs non posset ad superiores Ordines promoveri*; de tali (inquam) Clerico decernit in hæc verba: *Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliquâ ratione prohibere.* — Alex. III.

Glossa ibid.

Glossa verbo *Prohibere* tres adhibet conciliationes hujus textûs cum sequenti capite: *Ad aures*, supra citato. *Hîc loquitur* (inquit) *de sæculari, ibi de regulari, qui non habet propriam voluntatem. Vel illud propter scandalum Prælatorum; hîc nullum scandalum. Vel melius istud, cùm quis petens Ordines, habet ius petendi ratione tituli, quem habet, vel dignitatis; illud, cùm ius petendi non habet, & ideo Prælatus suus potest eum repellere.* Quæ nullatenùs contrariantur nostræ conclusioni (ut patet) nam solùm asserit occultum criminosum posse repelli cum infamia, quando crimen potest probari; de quo non loquitur textus citatus.

238. Quid faciendum si crimen ita occultum sit, ut nequeat legitimè probari; constet autem Episcopo ordinanti.

An autem possit repelli, quando crimen ita occultum est, ut nequeat legitimè probari, constat tamen certò Episcopo ordinanti; satis colligitur ex jam dictis. Sanè si nullum habeat jus, & admonitus secundùm ordinem fraternæ correctionis ut desistat à petitione, nihilominùs publicè se ingerat, & præsentet cum cæteris ordinandis, judico posse & debere repelli tanquàm ab Episcopo non admissum, licèt aliqui inde suspicentur occultum aliquod delictum. Sin autem jus habeat Ordinationis, juxta c. *Ex tenore* citatum, non debet aliquâ ratione prohiberi.

239. Parochus sine gravi peccato irreverentiæ potest assistere Matrimonio in malo statu contrahentium.

Pro Matrimonio, Suppono Parochum sine gravi peccato irreverentiæ posse assistere Matrimonio eorum, qui in malo statu contrahunt; idque quia non ministrat Sacramentum, sed tantùm requiritur tanquàm testis & notarius publicus. Quod Præpositus 3. parte quæst. 7. de impedimentis Matrimonij & plures cum ipso dicunt esse verum, etiamsi peccatum foret publicum. Intellige quando peccatum non est simul impedimentum dirimens vel impediens. Nam impedimenta quantumvis occulta tenetur Parochus denuntiare Episcopo, & Episcopus fortassis Nuntio, si alio modo non possunt Matrimonium impedire, & illo modo sperant impediendum; de quo plura proprio loco. — Quod Præpositus & alij intelligunt etiam de peccato publico.

Non minùs obligatur Parochus inquirere impedimenta Matrimonij, quàm Episcopus impedimenta Ordinis.

Hîc sufficiat pro veritate conclusionis, non minorem habere Parochum obligationem inquirendi impedimenta Matrimonij, atque Episcopus impedimenta Ordinis, præsertim irritantia; tum propter damnum tertij, quod natum est sequi ex Matrimonio invalido; tum propter continua peccata fornicationis, saltem materialia. Similiter ex Ordinatione invalidâ innumera sequuntur sacrilegia, & damna irreparabilia in administratione aliorum Sacramentorum Eucharistiæ, Pœnitentiæ &c. quæ ad valorem suum exigunt Ordinem Sacerdotij.

Propereà jure meritissimo Ecclesia exigit exactissimam inquisitionem impedimentorum, præcipuè quidem irritantium; minùs tamen principaliter etiam impedientium. Cùm enim (ut dictum est) Parochus assistat Matrimonio tanquam testis & notarius publicus, ipsius muneris est inquirere, an contractus, cui assistit, sit legitimus, & an habeat conditiones à jure requisitas ad licitum sive ad validum, eodem modo, quo 240.

notarius publicus in alijs contractibus civilibus; cæteroquin quomodò testari poterit Matrimonium secundùm leges esse initum?

Hinc quemadmodùm Judicis aut notarij publici non est in alijs contractibus civilibus inquirere; an contrahentes peccent vel non peccent contrahendo propter malam intentionem, excommunicationem vel similem causam, sed an omnia observentur, quæ in tali contractu observanda à jure præscribuntur; ita etiam impræsentiarùm Parocho non incumbit ex officio investigare, an conjuges peccent vel non peccent ineundo Matrimonium, quia sunt in malo statu vel propter excommunicationem, aut similem aliquam causam; sed an omnia adsint, quæ specialiter ad hunc contractum jure humano vel divino requiruntur.

241. Et sicut Judex civilis potest repellere à contractu merè politico, præmissâ monitione, qui publicè accedunt non servatis conditionibus jure requisitis; pari ratione Parochus potest & debet repellere, fraternâ correptione præviâ, qui publicè accedunt ad contrahendum Matrimonium cum impedimento irritante aut prohibente; secùs qui in excommunicatione, aut aliàs in peccato mortali: hæc quippe non sunt specialia impedimenta Matrimonij in quantùm contractus est, sed generaliter prohibent susceptionem omnium Sacramentorum eorumque administrationem, quando publica sunt.

Porro Parochus præsens Matrimonio neque suscipit, neque ministrat Sacramentum; sed Ecclesia requirit ejus præsentiam solummodò ut testari possit verè contractum initum esse juxta leges jure divino ac humano constitutas, propter gravia peccata, *quæ* (ut loquitur Tridentinum sessione 24. de reformatione Matrimonij cap. 1.) *ex clandestinis Coniugijs ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt.* Quis autem jure dixerit Concilia vel Tridentinum quod irritavit, vel Lateranense quod prohibuit Matrimonia clandestina, attendisse ad peccatum, quod præcisè committitur propter indispositionem contrahentium ad effectum gratiæ?

Trident.

242. Certè denuntiationes, quas Concil. Trident. inhærendo vestigijs Concilij Lateranensis sub Innocent. III. celebrati, præcipit fieri antequàm Matrimonium contrahatur, non concernunt peccata quælibet occulta eorum, inter quos Matrimonium est celebrandum; sed impedimenta dumtaxat irritantia vel impedientia, ut suo loco patebit, nullo, quod sciam, contradicente; imò ipso Concilio apertè comprobante, dum dicit supra: *Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur.*

Propter impedimenta igitur, & non propter censuras, aut alia quæcumque peccata, specialiter Parocho incumbit arcere à Sacramento Matrimonij volentes contrahere, etiam cum eorum infamia, ubi aliter fieri nequit. Idem videre est in professione Religiosa; præmittunt quippe Superiores exactissimam inquisitionem conditionum requisitarum ex jure communi, vel particularibus statutis ad validam & licitam professionem, cum potestate & voluntate dimittendi novitium, etiam cum infamia, ubi opus fuerit.

Petes, an saltem Parochus non peccet cooperando peccato contrahentium in malo statu, quod sine ejus assistentia non committerent, præsertim quando peccatum est publicum, adeoque sine infamia posset negare suam præsentiam? Respondet Card. Lugo disp. 8. n. 219. eam cooperationem esse valde materialem & inculpabilem Parocho, qui non potest negare suam assistentiam, quam debet ut minister publicus: sicut nec publicus notarius vel judex potest negare auctoritatem sui muneris contractui alicui legitimo, licèt contrahens ex intentione prava peccet in ipso contractu. 243.

An peccet Parochus cooperando peccato contrahentium in malo statu. Lugo.

Rectè quidem; sed aliud simile, quod adjungit, non placet: Et sicut (inquit) uxor non peccat reddendo debitum conjugale viro petenti contra votum castitatis, quod habet. At quanta dissimilitudo! quippe conjuges, si volunt, contrahunt absque peccato; petitio copulæ & ipsa copula subsequens ex illa petitione contra votum castitatis, necessariò est peccaminosa; adeoque quamquàm mulier peccaret reddendo (ut multi verosimiliùs judicant, quia cooperatur ad actum externum, qui hîc & nunc nequit fieri absque peccato) adhuc tamen Parochus satisfaciens muneri suo, non est reus indignæ ministrationis aut susceptionis Sacramenti; quia tota hujus malitia pendet à voluntate contrahentium, qui debitè se disponendo licitè ministrant & suscipiunt Sacramentum: in potestate autem viri petentis non est justificare copulam, sed in potestate solius mulieris coope-

cooperantis. Ex quo etiam patet disparitas inter virum petentem copulam ex prava intentione, & petentem contra votum castitatis.

244. *Non est in parocho assistente alia obligatio, quàm virtutis Charitatis.*

Ut ut sit de hac controversia, quæ est alterius loci, si vera est ultima pars conclusionis, quæ restat probanda, non agnoscimus aliam obligationem in Parocho, quàm communem virtutis charitatis, impediendi videlicet peccatum proximi quantùm commodè potest, dissuadendo quod malum est, & hortando ad id, quod bonum est. Equidem alijs persistentibus in affectu malo, quem possent corrigere si vellent, tenetur assistere.

Ordinariè licitum est contrahere Matrimonium cum peccatore.

Ita habet praxis communis; quæ utique declarat non solùm Pastori licitum esse assistere Matrimonio peccatoris, verùm etiam ordinariè nullum esse peccatum contrahere cum peccatore, ut habet ultima pars conclusionis; maximè in his partibus, ubi permittitur ab Ecclesia Matrimonium Catholici cum hæretica. Sæpe etiam Pontifices dispensarunt, ut Catholicus cum hæretica posset contrahere; non potest autem dispensare in re intrinsecè mala, sive non potest esse causa actionis intrinsecè malæ, quæ aliàs non fieret.

245. *Objectio.*

Si dicas, ministrare Sacramentum indigno non ita esse intrinsecè malum, quin ex rationabili causa fiat licitum, ut ex jam dictis satis constat; in illis autem dispensationibus adfuisse justam causam.

Responsio.

Respondeo, causam dispensandi in lege Ecclesiastica non esse semper causam rationabilem ministrandi Sacramentum indigno. Patet: si Pontifex dispenset in impedimento consanguinitatis, quis propterea dicat consanguineos posse contrahere in malo statu? Et tamen ex rationabili causa id licet, & supponitur rationabilis causa dispensationis.

Concil. Chalcedon.

Quando ergo Pontifices dispensarunt, vel generaliter, ut in Concilio Chalcedonensi act. 15. can. 14. ibi: *Nisi fortè spoponderit se venire ad orthodoxam fidem dum coniungitur personæ orthodoxæ.* Et c. 16. 28. q. 1. quod desumptum est ex Concil. Agathensi c. 67. *Non oportet* (inquit) *cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & Catholicos*; vel specialiter, ut fecit Clemens VIII. anno 1604. cum Catharina sorore Henrici IV. hæretica & duce Barensi Catholico; non fuit intentionis ipsorum declarare, causas allegatas per se excusare indignam administrationem vel receptionem Sacramenti (nam certum est apud omnes, hæreticum vel malum Catholicum peccare recipiendo Sacramentum) sed supposuerunt Pontifices, sublatâ per legitimam dispensationem lege Ecclesiasticâ prohibente hujusmodi connubia, ordinariè esse licitum Sacramentum Matrimonij indigno administrare.

Concil. Agathens.

Clemens VIII.

Cardo ergo difficultatis in hoc vertitur, quòd non appareat ratio sufficiens disparitatis inter Sacramentum Matrimonij & alia, quæ diximus ordinariè non posse indignis administrari. Hæc igitur ratio quæritur, & non invenio meliorem, quàm communem sensum totius Ecclesiæ, quæ numquam movit scrupulum fidelibus, qui contrahunt Matrimonium cum Catholicis existentibus in peccato mortali; sed unusquisque tenetur se ipsum in gratia constituere, compartem verò relinquit suæ conscientiæ. 246.

Ratio, cur fidelis contrahens cũ alio existente in mortali non peccet.

Nec mirum, cùm in pluribus alijs (ut alibi diximus, & magis patebit in proprio tractatu) non liceat argumentari à Sacramento Matrimonij ad alia Sacramenta, eò quòd Matrimonium non tantùm sit Sacramentum, sed etiam contractus (non ita spectans publicam utilitatem, quàm bene privatam contrahentium) in quo idem est petere seu accipere ab aliquo, ac eidem ministrare, quæ non habent locum in alijs Sacramentis, in quibus minister ordinarius est Parochus, cui ex munere proprio competit eorum distributio quasi personæ publicæ & attendenti ad bonum publicum; atque ideo ad eum ex officio pertinet cognoscere merita vel demerita illorum, quibus bona communia distribuit, ut satisfaciat debito fidelis dispensatoris. Et quamvis in casu necessitatis laicus possit baptizare, tunc tamen sustinet vices personæ publicæ.

Disparitas inter matrimonium quoad hoc, & alia Sacramenta.

At verò in Sacramento Matrimonij minister non est Pastor, nec homo publicus, aut distributor bonorum communium, qui tamquam Oeconomus ex munere suo & debito fidelis dispensatoris debeat attendere & examinare merita suscipientium; sed est persona privata celebrans contractum, adeoque ex officio suo solùm attendit ad utilitatem & commodum proprium: sicut in republicâ alia est obligatio Oeconomi distribuentis res communes, & alia particularis personæ vendentis res proprias.

Quia igitur contractus Matrimonij ordinatur ad utilitatem privatam & externam contrahentis, non est tanta obligatio attendendi ad reverentiam Sacramenti; vel (ut meliùs loquar) non 247.

 est

est tanta irreverentia Sacramenti Matrimonij si indigno ministretur, cùm ordinariè interveniat utilitas temporalis ipsius ministri, quæ non reperitur in administratione aliorum Sacramentorum, ubi sola spectatur utilitas suscipientis. Profectò si licitè peto Sacramentum ab indigno ministro, modò id suadeat notabilis utilitas; cur in Sacramento Matrimonij non liceat propter eandem causam indigno ministrare? Nam petere & ministrare quasi idem sunt: proinde non videtur contrahens magìs debere sequi conditionem ministrantis, quàm petentis. De cætero attendamus, inspiciamus, perscrutemur quod possumus, ne infideles (quod absit) ministri & dispensatores mysteriorum Dei inveniamur.

248. An sit fidelis minister, qui vult conficere Sacramentum incertus de valore. Et verò (interrogat quispiam) numquid fidelis minister est, qui vult conficere Sacramentum incertus de valore? Constanter & unanimiter asserunt DD. haud licitum esse ministrare Sacramentum cum dubio negativo (quando scilicet non est fundamentum ad assensum præbendum alicui parti) nisi in necessitate sub conditione; quippe Sacramenti institutio ad minùs videtur exigere probabile judicium, nè continuò exponatur periculo nullitatis contra reverentiam ipsi debitam.

Confirmatur: quia præceptum naturale non fornicandi requirit judicium, saltem probabile, quòd hæc persona sit sua; ergo similiter præceptum baptizandi cum aqua naturali, quòd hæc sit aqua naturalis.

249. Interim tamen quemadmodùm dubius de valore Matrimonij potest reddere debitum, quamdiu petens procedit bonâ fide, quia præponderat aliud inconveniens, scilicet periculum privandi alterum possessione suâ absque sufficienti probatione; vel (clariùs loquendo) quia negando debitum exponit se periculo injustitiæ, reddendo autem periculo solius fornicationis; ex duobus porro malis, ubi alterum est necessarium, minus est eligendum; ergo eligenda fornicatio, quæ minus est peccatum, quàm injustitia: ita dico in extrema necessitate sine irreverentia utimur materiâ aut formâ dubiâ, quando certior haberi nequit; quia prævalet præceptum charitatis, & abstergit omnem irreverentiam, quæ aliàs in tali ministerio committeretur. Enimverò cùm Sacramenta instituta sint pro salute animarum, & aliqua saltem spes effulgeat eam procurandi animæ alioquin in æternum certò perituræ, potiùs reverenter quàm irreverenter tractat Sacramentum, qui ita illud administrat, maximè sub conditione; quippe illa non subsistente altera pars essentialis necessariò deficit, per consequens intentio Sacramenti. Sicuti ergo nulla est irreverentia contrahere Matrimonium ex justa causa cum impedimento dirimente absque intentione Sacramenti, quia verba contrahentium non sunt materia aut forma validi contractûs; sic nec erit irreverentia in necessitate extrema baptizare cum liquore, de quo dubitatur an sit aqua naturalis, sub conditione veræ materiæ; quia si reverà non est aqua naturalis, quod non pendet à voluntate baptizantis, non hic, sed potiùs Deus, qui instituit aquam naturalem pro materia essentiali, irritat Sacramentum.

Sed cùm hæc satis constent, tamen dissensio inter DD. Catholicos est, an minister relictâ materiâ aut formâ certâ, possit adhibere solùm probabilem. Major pars amplectitur sententiam negativam, pro qua placuit sequentem conclusionem instituere.

CONCLUSIO XVI.

Minister non potest adhibere materiam aut formam Sacramenti solùm probabilem, quando commodè potest adhibere certam.

Secundùm aliquos Auctores si alibi, etiam hîc licet sequi opinionem probabilem de valore materiæ aut formæ, si legem justitiæ, charitatis aut Ecclesiasticam secludas. Quidni (inquiunt) esset licitum prudenter agere? Agit autem prudenter, qui sequitur opinionem probabilem. Sanè omnimoda in rebus humanis certitudo habere nequit, adeoque ad eam Deus non obligavit, sed ad moralem tantùm, ne alioquin vix liceat operari, cùm res practicæ difficillimè cognoscantur, & varijs opinionibus subjectæ sint. 250. Sententia Vasques & aliorum

Herculè si semper homo deberet sequi partem tutiorem, hoc est, in qua minus est periculum peccati, sive in qua nec materialiter potest esse peccatum, foret onus intolerabile, ut nemo ignorat qui novit diversitatem sententiarum circa licitum & illicitum in actibus humanis. Quin sæpe quod est magìs tutum, est minùs probabile, id est, infirmioribus nititur fundamentis, puta, quòd diebus festis teneamur conteri.

Si

251. Impugnatur Primò. Si dixeris: Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Respondent, eum, qui prudenter aliquid facit, eo ipso non facere Deo vel Sacramento irreverentiam, nec exponere se periculo, nisi ad summum faciendi quod est irreverentia materialiter. Patet in eo, qui cum judicio solùm probabili cognoscit suam; quamvis enim hic exponatur periculo fornicationis materialis, tamen non facit ullam irreverentiam formalem Deo vel ejus præcepto.

252. Secundò. Contra: non est probabile, Sacramentum posse ministrari in materia probabili, quando certa est possibilis. Negant: cur enim minùs hoc probabile sit, quàm quòd aliquis possit suscipere Eucharistiam, quando tantùm probabiliter judicat se esse in statu gratiæ, aut quòd possit retinere bona proximi, quando probabiliter solùm existimat esse sua? Quippe & tunc exponitur Sacramentum periculo materialis irreverentiæ, scilicet quòd carebit fructu; & retinens bona exponit se periculo materialis injustitiæ.

253. Tertiò. Instas: præceptum justitiæ, castitatis, & similia respiciunt actiones an honestæ sint vel non; opinio autem probabilis cum conscientia practicè certa faciunt actionem honestam formaliter, quamvis à parte rei sive materialiter sit inhonesta. Porro opinio probabilis circa valorem Sacramenti non respicit actionem, sed rem; & non potest facere ut aliquid sit materia, si reverà à Christo non sit institutum.

Respondent: etiam hîc probabilitas objecti redundat in actionem. Nonne probabilitas in exemplis præallegatis facit, quòd à parte rei non sit materialis fornicatio, aut sacrilega susceptio Sacramenti, vel injustitia, si à parte rei non sit uxor, aut suscipiens non sit dispositus, vel res non sit mea? Profectò propter meum putare, etiam prudentissimum, nihil mutatur in re. Si ergo aliæ actiones justificantur per judicium probabile, etiam administratio Sacramenti in materia probabili; non præcisè per judicium, quo judico hanc vel illam materiam probabiliter valere, sed quo, supposito hoc judicio, judico prudenter licitum esse in tali materia ministrare.

Quocirca (inquiunt) addidimus: *Si legem justitiæ* &c. Quamquàm enim leges istæ non reddant materiam vel formam minùs probabilem vel improbabilem; faciunt tamen, ut nequeam ego prudenter judicare, quòd sit probabile, me licitè posse ministrare Sacramentum in hâc materia aut forma probabili.

254. Quartò. Si rursum objicias: Sacramenta habent jus certum ut validè ministrentur, cui non satisfit per ministerium incertum. Respondent: jus non est in inanimatis, sed in personis, v. g. in Deo; qui sicut habet certum jus ut Sacramenta ministrentur validè, sic etiam ut suscipiantur dignè; & tamen ad hoc ultimum sufficit probabile judicium. Sic etiam habet Deus certum jus ne quis fornicetur, & ut homines adimpleant sua mandata; & tamen ad vitandum peccatum formale, satis est judicium probabile.

Quòd autem instatur per exemplum ex humanis, ubi certo justitiæ debito minimè satisfit incertâ solutione, parum, inquiunt, urget: quippe constat certo debito legis humanæ satisfieri probabili impletione. De debito justitiæ fortè idem dici posset: qui enim probabiliter satisfecit, potest censeri exemptus. Vel esto, quòd non censeatur exemptus, hoc ideo erit, quia justitia respicit æqualitatem debitam inter datum & acceptum; jam autem incerta solutio non æquivalet certo debito. Unde contrahentes censentur alio sensu & mente contrahere. Quâ intentione seclusâ posset sufficere æqualitas probabilis debiti secundùm se & solutionis, etsi non foret æqualitas ex parte scientiæ seu certitudinis. 255. Quintò.

Porro Deus contentus est probabili solutione, etiam promissionis sibi factæ (ut communiter docetur in materia de Religione) quamvis hæc probabilitas facere non possit, ut sit vera adimpletio voti, si à parte rei talis non est. Religio itaque sive reverentia debita Sacramentis, aut potiùs Deo in Sacramentis, solùm exigit, ut nunquam velim conficere Sacramentum, quin saltem probabiliter valeat. Etenim quis rationabiliter conqueri potest de inhonoratione sua, quando alter exhibet ei illum honorem, quem prudenter judicat sufficere, quamvis fortassis hîc & nunc non sufficiat?

Urges: Deus statuit Sacramenta velut publicam monetam, cui suâ auctoritate valorem ex passione Filij tribuit. Unde sicut fieret Regi injuria à cudente monetam dubij valoris, sic etiam Deo ab administrante Sacramentum solùm probabile. Respondent: non fieret injuria, si probabilis foret valor monetæ, nisi Rex plus præcepisset: Christum autem plus præcepisse, ex nullo capite ostenditur. Hæc illi pro sua sententia. 256. Sextò.

Sed contra: Christum plus præcepisse ostenditur ex dignitate & sanctitate Sacramentorum, quæ Christus instituit, & voluit esse signa efficacia gratiæ sanctificantis & alio- 257. Sententia opposita probatur.

& aliorum effectuum supernaturalium; hæc autem ratio non militat in alijs præceptis, ut proinde ab his ad Sacramenta seu administrationem Sacramentorum non valeat argumentum. Itaque tametsi alibi liceret, hîc tamen secundùm plerosque Doctores non licet sequi opinionem tantùm probabilem de valore materiæ aut formæ, quando commodè potest adhiberi materia aut forma certa, etiam seclusa lege justitiæ, charitatis vel Ecclesiastica; quoniam non solùm læditur proximus, cui exhibentur Sacramenta solùm probabilia, cùm possent exhiberi certa, sed læditur etiam religio, cultus & honor Deo ac Sacramentis debitus, dum fides & auctoritas divina, significatioque & efficacitas à Christo ibi instituta exponitur sine causa periculo evadendi fortasse ex re magni momenti in rem prorsus inanem & vanam omni fructu & veritate carentem.

Ex qua ratione videtur consectarium, peccare contra reverentiam debitam Deo ac Sacramentis, qui suscipit Eucharistiam aut aliud Sacramentum probabiliter tantùm dispositus ad effectum gratiæ sanctificantis, cùm alioquin commodè posset suscipere moraliter certò dispositus.

258. *Pro qua citatur Scotus.* Pro hac sententia citatur Scotus 4. dist. 11. q. 6. n. 2. ibi: *Hic breviter potest dici, quòd cum certum sit farinam tritici purgatam secundùm communem purgationem, eo modo scilicet, quo pistores solent eam purgare, esse materiam convenientem ad faciendum panem consecrabilem, & dubium sit, an amidum sit huiusmodi materia; & pars negativa multùm sit probabilior; non sine peccato aliquis se exponit tali dubio.* Hæc Doctor Subtilis.

Sed respondetur Primò. Sed responderi posset, Primò, ipsum loqui de particulari Sacramento, Eucharistia videlicet, in qua per dubiam & probabilem solùm consecrationem fit præjudicium animabus Purgatorij, & alijs fidelibus pro se Missas exigentibus, qui defraudantur suffragijs, casu quo Sacramentum non subsistat.

Secundò. Secundò, quando pars negativa est multùm probabilior, pars affirmativa vix aut ne vix quidem est probabilis; quod enim parum est, in moralibus pro nihilo reputatur. Unde non utitur Doctor voce *Opinionis probabilis*, sed *Dubij*, quæ vox simpliciter posita significat dubium negativum.

Tertiò. Tertiò: obstat hîc usus Ecclesiæ, qui induxit legem non consecrandi nisi panem confectum ex farina tritici purgata secundùm communem purgationem, eo modo quo pistores solent eam purgare.

Et propter similem legem Ecclesiasticam est peccatum baptizare in nomine Genitoris, Geniti & Spirati, licèt Baptismus hac forma collatus probabiliter valeat (immo foret peccatum, esto certissimè valeret) siquidem hæc probabilitas non redundat in actionem ministri; non enim probabile est, ministrum posse conficere Sacramentum, etiam certissimum, contra communem usum Ecclesiæ præscribentis & præcipientis ut eo modo, & non aliter administretur. 259. *Lex Ecclesiastica prohibet baptizare in nomine Genitoris, Geniti & Spirati.*

Observandi ritus Ecclesiastici. Enimverò suppono tamquam indubitatum apud omnes Catholicos, solis hæreticis obstrepentibus, ministrum debere servare ritus & cæremonias, aliaque ab Ecclesia præscripta & præcepta in ministerio Sacramentorum; ita ut secùs faciens peccet graviter vel leviter pro materiæ quantitate, prudenti judicio determinanda. En definitio Concil. Trident. sess. 7. can. 13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* *Probatur ex Trident.*

Atque hæc est consentiens doctrina SS. Patrum, & constans Ecclesiæ universalis usus & traditio. Quin & ipsa ratio naturalis dictat res sacras, inter quas præcipuum locum tenent Sacramenta, non solùm cum interiori, sed etiam cum exteriori reverentia, ad quam ceremoniæ conducunt, esse tractandas. Vide Bellarminum lib. 2. de Sacram. cap. 30. & sequentibus. *SS. Patribus, Traditione & ratione naturali.* *Bellarm.*

Quæ cùm ita sint, liquet profectò solam legem Ecclesiæ facere posse, ut administratio Sacramenti in materia aut forma tantùm probabili sit peccaminosa, esto alioquin foret licita: peccaminosa (inquam) contra virtutem Religionis, ex cujus motivo Ecclesia præcipit: ac proinde ex verbis Scoti supra allegatis non deducitur efficax argumentum pro nostra sententia.

Sed neque ex his verbis ejusdem Doctoris 4. dist. 3. q. 2. n. 10. *Circa istum* (loquitur de baptizato hodie in nomine Christi) *tale remedium adhibendum est, sicut universaliter in alijs dubijs* (Baptismis) *adhibetur, de quo extra de Baptismo & eius effectu.* De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur verbis istis præmissis: si baptizatus es, non baptizo te; sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filij &c. *Et universaliter in omnibus dubijs* 260. *Alius locus Scoti.*

dubijs quantùm ad materiam & formam sunt tres maximæ. Prima est ista: si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda: si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima est tenenda. Tertia est ista: cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. In quibus verbis Doctor non loquitur explicitè de omnibus dubijs quantùm ad materiam & formam cujuslibet Sacramenti, sed solius Baptismi.

Explicatur Primò.

Explicatur Secundò.

Et dato quòd loqueretur de omnibus Sacramentis; numquid etiam de dubio positivo seu opinione probabili? Videri posset alicui quòd non, propter hæc verba immediatè præcedentia: *Non audeo dicere, quòd baptizatus hodie in nomine Christi, esset baptizatus: sed nec audeo dicere, quòd non esset baptizatus.*

261. Explicatur Tertiò.

Denique commodè explicari possunt hæc verba de obligatione charitatis, quæ maximè elucet in Sacramento Baptismi propter maxima damna ex invalida ejus administratione emergentia, præsertim in extrema necessitate, in qua eadem est ratio Sacramenti Pœnitentiæ. Nemo autem non videt, si habeat oculos apertos ad videndum, charitatem obligare ad illa damna evitanda, quando commodè evitari possunt. Si enim charitas dictat medicum corporalem debere infirmo extremè laboranti adhibere medium certissimum recuperandæ sanitatis corporalis, & non posse uti medio incerto, tametsi probabiliter judicet profuturum, dum suppetit certum; quantò magìs obligabit medicum spiritualem, ut in extrema necessitate adhibeat certa remedia sanitatis spiritualis, ubi & quando commodè potest ea adhibere? Tantùm quippe sanitas spiritualis præstat sanitati corporali, quantùm anima præstat corpori.

Charitas obligat ad ministrandum Sacramentum certum, relicto Sacramento tantùm probabili.

An Episcopus peccet mortaliter conferens Sacramentum Confirmationis tantùm probabile.

Quidni etiam charitas obliget in Sacramentis non necessarijs? Quidni (inquam) Episcopus graviter peccet conferens Sacramentum Confirmationis solùm probabile, cùm posset commodè conferre certum? Licèt enim gratia illius Sacramenti non sit omnino necessaria ad salutem; equidem tanti videtur esse valoris, ut meritò censeatur grave nocumentum seu detrimentum eâ privari, quando rationabiliter petitur: atqui Episcopus conferens Sacramentum tantùm probabile fortè privat suscipientem illâ gratiâ, ad quam habet certum jus ex institutione Christi, & quam proinde rationabiliter petit; quidni ergo graviter peccet contra charitatem, quæ obligat ad impediendum seu non inferendum grave nocumentum proximo, quando commodè potest evitari?

Dices: Probabiliter evitatur omne nocumentum; quia probabiliter confertur gratia; jam autem probabile tantùm nocumentum minus est, quàm certum nocumentum; esto ergo graviter peccaret Episcopus tam contra charitatem, quàm contra justitiam, negando Sacramentum vel administrando Sacramentum invalidum; haud equidem ita graviter peccaret administrando Sacramentum tantùm probabile. 262. Objectio.

Audite quid doceat Lorca 1.2. de Actib. humanis disp. 39. memb. 2. Vera (inquit) ratio, ob quam in usu Sacramentorum necesse est sequi sententiam tutiorem, quando maximum damnum spirituale timetur, est, quia quamvìs communia pericula & nocumenta imminentia communi diligentiâ & probabili scientiâ sufficienter caveantur, sed quando aliquod incommodum maximum & irreparabile occurrit, recta ratio postulat, ut homo non satisfaciat communi diligentiâ, sed majorem adhibeat; & si potest, omnem ejus periculi probabilitatem amoveat. Sententia Lorcæ.

Ex hoc sequitur primò, licere uti quacumque opinione probabili circa essentialia Sacramentorum, quæ non sunt de necessitate salutis. Sequitur secundò, circa essentialia Sacramenti Eucharistiæ licitum esse aliquoties uti probabilibus sententijs, non tamen ex consuetudine & longo tempore. Hujus ratio est: quia Sacramentum Eucharistiæ, secundùm probabiliorem sententiam, necessarium est ad conservationem vitæ spiritualis; secundùm omnium verò doctrinam maximum fructum spiritualem præstat, quo fructu fraudari diu hominem, gravissimum nocumentum est; una autem aut alia vice, non ita grave præjudicium infert. Idem censeo de usu probabilium opinionum circa Sacramentum Pœnitentiæ, quod quamvìs sit necessarium ad salutem interveniente peccato mortali; sed cùm possit facilè repeti, non censetur adeò magnum detrimentum, si quis ductus opinione probabili, semel aut iterum pœnitentem exponat periculo carendi effectu illius: secùs, si frequenter & multoties id faceret. Hucusque Lorca loquens de obligatione charitatis.

Fateor ego, certam privationem gratiæ sacramentalis esse majus nocumentum, quàm privationem tantùm probabilem; interim negare non audeo; quin etiam hæc sit aliquod nocumentum, grave vel leve relinquo judicio prudentis. Mihi videtur satìs grave probabilis privatio effectûs Sacramenti Confirmationis per totam vitam, & per 263. Responsio.

& per consequens per totam æternitatem.

Eadem est ratio Sacramenti Ordinis; immo major; quia si à parte rei Sacerdotium v. g. non valeat, ordinatus redditur incapax ad validè conficienda alia Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ &c. quod est gravissimum damnum.

Præterea existimo charitatem obligare non solùm ad evitandum, seu non inferendum grave nocumentum, verùm etiam ad non inferendum quodcumque leve nocumentum proximo rationabiliter invito. Cùm autem impræsentiarum proximus rationabiliter petat certum Sacramentum; neque enim Christus instituit Sacramentum tantùm probabile, sed certum, videtur, nisi fortè cedat juri suo, rationabiliter esse invitus, seu rationabiliter conqueri posse de Sacramento solùm probabiliter collato, relicto Sacramento certo, quod æquè commodè poterat ministrari. Igitur administrans Sacramentum probabile tantùm, relicto certo absque ulla necessitate seu ratione, idque suscipienti rationabiliter invito, videtur peccare ad minus contra charitatem.

264. Pastor ex Justitia tenetur administrare Sacramentum certum. De alijs non ita certo constat.

Subinde etiam contra justitiam, quando scilicet minister obligatur ex officio, uti Pastor. De alijs non ita certò constat: quippe possent negare Sacramentum sine injustitia; ergo etiam sine injustitia administrare tantùm probabile, cùm & in eo gratiam præstent suscipienti; melius siquidem est Sacramentum tantùm probabile accipere, quàm nullum.

Sententia De Scildere.

Contrariam sententiam novissimè docet De Scildere de Principijs conscientiæ tract. 2. n. 112. dicens: Supposito quòd conferre velit, obligatus est, quasi ex contractu, procedere viâ tutissimâ, nisi suscipiens consentiat. Sicut consiliarius, licèt non sit obligatus dare consilium, supposito tamen, quòd alteri dare velit, obligatus est ex justitia dare juxta petentis intentionem.

Sed si ipse hoc asserendo probavit, ego negando refutavi. Interim prior sententia probatur à simili, quod idem Auctor admittit eodem tract. n. 106.

Medicus stipendio conductus peccat non solùm contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam, si relicto remedio certo præscribat probabile.

Medicus stipendio conductus peccat non solùm contra Charitatem, sed etiam Justitiam, si relicto remedio certo præscribat probabile; habet enim infirmus ex vi conductionis jus strictum ad medicinam magis profuturam; hæc quippe est ipsius intentio. Sin autem medicus gratis alicui opituletur, quemadmodùm non peccat contra Justitiam, sed contra solam Charitatem, subtrahendo omnem medicinam, multò minùs peccabit contra Justitiam, si præscribat medicinam incertam, quâ, alioquin certò moriturus, fortè supervivet.

Quod limito, nisi peritissimum quærenti, qui certissimum adhiberet remedium, se sponte ingerat ut talis, cùm aliàs eram reperturus, cujus operâ mortem evasissem; tunc quippe per fraudem impedit infirmum à remedio certissimo, ad quod habet strictè dictum jus. Ac proinde non videtur improbabile, Religiosos, qui se ingerunt ex charitate officio Parochi, audiendo confessiones & alia Sacramenta administrando, eandem cum ipso subire obligationem, semper utique conficiendi Sacramentum certum, ne per fraudem impediant populum ab infallibili remedio æternæ salutis, ad quod habet strictum jus, & quod bonâ fide putat se ab illis accipere, alioquin accessurus eum, qui ex officio ad hoc obligatur.

Quid de Religiosis, se ex Charitate officijs Parochialibus ingerentibus?

Petes: an ergo Sacerdos cum probabili tantùm jurisdictione nequeat se publicè exponere audiendis confessionibus? Distinguunt hîc aliqui inter materiam & formam Sacramenti ex una parte, & jurisdictionem requisitam ad validam absolutionem ex altera, docentque jurisdictionem probabilem per se sufficere ad licitè absolvendum; secùs probabilem tantùm materiam vel formam. 265.

Quid de Sacerdote cum probabili tantum jurisdictione audiendis confessionibus publicè se exponente?

Sed si res penitiùs introspiciatur, inveniemus solùm esse differentiam quamdam materialem. Ratio quippe distinguendi illorum Auctorum est, quia cùm jurisdictio merè pendeat à Prælatis Ecclesiæ, eo ipso quo aliquis habet probabilem, jam habet certissimam, Ecclesiâ supplente defectum ad singulos actus propter bonum commune. Idem cernitur in illo, qui habet titulum coloratum cum errore communi, ut videbimus in materia de Pœnitentia.

An & quo sensu admittenda distinctio quorumdã Auctorum inter materiam & formam Sacramenti ex una parte, & jurisdictionem requisitam ad validam absolutionem ex altera.

Porro materiæ & formæ Sacramentorum cùm à Christo immediatè institutæ sint, nequit Ecclesia earum defectum supplere; Deum autem id facere nullibi est revelatum; adeoque materia & forma semper remanent in terminis probabilitatis; jurisdictio autem transit in certissimam, ut illi volunt: ergo tunc non confertur Sacramentum cum jurisdictione probabili, nisi speculativè, sive antecedenter ad exercitium, sed cum jurisdictione practicè certa. Quòd si etiam Deus suppleret defectum materiæ & formæ, de qua suppletione non satis constat, idem profectò dicendum esset de probabili materia & forma, quod de probabili jurisdictione.

Et sanè

266. Et sanè si quis diceret Ecclesiam supplere defectum individuæ materiæ Ordinis, utpote quam Christus videtur reliquisse determinationi Ecclesiæ, ut suo loco diffusiùs explicabimus. Similiter in Matrimonio supplere defectum legitimi contractûs; nonne consequenter admittere deberet tam licitum esse cum probabili materia ordinare seu conferre sacros Ordines, & cum probabili materia aut forma contrahere Matrimonium, quàm cum probabili jurisdictione absolvere?

An autem probabilis jurisdictio ita certa sit (ut putant hi Doctores) & consequenter an liceat cum illa communiter absolvere, etiam in articulo mortis, dicam in materia de Pœnitentia. Hîc sufficiat annotasse, distinctionem illam potiùs esse materialem, quàm formalem: nam si jurisdictio probabilis non exiret terminos probabilitatis, neque cum illa liceret absolvere magìs, quàm cum materia aut forma probabili; adeoque peccaret minister ad minùs contra charitatem, nisi fortè fieret de consensu pœnitentis.

267. Si dixeris: Licitum est uti opinione probabili dictante non esse restituendum, & tamen est periculum injustitiæ; nam fortè erit illa res proximi: ergo similiter licitum erit uti opinione probabili in administratione Sacramentorum, cum periculo efficiendi aliquid contra charitatem.

Disparitas inter usum opinionis probabilis dictantis non esse restituendum, & usum probabilis opinionis in administratione Sacramentorum. Felix.

Respondet Felix Tentativæ Complutensis tomo 1. tract. 4. de Conscientia c. 3. diff. 10. n. 7. magnum esse discrimen; nam proximus non habet jus certum, ut illi talis res restituatur, sed solùm probabile; & ita sine jure peteret restitutionem certam, & illi satisfit opinione probabili: at verò proximus jus habet certum, ut Sacramenta vera & certa illi tribuantur, cui non satisfit cum Sacramento dubio aut probabili.

Addo, quòd sicut restituens tenetur prospicere bono proximi, ita & bono proprio vel pauperum, & ita non tenetur sequi opinionem dicentem, ut restituat; sed potest se conformare opinioni affirmanti, ut sibi retineat, vel pauperibus eroget. Hæc ille.

268. Si inferas: ergo cùm quis petit consilium à Doctore, an restituere debeat in casu, in quo sunt variæ & contrariæ opiniones, non poterit Doctor respondere eum debere restituere, sequendo opinionem probabilem; quia sic non videtur satisfieri obligationi charitatis erga ipsum. Sic enim eum exponit periculo, ut restituat ex suis bonis id, quod revera nō deberet restituere.

An Doctor interrogatus possit obligare ad restitutionem secundum opinionem probabilē?

Respondet Vasquez 1. 2. disp. 63. n. 14. neg. consequentiam: quia (inquit) ex charitate non potiùs debet Doctor ille prospicere restituenti, quàm ei, cui facienda est restitutio; ac proinde ut obliget interrogantem ad restitutionem, satis est sequi opinionem suam probabilem.

Affirmat Vasquez.

Quòd si quis dicat (prosequitur idem Auctor paucis interjectis) neminem esse obligandum ad restitutionem ex sola opinione; quia melior videtur conditio possidentis; ac proinde ex sola opinione obligandus non est. Respondeo regulam illam juris: *Melior est conditio possidentis*, intelligendam esse in casu dubio, non autem cùm est varietas opinionum; nam quando est varietas opinionum, non dicitur res dubia. Hæc ille. 269.

269. Objectio. Responsio.

Planè (inquis) non dicitur res dubia negativè; sed dicitur res dubia positivè. Quòd autem regula illa juris intelligenda sit in casu dubio negativè, & non etiam in casu dubio positivè, unde probatur? Quippe non ait regula juris: *In dubio melior est*; sed: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*. Et lex 128. ff. de diversis regulis juris: *In pari causa possessor potior haberi debet*. Cur ergo etiam in casu dubio positivè possessor non habebitur potior?

Objectio.

Respondet Vasquez supra, quia alioquin judices non possent secundùm opinionem quam putant probabiliorem, spoliare aliquem re quam possidet, & alteri eam adjudicare.

Responsio Vasquez.

Sed contra: Regula Juris non ait: *In causa probabiliori*; sed: *In pari causa*. Ergo tametsi regula illa intelligeretur in casu dubio positivè, quando videlicet opiniones contrariæ forent æquè probabiles; nihilominùs judices possent secundùm opinionem, quam omnibus consideratis, etiam ipsa possessione, putant probabiliorem, spoliare aliquem re quam possidet, & alteri eam adjudicare. 270.

270. Objectio.

Nonne in dubio vel pari causa de valore dispensationis, v. g. in impedimento Matrimonij, non obstante quòd possessio stet pro impedimento (quippe quod ante dispensationem certum erat) judicatur dispensatio valida? Sed cur hoc? Quia possessioni præponderat præsumptio valoris actûs, juxta legem *Quotiens in stipulationibus* ff. de verbor. obligation. ibi: *Quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit*. Et lege *Quotiens in actionibus* ff. de Rebus dubijs, ibi: *Quotiens in actio-*

In dubio de valore dispensationis judicatur dispensatio valida.

Variæ leges.

nibus aut exceptionibus ambigua est oratio, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat quam pereat. Idem habetur cap. *Abbate* de verbor. signific. ibi: *Profectò sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potiùs quàm perire.*

Ergo similiter in casu præsenti tanta potest esse probabilitas causæ petentis restitutionem rei suæ, ut etiam consideratâ possessione alterius partis, adhuc probabiliùs sit rem ipsi deberi, vel saltem verè probabile: & in istis circumstantijs Doctor consultus poterit respondere possidentem debere restituere, sequendo opinionem suam probabilem.

An Doctor interrogatus debeat respondere secundùm propriam opinionem.

Dico, *Opinionem suam*; quia, si verum est, quod ait Vasquez supra: Qui interrogat Doctorem aliquem an obligatus sit ad restituendum, non interrogat de opinione aliorum Doctorum, sed de opinione ipsius quem interrogat; si hoc, inquam, verum est, Doctor interrogatus non videtur suo muneri satisfacere, si relinquens suam opinionem, qua credit eum non obligari ad restituendum, secundùm aliorum sententiam respondeat obligando ipsum ad restitutionem: etenim interrogantem decipit.

An autem hoc verum sit, posset dubitari, & fortè negari dicendo, interrogantem solummodo inquirere quid ipse à parte rei facere debeat vel possit, nisi aliud expresè significet. Sanè si Doctor eum excusaret à restitutione secundùm sententiam aliorum, credo firmiter, quòd nullatenus conquereretur de deceptione.

Atque ex his fit finis impositus huic controversiæ, immo & Sectioni. Nam quod attinet ad jurisdictionem Ministri, planè aliqua requiritur extra casum necessitatis, nè videlicet in Ecclesia Dei omnia inordinatè & confusè fiant; sic (inquam) requiritur, ut peccet, etiam mortaliter, qui sine ea ministrat Sacramentum (excepto Matrimonio) ut patebit suis locis agendo de Sacramentis in particulari. 271

Impræsentiarum sic expeditis conditionibus requisitis ex parte ministri, reliquum est ut examinemus conditiones necessarias in suscipiente.

SECTIO OCTAVA.

De Suscipiente Sacramentum.

1. Soli viatores sunt capaces Sacramentorum.

Constat Primò solos viatores esse capaces Sacramentorum, morali (ut sic loquar) capacitate, id est, cum effectu gratiæ sanctificantis. Posset quidem physicè Beatus sumere sacram Eucharistiam (nam etiam bruta possunt materialiter sumere sacram hostiam) non tamen sacramentaliter tamquàm cibum spiritualem nutritivum.

In parvulis non requiritur ulla dispositio ut fructuosè recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces.

Constat Secundò apud omnes Catholicos, nullam in parvulis (eadem est ratio perpetuò amentium) requiri fidem, intentionem aut aliam quamcumque dispositionem, ut validè, imò fructuosè suscipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, puta Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & verosimiliùs Ordinem.

Quæris rationem? In promptu est, scilicet carentia usûs rationis, ex qua incapaces sunt propriæ fidei, intentionis aut alterius cujuscumque dispositionis. An autem requiratur fides vel intentio parentum offerentium suos parvulos, statim videbimus.

Tota ergo controversia devolvitur ad adultos, id est, ratione utentes, vel qui aliquando ratione usi fuerunt, in quibus certum est plura requiri ad licitam, quàm ad validam tantùm susceptionem; uti etiam superiori Sectione vidimus plura requiri in ministro ad licitam ministrationem, quàm ad validam tantùm. Incipiendo autem ab ultimo:

CONCLUSIO I.

Adultus qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, invalidè suscipit Sacramentum, quod consistit in usu.

2. Adultus non consentiens validè suscipit Eucharistiam.

Dico *quod consistit in usu*, quia de Eucharistia, quæ est Sacramentum permanens, est diversa ratio; quippe ante sumptionem supponitur habere veram ac propriam rationem Sacramenti. Unde etiam animalia irrationalia validè illud suscipiunt; ergo etiam homo penitùs contradicens.

An

An autem cum fructu, infra dicam.

Non alia Sacramenta, ut determinat Innocentius III. de Baptismo.

De alijs itaque Sacramentis ita expressè determinat Innocentius III. c. *Maiores* de Baptismo & ejus effectu, ibi: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti.* Loquitur de Baptismo (eadem est ratio aliorum Sacramentorum) & probat à simili: *Sicut* (inquit) *nec ille notam alicuius reatûs incurrit, qui contradicens penitùs & reclamans thurificare idolis, cogitur violenter.*

Etiam de suscipiente in somno vel amentia.

Idem decernit ibidem Pontifex de illo, qui in somno vel amentia suscipit Sacramentum Baptismi, non retractatâ priori voluntate de Baptismo nunquàm suscipiendo, ibi: *Dormientes autem & amentes si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, & si fuerint sic emersi* (aliàs, immersi) *characterem non suscipiunt Sacramenti.*

3. Ratio desumitur à voluntate Christi.

Ratio petitur à voluntate Christi, qui poterat quidem absolutè Sacramenta sic instituere, ut etiam his valerent, tamen non instituisse colligitur ex sensu DD. & Ecclesiæ. Congruentiam accipio ex Scoto 4. dist. 4. quæst. 4. num. 3. ibi: *Si ergo iste sit utroque modo* (negativè & contrariè, simpliciter & secundùm quid) *dissentiens, dico quòd non recipit Sacramentum; quia Deus per Sapientem dicit Proverb. 23.* Fili præbe mihi cor tuum, *nolens aliquem omninò invitum adscribi familiæ suæ: suscipiens autem Baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi.* Infero ego: Ergo neque omninò invitis & animo repugnantibus illa vult conferri Sacramenta, quæ pro suis familiaribus instituit, ut sunt Confirmatio, Pœnitentia &c.

Congruentia ex Scoto.

Prov. 23.

Non est distinguendũ de reclamante signo exteriori, & de non reclamante; Scotus.

Addit Doctor: *Neque oportet hic distinguere de reclamante sive protestante signo exteriori suum dissensum, & de non reclamante; quia in rei veritate si est dissensus, omninò idem est quoad Deum: tamen quantùm ad iudicium Ecclesiæ iudicantis de manifestis, & eum qui tacet præsumentis consentire, non cogetur reclamans ad observantiam religionis Christianæ; cogetur autem non reclamans. Nec in hoc potest argui Ecclesia, quòd isti nolenti, tamen non reclamanti, fiat iniuria. Minùs enim malum est sibi, quòd invitus servet legem Christianam, quàm quòd impunè permittatur agere contra eam: quia minus malum est invitum aliqua bona facere & mala fugere, quàm liberè & impunè mala agere & bona dimittere.*

4. Cujus contrarium innuit Glossa.

Contrarium innuit Glossa in c. *Maiores* mox citato, Verbo *Perdurare: Non contradicunt* (inquit) *quia illi ore exprimunt* se velle baptizari, *licèt corde dissentiant, & ideo Sacramentum recipiunt.* Consonat textus, ibi: *Cùm non solùm parvuli, qui non consentiunt, sed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant gratiam.* Et infra: *Talis* (*sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit*) *characterem suscipit Christianitatis impressum.* Confirmatur ex Aug. ad Donatistas, & refertur 1. q. 1. c. 35. *Sicut ficti veraciter non fictè recipiunt, nec eorum Baptisma reprobatur; sic & illa, quæ schismatici vel hæretici, si non aliter habent nec aliter agunt, quàm vera Ecclesia, cùm ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus.* S. August.

5.

Verùm enimverò (ut bene notat Gratianus) verba prioris partis hujus capitis usque ad verbum *Reprobatur*, non sunt inventa apud D. Aug. sed habetur sententia lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 12. expressa his verbis: *Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione & verâ confessione purgetur quod non posset sine Baptismo; sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Ubi per *fictum* non intelligit S. Doctor eum, qui corde dissenserat, sed qui ostẽderat se esse dispositũ ad effectum Sacramenti, cùm tamen interiùs non esset dispositus. Patet: quia dissensus cordis non recedit veraci cõfessione, sed mutatione voluntatis.

6. Non rectè Glossa citat verba Innocenti.

Ad verba textûs dico, illa non esse Pontificis. Quid clariùs? *Sunt* (inquit Innoc.) *nonnulli, qui dicunt quòd Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus & Ordo cæteraq; similia, non solùm dormientibus & amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantùm tamen ad characterem conferuntur; cùm non solùm parvuli qui non consentiunt, sed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant Sacramentum.* Et continuo subjungit: *Sed opponitur talibus &c. Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum, alij non absurdè distinguunt, quòd is, qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis* (*sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit*) *characterem suscipit Christianitatis impressum.* Vides Pontificem solùm referre quid alij sentiant?

Video (inquis) attamen quis versatus in Jure Canonico ignorat Innoc. alterutram sententiam approbare?

7. Quam sententiam Innocentius approbat.

Approbat omninò, sed posteriorem, in qua non explicatur quid sit fictè ad Baptismum accedere; & ideo cõmodè intelligitur de indispositione cordis ad effectum Sacramenti. Vel si hoc minùs arrideat, audi quod sequitur in jure: *Et ipse tamquàm conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ.* Fictus ergo erit, qui exteriùs quidẽ ostendet se absolutè velle Baptismum, in animo tamen conditionaliter

 solùm

solùm erit volens, hoc est, nollet suscipere, si posset alio modo v. g. salvare vitam, interim simpliciter vult.

Si dicas: Potest omnia incommoda externa evitare, etsi nullo modo interiùs consentiat; non abnuo: equidem etiam fieri potest, ut conditionaliter consentiat, præeligens Sacramentum validum, si alioquin ex metu mortis, aut alterius mali imminentis, permittat sibi illud exteriùs adhiberi.

8. Sin autem absolutè in corde dissentiat (quod plerumque natum est contingere, præsertim si nullis terroribus aut suppliciis violenter attrahitur, sed ex mera malitia, causâ Sacramenti deridendi, ore consentiat) tunc indubitanter assero cum Scoto supra, in judicio Dei non suscipere validum Sacramentum; tamen quantùm ad judicium Ecclesiæ judicantis de manifestis; & eum qui tacet præsumentis consentire, cogeretur ad observantiam religionis Christianæ.

Qui externè consentit, non autem internè, in judicio Dei non validè suscipit Sacramētum, in judicio autem Ecclesiæ censeretur consensisse.

Et hæc sit tertia responsio, quam accipio ex ipsis verbis Juris: *Oportet* (inquit) *ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt*, saltem in foro Ecclesiæ, *vilis ac contemptibilis habeatur.*

9. Sed instas rursùm: Qui metu tormentorum absque interna voluntate cultûs thurificat idolis, ore non contradicens aut reclamans, incurrit notam alicujus reatûs; ergo ore non contradicens, licèt corde dissentiens, suscipit rem & characterem Sacramenti. Consequentia probatur: quia Innoc. in hoc cap. (ut supra dixi) comparat penitùs contradicentem & nunquàm consentientem Baptismo, ei, qui penitùs contradicens cogitur thurificare.

Respondetur ad instantiam de thurificante idolis metu tormentorū non interna voluntate cultûs.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem dico, omnem similitudinem claudicare. Et sanè ad confirmandum intentum Pontificis sufficiebat, ut quemadmodùm qui interiùs & exteriùs contradiceret thurificationi, non incurreret aliquem reatum, ita etiam qui ore & corde contradiceret Baptismo, non susciperet rem vel characterem Sacramenti: an autem interna & externa contradictio requiratur ad invaliditatem Sacramenti, an verò sufficiat repugnantia cordis sola, in illa similitudine Innoc. non determinat.

10. Porro disparitas inter Sacramentum & idololatriam plana est, dicente Christo Matth. 10. v. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Quæ verba tota Ecclesia semper intellexit de sola externa fidei negatione. Et tamen verba immediatè antecedentia: *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, quis unquàm Catholicus exposuit de sola confessione oris? Ergo plus requiritur ad veram ac validam confessionem fidei, qualis est susceptio Sacramenti, quàm ad ejus abnegationem, sive ad incurrendum reatum infidelitatis.

Matth. 10.

Sit itaque Theologicè certum, corde penitùs dissentientem & contradicentem in judicio Dei nec rem nec characterem suscipere Sacramenti. Sed nunquid necessarium est, ut positivè consentiat? Respondeo & dico:

CONCLUSIO II.

Ut adultus validè suscipiat Sacramentum, non sufficit quòd non repugnet seu quòd habeat se merè negativè, sed debet consentire saltem implicitè & habitualiter, non in actionem solùm externam, sed in ipsum Sacramentum.

Pro clariori intellectu, Nota ex Scoto supra n. 3. Aliquem non consentire *potest intelligi contrariè, vel negativè. Negativè tantùm negat actualem consensum: contrariè verò ponit actualem dissensum. Et patet distinctio, quia non est idem non velle & nolle. Si autem accipiatur contrariè pro dissentiente actu, aut dissentit simpliciter, aut secundùm quid; & intelligo simpliciter sicut est expositum in 3. libro, quòd ille, qui ut fugiat aliquod incommodum, vult aliquid, simpliciter vult illud; sicut projiciens merces in mari, ut fugiat submersionem, simpliciter vult projicere merces. Nam potentiam suam motivam ad projiciendum voluntas movet imperando, & ipsa se ipsam liberè movet, quia cogi non potest. Simpliciter ergo volens projicit, sed secundùm quid nolens, hoc est, sub conditione nolens; quia nollet, si posset alio modo salvare vitam.* 11.

Distinctio consensûs in contrarium & negativum, ex Scoto.

Hâc distinctione præmissâ, docet Primò penitùs contradicentem non recipere Sacramentum, ut ostendimus conclusione præcedenti. Secundò circa præsentem conclusionem discurrit in hunc modum: *Si autem* (inquit n. 4.) *secundùm quid dissentiat, sed simpliciter consentit; & hoc non tantùm in illam ablutionem, tanquam in quoddam balneum, sed in ablutionem eo modo, quo illam intendit*

Discursus Scoti circa conclusionem.

intendit facere Ecclesia, ille simpliciter recipit Sacramentum, quia simpliciter est volens, licet secundùm quid nolens; & de tali loquitur illud Concilium Toletanum, quod allegatur extra de Baptismo c. Majores, *quòd illi, qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, quia iam constat Sacramentis divinis associatos, oportet ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur* &c.

Exemplum huius (prosequitur Doctor) *qualiter aliquis potest consentire in illam ablutionem suscipiendam, eo modo, quo confertur ab Ecclesia, & tamen nollet, si posset evadere tormenta, quia non credit eam aliquid valere; sicut potest haberi de eo, qui non credit verba incantationis posse habere aliquem effectum, tamen concedit incantanti, quòd dicat illa verba super eum eá intentione, quá soleat ea dicere, dicendo in corde suo: valeant quantùm valere poterunt. Iste verè diceretur incantatus: & si talis incantatio super aliquem diceretur consecratio diaboli, ille esset diabolo consecratus.* Et transiens ad consensum virtualem,

Si quis autem non consentiat tantùm negativè, dico quòd recipit Sacramentum, si consensit virtualiter: quia noluit Deus obligare hominem ad impossibile, vel, secundùm statum huius vitæ, nimis difficile. Nunc autem non distrahi nimis videtur difficile homini pro hoc statu, quia secundùm Aug. 3. de libero arbitrio: Non est in voluntate nostra, quin visis tangamur. *Ergo noluit Deus salutem hominis ponere in ista conditione:* Si non distrahatur. *Nec ergo voluit obligare eum, quòd in suscipiendo Baptismum non distraheretur.* Herculè si intentio virtualis sufficiat ad conferendum, potiùs sufficere debet ad recipiendum. Etenim semper (ut vidimus Sect. præced.) requiritur intentio in ministro, secùs in suscipiente, ut patet in parvulis & amentibus.

12. *Et si quæras, esto quòd non consentiens actualiter, tamen consentiens virtualiter, recipiat Baptismum; nunquid & ille, qui solùm consentit habitualiter, recipit? Et esto quòd sic; nunquid ille, qui tantùm negativè non consentit, negativè etiam non dissentit, quia nec actum, nec habitum oppositum habet?* Ita interrogat Scotus n. 5. Et respondet: *De Primo dici posset, quòd talis iudicatur habitualiter consentiens, quia aliquando habuit consensum actualem non interveniente dissensu: & talis, licèt utens ratione recipit Sacramentum, quia non videtur propter aliquam conditionem minùs capax, si utitur ratione, quàm si priùs usus non utatur nunc; sed in tali non utente nunc, priùs tamen uso sufficeret habitualis consensus: ergo & in hoc. De Secundo, licèt difficile esset aliquem talem invenire, præcipuè qui priùs aliquando cogitasset de Baptismo, quia vel tunc placuisset sibi baptizari, vel non placuisset, imò displicuisset: & secundùm ultimum modum iudicaretur talis habitualis consensus vel dissensus esse imposterùm. Tamen si quis esset omnino non consentiens nec dissentiens, tam actualiter, quàm habitualiter, & tamen utens ratione, non esset capax Baptismi; quia ex quo utitur ratione, oportet quòd habeat devotionem aliquam ad Sacramentum, si debet sibi valere; aliter enim videretur contemnere.*

Hæc Ille circa præsentem controversiam, quæ maximè oritur ex ultimis verbis c. *Maiores* de Baptismo; siquidem Pontifex concludens quæstionem ibi discussam, inquit: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Ergo (inferunt quidam) ad validam susceptionem Sacramenti non requiritur ex mente Innoc. positivus consensus; sed satìs est, quòd voluntas positivè non dissentiat, sive non repugnet. 13. Explicantur verba Innocentij *Tunc ergo Characterem, &c.*

Respondeo negando consequentiam; intelligit quippe Pontifex voluntatem contrariam privativè, id est, negationem positivæ voluntatis, quæ potest & debet inesse. Et dato quòd loquatur de voluntate contraria positivè; haud equidem voluit determinare, quòd tunc semper valeat Sacramentum, cùm illam non invenit obsistentem (neque enim communiter DD. aut Ecclesia sic ipsum intellexerunt) sed cùm illam non invenit, & ideo invenit positivam voluntatem Sacramenti; quam idcirco non expressit, quia cum Scoto supra supposuit, moraliter nunquam utramque voluntatem abesse.

Hanc esse genuinam mentem Innoc. clamat totus contextus. Et Primò quidem verba immediatè præcedentia: *Dormientes autem & amentes* &c. Vide supra. *Secùs autem, si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales* (scilicet qui priùs habuissent positivam voluntatem Baptismi) *in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare.* Ubi etiam in moribundis requirit & supponit positivum consensum, non ad effectum percipiendum, de quo ibi non agitur; sed ad essentiam Sacramenti. 14. Illorum verborum sensus deducitur ex contextu.

Secundò, paulò superiùs dicitur: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti; quia plus est exprefsè contradicere, quàm minimè consentire.* Nota ly *sed penitùs contradicit*, quod non additur per modum limitationis, sed per modum augmenti; & argumentatur Papa quasi à minore ad majus, ac si diceret: si enim ille, qui simpliciter non consentit, invalidè baptizatur,

quantò magìs qui positivè contradicit?

15. Tertiò, distinctioni inter invitum & invitum, coactum & coactum, quam habes conclusione præcedenti, statim Innoc. attexit: *Et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ.* Igitur si nullo modo velit, nequidem conditionaliter, censetur penitùs invitus, etiamsi non habeat positivam voluntatem contrariam. Quod maximè verum censeo in Sacramento Baptismi, de quo in illo textu agitur. Etenim baptizatus, per Baptismum ipsum (ut loquitur Trident. sess. 7. can. 7.) non solius tantùm fidei debitor fit, sed universæ legis Christi servandæ; ad quod debitum, sanè gravissimum non diligentibus, censetur aliquis positivè invitus, saltem habitualiter, nisi aliquo modo positivè velit renuntiare suæ libertati.

Trident.

Et quis scit, an illa etiam non fuerit causa, ob quam Pontifex nullam fecerit expressam mentionem de illo, qui nec consentit, nec dissentit; quia nempe existimabat ipsum comprehendi sub penitus invito? Quippe qui positivè non se obligat, censetur semper habitualiter velle retinere suam libertatem, sicuti habet similem voluntatem retinendi alias res suas. Adde casum esse metaphysicum (ut supra insinuavi) de quo proinde in generali decisione non habetur ratio.

16. Interim non ad solum Baptismum, sed etiam ad alia Sacramenta requiri positivum consensum, instruimur ex Concil. Carth. 3. c. 34. ibi: *Ut ægrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de pænitentibus agendum est.*

Non solùm ad Baptismum, sed etiam ad alia Sacramenta requiri positivum consensum, habetur ex Carthaginensi Et Arausicano.

Idem decernit Concil. Arausicanum I. c. 11. aliàs 12. *Subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Ergo à contrario sensu non sunt baptizandi aut absolvendi, si voluntatis præteritæ aut præsentis non habeant testimonium, idque sive in infirmitate, sive extra; quippe si in necessitate requiritur talis consensus, multò magìs extra eam.

17. Confirmatur ex Rituali Romano Titulo de Baptismo adultorum: *Amentes (inquit) & furiosi non baptizentur, nisi tales à nativitate fuerint: tunc enim de ijs idem iudicium faciendum est, quod de infantibus; atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt baptizentur, si velint. Si verò antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemq; dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantùm vigilans & intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.* Ubi Primò prohibet baptizare amentem aut furiosum. Secundò permittit, si sit perpetuò amens. Tertiò, etsi non sit perpetuò amens, si dum dilucida habebat intervalla, ostendit Baptismi desiderium; tunc enim baptizari potest, etiam in amentia, si sit periculum; per se tamen debet fieri, dum est compos mentis: adeoque si non præcesserit illud desiderium, manet primum generale: *non baptizentur.* Infero: ergo invalidè baptizantur. Consequentia tenet, quoniam Baptismus est medium necessarium ad salutem: ergo irrationabiliter Ecclesia illius administrationem prohiberet pro isto articulo, si valeret.

Confirmatio Conclusionis ex Rituali Romano.

Petes, quid ergo dicendum, si surdus & mutus & cæcus non sit in infantia baptizatus? Respondeo baptizari adultus non posset, quia non est capax consensûs, qui in adulto requiritur. Diana parte 9. tract. 6. resol. 2. 18.

Quid faciendum, si surdus & mutus & cæcus non sit in infantia baptizatus. Diana.

Surdus autem & mutus, qui videns alios baptizari, peteret etiam Baptismum, si deprehenderetur sufficienter instructus, posset baptizari; adhibendum tamen judicium Episcopi, saltem de congruo, si commodè possit adiri. Ita Diana parte 5. tract. 6. resolutione 1. Potest autem talis satis instrui per nutus, qui ei significant, sicut audientibus voces. Idem.

Porro de Extrema Unctione sic ordinat idem Rituale Tit. de Sacramento Extremæ Unctionis: *Infirmis autem, qui dum sana mente & integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominùs præbeatur.* Ecce rursus requiritur aliqua voluntas infirmi, saltem implicita aut habitualis, ut illud Sacramentum debeat & possit administrari. Quantò ampliùs necessarius erit positivus consensus ad Ordinem & Matrimonium, quæ hominem multis obligationibus subjiciunt? 19.

Quædam ordinatio circa extremam Unctionem ex Rituali Romano.

Profectò non incongruè videtur posse dici de omnibus Sacramentis, quod D. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. pronuntiat de hoc Sacramento: *In infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri*

Applicatio dicti D. Augustini de Baptismo, ad omnia Sacramenta.

confiteri ad salutem. Ideo cùm alij pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cùm legitur, naturaliter movet: Ætatem habet, ipse pro se loquatur.

20. Objectio ex D. Aug. Sed contra insurgis ex eodem S. Doctore: Parvulus validè baptizatur absque alieno consensu; ergo adultus sine proprio. Antecedens probatur ex Epistola 23. ad Bonifacium, ibi: *Cæterùm cùm infans non redeat in parentem, ut cum illo & in illo unus homo sit, sed omninò alter sit habens carnem suam & animam suam: anima quæ peccaverit ipsa morietur. Nec illud te moveat, quòd quidam non eâ fide ad Baptismum parvulos ferunt, ut gratiâ spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed quòd eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem; non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hâc intentione offeruntur.* Rationem subnectit: *Celebrantur enim per eos necessaria ministeria*, id est, Baptismus. Consequentia patet: quia in verbis citatis ex lib. 4. de Baptismo ita requirit consensum aliorum ad Baptismum parvulorum, sicuti consensum proprium ad Baptismum adultorum: ergo vel nunquam valet Baptismus parvuli sine consensu alterius, vel aliquando valet Baptismus adulti sine consensu proprio.

21. Responsio. Respondeo negando consequentiam. Ad probationem dico, August. solùm velle (ut ex verbis liquet) non ita valere consensum alienum ad consecrationem (id est, ad valorem Baptismatis) adultorum, sicuti bene valet ad consecrationem parvulorum. Etenim quòd per consecrationem Aug. intelligat valorem Baptismi, & non gratiam, festinè cognoscitur ex Epistola statim allegata, ibi: *Nam si Christiani Baptismi Sacramentum, quod unum atque idipsum est, etiam apud hæreticos valet & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat, quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem, corrigendum tamen admonet sanâ doctrinâ, non iterùm similiter consecrandum &c.* (Confirmatur ex eodem.)

Cæterùm ne quisque pergat contendere, pari passu D. August. requirere consensum alienum & proprium secundùm diversa subjecta, non ago pugnaciter; & tunc Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem dico, August. ibi non excludere omnem consensum aliorum, sed consensum dumtaxat parentum in effectum gratiæ; cum quo stat consensus in ipsum Sacramentum, ut ostendimus Sect. præced. conclus. 5.

Quin concesso, ut omnes debent concedere, Baptismum parvulorum valere sine ullo consensu parentum, imò parentibus reclamantibus (sic enim Ecclesia colit instar Martyrum Innocentes pro Christo occisos & in sanguine suo baptizatos contradicentibus parentibus) adhuc (inquam) minimè sequitur, eorum Baptismum valere, juxta mentem D. Aug. absque cujuscumque alterius consensu: *Offeruntur quippe* (inquit eâdem Epistolâ) *parvuli ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamvìs & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quàm ab universa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namq; offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum sanctâ atque individuâ charitate ad communicationem Sancti Spiritûs adjuvantur. Tota hoc ergo mater Ecclesia, quæ in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit.* Quid illustrius posset desiderari? 22. Valet Baptismus parvulorum sine consensu parentum, non tamen sine omni consensu. S. Aug.

Unde si à me quæritur, quomodò intelligendus sit D. August. quando alibi sæpe videtur requirere consensum parentum; Respondeo absque mora & dubitatione, vel ad licitum Baptismum, vel ad meliùs esse; sicuti etiam multis in locis exigit fidem parentum, & tamen certum est apud omnes, sine ea, cum sola fide Ecclesiæ, Baptismum esse validum & fructuosum. 23. Augustinus dum requirit consensum parentum ad Baptismum parvulorũ, intelligendus est ad licitum, vel ad melius esse.

Noli ergo cogitare, noli dicere, secundùm D. August. ad valorem Baptismi adultorum non requiri proprium consensum; vel dicito, ne alienum quidem esse necessarium, quia Ecclesia (ut satis manifestum est ex constitutionibus allegatis) minimè offert adultos non consentientes, sed prohibet eos baptizari non tantùm hic & nunc, sicut etiam prohibet Baptismum parvulorum sine consensu parentum, sed semper & pro semper. Neque mirabile putes parvulos justificari sine proprio assensu; *quia nulli Deus excludit remedium ad salutem*, ait Scot. supra: excluderet autem, si exigeret consensum proprium ab his, qui illius incapaces sunt.

Vides jam quarè Concil. Florentinum in decreto Unionis, tradens generalem doctrinam eorum, quæ necessaria sunt ad valorem & perfectionem omnium Sacramentorum, non faciat mentionem intentionis suscipientis, sicuti ministrantis? quia videlicet in Baptismo parvulorum, Eucharistia & alijs, quæ ab ipsis validè suscipiuntur, non requiritur. 24. Cur Florentinum tradens generalem doctrinam eorum, quæ necessaria sunt ad valorem Sacramentorum, non faciat mentionem intentionis suscipiẽtis.

Neque hinc bene in[illegible]: Ergo Baptismus

Baptismus semper habet easdem partes essentiales. mus non semper habet easdem partes essentiales; nam, ut omittam intentionem ministri non esse partem essentialem, ut dictum est Sect. 3. conclus. 1. minùs intentionem suscipientis; semper equidem requiritur materia, forma, intentio ministri & consensus suscipientis, si est, vel fuit capax illius. Quem etiam, si allubescit, intellige ex parte materiæ; quippe materia proxima est ablutio hominis vivi & volentis, si habeat propriam voluntatem, aliàs non erit materia debita.

Enimverò si in nullo casu ad valorem Baptismi adultorum requiritur proprius consensus, actualis vel habitualis, explicitus vel implicitus; non possum satis mirari, proprium consensum in omni prorsus casu necessarium esse ad eorum justificationem, testimonium perhibente Concil. Trident. (*Trident.*) dum inter dispositiones impij ad justitiam sess. 6. c. 6. enumerat Fidem, Spem, Charitatem, Pœnitentiam, denique propositum suscipiendi Baptismum.

25. Non semper est necessarium ad validam Sacramentorum susceptionem propositum actuale & explicitum. Dubitas autem, an semper sit necessarium propositum actuale & explicitum? Consule praxim Ecclesiæ, quæ (ut liquidò patet ex Concilijs Carthag. & Arausicano, ex c. *Maiores* & Rit. Romano) baptizat, absolvit & inungit dormientes, amentes, furiosos & similes non compotes rationis, si antequam dormirent aut in amentiam &c. inciderent, desiderium Sacramenti ostenderint: constat verò apud omnes, in istis non inveniri nisi consensum habitualem. Similiter administrat Extremam Unctionem illis, qui oppressi infirmitate verisimiliter petijssent (ut loquitur Rit. supra) quæ petitio verisimilis non potest esse, nisi desiderium aliquod implicitum, quod includitur in vita Christianè & Catholicè transacta per frequentationem Sacramentorum &c. Quidni includeretur? Sanè qui catholicè vivit, vult implicitè sibi administrari communia Sacramenta, tam necessaria, quàm valde utilia: administrari, inquam, pro illo articulo, in quo magis explicita voluntas est impossibilis; quippe qui vult finem, beatitudinem scilicet æternam (quæ est finis vitæ Catholicæ) vult etiam media, quæ omnes boni Catholici ordinariè ad finem illum acquirendum solent adhibere.

26. Ut eleganter tradit Augustinus de Catechumeno sensibus destituto. Eleganter & appositè D. Aug. lib. 1. de Adult. conjugijs cap. 26. *Catechumenis* (inquit) *in huius vita ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum vel ad interrogata respondere non possint; prosit eis quorum in fide Christiana iam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Ergo secundùm D. August. fides Christiana, in qua instruebantur Catechumeni, erat voluntas implicita Baptismi sufficiens ad ejus valorem & effectum, esto Baptismi suscipiendi magis expressum desiderium nunquam Catechumeni habuissent: siquidem comparat illos infantibus, quorum voluntas adhuc nulla patuit.

Neque timendum est, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium; nam (ut loquitur August. supra) *Non solùm incredibile est, nec in fine vitæ huius baptizari Catechumenum velle; verùm etiamsi voluntas eius incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare; ubi velit, an nolit, sic non apparet: ut tamen credibilius sit, eum si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire.*

Quam doctrinam ibidem c. 28. extendit ad Catechumenos, *qui viventium coniugijs copulati, retinent adulterina consortia, cùm salvos* (inquit) *corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad Baptismum statuerant detineri?* Et post pauca: *Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle, debet mater Ecclesia.*

Hanc æquiparationem miratur Dicastillo disp. 3. n. 320. qui cum alijs multis requirit magis explicitam voluntatem ad Sacramentum Pœnitentiæ. Verumtamen si est sententia D. August. (ut ipse fatetur) dic, & iterùm dic, quia sic est ut dicis: *Quæ Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Magnus P. August. est qui loquitur: Augustinus, inquam, quem (ut ait Cælestinus Papa in Epistola ad quosdam Galliarum Episcopos pro Prospero & Hilario c. 2.) *nec unquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper præcessoribus haberetur.* Noli ergo contradicere opinioni tanti Doctoris tam piæ, utili, nullique nocivæ, propter nonnullas rationes, quæ facilem habent solutionem, ut patebit ex dicendis proprio loco. 27. Immeritò æquiparationem Augustini inter Baptismum & reconciliationem miratur Dicastillo. Cælestinus Papa.

Quæ autem Baptismatis & Pœnitentiæ, 28.
similis

Quæ Baptismatis & reconciliationis, similis est causa Confirmationis, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis.

similis est causa Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Enimverò qui Catholicè vivit (ut superiùs annotavi) vult implicitè sibi administrari communia Sacramenta, tum necessaria, tum valde utilia; administrari, inquam, pro illo articulo, in quo magìs explicita voluntas est impossibilis: quippe qui vult finem, beatitudinem scilicet æternam (quæ est finis vitæ Catholicæ) vult etiam media, quæ omnes boni Catholici ad illum finem acquirendum ordinariè solent adhibere. Igitur hæc implicita voluntas sufficit, ut illa Sacramenta validè & licitè administrentur, nisi aliquid aliud obstet; v. g. carentia dispositionis necessariæ ad effectum gratiæ, puta cùm quis in ipso actu peccati ita subitò destituitur sensibus & usu rationis, ut humanitùs impossibile sit eum doluisse vel dolere de peccato.

Contrarium præsumendum est juxta August. supra, quando aliquamdiu post peccatum usus est ratione; quamvìs & tunc nullum habeamus fundamentum positivum, & sæpe graves sint conjecturæ in oppositum: equidem, quia fortè sunt attriti, juventur quantùm possunt.

29\. Affirmat Dicastillo contritionem vel attritionem esse implicitam petitionem Baptismi.

Petet aliquis, an ergo verà contritio vel attritio sit implicita voluntas seu petitio Baptismi; & per consequens an Judæus vel Gentilis ita dispositus, in necessitate possit & debeat baptizari? Affirmat Dicastillo num. 317. & 326. Ratio: quia attritio & contritio includunt propositum servandi omnia mandata divina, inter quæ unum est de suscipiendo Baptismo.

Negat Lugo, requirens voluntatem magìs specialem.

Lugo disp. 9. n. 129. putat requiri voluntatem magìs specialem. Fundamentum accipit ex Suario disput. 14. sect. 2. post medium; quia Baptismus est janua ad Ecclesiam, & in ea fit prima solemnis professio fidei, & legis Christi. Quam rationem (inquit) possumus ampliùs explicare, & simul ostendere differentiam à voluntate illa generali, quam aliquis habet eò ipso quò est Catholicus, & diximus sufficere ad suscipiendam postea validè Extremam Unctionem, & cum fructu Eucharistiam. Nam ille volendo in religione Catholica vivere & mori, vult more Catholicorum gubernari, & eorum ritus recipere. Qui autem Judæus erat, profitebatur quidem Judaismum, & juxta illius regulas & ritus vivere ac gubernari volebat, quia illam religionem jam examinaverat, & securè se illius legibus committebat: nihil autem cogitaverat de lege Euangelica; & ideo non proponebat aut volebat uti ejus ritibus & legibus; quamvìs in communi propositum habebat servandi omnia præcepta Dei, & per consequens implicitum suscipiendi Baptismum Christi, si esset præceptum illius: hoc tamen debebat intelligi, prævio debito examine de veritate Euangelij, sine quo examine non poterat obligari ad recipiendum.

Confirmatur à simili: Sic Gentilis, qui diceret: *Ego volo audire Catechismum; & postea si convictus fuero, & placuerit mihi fides Christiana; baptizabor;* hic (inquam) non censeretur Catechumenus, nec baptizaretur ex vi solius hujus voluntatis, quia nondum habuit voluntatem absolutam. Valeret tamen baptismus, si aliquis religionem Christianam corde amplexus esset, licèt nihil de Baptismo aut ejus necessitate audivisset; quia voluit absolutè hanc religionem amplecti, ejusque ritibus, quicumque illi essent, gubernari. Hæc Ille; sed refutantur à Dicastillone n. 323. & sequentibus.

Meo judicio res ista parvæ est considerationis in ordine ad praxim. Quotus enim quisque invenietur hodie Judæus vel Gentilis, de quo possum prudenter præsumere, ipsum habere veram attritionem vel contritionem? Certè illa præsumptio adhuc satis infundata est in Catechumeno aut Catholico peccatore, qui subitò incidit in amentiam aut lethalem infirmitatem; & in his dumtaxat, ab August. supra, permittitur. Ergo saltem illicitè talis Judæus vel Gentilis baptizabitur. An autem validè, ex hypothesi quòd verè attritus sit; malo affirmare cum Dicastillone, quàm negare cum Lugone. 30.

Supposita vera attritione in Judæo, magis placet sententia Dicastillonis.

Ad rationem autem ipsius Respondeo, hujusmodi Judæum vel Gentilem verè attritum, velle profiteri omnem religionem & fidem, adeoque ritibus & legibus illius gubernari, ad quam ex jure divino in actu primo obligatur, quamvìs propter ignorantiam invincibilem hìc & nunc excusetur à peccato; sicuti eo ipso censetur velle observare omnia præcepta naturalia, etiam illa, quæ propter ignorantiam invincibilem de facto transgreditur sine formali peccato. Ingreditur autem Ecclesiam, & solemniter profitetur fidem, quemadmodùm infantes, ut supra dicit August. quorum voluntas nulla adhuc patuit.

Ad simile dico, dissimilitudinem esse, quòd attritio, etiam illius, qui nunquam aliquid audivit de fide Catholica, sit absoluta voluntas profitendi veram fidem, sive placeat, sive displiceat. At verò 31.

volitionem conditionatam, quam ipse ponit: *Si convictus fuero & placuerit mihi fides Christiana, baptizabor*; quis ambigat esse positivam infidelitatem? Ac si diceres: *Credam & baptizabor, si convictus fuero & placuerit:* Ubi ergo obligatio fidei & Baptismi? ubi auctoritas & revelatio divina? Profectò Gentilis ille non est paratus credere auctoritati & revelationi divinæ, sed assentiri rationibus & argumentis adducendis; non est paratus suscipere Baptismum, ut impleat voluntatem divinam, sed ut satisfaciat suo beneplacito. Quomodò ergo vi solius hujus voluntatis baptizaretur?

2. Cor. 6. Liceat hîc mihi usurpare illud Apostoli 2. Corinth. 6. vers. 14. 15. & 16. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi*, per contritionem inhabitantis; per attritionem verò moventis, quâ Judæus atque Gentilis adjutus, viam sibi ad justitiam paret in Sacramento Baptismi impetrandam.

Profectò non apparet, quid amplius habeat voluntas suscipiendi ritus Catholicos, ut eo ipso censeatur in ea includi voluntas suscipiendi Confirmationem, Eucharistiam & Extremam Unctionem, præsertim suppositâ earum ignorantiâ, quàm voluntas implendi omnia præcepta, ut eo ipso censeatur in hac adesse voluntas suscipiendi Baptismum; cùm non minùs computetur Baptismus inter præcepta, quàm Eucharistia, Extrema Unctio aut Confirmatio inter ritus Catholicos.

32\. Si suscipiẽs ore dissentiat, & corde consentiat, valent Baptismus, Confirmatio &c. si ministrans hoc cogitans, velit facere, quod potest.

Petes iterum: quid si suscipiens ore dissentiat, & corde consentiat? Respondeo: valent Baptismus, Confirmatio, Extrema Unctio & Ordo, si ministrans, cogitans fortè internum consensum adesse, velit facere totum quod potest, sicuti valerent cum falsa opinione iterationis, & cum ficto dissensu ministri. Ratio in promptu est: quia cum illa falsa opinione & ficto dissensu sive suscipientis, sive ministrantis, stat tota essentia istorum Sacramentorum, ut consideranti facilè patet.

An similiter validè absolveretur pœnitens, qui haberet meram internam voluntatem confitendi.

An autem similiter validè absolveretur pœnitens, qui haberet meram internam voluntatem confitendi, libentiùs disco, quàm dico, ne audeam docere, quod nescio: hoc scio, actus pœnitentis esse quasi materiam hujus Sacramenti; inter illos autem secundum locum obtinet Confessio oris, quæ est accusatio sui ipsius, seu narratio peccatorum directa ad Sacerdotem animo obtinendi absolutionem. Et quomodò possunt narrari peccata homini sine signo sensibili? Quomodò verò narratio potest esse directa ad Sacerdotem, aut Sacerdos ex illa moveri tanquam judex ad instantiam partis implorantis ejus officium, ad dandam absolutionem, nisi saltem sub dubio ab ipso cognoscatur? Certè absolutio judicis non determinat materiam sibi omninò incognitam.

33\. Raphaël Averta sentit impertiendam ei sub conditione absolutionem, qui non auditus fuit edidisse aliquod signũ ad petendam confessionem, dummodo non constet contrarium.

Audio Aversam de Pœnitentia quæst. 10. sect. 18. in fine sic argumentantem: Si quis solitarius existens, repentino casu oppressus, ex desiderio suæ salutis confessionem inclamet, & alius fortè pertransiens eum audiat, idque nuntiet Sacerdoti, poterit sanè absolvi; ergo etiam in casu, quo nullus audire vel nuntiare potuerit, si dubitari possit illum edidisse aliquod signum (locus dubitandi aderit, quandocumque non constat oppositum) impertienda ei erit sub conditione absolutio. Quandò enim non potest haberi materia certa Sacramenti, licitum est in necessitate uti dubiâ. Confessionem autem illam esse dubiam, probat; quia si moribundus eo modo, quo potuit, confessionem petiit, jam adhibuit ex parte suæ materiam necessariam se aliquo modo accusando, & officium judicis implorando, & ad hoc sacrum tribunal confugiendo; & ideo cum hoc dubio materiæ poterit adhiberi absolutionis forma. Ita hic Auctor.

Ejusdem sententiæ videtur fuisse Marchantius.

Ejusdem videtur fuisse sententiæ Marchantius, qui prima parte Tribunalis sacramentalis Tract. 4. quæst. 3. dub. 7. in favorem animarum docet, quòd, quando peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum Pœnitentiæ, aut desideratæ sive postulatæ confessionis, nihilominùs possit sub conditione absolvi, sive absolvendum esse. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso nullum mihi signum appareat, quòd materiam Confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proinde certò constet peccatorem sic obmutescentem de peccatis aut salute cogitare; imò nec appareat eum ratione uti; potest tamen fieri, ut non tantùm intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus aut alii in corpore motus, qui etsi doloris corporalis, aut naturæ patientis sint ordinariè signa; nihilominùs ab ipso peccatore quandoque ordinantur ut internæ

Pœni-

Pœnitentiæ nutus. Unde absolvendo eum sub conditione, & muneri & charitati in hac extrema necessitate satisfacio, & conditio omnem irreverentiam & defectum, qui subesse posset, tollit; & in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi ministris Ecclesiæ, quæ (ut supra dicebat D. Augustinus) Nullum ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet. Hactenùs Marchantius.

Porro quid dicendum foret, si nulla signa per se sensibilia edidisset, non determinat; nec ego hîc determino, quia est alterius loci: sed progredior ad tertiam petitionem, quæ est talis:

34. *In ministrante potiùs, quàm in suscipiente, requiritur virtualis intentio.*

Quarè in ministrante potiùs requiritur intentio virtualis, quàm in suscipiente? Respondeo: quia minister operatur nomine Christi, hoc est, voluntas ejus est principium physicum effectivum humano modo actionis conferendi Sacramentum, à Christo institutum; suscipiens autem se habet merè passivè, adeoque solùm debet esse subjectum capax, quod in adultis abundè fit per intentionem habitualem, ratione cujus dicuntur moraliter velle illud Sacramentum. Cæteroquin si par, & pari ratione in suscipiente & ministrante requireretur intentio, non possent ulla Sacramenta conferri parvulis intentionis incapacibus: sicut parvuli defectu intentionis nullum possunt Sacramentum conficere sive ministrare.

35. *Utrum validè susciperet Sacramentum, qui se sponte inebriaret credens se ebrium ordinandum &c.*

Equidem relinquitur parvus scrupulus; quæro, inquam, si quis credens se ebrium baptizandum aut ordinandum, sponte se inebriaret, an validè susciperet Sacramentum? Pro parte affirmativa ratio esse potest, quia prævidens in ebrietate homicidium, censetur moraliter illud velle. In contrarium allegatur, quia cum hujusmodi voluntate interpretativa sive indirecta, & in causa, consistit expressa voluntas non suscipiendi Sacramentum: ergo talis non potest ullo modo dici voluisse suscipere Sacramentum, nisi id alio actu ante ebrietatem aliquando desideraverit.

Negat Regius, declarans in simili.

Ita Regius quæst. 64. art. 8. num. 106. declarans in simili: quia (inquit) liberè aliquid faciens, ex quo videt aliud per accidens secuturum, non censetur velle hunc effectum, nisi teneatur eum vitare; v. g. mulier cum moderato ornatu prodiens ob justam causam in publicum, etsi sciat ex suo aspectu in genere aliquem excitandum ad peccatum, nullo tamen modo censetur hujus peccatum velle. Quòd si tamen eæ essent circumstantiæ, ob quas teneretur vitare publicum, ne talis ejus occasione peccaret, atque hoc ipsa sciret; egrediens in publicum censetur ejus peccatum velle.

Quarè etsi hujusmodi externa susceptio Sacramenti possit tali dici voluntaria in causa, quatenùs continet quamdam irreverentiam erga Sacramentum, quam ipse tenebatur vitare; non tamen quatenùs est quædam suscipientis consecratio, & consequenter quatenùs habet rationem Sacramenti, quia ut sic vitari non debuit, sed potiùs suscipi, non quidem in tali statu, sed à legitimè disposito; nec talis potest dici voluisse verè consecrari, sive Sacramentum suscipere (cùm potuerit absolutè habere voluntatem contrariam) nisi id expressâ aliquâ voluntate intenderit: quo casu validè Sacramentum susciperet, quia hæc voluntas habitualiter permaneret. Hucusque Coninck. Quem sequitur Dicastillo supra numero 329. utens eodem simili & iisdem ferè verbis: simili (inquam) mulieris in publicum prodeuntis.

Regium sequitur Dicastillo utēs eodem simili.

36. *Ad quod respondetur.*

Simile profectò muliebre, varium utique & inconstans: quia multi viri docti censent, in utroque casu peccatum esse volitum, scilicet permissivè; potuit namque mulier impedire illud, & non impedivit. Quæris fortassè, quarè ergo magis peccet hîc, quàm ibi? Respondent facillimè, quia una permissio est prohibita per legem charitatis, altera minimè.

Prætereà sic argumentor: esto requiratur præceptum omittendi, ut effectus per accidens secutus ex mea actione sit voluntarius in causa; nonne prohibita est ebrietas? nonne prohibita est susceptio Baptismi in ebrietate? Cur ergo prævisa minùs erit voluntaria in causa, quàm v. g. rebaptizatio? Respondes, quia rebaptizatio illicita est etiam extra ebrietatem; baptizatio autem totam suam malitiam accipit ab ipsa ebrietate, per quam indisponitur suscipiens ad effectum; ac proindè baptizatio quatenus habet rationem Sacramenti, non est prohibita, & per consequens non est voluntaria in causa, sed sola baptizatio in malo statu.

Rectè respondisti. Sed interrogo adhuc unum verbum: Baptizatio in malo statu voluntaria in causa, quare non valet? Nonne valet baptizatio in malo statu in se voluntaria? Cur ergo etiam non valet voluntaria in sua causa? Igitur aliunde probandum est Baptismum prævisum & susceptum in ebrietate seu malo 37.

statu

statu non valere, quàm ex defectu voluntarij in causa.

Probatur (inquis) ex cap. *Maiores* de Baptismo, in quo Innoc. III. ad validum Baptismum requirit ante somnum & amentiam, per consequens etiam ante ebrietatem, *propositum baptizandi*, ibi: *Dormientes autem & amentes* &c. *Secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.*

Innoc. III.

38. Nec obstat, quòd Ecclesia ad Sacramentum Extremæ Unctionis non requirat nisi verisimilem petitionem (ut supra vidimus) loquitur enim de petitione expressa; supponit namque voluntatem implicitam in vita Catholicè acta; jam autem illa inebriatio neque est petitio expressa, neque implicita Sacramenti, ut per se patet. Ergo nisi præcesserit alia explicita vel implicita voluntas, invalidum erit tale Sacramentum defectu consensûs suscipientis.

39. Utrum homo dormiens legitimè dispositus, cui casu vel scienter administretur sacra hostia, acciperet fructum Sacramenti.

Non gravetur Lector, si adhuc unam proposuero quæstionem. Homini dormienti legitimè disposito casu vel scienter administratur sacra hostia. Item homo vigilans legitimè dispositus casu comedit hostiam consecratam, nunquid recipiet fructum Sacramenti? Ratio negandi est, quòd homo Christianus ex vi generalis voluntatis, quæ includitur in vita Catholica, vult quidem sumere Sacramenta, sed more Christiano, quando scilicet debito tempore Christianis dari solent. Sicut etiam Ordo esset invalidus, qui homini dormienti daretur; vel ei, qui post usum rationis in amentiam incidit; quia nimirum voluntas generalis accipiendi Sacramenta solùm se extendit ad Sacramenta, quæ communiter Christianis dari solent tanquàm remedia communia.

40. Quadruplex Objectio contra sententiam negantem.

Sed dicet aliquis: Etsi non habeat talem voluntatem absolutam, cur non conditionatam, ut casu quo tale quid fieret, prosit ei modo meliori quo potest? Deinde non est mos Christianis, dare Eucharistiam infirmis delirantibus cum periculo irreverentiæ, & tamen fructificabit si præter morem detur. Tertiò Catechumenus, qui ante somnum Baptismum petijt, validè in somno baptizatur ex c. *Maiores*, & tamen non est mos Christianis baptizare dormientes, imò Ecclesia in Rituali Romano expresè prohibet, ut supra vidimus. Adde ignaros sumere verum Sacramentum; ergo accipiunt gratiam: secùs est in alijs Sacramentis, ad quorum confectionem (nam fiunt, dum applicantur) debet adesse voluntas saltem habitualis adulti; aliud videtur, dum jam confectum solùm est applicandum.

Contra: ultima objectio petit principium. Enimverò quòd alia Sacramenta fiant dum applicantur, solùm probat majorem intentionem requiri in ministro; ipse quippe est, qui facit applicando, suscipiens autem non magìs concurrit ad collationem. v. g. Baptismi, quàm communicans ad collationem Eucharistiæ, aut etiam ad accipiendum fructum Eucharistiæ: sicut enim Baptismus non potest esse validus, nisi subjectum sit homo vivens non baptizatus &c. ita etiam Eucharistia non fructificat, nisi in homine viatore &c. Quæstio itaque manet, cur consensus habitualis sit necessaria dispositio magìs ex parte subjecti Baptismi, quàm ex parte subjecti Eucharistiæ? De qua redibit sermo in materia de Eucharistia. 41. Responsio ad ultimam Objectionem.

Videamus modò, si alijs objectionibus possit satisfieri. Ad primam itaque, tametsi ante somnum habuisset homo voluntatem accipiendi fructum, etiam ex comestione casuali Eucharistiæ, quæ in somno contingeret, videri adhuc alicui posset, non accepturum effectum Sacramenti; quia non sufficit voluntas illa, ut comestio casualis postea secuta sit voluntaria vel saltem in causa. Patet: quia voluntarium est, quod procedit à voluntate: illa autem comestio nullo modo procedit ab illa voluntate præterita. 42. Responsio ad primam Objectionem.

Mihi tamen veriùs apparet, quòd posset tunc habere effectum ex vi illius voluntatis præcedentis, habitualiter permanentis: licèt enim in illis circumstantijs susceptio Sacramenti adhuc non sit voluntaria per modum effectûs; est tamen voluntaria per modum objecti, hoc est, volita, si non absolutè & in se, saltem in suo effectu, imò & in se, casu quo ita applicaretur: quod etiam in alijs Sacramentis, quæ pendent ab intentione accipientis quoad substantiam suam, manifestè cognoscitur sufficere. Valet quippe Baptismus collatus ab illo, qui nullo modo cognovit desiderium suscipientis; vel si sciat, non movetur ab illo.

Veriùs videtur habiturum effectum Sacramenti illum, qui ante somnum habuisset voluntatem accipiendi fructum, etiam ex comestione casuali Eucharistiæ.

Et esto moveatur, neque tunc ministratio Sacramenti vel Sacramentum erit voluntarium suscipienti per modum effectûs, sed solùm volitum per modum objecti; quia ipse non efficit Sacramentum, sed suscipit etiam validè in amentia vel somno, quando nulla adest voluntas, quæ physicè possit influere in illam susceptionem, minùs in ipsum Sacramentum, quod per modum effectûs pendet à sola voluntate ministri; quæ etiam idcirco (ut supra diximus) ad minùs debet esse virtualis; & quia Sacramentum non debet esse voluntarium

tarium suscipienti per modum effectûs, sed solùm per modum objecti, sive volitum; hinc in ipso sufficit voluntas præterita non retractata, hoc est, habitualis.

43. Difficulter convinceretur, qui assereret in generali voluntate Catholicè vivendi & moriendi, subintelligi voluntatem accipiendi Sacramentum, quotiescumque applicabitur.

Cardo igitur controversiæ est, an in generali voluntate Catholicè vivendi & moriendi subintelligatur voluntas accipiendi Sacramentum & fructum ejus, quotiescumque applicabitur sive licitè sive illicitè? Et certè qui affirmaret, difficulter convinceretur: enimverò apparet unumquemque sic esse constitutum, ut si interrogaretur, an ex Sacramento casuali velit habere fructum; similiter an desideret accipere Sacramentum, quod illicitè ex parte ministri confertur, responderet utique, omnimodè se id optare; nam hoc meliùs est & ipsi & Sacramento, quod aliàs frustraretur suo effectu; præsertim, quando ex Sacramento suscipiens non contrahit aliquam specialem juris positivi obligationem.

Maximè, si ex susceptione non sequatur specialis obligatio juris positivi.

Quod ultimum addo, propter Sacramenta Ordinis & Matrimonij, ad quæ nullo modo se extendit illa generalis voluntas ob statûs mutationem, ac gravissima onera ipsis annexa. Unde non rectè argumentatur quidam à Sacramento Ordinis ad Eucharistiam, utpote ex cujus fructuosa sumptione nullum omninò sequitur incommodum, & quæ in utilitatem solius recipientis confertur; cùm tamen Ordinatio magìs respiciat utilitatem Ecclesiæ seu aliorum, quàm propriam ipsius ordinati: Ideoque communis sententia requirit in suscipiente Ordinem & Matrimonium ad minus expressam voluntatem præteritam non retractatam.

Non rectè argumentatur quidam à Sacramento Ordinis ad Eucharistiam.

44. Responsio ad secundã objectionẽ.

Pergo ad secundam objectionem, quæ videtur peremptoria, nisi fortè disparitas sit, quòd Ecclesia soleat Eucharistiam quoad substantiam dare infirmo deliranti; quamvìs non cum modo irreverentiæ vel per ministrum indignum; & tamen quis dubitet, quin accipiet fructum à quocumque ministro præbeatur? Consentit ergo infirmus per generalem voluntatem in omnia Sacramenta, quæ solent similibus administrari, non curando de modo, quo licitè vel illicitè per accidens ministrantur. Jam autem Ecclesia nullatenùs consuevit dare hostiam consecratam instar panis communis, aut eam extra necessitatem ori dormientis immittere.

45. Responsio ad tertiam objectionem.

Ad tertiam objectionem respondetur: quid mirum si valeat ille Baptismus, quem præcessit explicita petitio? Porro in casu proposito sumptionem Eucharistiæ nulla præcessit explicita voluntas sive accipiendi Eucharistiam, sive percipiendi fructum ejus.

Sed nunquid (interrogat quispiam) ad valorem Baptismatis præter statum Catechumeni requiritur aliud expressum propositum baptizandi? Posset alicui videri quòd sic, propter obligationes jure divino consequentes, observantiam scilicet universæ legis Christi, ad quam baptizatus cogendus est. Et confirmatur ex verbis Innoc. III. cap. *Maiores* de Baptis. *Secùs autem, si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.* Interim communis sententia propter obligationem juris divini suscipiendi Baptismum putat sufficere statum Catechumeni absque alio expresso proposito baptizandi. Ad verba Innocentij respondet, intelligenda esse de proposito per se connexo & quasi incluso isti statui, qui est quædam dispositio seu via ad Baptismum suscipiendum.

Et secundùm hanc sententiam existimo (salvo meliori) Catechumenum legitimè dispositum absque alio expresso proposito baptizandi validè & fructuosè baptizari in somno vel amentia (nisi ante somnum vel amentiam habuisset voluntatem contrariam) etiam extra necessitatis articulum, in quo equidem solo Ecclesia talem consuevit baptizare. Ratio mea est: quia tametsi simpliciter & absolutè nolit suscipere Baptismum contra ordinationem Dei vel Ecclesiæ, conditionatè tamen vult, ut valeat potiùs, quàm pereat, si per accidens aliter conferatur.

Catechumenus validè & fructuosè baptizatur in somno, etiã extra articulum necessitatis.

Consimiliter videtur posse dici quemlibet Christianum simpliciter quidem & absolutè nolle ut sibi administrentur Sacramenta contra modum & ordinem debitum ex lege Dei vel Ecclesiæ; conditionatè tamen velle, ut si per accidens casu vel ex malitia aliter conferantur, & sint ex illis, quæ communiter omnibus ministrantur; ut, inquam, potiùs valeant & fructificent, quàm pereant, secundùm jura in fine præcedentis Sectionis citata, quæ in ambiguis orationibus id docent accipiendum, quò res, de qua agitur, magìs valeat, quàm pereat. Cùm ergo hîc saltem dubia sit intentio suscipientis, commodissimum est id accipi, quo Sacramentum, de quo agitur, magìs valeat, quàm pereat.

An idem dici possit de aliis Sacramentis respectu cujuslibet Christiani.

Accedit probabile esse, hominem eò ipso, quò justus est, sufficienter acceptare mortem à Tyranno in somno illatam, ut sit & habeatur pro vero Martyre, cùm tamen Martyrium definiatur: voluntaria perpessio mortis in odium Christi illatæ. Quidni ergo vita Catholica præcisè quà talis, sit voluntaria acceptio Eucharistiæ, quæ dormienti, amenti vel ignoranti ministratur?

nistratur? Elige quod vis, propter tuum sentire nihil plus aut minùs recipies.

46. **Ad matrimonium requiritur consensus externus tam suscipientis, quàm ministrantis, saltem in obligationem. Florent.**

Restat, ut aliquid dicamus de Sacramento Matrimonij: ad quod imprimis requiritur consensus aliquis externus tam suscipientis, quàm ministrantis, si non in ipsum Sacramentum, saltem in obligationem: *Causa efficiens Matrimonij* (inquit Florent. in decreto Unionis) *regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Cæteroquin, quomodò esset verum Sacramentum & verus contractus, si solo consensu interno posset perfici? Nam & Sacramentum & contractus ex natura sua sunt actiones sensibiles.

47. **Non valet ad matrimonium consensus coactus, licèt validus ad alia Sacramenta. Innoc. III.**

Secundò non valet consensus coactus; validus equidem in alijs omnibus Sacramentis, ut communiter DD. colligunt ex c. *Maiores*, ubi id expresè decernitur de Sacramento Baptismi hisce verbis: *Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum alij non absurdè distingunt; quòd is, qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis ..... characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquàm conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ: In quo casu* (prosequitur Pontifex) *debet intelligi decretum Concilij Toletani* 4. c. 56. & habetur c. de Judæis dist. 45. *ubi dicitur: quòd qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisibuti, quia iam constat eos Sacramentis divinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis Domini extitisse participes; oportet etiam ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur.*

Et quamvis fortassis hæc verba explicari possent de judicio dumtaxat Ecclesiæ, seu foro externo (ut supra insinuavi) tamen communis sensus DD. qui in his rebus, quæ pendent à voluntate Dei, maximè valet, semper intellexit etiam de judicio Dei, seu foro interno. Porro ab hac communi regula excipitur Matrimonium ob speciales rationes, & jura contrarium statuentia, proprio loco alleganda.

48. **In utroque contrahente requiritur saltem virtualis intentio.**

Tertiò uterque conjux est minister Sacramenti Matrimonij, & in utroque requiritur intentio saltem virtualis, veluti in ministris aliorum Sacramentorum, quæ sit causa exprimendi consensum. Quia verò conjuges non solùm sunt ministri, sed etiam recipiunt Sacramentum, dubitari potest, an prout recipiunt, sufficiat illis voluntas habitualis. Ad quod

Respondeo: potest perfici Matrimonium tam in ratione Sacramenti, quàm in ratione contractûs, quando conjuges vel dormiunt, vel nihil cogitant de Matrimonio, v. g. quando contrahunt per procuratores; ergo tunc conjuges recipiunt illud Sacramentum absque aliqua actuali voluntate recipiendi, nec solùm recipiunt, sed etiam ministrant.

Possunt conjuges recipere & ministrare Sacramentum absque aliqua actuali voluntate. 49.

Si inferas: ergo cum sola voluntate habituali. Respondent aliqui negando cōsequentiam: nam manet voluntas præterita in aliquo suo effectu, id est, voluntas præterita est causa, quarè hîc & nunc Sacramentum perficiatur: non enim procurator consentiret, nisi antea principalis consensisset, & valor consensûs procuratoris totaliter pendet à voluntate principalis non revocata.

Idem ferè cernitur in Matrimonio inito sub conditione de futuro, quod conditione impletâ perficitur sine novo consensu conjugum: quamquàm enim voluntas præterita non sit causa, quarè conditio impleatur; equidem est causa, quòd impletâ conditione consensus conditionatus transeat in absolutum, sive quòd conditio impleta faciat transire consensum conditionatum in absolutum; adeoque bene dicitur consensus conjugum præteritus virtualiter permanere in illa conditione. Si autem quispiam malit illam intentionem vocare habitualem, per me licet, dummodò concedat illam sufficere in hoc contractu Sacramentali, sicuti sufficit ad valorem aliorum contractuum.

Hucusque de necessitate consensûs, non in externam actionem tantùm, sed in ipsum Sacramentum, hoc est (ut explicat Scotus 4. dist. 4. q. 4. n. 4.) in actionem externam eo modo, quo illam intendit facere Ecclesia. **Scotus**

Sed nunquid valet consensus illicitus? 50. *Multa fieri prohibentur* (scribit Innoc. III. Pisano Archiepiscopo) *quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Et D. Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani Donatistæ c. 35. *Cùm vobis* (inquit) *fuerit manifestatum, nec illum qui ministravit, nec illum qui accepit Baptismum, puram habuisse conscientiam, denuò baptizandum esse censebitis? Nequaquàm hoc dicturus, nequaquàm facturus es; Baptismi ergo puritas*, id est validitas, *à puritate vel immunditia conscientiæ sive dantis, sive accipientis, omninò distincta est.* **Innoc. S. Aug.**

Si autem rursus à me quæritur: Et quis consentit illicitè? Respondeo Primò:

CON-

CONCLUSIO III.

Ad licitam receptionem Sacramenti requiritur dispositio ad effectum gratiæ, aliàs peccatur sacrilegio mortali, nisi necessitas excuset.

51. Quænam dispositio requiratur ad effectum gratiæ, sat dictum arbitror sect. 5. per totam. Intelligo autem per effectum gratiæ, vel saltem minimam gratiam habitualem. Quis enim, amabo, condemnat aliquem peccati mortalis, quia defectu perfectissimæ dispositionis non accepit perfectissimam gratiam? Aut quis sine temeritate affirmare potest, dispositum alioquin ad effectum primarium, ex eo præcisè graviter peccare, quia ponit obicem ad effectum secundarium, v. g. ad remissionem peccati venialis per Baptismum, & consequenter ad remissionem pœnæ correspondentis? Idem est de illo, qui gratijs actualibus ponit obstaculum, incidens post sumptionem Sacramenti in mortale. Quarè putas, nisi quia adhuc vera manet significatio Sacramenti? Etiamnum dubitas?

Non peccat mortaliter qui defectu perfectissimæ dispositionis non accipit gratiam perfectissimam.

Planè, inquis: quoniam ex parte saltem falsificatur significatio; & alioquin cur peccet graviter, qui suscipit Sacramentum indispositus ad characterem, cùm & hic solùm sit effectus secundarius? vel si est primarius, etiam sic in ipso solo salvabitur veritas Sacramenti. Quid ad hæc?

Viderint illi, qui asserunt characterem effectum primarium: mihi res facilis est; nam qui est indispositus ad characterem, effectum licèt secundarium, necessariò est simul indispositus ad effectum primarium, imò & ad ipsam substantiam Sacramenti. Quæris, unde sciam? Quia nequit Sacramentum esse validum, & characterem non imprimere: unde talis fingit sive invalidat Sacramentum, quod non potest non esse grave sacrilegium, ut patet in ministro defectu materiæ, formæ vel intentionis invalidè ministrante.

Cæterùm sicuti Sacerdos incurrit reatum mortalis sacrilegij non tantùm si baptizet invalidè, verùm etiam si solùm indignè, v. g. existens in malo statu: consimiliter (ne dicam ampliùs) peccat, qui indignè Baptismum suscipit, privans utique Sacramentum fine sive effectu suo principali, ad quem significandum est institutum, scilicet gratiâ sanctificante (quod non facit qui indignè baptizat alioquin dignum) & per consequens falsificans significationem Sacramenti, utpote principaliter instituti ad significandam practicè gratiam & sanctitatem; quam tamen in eo casu non significat, propter obicem & indispositionem subjecti.

Indignè suscipiens Baptismum falsificat significationem Sacramenti.

52. Objicies: Sacramentum solùm significat conferri gratiam non ponentibus obicem; ergo non redditur falsa significatio per positionem obicis. Respondeo, Sacramentum ex institutione sua indefinitè significare, gratiam conferri omni suscipienti, quam significationem suo modo falsificat qui ponit obicem gratiæ, hoc est, impedit ne hîc & nunc Sacramentum absolutè significet id, ad quod principaliter significandum à Christo est institutum; adeóque quantùm est in se facit, ut Deus significet falsum, sive potiùs, ut Deus in illis circumstantijs per suum Sacramentum non possit significare actualem sanctitatem, per quam homo actu sanctificetur, & Deo quasi consecretur. Et hæc, communi totius Ecclesiæ judicio, censetur gravis irreverentia. Sicuti qui falsum jurat, quamvìs non faciat quòd Deus reverà affirmet falsum, facit tamen quantùm est in se, ut id appareat, & ideo semper peccat mortali sacrilegio, etiam in minima materia, materialiter spectata; quod addo, quia juramentum, cui deest veritas præsens, semper habet materiam formaliter gravem.

Responsio ad objectionem, quòd Sacramentum solùm significet conferri gratiam nō ponentibus obicem.

53. Si instes Baptismum conferre gratiam ablato obice: Respondeo, illam non significare nisi secundariò. Unde sicuti redditur falsa consecratio alicujus materiæ, quæ pro nunc incapax est, licèt postea reddatur capax: & sicut qui vovit castitatem, & in pœnam violationis voti, jejunium; licèt jejunet, nihilominùs manet infractor voti; sic etiam falsificator est Sacramenti, qui pro nunc quando confertur, impedit ejus effectum, quamvìs postea sublato obice eum recipiat.

Baptismus conferens gratiam ablato obice, non significat illam nisi secundariò.

54. Profectò etsi malitia indignæ susceptionis non sufficienter haberetur ex jure naturali seu connaturali gratiæ, credendum equidem foret non deesse præceptum positivum Christi, cùm certum sit esse aliquod præceptum, & quidem graviter obligans, *nisi* (ut dicitur in conclusione) *necessitas excuset*. Casus sit, si sacræ hostię conculcandæ ab infidelibus non possent occultari, aut præservari à dehonoratione, nisi statim sumerentur ab unico, qui adest, peccatore; qui ob perturbationem animi & penuriam temporis non posset se ad statum gratiæ disponere: si enim is alioquin cum reverentia

Etiamsi malitia indignæ susceptionis non haberetur sufficienter ex jure naturali; credendum equidem foret, non deesse præceptum positivum Christi.

Casus ubi necessitas excusat ab irreverentia.

reverentia eas sumeret, non censeretur in illis circumstantijs facere injuriam Sacramento, sed potiùs reverentiæ ejusdem consulere.

Quemadmodùm licèt Eucharistia non possit sordidis manibus tractari, si tamen id fieret in simili eventu, quis sapiens, & dicet: amice, quare hoc facis? Circumstantiæ quippe mutant morale judicium, adeò ut quod per se loquendo esset contra in illis sit secundùm reverentiam; veluti si ambulans per plateas pedibus conculcarem sceptrum, coronam, purpuram aut sigillum regium, omnes una voce clamarent me reum læsæ Majestatis. Fugio hostem capitalem, nequeo mortem evadere, nisi pedibus conculcem sceptrum &c. conculco, & nemo loquitur.

55. 1. Cor. 11. Sed contra: 1. Cor. 11. v. 29. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit* &c. atqui peccator, etiam in illa occurrentia, manducat indignè; ergo &c. Probo minorem, quæ sola potest negari: quia reddit significationem Sacramenti falsam non minùs, quàm in alijs circumstantijs, quæ falsa significatio est fundamentum irreverentiæ, & consequenter malitiæ, quæ reperitur in indigna Sacramenti susceptione. Igitur sicuti ob nullam prorsus causam, sive mortem evadendam, sive irreverentiam evitandam, aliàs Sacramento aut alteri rei sacræ inferendam, licet falsum jurare (quo simili supra usi fuimus ad ostendendam malitiam indignæ susceptionis) ita quoquè semper illicitum erit falsificare Sacramenti significationem, impediendo effectum gratiæ.

56. Falsa significatio Sacramenti non est ita intrinsecè mala, quemadmodù falsum juramentum. Respondeo nihilominùs negando minorem. Ad probationem dico, falsam significationem Sacramenti non ita intrinsecè esse malam, quemadmodùm falsum juramentum; neque oportet similitudinem currere quatuor pedibus, ut communiter loquimur. In eo itaque conveniunt (ut supra dixi) indigna susceptio Sacramenti & falsum juramentum, quòd homo, quantùm in se est, faciat, ut appareat Deum significare & affirmare falsum. In hoc autem discrepant, quòd per juramentum falsum quasi destruatur & auferatur à Deo prima veritas in dicendo; finis siquidem juramenti intrinsecus est, confirmatio veritatis per testimonium Dei, tanquam primæ veritatis; perjurium verò directè nititur facere illud confirmatorium falsitatis, quod cedit in summam Dei injuriam, & continet necessariam irreverentiam.

Porro indigna susceptio Sacramenti nullum propriè destruit vel aufert attributum divinum; quod enim illud esset? Certè non veritas in dicendo; quia hæc est conformitas dicti cum suo significato, quæ quidem tollitur per falsum juramentum; quippe adducitur Deus tanquam asserens falsum pro vero: at verò indignè suscipiens Sacramentum, nec ipse propriè mentitur, multò minùs facit Deum Auctorem mendacij, cùm suscipiens non sustineat personam Dei, sed potiùs minister. Non etiam veritas in faciendo, sive fidelitas, quia Deus solùm promisit gratiam Sacramentalem subjecto legitimè disposito: & ita discurre de reliquis attributis.

Quando ergo supra dixi, indignè suscipientem quantùm in se est, facere, ut appareat Deum significare falsum, hoc non est intelligendum, quasi Deus per quodlibet Sacramentum hìc & nunc significet suam mentem, quam habet circa effectum conferendum vel non conferendum; contrarium enim per se patet; sic quippe continuò loqueretur Deus hominibus per sua Sacramenta, quæ tamen non sunt ordinata tanquàm signa mentis divinæ, quod requiritur ad locutionem; sed tanquàm signa gratiæ ad salutem hominis viatoris. Facere ergo, ut appareat Deum significare falsum, non est aliud, quàm efficere, ut signum à Deo institutum, non ad suam mentem significandam, sed ad significandam efficaciter gratiam, careat suo effectu, quem aliàs ex vi suæ significationis haberet, quod est contra reverentiam debitam tali signo & Auctori ipsius; quæ tamen irreverentia cessat, quando tales circumstantiæ occurrunt in quibus hæc irreverentia necessaria est ad aliam majorem evitandam, ut in casu supra posito, in quo & eadem & alia multò gravior imminet Sacramento. Unde tunc frustratio effectûs Sacramentalis potiùs reverentia, quàm irreverentia dicenda est; ita namque judicant prudentes, à quorum judicio multùm pendet, an hìc & nunc aliquid sit cultus aut honor, vel potiùs dehonoratio. 57. Quid sit facere ut appareat Deū significare falsum.

Nec enim illa frustratio effectûs tanti æstimatur, quin species Sacramentales, quando sine horrore sumi non possunt, licitè comburantur; aut certè, secundùm Rubricas Missalis Romani, *cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur*, Tit. de defect. c. 10. n. 14. Cur ergo peccator in aliquo casu non possit eas consumere sine effectu, sicuti ab igne consumuntur? Rubr. Missal. Rom.

Vasquez in 3. partem to. 3. disp. 207. c. 1. n. 3. (quem sequitur Lugo disp. 9. n. 8.) Si quis (inquit) in altari recordaretur alicujus 58. Casus Vasquez & Lugonis de sacerdote, qui

recordaretur in altari commissi mortalis peccati.

alicujus peccati commissi post confessionem, cujus illuc usque nullam neque in universum habuisset contritionem, quia fortassis nunquàm putavit esse mortale; tunc autem jam videt, aut vehementer dubitat esse mortale, ita posset temporis angustijs arctari, alijsque necessarijs ipsius Sacrificij distrahi (quamquàm rarò id accidere potest) ut nisi ab eo cessaret, nullo modo ad perfectam contritionem, aut alium quemlibet actum supernaturalem excitari posset: ac proinde tunc ad Sacramentum in illo peccato mortali accedere, ad novum peccatum mortale ipsi non imputaretur: quia hoc præceptum non obligat cum tanto dispendio, ut debeat homo coram toto populo à sacrificio cum nota sui honoris cessare potiùs, quàm ad Sacramentum cum illo peccato accedere. Hæc ille. Verè an falsè, libentiùs disco, quàm dico.

Alius casus Vasquez.

Equidem non dubito de veritate casûs, quem ibidem subtexit Vasquez, dicens: Quemadmodùm etiam si quis sciret, se in mortali esse, & tamen necessarium esset ita subitò ministrare Baptismum parvulo propter instans periculum mortis, ut ad dolorem perfectum de illo peccato se ipsum movere non posset, excusaretur ab irreverentia Sacramenti propter instans periculum parvuli, & ut obligationi charitatis satisfaceret. Ita præfatus Auctor.

Disparitas inter illos casus.

Sed tu, Lector, adverte in hoc casu Sacramentum non frustrari suo effectu, veluti in casu præcedenti frustratur. Porro alia, & indubiè major irreverentia est, administratio Sacramenti in malo statu cum certa frustratione effectûs, quàm administratio Sacramenti in malo statu cum certo effectu. Insuper periculum quasi intrinsecum & per se æternæ damnationis parvuli incomparabiliter majus est periculo quasi extrinseco & per accidens infamiæ celebrantis. Quæ ergo conventio unius casûs ad alium? Satis exigua.

59. Interim tamen si occurreret casus (qui vix occurrere potest) quo homo peccator non posset se ad contritionem vel attritionem excitare, & aliunde vel moriendum ei foret, vel suscipiendum Sacramentum, putas quia non excusaretur ab irreverentia Sacramenti propter instans periculum æternæ damnationis?

Quidni, inquis, putem? Etenim ob nullam causam licet mentiri; ergo ob nullam causam licet recipere Sacramentum cum certa frustratione effectûs.

Indigna perceptio Sacramenti non est mendacium.

Respondetur negando consequentiam; quoniam hæc receptio non est propriè mendacium, hoc est, locutio contra mentem: siquidem Sacramentum non est institutum ad significandum conceptum suscipientis, sed ad significandam & causandam gratiam.

Licèt sit falsa significatio, potest tamen excusari à peccato.

Dices: saltem est falsa significatio, qualis non est combustio aut alia similis corruptio Eucharistiæ. Transeat totum. Sed quid tum? Quippe falsa illa significatio est præter intentionem ejus, qui sic suscipit Sacramentum. Unde autem convincitur, quòd hujusmodi falsitas non possit excusari à peccato, saltem à mortali sacrilegio?

Nonne & ille, qui Sacramentum ministrat indigno, aliquo modo falsum significat, id est, facit ut v.g. hæc hostia sacra non causet gratiam sanctificantem, quam alioquin causasset, si eam dedisset digno? Et tamen hoc licet in aliquo casu. Sufficiant ista pro prima conditione necessaria ad licitam receptionem Sacramenti.

Multiplex indignitas ministri.

De secunda quæritur, an liceat suscipere Sacramentum à ministro indigno? Et quia indignitas multiplex est, una juris quasi naturalis, quæ oritur ex statu peccati mortalis; altera verò juris positivi, quo alicui prohibetur ministerium hujus vel illius Sacramenti; hinc responsio indiget pluribus conclusionibus, quas suo ordine hîc subjungo.

CONCLUSIO IV.

Licitè petitur Sacramentum à quolibet suâ culpâ indignè ministraturo, modò id suadeat notabilis utilitas.

60. Suscipiens non tenetur inquirere dignitatem ministri.

Suppono suscipientem non teneri inquirere dignitatem ministri; ubi enim talis obligatio imponitur? Certè difficilis sæpe, imo injuriosa esset; nemo quippe præsumitur malus nisi probetur, & in dubio non est præsumendum delictum. Unde licitum est communiter suscipere & petere Sacramentum à ministro, quando moraliter non constat ipsum indignè ministraturum; adeò ut si quis videret Sacerdotem statim peccantem, posset ab eo petere Sacramentum, esto non sit paratus, neque obligetur ex officio ministrare; quia sperare potest & debet præviam dispositionem ad dignam ministrationem per contritionem aut confessionem, nisi fortè publicum sit illum esse in diuturna consuetudine peccandi ac proximis peccati occasionibus, retinendo v.g. apud se concubinam. Hæc est communis sententia, teste Dicastillone disp. 3. n. 302. Dicastillo. sicuti & ipsa conclusio communis est, ut

ibidem

ibidem docet n. 296. quæ facilè probatur ex principio ab omnibus admisso: Licet permittere peccatum proximi, quando commodè non potest impediri.

61. Objectio. Dices: Hîc petitur peccatum, ministerium scilicet Sacramenti, quod hîc & nunc est peccaminosum. Respondeo illam actionem ex se bonam esse, & bene à ministro fieri posse; & ut talis petitur, non quà mala est, malitiâ proveniente & dependente à sola ipsius voluntate. Ita Doctor Subtilis 4. d. 5. quæst. 2. num. 6. Scotus. ibi: *Ad secundum dico, quòd ille, qui petit Baptismum à malo Sacerdote, non cooperatur illi directè ad peccatum mortale; petit enim ab eo actum debitum, & in hoc non delinquit: quia nullius malitia excusat illum à solvendo debito, quo tenetur alteri. Ille etiam actus petitus posset solvi sine peccato, si baptizatus contereretur. Vnde quantùm est ex actu petentis, petens magìs necessitat Sacerdotem ad pœnitendum, quàm ad actum peccandi. Si autem ille non pœniteat, nihil imputandum est ei, qui petit illum actum: quia non in quantum est peccatum petit, sed in quantùm debitum est.*

62. Non licet petere Sacramẽtum, quod minister, etsi velit, non potest dare sine peccato. Hinc notanter dixi in conclusione *Suâ culpâ*. Siquidem petere Sacramentum, quod minister, etsi velit, nequit dare sine peccato, absque dubio in omni prorsus eventu illicitum est, etiam in extrema necessitate tam spirituali, quàm corporali. Ratio est manifesta: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et juxta Rom. 1. Apost. Rom. 1. v. ultimo: *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Quis autem non videat petentem actionem, quæ hîc & nunc non potest licitè fieri, consentire illicitè operanti?

63. Contrarium cernitur in illis, qui ob necessitatem aut notabilem utilitatem faciunt actionem ex se bonam aut indifferentem, ex qua proximus sumit occasionem peccati; aut etiam petit à proximo actionem hujusmodi, licèt prævideat ipsum ex libera sua voluntate in ea mortaliter peccaturum.

Casus obvij sunt & communes. Sic quippe licitum est hospiti apponere cœnam vel carnes in die jejunij; puellæ se honestè ornare; petere mutuum ab usurario, juramentum ab infideli, & infinita alia, quamvìs ex illis prævideam per accidens secuturum proximi peccatum, quando hæc sunt necessaria ad vitandum damnum temporale, respectivè notabile ad spirituale damnum, quod proximus incurrit per peccatum. Quod addo, quoniam in his maximè attendenda est regula charitatis. Incipit quidem charitas à se ipso, sic tamen ut interdum bona temporalia, imo & ipsam vitam teneamur exponere pro proximo, ut communiter docent Theologi in tract. de Charitate.

Ex quo facilè intelliges, quarè in conclusione addiderim illam limitationem: 64. Quare additur in Conclusione: Modò id suadeat notabilis utilitas. *Modò id suadeat notabilis utilitas.* Porro quæ talis sit, pendet à prudenti judicio omnibus circumstantijs maturè discussis; puta, si alioquin esses moriturus sine Baptismo, Absolutione, Viatico &c. aut sentis grave periculum succumbendi peccato. Item si urgeat præceptum annuæ Confessionis aut Communionis, etiam satis probabiliter (inquit Dicastillo supra n. 257.) etiamsi minister ex ignorantia aut passione in malo statu esset administraturus; non enim omittenda sunt præcepta, ut evitetur scandalum passivum, etiam pusillorum.

Et quidem quod attinet ignorantiam, Si sit in ministro ignorantia, præmittenda est per se admonitio. si est invincibilis, credo reverentiam Sacramenti exigere præviam admonitionem, nisi aliquid obstet; quippe juxta regulas correptionis fraternæ, etiam materiale peccatum, maximè contra legem naturalem, avertendum est à proximo, quando commodè fieri potest. Prudenter autem spectatur, talem ministrum sublatâ ignorantiâ adhibiturum sufficientem dispositionem per contritionem aut confessionem; sin illa spes non subsit, meliùs permittitur peccatum materiale, quàm formale. Et quia illa spes rara est, quando procedit ex ignorantia vincibili vel passione, judico etiam raró admonitionem esse præmittendam.

Insuper notabilis judicatur utilitas, si occurrat fructus indulgentiæ, consuetudo rationabilis diutiùs non differendi, extraordinarius fervor, & similia, quæ juxta varias circumstantias (ut dixi) prudenter censebuntur proportionata peccato, quod permittitur. Quarè minor causa requiritur respectu obligati ex officio, quàm respectu alterius; similiter minor respectu parati ad ministrandum, quàm respectu non parati; minoris peccatoris, quàm gravioris; non excommunicati, quàm excommunicati; quia hi magìs peccaturi sunt, quàm illi. In praxi tamen (ut notat Regius q. 64. a. 6. d. 2. n. 52.) hæc posteriora non semper possunt facilè distingui, atque ita error in his non facilè erit tam gravis. 65. Regius.

Ex eadem regula charitatis sequitur, illicitum esse accipere Sacramentum à malo Parocho, etiam parato, quando æquè commodè potest accedi privilegiatus; quia datur 66. Illicitum est accipere Sacramentum à malo Parocho.

etiam parato, quando æquè commodè accedi potest privilegiatus.

datur occasio saltem peccati externi, quod secundùm aliquos habet malitiam formalem distinctam à malitia actûs interioris: interdum etiam, videlicet si tantùm habitualiter sit paratus, peccati interni; vel si actualiter jam consensit, continuationis aut intensionis consensûs præstiti. Juxta ergo proportionem istius damni spiritualis, petitio tua & receptio sine rationabili causa erit grave & leve peccatum contra obligationem charitatis. Dico *sine rationabili causa*; quoniam eligi potest malus relicto bono, si ille meliùs noverit dirigere tuam conscientiam, ei liberiùs explicentur peccata ob boni morositatem &c.

67. An in articulo mortis relinquendus bonus non approbatus, & petenda absolutio à malo approbato præsente.

Addunt aliqui in articulo mortis relinquendum bonum non approbatum, & petendam absolutionem à malo approbato præsente. Sed cur hoc? quia (inquiunt) malus, etsi peccaturus, adhibet certum remedium; bonus autem tantùm probabile, eò quod tantùm probabile sit pœnitentem in isto articulo posse confiteri cuilibet non habitâ ratione Parochi, vel approbati.

68. Absolutio in casu data à non approbato moraliter certò valet. Trident.

Respondent alij: moraliter certò valet absolutio. Et probant ex Trident. sess. 14. cap. 7. ibi: *Verumtamen piè admodùm, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Quæ constitutio adeò generalis & indefinita, accedente præsertim auctoritate DD. tribuit jurisdictionem speculativè probabilem omnibus Sacerdotibus absolvendi quoslibet pœnitentes in articulo mortis, etiam in præsentia Ordinarij; ergo, inquiunt, certissimam practicè, Ecclesiâ supplente defectum ad singulos actus, præsertim dum adest specialis ratio; scilicet irreverentia aliàs certò committenda in administratione Sacramenti.

Et sanè si Ordinarius præsens, qui non vult absolvere, habeatur pro absente; quidni etiam absens reputetur, qui non vult licitè absolvere? Accedit, quòd pœnitens adjungendo aliquod peccatum veniale, aut mortale, aliàs confessum, certissimè, non tantùm practicè, sed etiam speculativè, ab omnibus absolvatur, saltem indirectè. Possit ergo exponere peccata sua Ordinario, at malo ministro; sed cur obligetur, non satis probatur. Hæc illi.

69. Quid de ministro Baptismi, ex Scoto.

Aliud fortè dicendum foret, juxta mentem Doctoris Subtilis, de Ministro Baptismi; sic enim docet 4. d. 5. q. 2. n. 5. *Si* (inquit) *est occultè malus, ita quòd vita eius non sit scandalosa populo, satis conceditur, quòd possit aliquis a tali, imò debeat recipere Baptismum, si aliàs debeat: quia propter peccatum, quod non est notorium, non debet aliquis in actibus notorijs vitare proximum. Si autem est publicè vel notoriè malus, utpote publicè fornicarius, aut huiusmodi, aut incumbit sibi ex officio dispensare Sacramentum Baptismi, utpote quia est Sacerdos, vel Curatus parochialis; aut non incumbit, tamen congrueret ratione officij, utpote quia est Sacerdos aliquis datus vel vocatus in adiutorium Curati: si primo modo, non peccat, qui recipit Baptismum pro se vel pro parvulo suo; quia non peccat, qui à malo debitum petit vel accipit*(intellige quando alius non adest, qui sine licentia Parochi potest ministrare) *Si secundo modo, si possit habere alium, cui incumbit ex officio baptizare: aut æquè malum, aut meliorem. Si meliorem, peccat, qui ab illo recipit; quia non incumbit sibi Sacramenta ministrare: & si æquè malum, debet recipere à suo. Sed si nullus alius possit haberi Curatus vel Sacerdos, nisi æquè malus isti, possit tamen haberi aliquis bonus laicus, dubium est quis cui sit præferendus in isto actu, an bonus laicus Sacerdoti publicè malo, an Sacerdos malus bono laico. Et breviter, quia officium ministrandi Sacramenta in Ecclesia competit Sacerdotibus, videtur dicendum, quòd quoad istum actum magìs eligendus est malus Sacerdos*; puta, quia solus Sacerdos est minister ordinarius Baptismi solemnis (de quo ibi loquitur Doctor) extra necessitatem.

Potiùs igitur permittitur peccatum indignæ administrationis; quàm omittatur solemnitas Baptismi ab Ecclesiâ præcepta, vel à ministro non competente adhibeatur. Putarem tamen Diaconum bonum præferendum malo Sacerdoti; nam & ille in necessitate solemniter baptizat, ut proprio loco dicetur.

Potiùs permittendum peccatum indignæ administrationis, quàm omittatur solemnitas Baptismi.

Ex quo patet disparitas inter ministrum Baptismi & Pœnitentiæ; quippe etiam non approbatus absolvit ex officio, id est, ex vi Ordinis Sacerdotalis. Adde Scotū non absolutè asserere Sacerdotem malum præferendū, sed utitur ly *videtur dicendum*, quod relinquit decisionem dubiam. Atque ex his manet sufficienter explicata & probata conclusio.

Disparitas inter ministrum Baptismi & Pœnitentiæ.

Solùm objicio: Non licet mihi petere à medico, qui simul magus est, ut me sanet, si certò sciam quòd per incantationes me sanabit; quamvis naturalibus remedijs me sanare possit; ergo similiter non potero ab improbo Sacerdote petere Sacramētum, quando scio quòd cum peccato administrabit, quamvis sine peccato administrare possit. 70.

70. Objectio, quod non liceat petere sanitatem à medico, qui simul magus est.

Respondeo Primò cū Ex. D. M. N. Joanne Wiggers q. 64. de Sacram. n. 40. negando consequentiam. Et ratio est: quia non ideo illicitum est à tali medico petere ut me sanet, quia scio illum peccaturum (quippe peccatum ipsius in tali casu non teneor impedire, 71.

71. Prima responsio.

pedire, sed possum permittere) verùm idcirco, quia jure naturali & divino est prohibitum habere quamcumque societatem aut communicationem amicitiæ vel quasi amicitiæ cum perduelli hoste divinitatis & humani generis diabolo, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. 1. Cor. 10. v. 20. *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum*, ita quòd non tantùm non possim ipsum rogare, ut beneficium qualecumque mihi præstet, sed ne quidem possum permittere, ut ad preces & incantationes alterius aliquam mihi operam suâ liberâ & gratuitâ voluntate impendat; sicuti non licet militi inire ullam communicationem amicitiæ aut familiaritatis cum perduellibus hostibus sui Imperatoris, nec munera aut beneficia ab eis recipere absque reatu in ipsum Imperatorem; quamvis ipse miles ad hoc positivè non cooperaretur.

Istiusmodi autem communicationẽ cum dæmone contraho, quando certò scio, quòd medicus operâ diaboli me sanabit, licèt possit sanare naturaliter; quia interpretativè volo ab ipso dęmone beneficium sanitatis accipere, quoniam medicus non vult aliter præstare: atque adeò censeor per magum velle inducere dæmonẽ, ut ipse hoc mihi præstet.

Porro in casu conclusionis nostræ optimum est quod petitur, scilicet ipsum Sacramentum; sola obstat malitia ministrantis, quam non semper teneor impedire.

72. Secunda Responsio. Pet. de Ledesma Sanchez. Suarez. Lessius. Respondeo Secundò cum Pet. de Ledesma in Supple. q. 58. a. 2. dub. 2. conclus. 3. Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 95. n. 11. quos sequitur Suarez lib. 2. de Superstitione c. 18. n. 10. Lessius lib. 2. de Justitia c. 44. dub. 6. n. 46. & alij, negando antecedens; quia petitio mea non est causa moralis illius veneficij, quod per accidens & præter meam intentionem adhibetur, & cujus permittendi habeo rationabilem causam, puta, quia magus iniquè me affligit aut damnum infert, quod etiam me non postulante tenetur ex Justitia modo licito auferre: utor ergo jure meo hoc exigendo; sicut dum peto juramentum ab infideli, aut mutuum ab usurario. In quo igitur delinquo?

Resp. Wiggers. Respondet Wiggers tract. 8. de Relig. cap. 6. dub. 23. num. 160. quia cùm scias magum non facturum sine maleficio, censeris idipsum petere à dæmone, & in hoc consentire, quòd dæmonis ope illud beneficium tibi impendatur; quod est intrare in societatem dæmonis omni jure prohibitam.

73. Sed contra: hoc est quod quæritur, an censear positivè consentire in beneficium dæmonis? Cùm enim (ut supponitur) possim curari à mago modo naturali ac licito, & quantùm in me est mallem sine maleficio damnum tolli, non à dæmone, vel homine quà magus est, sed quà homo est humano modo, videtur Doctoribus jam allegatis potiùs permissio, quàm positivus consensus; adeóque permittendo illam curationem maleficam, non recognosco quamdam subjectionem mei ad diabolum, licèt hic illam intendat.

Nec enim (ut Wiggers existimat supra n. 161.) petitio mea in illis circumstantijs satis indicat, quòd velim à maleficio liberari quovis modo, sive medio naturali, sive superstitioso, & proinde me in hoc condescendere, ut per dæmonem tollatur malum meum ad invocationem magi, atque ita dæmoni me submittam, cujus ope paratus sum uti seu admittere ad meam curationem; hoc, inquam, non significat mea petitio, sed potiùs contrarium: nam quia scio, quòd humano modo possit malum meum auferri, ideo peto à mago ut faciat quod jure potest & tenetur, aliàs minimè petiturus, si scirem maleficium esse necessarium; ergo non subjicio me diabolo, vel mago in quantùm minister ejus est, sed in quantùm homo, qui obligatur ex Justitia humano modo me juvare.

Aliud esset, si dæmon sese offerret, etiam absque mea petitione & absque opera magi, ut liberaret me à maleficio; siquidem tunc acceptando, positivè consentio in beneficium dæmonis, cùm alia ratione in illis circumstantijs nequeam liberationem obtinere. Similiter si magus se sponte offerret, ut tolleret per maleficium; nam sic acceptarem ipsum maleficium, sive magum, ut magus est; quoniam sub illa ratione solùm se offert, adeóque non solùm consentirem in permissionem malæ actionis (ut vult Wiggers supra) sed in ipsam potiùs actionem malam, quæ mihi proponitur acceptanda. Quæ non habent locum, quando simpliciter peto à mago ut me curet, scilicet in quantùm homo est, etsi certò sciam quòd sanabit maleficio.

Interim hæc doctrina non caret scrupulo. 74. Non licet admittere magum, si adhibere velit medicinam vanam & superstitiosam.
Unde Sanchez supra: Duo (inquit) monuerim: Alterum est, nullatenùs licere admittere, si maleficus applicare velit medicinam aliquam vanam & superstitiosam. Quia est uti medicinâ vanâ ac superstitiosâ nullam vim significandi habente, nisi ope & & invocatione dæmonis; quod est intrinsecè malum. Nec potest dici, hoc tantùm esse uti peccato alterius, sicut quando maleficus alio maleficio solvit, nullâ medicinâ superstitiosâ applicatâ. Quia consentiens medicinam

cinam illam sibi applicari, reverà utitur eâ, atque ita medio superstitioso & illicito.

Alterum verò est, quando spes esset fore ut prodesset monitio, teneri petentem ex lege charitatis illum monere, ut medio licito faciat. Quod idem necessariò fatendum est de petente mutuum ab usurario & juramentum ab infideli. At in omnibus his casibus omittens monitionem illam, non esset reus peccati inductionis maleficij, sed solius præcepti correctionis fraternæ violati. Hæc Ille, addens n. 12.

Existente dubio, an maleficus medium aliquod solvendi licitum nosset, nullatenus licita est ab eo petitio solutionis maleficij. Delrius.

Quando dubium esset, an maleficus medium aliquod solvendi licitum nosset, nullatenùs licere solutionem maleficij ab eo petere; quòd præsumptio sit contra illum: eo vel maximè, quòd (ut ait Delrius lib. 6. Disquisitionum magicarum c. 2. sect. 1. quæst. 1. pag. penult.) frequentiùs sola media superstitiosa norint malefici: & petitur tolli maleficium, quod non nudam privationem importat, sed aliquid actûs positivi. Quarè ad vincendum hoc dubium, consulit ibi quærendum esse à malefico, quæ media norit: si renuat explicare, ait vehementem esse suspicionem contra illum. Si autem explicet, tunc videndum est, an medium sit licitum. Ecce quantâ circumspectione indigeat praxis istius sententiæ!

75. Doctrina Lessij.

Juvat quoque audire Lessium: Fas (inquit) non est à mago petere, ut maleficium dissolvat, si dubitas an absque novo maleficio id possit: quia id de quo dubium est, an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum, ut faciat: secùs, quando constat sine peccato fieri posse; & causa justa petendi subest...... Hinc patet, non peccasse militem, qui equum suum misit curandum ad hippiatrum, à quo naturaliter curari poterat, quamvìs multùm formidaret, id eum superstitiosè præstiturum, sicut & fecit. Si tamen miles præsens fuisset, & vidisset illum signa superstitiosa parantem adhibere, non potuisset permittere; quia permittere ut circa te, vel rem tuam, te præsente, magica medicatio fiat, est in illam consentire; quia sine tuo consensu nemo tibi vel tuis rebus in tuo conspectu medicinam adhibere potest: imò est moraliter illis uti & applicare; nam medicus agit quasi instrumentum ejus, qui illum adhibet, qui per illum curare dicitur. Unde propriè dicimus nos uti operâ medicorum. Hucusque Lessius.

76. Quæ non placet Wiggers.

Cur ergo licebit (interrogat Wiggers supra) permittere, quòd in absentia faciat, quando supponitur quòd scias, aut tibi persuadeas, quòd arte magicâ curabit? Certè non satis apparet, quarè uno casu plus in aliquid mali consentias, quàm in altero, quando sic de mago sentiens, ut in casibus ponitur, petis ut malum tollat sive curet.

Resolutio pro doctrina Lessij et Sanchij.

Respondeo ex Sanchio supra; quia uno casu uteris medicinâ vanâ superstitiosâ nullam vim sanandi habente, nisi ope & invocatione dæmonis; quod est intrinsecè malum: in altero autem minimè. Quod maximè verum existimo, quando consentis illam tibi applicari, ut loquitur Sanchez. Alioquin quando medicina solùm applicatur rebus tuis, v. g. equo infirmo; neque mihi satis apparet, cur potiùs licitum sit permittere hujusmodi applicationem in absentia, quàm in præsentia, cùm utrobique medicus agat quasi instrumentum ejus qui illius opem imploravit.

Equidem si quis auferat rem meam me præsente & inspiciente, si ex metu mortis non contradico, haud magìs consentio in illam ablationem vel alium usum, quàm si me absente fieret. Cur igitur magis consentiat in medicinam superstitiosam, quæ in præsentia equo adhibetur, quàm quæ in absentia, supposito quòd sine gravi incommodo non possit contradicere nec hîc, nec ibi. Unde adverto Lessium non proponere casum, in quo sit moralis certitudo maleficæ curationis, sed formido tantùm: quamvìs, (inquit) multùm formidaret id eum superstitiosè præstiturum, sicut & fecit.

77. Quid autem sit dicendùm, quando tam certò constaret id eum magicè præstiturum, atque si oculis inspiceret ita fieri, ibi non resolvit. Judicet prudens Lector, an in utroque casu sit peccatum, an in neutro; sive hoc, sive illud resolveris, stabit adhuc veritas conclusionis, videlicet: Absque peccato non solùm contra religionem, sed etiam charitatem, petitur Sacramentum ab indignè illud suâ culpâ (id est propter statum peccati mortalis, à quo gratiâ divinâ opitulante potest se liberare) ministraturo, modò id suadeat notabilis utilitas. Et è contrario peccat non solùm contra charitatem, sed etiam religionem, qui petit sine justa causa, & recipit, quia saltem moraliter vult indignam administrationem, quæ est grave peccatum sacrilegij, ut constat ex dictis sectione præcedenti.

Quo sensu in quorumdam sententia excusari petens ab indigno Sacramentum, à peccato irreverentiæ, si illam non intendat.

Posset fortè in aliquorum sententia excusari à peccato irreverentiæ, si positivè illam non intendat, sed tantummodò ministerium, quod per se licitum est, & hîc & nunc bene fieri potest; quamvìs enim virtus Religionis obliget me, ne positivè sim causa suadendo, consulendo &c. aliquid ei contrarium; non ita tamen, ne dem occasionem aliquam per accidens, invitando

v. g. ad aliquem actum, cui præter meam expressam intentionem adjungitur malitia irreligiositatis. Sicut probabiliter non peccat contra Justitiam vel Castitatem, qui inducit alterum ad secum potitandum vel ambulandum, quamvis sciat ipsum postea furaturum vel fornicaturum, sumptâ occasione ex illa potatione aut deambulatione; esto peccaret contra Justitiam & Castitatem, qui positivè illa peccata alteri persuaderet. Sic ergo impræsentiarum contra reverentiam Sacramenti est suadere alicui, aut petere ab aliquo indignam administrationem; secùs tamen secundùm illam sententiam (cujus approbatio vel reprobatio non est hujus loci) simpliciter petere ministerium ex se licitum, cui ex malitia alterius conjungitur irreligiositas.

78. *Quando in potestate ministri nō est debitè ministrare, tam petens quàm ministrans peccat.* Dico *Ex malitia*; quia si per censuram Ecclesiasticam, aut alia particulari prohibitione ministratio absolutè sit illicita, ita ut in potestate ministri non sit debitè ministrare, haud dubium, quin sicuti minister, sic quoque postulans ministerium semper peccet vel contra Religionem, vel aliam virtutem, ex cujus motivo est facta prohibitio. Imò semper contra Religionem; idque quia ministrans licèt ex præcepto obedientiæ teneatur abstinere, adeoque ministrando peccet specialiter contra obedientiam, vel aliam virtutem; tamen eò ipso etiam inseparabiliter & per se peccat contra Religionem, quia conficit & administrat Sacramentum in malo statu, in quo constituitur per ipsum ministerium. Et hæc est indignitas juris positivi, cui in ipso exercitio (ut statim dixi) conjungitur indignitas juris quasi naturalis. De illa indignitate juris positivi restat hîc agendum.

Suppono autem jus antiquum, quo omnes ligati excommunicatione privantur administratione activâ Sacramentorum, cap. *Si celebrat* 10. de Clerico excommunicato, ibi: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta.* Quod jus usque hodie manet integrum quoad excommunicatos vitandos. Ac proinde de illis dico:

CONCLUSIO V.

A ministro non tolerato seu vitando non nisi in periculo mortis licitè petis Baptismum, Pœnitentiam & verosimiliter Eucharistiam: subinde etiam Extremam Unctionem.

PRo intellectu hujus & sequentis conclusionis necesse est scire, qui sint ministri tolerati sive non vitandi, & qui non tolerati sive vitandi. Oritur porrò distinctio ista ex nova constitutione seu Extravagante: *Ad evitanda scandala*, quam refero ex Concilio Basiliensi sess. 20. ad finem, ubi sic legitur: *Ad vitanda scandala & multa pericula, subveniendumq; conscientijs timoratis, statuit etiam quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione, aut alijs quibuscumque divinis vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam aut locum certum aut certam, à iudice publicata vel denuntiata specialiter & expressè; aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstineri vult iuxta canonicas sanctiones.* 79. *Qui sint ministri Sacramentorum tolerati; qui non tolerati. Conc. Basiliense.*

Aliter refertur hic ultimus casus ab Antonino juxta Concilium Constantiense, his verbis: *Salvo si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliquâ tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari. Nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones.* Juxta quam lectionem (veriorem, ut docet Suarez de Censuris disp. 9. sect. 2. n. 5. cum alijs, quos citat) tantùm in illo speciali casu, scilicet sacrilegæ manuum injectionis, vitandus est publicus excommunicatus. *Antoninus. Suarez.*

80. Et quamvis hæc constitutio ex Concilio Basiliensi, in quo solo de facto extat, non possit habere vim legis obligantis universam Ecclesiam, & derogantis seu limitantis antiquum jus (nam Concilium illud, quando illam edidit, vel non erat legitimum, nec sub obedientia summi Pontificis procedebat; vel saltem à summo Pontifice nunquam confirmationem obtinuit, ut videre est apud Turrecrematam in Summ. de Eccles. lib. 2. c. 100.) tamen, quia ab universali Ecclesia recepta est, & usu probata, imò (ut creditur) à summo Pontifice manavit; ideò non est dubium, quin *Turrecremata.*

obligatio

obligatio vitandi excommunicatos juxta moderationem illam jam factam observanda sit, in quo conveniunt omnes auctores, inquit Suarius supra n. 2.

Igitur minister vitandus sive non toleratus secundùm hanc Extravagantem est, Primò omnis nominatim excommunicatus, vel aliâ censurâ ligatus per sententiam à judice publicatam, & denuntiatam specialiter & expressè in talem personam. Secundò publicus Clerici percussor, etsi non fuerit denuntiatus. Cumque exceptio firmet regulam in contrarium, constat reliquos omnes quâcumque censurâ, aut sententiâ, vel prohibitione generali impeditos, censendos esse toleratos, sive non vitandos. De quibus latiùs in materia de Censuris.

81. Graviter peccat recipiens à ministro vitando Sacramentum extra necessitatem.

Ut autem exordiar à prima parte conclusionis, omnes Theologi existimant grave peccatum, accipere Sacramentum à ministro vitando extra necessitatem, ob strictissimam prohibitionem Ecclesiæ interdicentis cum hujusmodi communionem, præcipuè in sacris. Excipio necessitatem, quia cùm hæc prohibitio solùm sit juris positivi humani, in ea locum obtinet commune dictum: *Necessitas non habet legem*, id est, lex humana non obligat cum periculo vitæ aut alterius gravis nocumenti sive temporalis, sive spiritualis. Intellige regulariter, hoc est, nisi actus justè præceptus per se haberet hujusmodi periculum annexum, vel non observantia legis cederet in formalem contemptum legis, scandalum proximi, aut implicitam fidei abnegationem. Et quid mirum, si in necessitate liceat accipere, quod alius licitè administrat? Cessat quippe lex Ecclesiæ, etiam respectu ministri, & aliàs potest esse in bono statu: si in peccato mortali ministrat, ipse viderit juxta dicta conclusione præcedenti.

82. Baptismus & pœnitentia sunt Sacramenta necessitatis in articulo mortis. De Baptismo est Augustini.

Cæterùm quod attinet ad Baptismum & Pœnitentiam, liquet in periculo mortis esse Sacramenta necessitatis. Et quidem de Baptismo est doctrina D. Aug. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 2. & refertur c. *Si quem* 24. q. 1. de Pœnitentia, ibi: *Nam si quem fortè coëgerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholicâ custoditâ, per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa Catholica unitate accepturus; si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm se Catholicæ congregationi etiam corporali præsentiâ reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè verissiméque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem servabat & sine sancti Baptismi Sacramento, quod ubicumque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare.*

His consonat Doctor Subtilis 4. d. 5. q. 2. n. 4. ibi: *Potest ergo quantùm ad articulum istum teneri sententia media quantùm ad adultum, quòd adulto licet recipere Baptismum à præciso, si alius minister haberi non potest. Et hoc videtur haberi ab Augustino de Baptismo contra Donatistas lib. 6. c. 5. Potest tradere separatus, sicut potest habere separatus, sed perniciosè tradere. Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat: sicut plerisque accidit, ut Catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Christi Baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti sive liberati, nequaquam apud eos remanerent, apud quos nunquàm corde transierant.* Et Scoti.

Prævidens autem objectionem quorumdam causantium quia Baptismus Flaminis sibi sufficeret, illicò attexit: *Potest fortè non recipere ..... si propter reverentiam Ecclesiæ talem vitet; pensatis tamen omnibus meliùs videtur, quòd à tali recipiat, quàm quòd de vita hac sine Baptismo decedat.* Præsertim propter difficultatem & incertitudinem contritionis charitate perfectæ, quæ tunc necessaria foret, ut homo Deo reconciliaretur. Idem dicendum est de Sacramento Pœnitentiæ, ut patet. Atque hæc de adultis. Occurrit Scotus objectioni, quod baptismus flaminis sibi sufficeret.

Sed quid de parvulis? *Quantùm autem ad parvulum, si nullus possit haberi non præcisus, qui eum baptizaret, & immineat periculum, quòd non possit expectari habere ministrum idoneum, tenetur necessariò ille offerre parvulum suum præciso: nimis enim durum esset dicere, quòd teneatur parvulum suum perpetuò damnari permittere, cùm possit habere aliquem, qui eum baptizet; cùm salvetur, à quocunque baptizetur, etiamsi paganus baptizaret, secundùm illud de consecr. dist. 4. c. Romanus Pontifex, non hominem iudicat, qui baptizat; sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit, qui baptizat.* Isidorus de Officijs lib. 2. c. 24. 83. Doctrina Scoti de parvulis.

Hujus suæ analysis duplicem præmiserat Doctor rationem ibidem n. 3. Prima est: *Quia præceptum superioris plus obligat, quàm præceptum inferioris: Deus autem præcipit Baptismum suscipi, nec determinavit à quibus tempore necessitatis. Ecclesia prohibet communicare cum illo, quem præscindit: ergo magis obediendum est præcepto divino, quàm Ecclesiæ in casu illo.* Prima ratio.

Secundam exprimit his verbis: *Plus tenetur excommunicatus vitare alium, quàm alius* Secunda ratio.

vitare

vitare eum; quia istud præceptum de vitando excommunicato non imponitur alicui, nisi propter ipsum; nec imponitur sibi, nisi propter se: sed præcisus vel excommunicatus in casu illo non tenetur vitare alium; imò tenetur non vitare. Si enim talis præcisus sciret parvulum aliquem non baptizatum statim moriturum, teneretur necessariò eum baptizare, & ita eum non vitare in actu baptizandi. Hoc probo: *quia si inveniret eum expositum periculo vitæ corporalis propter famem, teneretur eum necessariò iuvare ad salvandam vitam corporalem; magis autem tenetur diligere vitam eius spiritualem, quàm corporalem: ergo quando parvulus expositus est periculo vitæ spiritualis, tenetur ille sibi conferre remedium necessarium ad vitam spiritualem: ergo multò magis alius non tenetur vitare eundem, communicando cum eo in tali actu.*

84. Et per hoc apparet quid respondendum sit ad præceptum Ecclesiæ: *Illa enim prohibitio universaliter intelligitur, quando præceptum maioris non obligat ad contrarium præceptum, aut legis naturæ: & præceptum Euangelicum maius est præcepto Ecclesiæ tantùm. Vbi ergo præceptum legis naturæ obligat sic ad salvandam vitam proximi corporalem, & multò magis spiritualem; & præceptum divinum de conferendo & suscipiendo Baptismum; magis obediendum est præcepto superioris, quàm vitandus est aliquis in actibus istis propter præceptum Ecclesiæ ipsum vitantis. Nullus enim iudex in Ecclesia vel legislator interpretaretur præceptum suum esse servandum in eo casu, in quo urgeret contra præceptum legis naturæ vel divinum.*

Quo sensu dixerit Scotus præceptum divinum prævalere Ecclesiastico.

Ubi noto, Ipsum non dicere simpliciter & absolutè, præceptum divinum prævalere Ecclesiastico (absit enim ut tantus Doctor ignoraverit communem sententiam: Non licet celebrare sine vestibus sacris ad communicandum infirmum, esto fieri posset, quòd infirmus obligaretur jure divino) sed cum hac limitatione! *Et præceptum Euangelicum maius est.* Quando autem hoc fit, generaliter ibi non determinat, sed relinquit judicio prudentum: & tamquam unus ex illis judicat, præceptum Baptismi, maximè in extrema necessitate, prævalere præcepto Ecclesiæ, quo prohibet communicationem cum excommunicatis, etiam vitandis.

85. Quod de Baptismo, est æquè dicendum de pœnitentia. Trident.

Par sit judicium de Sacramento Pœnitentiæ, quod est lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. Quod probè intelligens Concil. Trident. sess. 14. c. 7. sic inquit: *Verumtamen piè admodùm, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio casuum in articulo mortis: atq; ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Quemadmodùm autem illæ particulæ *quoslibet* & *quibusvis* universaliter sumuntur sine ulla exceptione pœnitentium aut peccatorum; cur non similiter ly *omnes* sine exceptione alicujus Sacerdotis? Haud video quid obstet. Validè ergo & licitè absolvet Sacerdos excommunicatus etiam non toleratus, vel in defectum aliorum, aut certè ad moribundi requisitionem.

Quantùm ad Eucharistiam & Extremam Unctionem, certa est conclusio, quando in extremis nequeo alio Sacramento justificari. Non enim est verisimile Ecclesiam voluisse, imò potuisse in tanta necessitate obligare ad non petendum aut ministrandum illa Sacramenta. 86.

Item de Eucharistia & Extrema Unctione, quando in extremis quis nequit alio Sacramento justificari.

An generaliter in articulo mortis possint peti illa Sacramenta.

An autem generaliter in articulo mortis liceat petere, non ausim asserere de Extrema Unctione. Quamvis enim sit Sacramentum magnæ utilitatis & solatij, & specialiter pro illo articulo institutum, tamen nulla est necessitas, nequidem juris Ecclesiastici; Viaticum verò, quamquàm & illius non sit absoluta necessitas pro omni casu, tamen regulariter obligat, non solùm ex præcepto Ecclesiæ, sed (juxta multorum DD. sententiam) etiam ex præcepto divino. Ideoque consideratâ maximâ ejus utilitate (quæ est quasi moralis necessitas) & summâ infirmi indigentiâ, Suarez de Eucharistia disp. 72. sect. 4. circa finem simpliciter censet; à quocumque in extrema necessitate licet accipere Sacramentum Pœnitentiæ, licere etiam sumere viaticum, juxta generalem regulam positam in c. Quod in te, de Pœnit. & Remiss. ibi: *In illo verbo, per quod Pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur.* Ubi Innoc. III. tempore generalis interdicti sub concessione Pœnitentiæ declarat contineri concessionem Viatici; secùs Extremæ Unctionis: nam statim subjungit: *Licèt autem per generale interdictum denegetur omnibus tam Vnctio, quàm Ecclesiastica sepultura &c.*

Suarez. Innoc. III. Suarez.

Et licèt (ut notat Suarez supra) formaliter sit sermo ex parte recipientis, est tamen eadem ratio ex parte ministrantis: loquitur quippe Pontifex de interdicto generali, quod afficit tam recipientem, quàm ministrantem; idque ante tempora Concilij Constant. quando generaliter interdicti, etiam non denuntiati, erant ministri non tolerati. Ratio congruentiæ est: quia hujusmodi censuræ ita sunt in odium iniquorum Sacerdotum, ut tamen non cadant in gravissimum detrimentum bonorum fidelium.

lium. Unde in hoc nullus fit favor hujusmodi malis ministris, sed solùm ipsis fidelibus in extrema necessitate existentibus.

87. Licet ergo ab eis Sacramentum Eucharistiæ suscipere per se loquendo, id est, secluso periculo scandali publici, aut infamiæ Religionis, vel alterius mali, ad quod posset hominem talis minister inducere; quæ rationes maximè occurrere possunt, quando minister est hæreticus: &, quantùm colligi potest ex historijs, intervenerunt in facto S. Hermenegildi, quem laudat S. Gregorius lib. 3. Dial. cap. 31. quòd instante Martyrio noluerit recipere communionem ab Episcopo Ariano; quippe in illis circumstantijs, præsertim cùm ignoraret mortem instantem, visus fuisset in illa communione redire ad Arianismum: siquidem (ut verbis utar D. Gregor.) *superveniente Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum misit Episcopum, ut ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur.*

S. Gregor.

Hæc pro ministris vitandis. Quid autem tenendum sit de ministris non vitandis, patebit ex conclusione sequenti.

CONCLUSIO VI.

Excommunicatus toleratus nō aliter, quàm quivis malus minister, est declinandus, ut proinde possit etiam bonis præponi, si credatur bonus esse.

88. EXcommunicatum, aut per aliam censuram præcisum & suspensum posse redire in gratiam per veram cordis contritionem, & propositum petendi absolutionem à censura, ante realem absolutionem, omnium DD. concors est sententia. Quâ suppositâ conclusio habetur in Extravagante *Ad evitanda*, in principio conclusionis præcedentis recitata, ubi permittitur omnibus fidelibus communio cum personis inibi expressis *in Sacramentorum administratione vel receptione*, non ab aliam causam, quàm *ad evitanda scandala & multa pericula*, *subveniendumq; conscientijs timoratis*: ergo etiam ipsi ministri ex parte sua, quando requiruntur, licitè Sacramenta administrant, in quantùm præcisè hoc ipsis prohibetur per censuram; aliàs nullus favor esset factus fidelibus, neque subveniretur conscientijs timoratis: quippe & antea poterant communicare (ut vidimus) existente rationabili causa; adeòque facultas concessa vel nulla esset, vel multis scrupulis obnoxia.

Excommunicatus potest redire in gratiam per veram contritionem & propositum petendi absolutionem ante realem absolutionem. Conclusionis probatio ex Extrav. *Ad evitanda*.

Dixi autem Primò: *Quando requiruntur*; nam in fine Extravagantis lego hæc verba: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Porro plurimum relevaret & suffragaretur, si excommunicati &c. non requisiti possent se ingerere administrationi Sacramentorum.

89. Quare in conclusione additur: *Quando requiruntur*.

Dixi Secundò: *In quantùm præcisè &c.* aliàs enim si sint in malo statu, eadem (ut patet) est ratio de excommunicato, quæ de alijs peccatoribus. Et ideo signanter expressi in conclusione: *Non aliter declinandum esse, quàm quemvis malum ministrum.*

Quare additur: *In quantum præcisè &c.*

Ex his unicuique statim occurrit probatio illationis: *Ut proinde possit &c.* Etenim ex parte statûs gratiæ æquales sunt; inæqualitas autem quæ oriri posset ex censura, tollitur & reducitur ad æqualitatem per Extravagantem præallegatam, quæ loquitur omninò generaliter præscindens à præsentia vel absentia aliorum. Quid ergo obstat, quò minùs alijs bonis, etiam præsentibus, possit præferri? 90.

Dices: Jus antiquum. Respondeo, revocatum esse per jus novum dictæ Extravagantis.

Jus antiquum obstans conclusioni, est revocatum per jus novum.

Sed contra: Concil. Trident. sess. 25. cap. 14. de Reformatione, renovat omnes pœnas latas in sacris Canonibus contra Clericos concubinarios. Prohibetur autem publico concubinario aut fornicario administrare Sacramenta, aut ab ipso recipere cap. *Vestra* de Cohabitatione Clericorum & mulierum, ibi: *Sine dubitatione itaque teneatis, quòd à Clericis & Presbyteris, quamquàm fornicarijs, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.* Ergo à contrario sensu illicitè, quamdiù non tolerantur, ac habent operis evidentiam, ut clarè exprimitur eodem titulo cap. finali, ibi: *Verùm etsi quemlibet pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspensum, non debet tamen in officijs evitari; quia quantùm ad alios, etiam in casu proposito suspensus non est, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam seu per confessionem factam in iure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit.* Ergo hujusmodi peccatorem, etiam nunc tenemur vitare; neque licet

91. Objectio ex Trident.

licet eum præponere bonis, quamvis scirem ipsum per privatam pœnitentiam Deo reconciliatum.

92. *Qualiter Trid. renovet pœnas latas in sacris canonibus contra Clericos concubinarios.*

Respondeo negando consequentiam; siquidem Trident. non renovat illas pœnas tanquàm latæ sententiæ; sed requirit sententiam ferendam,& executionem Episcopi juxta ordinem, quem ibidem præscribit servandum. Sic quippe habet: *Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum ijs ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur.*

Et paulò post: *Sin autem in delicto eodem, cum eadem vel alia fœmina, perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant* (ecce pœna latæ sententiæ) *qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum suorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur;* utique per sententiam ab Ordinario ferendam, ut clariùs dicitur eodem capite circa finem de Clericis non beneficiarijs, ibi: *Clerici verò beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis iuxta sacros canones puniantur.* Quod verbum imperativum non versatur circa ipsam pœnam immediatè, sed circa actionem judicis; adeóque intelligi potest de pœna ferendæ sententiæ, juxta Reg. 49. de Regulis Juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

93. *Non rectè Wiggers distinguit inter Parochum & nō Parochum.*

Wiggers de Sacramentis q. 64. a. 6 n. 45. distinguit inter Parochum & non Parochum, dicens: à Sacerdote præciso non Parocho, quamvis tolerato, non est licitum petere Sacramenta, nisi commodè ipse possit ante Sacramenti administrationem obtinere absolutionem à censura; vel nisi urgeat extrema necessitas. Ratio est: quia non potest talis Sacerdos ministrare Sacramentum alicui non subdito sine peccato, nisi sit re ipsa à censura priùs absolutus. Neque hîc est eadem ratio de hujusmodi Sacerdote & de Parocho proprio; quia quòd Parochus absque peccato possit administrare, quando superiorem adire nequit, inde fit, quia jure suo tenetur servire subdito. Unde ne duabus obligationibus, quibus simul satisfacere non possit, restringatur; ideo quando subditus jure suo petit Sacramentum, cessat pro illo tempore obligatio, quâ prohibitus est Sacramentum ministrare non absolutus à censura. Alter verò ex justitia non tenetur, & potest se excusare; & proinde si ministret, peccabit. Hæc ille.

Sed nullum alium citat Auctorem, fortè quia nullus alius est, qui ante ipsum illam sententiam docuerit. Profectò Extravagans jam sæpè allegata, nullâ factâ mentione vel distinctione inter Parochum & non Parochum, generaliter concedit cuilibet fideli potestatem communicandi cum quolibet excommunicato tolerato, etiam in sacris: ubi autem leges aut jura non distingunt, nec nos distinguere debemus. Et hæc quidem assertio, si materia sit favorabilis, certissima est (inquit Caramuel in Theol. sua fundamentali num. 1302. fol. 376.) at in odiosa etiam solemus distinguere, ubi jura non distinguunt: qui enim illa sanxerunt fuerunt homines, & potuerunt aliquid obscuriùs dixisse, aut etiam aliquid oblivioni mandasse. *Caramuel.*

Sed numquid & homines fuerunt, qui favorabilia sanxerunt? An fortè non potuerunt in materia favorabili aliquid obscurius dixisse, aut aliquid oblivioni mandasse? Num quia odia convenit restringi, ideo sine ratione in materia odiosa possumus distinguere; & quia favores convenit ampliari, ideo in materia favorabili non debemus distinguere, quando suppetit evidens ratio distinguendi? Non puto. In neutra ergo materia licet distinguere, vel in utraque licet; sed non absque evidenti ratione, quam in præsenti materia non facilè reperio.

Quod enim ait Wiggers: Parochus jure suo tenetur servire subdito, quis dubitet? Verumtamen antecedenter ad excommunicationem, per quam jure antiquo aufertur ab excommunicato (ut supra dixi) potestas administrandi Sacramenta; imò omnis jurisdictio spiritualis. 94

Quo igitur jure vel Parochus excommunicatus ante absolutionem tenetur ministrare Sacramenta, vel subditus potest petere eorum administrationem? Certè non nisi jure novo Extravagantis: *Ad evitanda*; quæ, non obstante jure antiquo, subditis tribuit jus communicandi cum omnibus excommunicatis: non quia antecedenter ex justitia obligantur ad talem communicationem, cùm plurimi sint, qui talem obligationem non habeant; sed ad evitanda pericula animarum, quæ sanè non evitarentur, si solùm esset licitum communicare cum Parochis excommunicatis, & non etiam cum privilegiatis; quandoquidem de facto, experientia teste, homines sæpiùs soleant in ministerio Sacramentorum communicare privilegiatis, quàm proprijs Pastoribus.

Nec

95. Nec obstat, quòd privilegiatus possit se excusare; nam etiam Parochus jure antiquo posset & deberet se excusare; post decretum autem Martini V. Pastor non potest, & privilegiatus non tenetur se excusare. Vel ergo uterque vi novæ illius constitutionis licitè ministrat Sacramentum, cùm fuerit requisitus, & ego licitè utrumque requiro; vel neuter licitè administrat, tametsi fuerit requisitus, & per consequens ego illicitè ipsos requiro; quippe, ut supra adhuc insinuavi, & iterùm dico:

Martinus V.

Nunquam licet petere Sacramentum ab eo, qui non potest licitè ministrare. Licet suscipere ad evadendam mortem.

Ab eo qui non potest licitè ministrare, nunquam licet petere Sacramentum; bene suscipere ad mortem evadendam, secluso tamen formali contemptu legis, abnegatione fidei & scandalo proximi. Ita communiter Doctores.

96. Quòd nunquam liceat petere, patet: quia talis petitio foret directa cooperatio ad illicitam ministrationem (ut dixi conclusione 4.) quòd autem liceat suscipere ad evadendam mortem, probatur: quia suscipiens Sacramentum in illis circumstantijs solùm censetur se habere permissivè ad actionem illam illicitam, cùm nullo modo sit ejus causa suadendo, rogando &c. non apparet autem, quòd cum tanto suo incommodo teneatur illam malitiam impedire. Nonne licitè & meritoriè suscipitur Martyrium, quo tamen non potest Martyr licitè à Tyranno affici?

97. Additur: *Secluso tamen formali contemptu legis* &c. quia præceptum naturale negativum obligat cum periculo vitæ.

Secluso formali contemptu legis.

De contemptu legis patet: quia qui contemnit legem, contemnit Legislatorem, Deum utique, qui *unus est Legislator & Iudex supremus & independens, qui potest perdere & liberare*, Jacob. 4. vers. 12. Contemptus autem secundùm multos Auctores, nihil aliud est, quàm æstimatio minùs justo; sive positiva displicentia proveniens ex aversione animi à Deo, quæ in causa est, quòd homo concipiat illam minorem æstimationem tamquam malum aliquod Dei, & suum bonum. Adeoque est species injustitiæ procedens ex odio, quod semper est gravissimum peccatum.

Jacob. 4.

Abnegatione fidei.

Quid dicam de abnegatione fidei? Ipsa veritas Christus Matth. 10. v. 33. exclamat dicens: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Si ergo ad evitandam mortem non licet fornicari aut adulterari, minùs licitum erit contemnere aut fidem negare.

Matth. 10.

98. Nec obstat, quòd suscipiens Sacramentum in animo suo non contemnat aut fidem neget; quia saltem contemnit & negat coram hominibus, quod sufficit, ut patet ex Scriptura citata. Meritò itaque infidelitas vel solùm externa semper à tota Ecclesia fuit reprobata. *Corde enim creditur ad iustitiam* (inquit Apostolus Rom. 10. v. 10.) *ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10.

Dubitas, quis censendus sit infidelis externus? Respondeo: omnis ille qui vult exteriùs videri fidem negasse hoc autem vult omnis ille, qui obsequitur voluntati alterius imperantis hoc vel illud in negationem veræ fidei, aut protestationem falsæ; eo quippe fine id præcipit, ut tu jussa complens, exteriùs appareas negare veram fidē.

Quantùm ad scandalum; sufficiat quod ait Apostolus 1. Cor. 8. in fine: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Hæc ille dixit & fecit; nos eadem dicamus & faciamus, ne aliena peccata nobis imputentur.

Et scandalo proximi. 1. Corinth. 8.

Et hactenus quidem de Sacramentis in genere. Antequam autem progrediamur ad Sacramenta in particulari, operæ pretium duximus paucissimis verbis (nam res certa est & definita) explicare eorum numerum. Itaque suppono cum Ecclesia Catholica ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & Concilio Tridentino sess. 7. can. 1.

CONCLUSIO VII.

Sacramenta novæ Legis nec plura, nec pauciora sunt quàm septem; videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

De hoc septenario numero nunquàm inter Catholicos fuit dissensio, nec hæretici Luthero & Calvino antiquiores illi contradixerunt: nullum etiam Concilium aut Pontifex primò eum introduxit, nec ullus historicus unquàm retulit primum istius 99.

 doctrinæ

doctrinæ Auctorem, vel tempus quo cæpit doceri; quemadmodùm de singulis hæresibus origo earum refertur ab Auctoribus res sui temporis conscribentibus. Provenit ergo ex traditione Christi & Apostolorum, juxta regulam D. August. lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ* & divinâ, ubi opus fuerit, *traditum rectissimè creditur.*

S. August.

Congruentia numeri septenarij ex Florentino.

Porro congruentiam hujus septenarij numeri (nam ratio à priori est voluntas Christi, ut patet ex sect. 2.) accipio ex Florentino supra; cùm enim Sacramenta ordinentur ad hominem perficiendum vel in se ipso, vel in ordine ad communitatem: hinc *quinque prima* (inquit Concilium) *ad spiritualem uniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemq́, ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur. Per Confirmationem augemur in gratia & roboramur* in fide. *Renati autem & roborati, nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam Vnctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur.*

100. Et ex Scoto.

Non absimiliter Scotus 4. dist. 2. quæst. 1. num. 3. ibi: *Secundum, scilicet perfectio maxima Sacramentorum quantum ad extensionem, declaratur; quia sicut in vita naturali primum est generatio, deinde sequitur nutritio & corroboratio, & sanitatis perditæ reparatio; & hæc quatuor pertinent ad quamlibet personam singularem: præter hoc autem requiritur aliquod pertinens ad communitatem, quo aliquis constituatur in gradu necessario ad aliquem actum necessarium communitati. Ita spiritualiter ad completam perfectionem extensive, oportet esse adiutorium aliquod pertinens ad generationem spiritualem, & secundo aliquid pertinens ad nutritionem: tertiò pertinens ad roborationem: quartò ad reparationem post lapsum. Præter hæc autem quintò requiritur aliquid esse, quo exiens finaliter præparetur; quia vita ista spiritualis quædam via est ordinans, ut bene vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua præparatur. Hæc ergo quinque requiruntur tanquam adiutoria necessaria personæ cuicumque pro se.*

Ad bonum autem communitatis observantis istam legem, requiritur & multiplicatio carnalis; quia ista præsupponitur bono spirituali, sicut naturæ gratia: & multiplicatio spiritualis aliquorum in ista lege. Sic ergo congruum fuit septem adiutoria conferri observantibus legis Euangelicæ, in quibus esset perfectio non tantum intensiva, sed etiam extensiva, & sufficiens ad omnia necessaria pro Observantia huius legis. Hæc autem sunt.... Baptismus pertinens ad generationem spiritualem: Eucharistia necessaria ad nutritionem: Confirmatio ad roborationem: Pœnitentia ad lapsi reparationem: Extrema Vnctio ad finalem præparationem: Matrimonium ad multiplicationem in esse naturæ, vel carnali: & Ordo ad multiplicationem in esse gratiæ vel spirituali. Quid clarius?

Nec obstat, quòd Scriptura & PP. nullibi dicant esse septem Sacramenta; nam nullibi etiam hoc negant: adeoque id non concludit ab auctoritate negativa. Quemadmodùm non sequitur, non esse quatuor Euangelia, quia Scriptura nuspiam hoc dicit. Quippe non fuit Scripturæ aut Patrum propositum, Sacramenta omnia uno loco simul enumerare, quamquàm singula sparsim satìs tradant, ut agendo de singulis in particulari ostendemus. 101.

Non obstat quòd Scriptura & PP. nullibi dicant esse septem Sacramenta.

Certè si nullus ad hæc usque tempora numerasset aut expressisset in scriptis numerum Epistolarum Pauli; nonne equidem esset de fide, quòd sint 14.? Sufficit siquidem, quòd constet de singulis, quæ simul sumptæ faciunt talem numerum.

Sic ergo sufficit, quòd ex Scriptura & Patribus constet de singulis Sacramentis. Et licèt fortè non omnia & singula Sacramenta æquè clarè ac evidenter ex Scriptura possent probari; sive *Etiamsi sacræ Scripturæ auctoritas* (verba sunt D. Hier. contra Luciferianos, ante medium) *in aliquibus non subesset, totius orbis in hanc fidem consensus instar præcepti obtineret.* Quem consensum tantì fecit D. Aug. ut lib. contra Epistolam fundament. c. 5. dicere non dubitaverit: *Ego verò Euangelio non crederem, nisi Catholicæ Ecclesiæ me commoveret auctoritas.* Illam igitur auctoritatem semper præ oculis habentes, illique omnia tam scripta, quàm in decursu operis scribenda humiliter libenterque, omni quâ par est reverentiâ, submittentes, Deo dante accedimus ad Sacramenta in particulari. 102.

S. Hieron.

S. August.

Porro nihil convenientiùs fieri potest, quàm ut ab illo Sacramento auspicemur, quod vitæ spiritualis janua est, Baptismum intelligo, per quem membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ, atque capaces constituimur aliorum Sacramentorum. Proinde jure meritissimo primum locum obtinet, non ordine dignitatis, sed originis. De hoc igitur Sacramento, placuit secundam disputationem hujus operis instituere.

DISPU-



DISPUTATIO II.

DE

SACRAMENTO BAPTISMI.

Aptisma græcè, latinè idem est quod immersio seu ablutio. Marci 7. v. 4. *Et à foro nisi baptizentur*, id est abluantur, *non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis* (Judæis) *servare baptismata*, id est ablutiones, *calicum & urceorum & æramentorum & lectorum.* Metaphoricè accipitur pro corporis afflictione, præsertim graviori. Marci 10. v. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Et rursum v. 39. *Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.* 1.

Baptisma idem est latine quod ablutio. *Mar. 7.*

Mar. 10. Metaphoricè quod corporis præsertim gravis afflictio, & est Baptismus sanguinis.

Quæris, quis sit ille Baptismus? Respondeo: mors inflicta, & voluntariè suscepta pro vera fide. Unde ait Christus Lucæ 12. vers. 50. *Baptismo habeo baptizari; & quomodò coarctor usque dum perficiatur?* Atque hic est Baptismus Sanguinis, quem vocant Theologi, quoniam abluit animam ab omni culpa & pœna, conferens quasi ex opere operato gratiam justificationis. De quo plura in fine hujus disputationis.

Luc. 12.

Porro apud Scriptores sacros hæc vox *Baptismus* appropriatur ablutioni factæ in aqua cum certa forma verborum à Christo præscripta; quæ ab Apostolo dicitur Lavacrum aquæ in verbo vitæ; ad Ephes. 5. vers. 26. *Vt illam* (Ecclesiam) *sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hinc D. August. Tract. 15. in Joan. super illa verba: *Mundans eam*, interrogat: *Vnde?* Respondet: *Lavacro aquæ in verbo. Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus: tolle verbum, & non est Baptismus.* Ipse est Baptismus fluminis, quem Christus præcepit Apostolis suis Matth. ult. v. 19. dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* 2.

Appropriatè sacramentalis ablutio, & est Baptismus fluminis. *Ephes. 5.*

S. August.

Matth. ult.

 Qui

Varia ob varios effectus Baptismi nomina. Bellarm. Suarez. Qui etiam propter varios effectus, sive utilitates, varia sortitur nomina, quæ vide apud Bellarminum lib. 1. de Baptismo cap. 1. Suarium quæst. 66. art. 1. & alios; longior enim sim, si velim omnia referre & singulorum rationes subtexere. De hoc Baptismo propriè instituitur præsens disputatio; cujus erit

SECTIO PRIMA.

De Institutione & Materia Baptismi.

3 Prima ex Doctore Subtili Baptismi definitio. INstitutioni præmittit Doctor Subtilis 4. d. 3. qu. 1. duplicem Baptismi definitionem. Primam exprimit his verbis num. 3. *Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis, facta ab alio in aqua simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina ablutionem animæ à peccato.* Ubi sola ablutio ponitur in recto, juxta opinionem (quam ibidem judicat probabilem) quòd relatio Baptismi tota & totaliter fundetur in sola ablutione; *sola inquam, id est, nihil aliud fundet, neque ut totum fundamentum, neque ut pars fundamenti* (sunt verba Scoti n. 2.) *sed non sola, id est, ipsa sine quibuscumque alijs: imò oportet eam habere multa alia concomitantia, ad hoc ut fundet, scilicet & quòd sit à tali ministro, sic intendente* &c. (In qua sola ablutio ponitur in recto.)

Rationem autem hujus opinionis assignat n. 3. *Quia ablutio exterior satis potest poni significare ablutionem interiorem*, animæ scilicet à peccatis; neque enim ex verbis majorem accipit vim significandi, cùm & illa æquè sint indifferentia ad designandam ablutionem corporis vel animæ. (Quia sola ablutio exterior videtur sufficienter significare ablutionem interiorem.) Quia tamen contrariam sententiam existimat veriorem, nempe quòd verba sint pars fundamenti: *Quia* (inquit) *verba non videntur esse simpliciter necessaria, nisi essent signum vel pars signi*; hinc assignat secundam definitionem, inquiens: *Quòd si teneatur alia via, scilicet quòd verba sint pars fundamenti, tunc posset poni alia ratio Baptismi: Quòd Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis.* (Sed quoniam veriùs consignificant verba, ideo assignat alteram definitionem.)

Parva vis est (ut notat scholium præfixum num. 2.) utra teneatur: *Nec enim* (inquit Doctor n. 4.) *est differentia inter istas rationes, quin eadem secundum utramque sint necessaria ad Baptismum: sed una ponit in definitione eius solam ablutionem in recto, alia ponit & ablutionem & verba ex æquo ad eius rationem pertinere, quæ differentia consurgit ex diverso opinandi modo de fundamento huius relationis, an sit sola ablutio circumstantionata; an simul ablutio & verba.*

Cæterùm posterior definitio videtur propriè essentialis; datur quippe per genus & differentiam metaphysicam; utì & illa Catechismi Rom. tit. de Baptismo §. *Quod autem: Sacramentum regenerationis*, sive regenerativum, *per aquam in verbo*, hoc est, per ablutionem aquæ, & invocationem SS. Trinitatis. Et hinc quamvis per Pœnitentiæ Sacramentum possit dici homo aliquo modo regenerari, maximè quando à fide Christi excidisset, juxta illud Galat. 4. v. 19 *Filioli mei, quos iterùm parturio*; non tamen est regeneratio per aquam. 4 (Quæ est essentialis. Catechis. Rom. Galat. 4.)

Definitio Apostoli ad Ephes. 5. v. 26. & ex illo D. August. supra: *Lavacrum aquæ in verbo vitæ* (cui conformis est illa Mag. 4. dist. 3. *Ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta*) potiùs est aliqua descriptio per partes quasi physicas; scilicet lavacrum aquæ, sive ablutionem aquæ, quæ est materia proxima; & verbum vitæ, id est, invocationem SS. Trinitatis, quæ est forma. Eodem modo ac si quis definiret hominem: Corpus informatum anima rationali; vel magis propriè, exprimendo utramque partem essentialem in recto: Homo est corpus, & anima rationalis unita. Hæc est ergo physica definitio Baptismi: Lavacrum sive ablutio aquæ, & verbum vitæ sive certa verborum forma. (Assignata ab Apostolo est tantùm descriptio per partes quasi physicas. Magister. Physica definitio Baptismi.)

5. Objectio & responsio. Et si objicias: Baptismus & ablutio sunt synonima; Respondeo, verum esse secundùm primævam institutionem verbi *Baptismus*, non autem prout de facto à Scriptoribus Ecclesiasticis usurpatur, ut supra vidimus.

Post hanc declarationem quid nominis

nis & rei in Baptismo, pro ejus institutione sit

CONCLUSIO I.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus, plenè à Christo institutus paulò postquam à Joanne fuit baptizatus.

6. Baptismus est verum Sacramentum, Ut definitur in Concilio Florentino, Tridem.

BApt smum esse verum novæ Legis Sacramentum, nequidem hæretici audent negare; omnes siquidem qui aliqua Sacramenta agnoscunt, semper primo loco ponunt Baptismum. Definitur autem à Concil. Florentino in decreto Unionis ibi: *Novæ Legis septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus* &c. Et à Concil. Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum &c.*

Et probatur ex natura Sacramenti ut sic.

Rationem do: quia est cæremonia sensibilis seu externa (quam nemo sanæ mentis potest negare) causans gratiam sanctificantem sive remissionem peccatorum ex opere operato; ut patet ex Scriptura Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Mar. ult v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ad Titum 3. v. 5. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Ad Ephes. 5. v. 26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Actor. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Joan. 3. Mar. ult. Ad Titum 3. Ephes. 5. Actor. 2.

7. Et confirmatur usu Ecclesiæ & Patrum auctoritate.

Confirmatur perpetuo usu Ecclesiæ & infinita propemodùm Patrum auctoritate, quorum aliqui plures hac de re libros scripserunt, ut D. Basilius & August. adeò ut hæc veritas potiùs ab Auctoribus supponatur, quàm de ea disputetur. Unde Scotus 4 dist. 3. q. 4. n. 2. *Quæstio* (inquit) *supponit Baptismum institutum fuisse in lege nova, quod verum est & rationabile. Verùm, sicut patet ex multis auctoritatibus novi Testamenti & Christi & Apostolorum, in quibus probatur necessitas Baptismi; quod non esset, nisi esset institutus in lege illa legitimè.* Et infra num. 3. *Istud etiam suppositum est rationabile; quia Sacramentum principale legis Euangelicæ, per quod scilicet intratur in eius observantiam, debuit esse novum & proprium illi legi ..... debuit*

Scotus. Quibus consentit Scotus.

etiam istud Sacramentum esse evidens in significatione, quia ista est lex veritatis evacuans umbram. Et debuit esse copiosum in gratiæ collatione, quia hæc est lex gratiæ. Ioan. 1. Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. *Debuit etiam esse facile, quia* Jugum Christi suave est & onus eius leve, *Matth.* 11. *Item debuit esse commune, quia Deus ad legem Moysi elegit unum populum tantùm, sed ad novam Legem totum mundum:* In omnem terram exivit &c. *Hæc quatuor inveniuntur in uno, scilicet in ablutione cum verbis; quia hoc evidenter significat mundationem animæ, quæ est effectus principalis, & dat gratiam copiosè. Vnde in Psalm. dicitur aqua refectionis.* Super aquam refectionis educavit me. *Est & facilis; quia nullo modo periculosa, sicut fuit Circumcisio: & communis omni sexui & ætati.*

Illudque probat per varias rationes & congruentias; Joan. 1. v. 17. Matth. 11. v. 30. Psal. 18. v. 5. Psal. 22. v. 2.

8. Et vocatur ab ipso primum novæ Legis Sacramentum;

Ubi nota, cùm Doctor dicit Baptismum esse Sacramentum principale sive primum legis Euangelicæ, non intelligere primum dignitate (constat quippe ex disputatione præced. Sect. 4. Conclus. 3. alia Sacramenta, puta Confirmationem & Ordinem, & probabiliter Eucharistiam, esse digniora) sed primum origine, id est, institutione ac susceptione; de qua etiam primitate intelligitur conclusio, quæ desumpta est ex Florentino supra, ibi: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus,* Et ostendens de qua primitate loquatur, addit: *Quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Et Doctor: *Per quod scilicet intratur in eius (Ecclesiæ) observantiam.*

Intellige institutione & suscipiendi obligatione:

Quomodo loquitur etiam Florentinum: Et Rituale Romanum,

Eodem modo loquitur Rit. Rom. titulo de Sacramento Baptismi in principio: *Sacrum (inquit) Baptisma Christianæ Religionis, & æternæ vitæ ianuam, quod inter alia novæ legis Sacramenta à Christo instituta primum tenet locum &c.*

9. Ratio: quia est invalida aut illicita Sacramentorum administratio non baptizatis.

Enimverò omnia Sacramenta, præter Eucharistiam, invalidè administrantur non baptizatis; hæc verò illicitè, nisi fortè in extrema necessitate, quando Baptismus est impossibilis. De Confirmatione habetur sess. 7. Concilij Trident. Can. 1. de hoc Sacramento: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum &c.* De Pœnitentia colligitur ex eodem Concilio sess. 14. ubi pluribus locis supponit Sacramentum hoc solùm esse institutum pro lapsis post Baptismum cap. 1. ibi: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos &c.*

Ostenditur invaliditas Confirmationis & Pœnitentiæ ex Trident.

Invaliditas Extremæ Unctionis probatur ex eadem sess. in proœmio de Sacramento Extremæ Unctionis, ibi: *Quod* (Sacramen-

cramentum) *non modò Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus.* Ergo supponit vitam Christianam. Item cap. 1. ibi: *Per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Ergo pro illis solis institutum. Præterea cap. 3. ibi: *Et denique qui hanc extremam Vnctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.*

Item Extremæ Unctionis.

Porro quod attinet Sacram Ordinationem, cùm per illam homo constituatur in altiori gradu in Ecclesia Dei, quàm sint cæteri Christiani, necessarium est ut priùs sit sicut cæteri; quippe nullus constituitur Præfectus vel Dux exercitûs, quin hoc ipso intelligatur miles vel subditus. Sic ergo neque Ecclesia aliquem constituit Præfectum, nisi sit ipsi subditus, saltem per characterem Baptismi. Denique constat Matrimonium infidelium non esse verum Sacramentum, cùm possit dissolvi altero ad fidem converso; ut latiùs infra in proprijs disputationibus.

Item Sacræ Ordinationis, per quã quis constituitur in altiori gradu in Ecclesia.

Item Matrimonij.

Igitur manifestum est, accedente communi consensu & traditione universalis Ecclesiæ, reliqua omnia Sacramenta in sui subjecto præsupponere Sacramentum Baptismatis; quoniam Sacramenta solùm instituta sunt in Ecclesia militante; per consequens pro ijs dumtaxat, qui vel per illa Ecclesiam ingrediuntur, vel certè jam in ea existunt.

Quæ omnia sunt clariora ex cõmuni sensu Ecclesiæ.

16. Sed cùm hæc satis constent, controversia est tamen inter Doctores Catholicos de tempore institutionis hujus Sacramenti. D. Leone, Chrysostomo, Ruperto, & alijs nonnullis Patribus opinantibus (saltem secundùm externam apparentiam) institutum tantummodò post passionem; ob quorum auctoritatem ista opinio non est aliquâ notâ digna: quamquàm Maldonatus in cap. 3. Joannis eam notet erroris. Mag. D. Thom. & alij putant probabilem.

De tempore institutionis Baptismi controvertunt DD. Catholici.

Conclusio sicut communior, ita apparet verior, quam tradidit Doctor Subtilis 4. d. 3. q. 4. n. 2. ibi: *Quando tamen primò fuit institutus* (Baptismus) *dubium est. Non quidem quando Christus baptizabatur à Ioanne; quia ille non fuit Baptismus Christi, id est, in forma Christi, sed in forma Ioannis: tamen Christus dedicavit tunc aquam tamquàm materiam idoneam suo Baptismo ex contactu suæ mundissimæ carnis; quia in legislatore confirmatus est usus aquæ, id est ut ministerium. Nec etiam in illo verbo Ioan. 3. dicto Nicodemo:* Nisi quis &c. *quia non est verisimile tam necessarium Sacramentum in conclavi coram persona privata institui, quæ non debuit esse præco institutionis illius. Neque etiam differebatur institutio usque ad tempus Ascensionis Matth. ultimo; nam discipuli Christi ante passionem baptizabant Baptismo Christi. Ioan. 3. dicunt discipuli Ioannis ad ipsum:* Rabbi, cui testimonium perhibuisti, ecce ipse baptizat, & omnes veniunt ad eum. *Et sequitur cap. sequenti:* Quamquàm Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. *Convincitur ergo tempus institutionis fuisse ante illud tempus, quo discipuli Christi baptizabant, licet præcisè hora institutionis non legatur in Euangelio.* Ita Scotus.

Veriùs ex Scoto quod non tunc quando Christus à Joanne baptizabatur.

Neque cùm dictum fuit Nicodemo: *Nisi quis* &c.

Neque dilata fuit institutio usque ad Ascensionem; Joan. 3. v. 26.

Joan. 4. v. 2.

Cùm ergo paulò post Baptismum Christi ejus discipuli baptizaverint, videlicet ante captivitatem Joannis, ut patet ex Scripturis statim citatis: Joannes autem paulò postquàm Christus fuit baptizatus, missus fuerit in carcerem, prout colligitur ex Mar. 6. & Luc. 3. sequitur ex mente Doctoris tunc fuisse Baptismum institutum.

Sed facta post Christi Baptismum ante Joannis captivitatem.

Hanc sententiam docet D. Aug. (quem sequuntur Mag. D. Thom. & alij plerique Scholastici) Tract. 5. in Joan. circa finem: *Non Iudam Ioanni, sed Baptismum Christi etiam per Iudæ manus datum, Baptismo Ioannis, etiam per manus Ioannis dato rectè præposuimus. Etenim dictum est de Domino antequàm pateretur, quia baptizabat plures quàm Ioannes* (etiam Joanne adhuc vivente) *deinde subiunctum est: quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli eius: ipse, & non ipse. Ipse potestate, illi ministerio.* 11.

Hoc docuit D. August. Tract. 5. in Joan.

Ergo pro tunc erat institutus Baptismus Christi juxta mentem Doctoris sancti, qui tract. 13. in Joan. ad ista verba: *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat;* sic inquit: *Baptizatus baptizat, non eo Baptismo baptizat, quo baptizatus est. Dat Baptismum Dominus baptizatus à servo, ostendens humilitatis viam, & perducens ad Baptismum Domini: hoc est, Baptismum suum, præbendo humilitatis exemplum, quia ipse non respuit Baptismum servi.* Idem docet Tract. 15. in principio. Igitur discipuli Christi baptizabant Baptismo Christi, & non Baptismo Joannis secundùm D. August.

Et tractat. 13.

Confirmatur Primò: quia Joannes paulò ante turbis prophetaverat de Baptismo Christi fortiori, velut de re instanti, Lucæ 3. v. 16. *Ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Quarè quilibet videns Christum per suos baptizantem, indubitanter apprehendere debebat, illum esse Baptismum prænuntiatum à Joanne. Unde & multi permoti testimonio 12.

Quod confirmatur ex Joannis prophetia Luc. 3.

testimonio Joannis conferebant se ad Christum, tamquàm collaturum Baptismum perfectiorem.

Et sanè cùm nec ipsi discipuli Joannis baptizarent, sed solus Joannes; quomodò credibile est Christi discipulos usos fuisse Joannis Baptismo? præsertim cùm nullius esset utilitatis, sed militans solummodò Christo (ut loquitur D. August. lib. de unico Baptismo cap. 7.) *sicut legis vetera Sacramenta præcursorio quodam ac præfiguratorio fungebantur officio*; adeoque non usurpandus ab ipsomet Christo, tamquàm minùs congruens ejus dignitati. Cæteroquin quomodò rectè Christus dicitur baptizasse per discipulos suos, & non potiùs Joannes? Et quam vel apparentem causam querelæ habuissent discipuli Joannis, quandoquidem summè honorificum id fuisset eorum Magistro?

S. August.

13. II. ex Christi doctrina Joannis 3.

Confirmatur Secundò: quia Baptismus discipulorum Christi refertur mox post relatum discursum Christi cum Nicodemo Joan. 3. in quo dictum erat v. 5. *Nisi quis renatus fuerit* &c. finito namque colloquio, v. 22. subjungitur: *Post hæc venit Iesus, & discipuli ejus in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Utique Baptismo, quem antea prænuntiaverat, & de quo instruxerat Nicodemum. Nititur itaque conclusio nostra, quæ est D. August. Cyrilli, aliorumque sanctorum Patrum, violentâ præsumptione ex Scriptura desumptâ.

14. Probatur II. ex communione Eucharistica Apostolis ante passionem distributâ, Matth. 26. Tridens.

Probatur autem Secundò ex Communione Eucharistica, quam Christus distribuit Apostolis ante passionem in ultima cœna (Matth. 26. v. 26. *Accipite & comedite: hoc est corpus meum*) & Ordinatione ibidem factâ, quâ Apostolos constituit Sacerdotes, ut docet Trid. sess. 22 c. 1. ibi: *Quia tamen per mortem sacerdotium ejus* (Christi) *extinguendum non erat, in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium* &c. *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit* &c. Et can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes* &c. *anathema sit.* Porrò (ut ostendimus hâc conclusione) tam Eucharistia, quàm Ordinatio supponunt Baptismum, qui juxta legem ordinatam est janua ad reliqua Sacramenta, eorumque effectus percipiendos. Neque constat de dispensatione. Ergo saltem ante passionem Baptismus Christi erat institutus.

Et ex ordinatione in ultima cœnâ factâ.

Quia utrumque Sacramentum supponit Baptismum.

Profectò Apostolos fuisse baptizatos Baptismo Christi, docet D. August. Epistolâ 108. circa medium: *Scriptum* (inquit) *est, quando baptizatus est Apostolus Paulus; & scriptum non est, quando baptizati sunt alii Apostoli: verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus. Quemadmodum scriptum est, quando baptizatæ sunt plebes Ecclesiarum in Hierusalem & Samaria; quando autem baptizatæ sunt aliæ plebes gentium, quibus Apostoli Epistolas miserunt, non est utique scriptum: & tamen etiam ipsas baptizatas utique minime dubitamus, propter illam Domini sententiam: Nisi quis renatus fuerit* &c. 15.

15. Apostoli fuerunt baptizati Baptismo Christi, S. August.

Quòd autem fuerint baptizati ante passionem, paucis interjectis significat his verbis: *Tunc ergo quando ab Hierosolymis exiit cum discipulis suis in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat non per se ipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos sive Baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur; sive, quod magis credibile est, Baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lavit pedes, & petenti Petro, ut non tantùm pedes, verùm etiam manus & caput ei lavaret, respondit:* Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: *Vbi intelligitur, quòd jam Petrus baptizatus fuerat.*

Etiam ante passionem, ut significat Augustinus.

Quis ergo dubitet, jam tunc Baptismum fuisse institutum; idque non solùm quoad designationem materiæ, sed etiam quoad traditionem formæ, atque propriam & intrinsecam ejus significationem & efficaciam? Quippe sola designatio materiæ non est institutio Sacramenti, cùm sola materia non sit Sacramentum; neque per illam solam sine forma potuerunt Apostoli baptizare. Nulla quoque erat ratio, quarè effectus differretur, scilicet intrinsecus & proprius, hoc est, collatio gratiæ sanctificantis, & impressio characteris. 16.

Adeoque fuit institutus etiam quoad traditionem formæ.

Equidem post passionem habuit aliquem effectum extrinsecum, quem ante Christi sanguinem effusum non habebat, non defectu significationis aut efficaciæ sacramentalis, sed quia nondùm plenè erat persolutum pretium nostræ redemptionis, ut disertis verbis docet Innocentius III. c. Maiores 3. de Baptismo: *Etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium,* & Sacramentum Baptismi ante mortem Christi, *& damnationis periculum vitabatur; non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum; sed per Sacramentum Baptismi Christi Sanguine rubricati culpa remittitur,*

Habuit tamen post passionem aliquem effectum, quem non ante.

Innoc. III.

Scilicet reserationem januæ cælestis. *vitatur periculum, & ad regnum cælorum pervenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit.*

17. Unde bene dicitur Baptismus post resurrectionem solùm completè institutus. Quâ ratione dicere possumus, Baptismum quoad suam institutionem & efficaciam fuisse completum post Resurrectionem; sicut etiam ex parte rei significatæ: siquidem significat Passionem & Resurrectionem Christi, teste Apostolo ad Roman. 6. vers. 3. 4. & 5. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus.* Rom. 6. Propter significationem Passionis & Resurrectionis Christi.

Perficiebatur quoque Baptismus post Resurrectionem quoad usum & dispensationem, quando Christus Apostolos suos misit in universum mundum, ut docerent omnes gentes *baptizantes eos* &c. Matth. ultimo tribuens ipsis potestatem etiam gentiles baptizandi; & consequenter omnibus imponens præceptum Baptismum suscipiendi, Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit* &c. Etenim licèt ante mortem Christi Baptismus esset institutus & utilis, tamen nondùm necessarius, ut infra videbimus. Ejusdque frequentiorem usum & dispensationem, Et suscipiendi obligationem.

18. Et de hac forma, sive præcepto & ordine baptizandi omnes gentes, intelligi posset quod ait Leo Papa Epistola 4. cap. 3. *Dominus Iesus postquàm resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens:* Euntes ergo *nunc* docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. *De quo utique eos ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cæpisse* &c. Leo Papa.

In quibus equidem verbis, etiam in Adversariorum sensu intellectis, Pontifex nihil definit; sed tantùm doctrinaliter agit, volens Episcopis Siciliæ persuadere, ne Baptismum conferrent in die Epiphaniæ; sed illum differrent usque ad Resurrectionem, & Pentecosten: etsi alioquin Epistola sit decretalis, seu contineat simul aliqua decreta.

19. Nec refert, quòd oppositum docuisset D. Leo alijque PP. Et esto contrarium nostræ conclusionis senserit D. Leo, & alij nonnulli Patres, nobiscum docent D. August. & plures alij. Ratio quoque adstipulatur. Quis enim credat Christum in formatione suæ Ecclesiæ, congregatis jam discipulis in specialem cœtum, non adhibuisse Baptismum, januam & signum Christianismi? Distulit tamen eum extrinsecùs perficere, usque dum in Pentecoste, lege Euangelicâ promulgatâ, cunctis nationibus obligationem imposuit Ecclesiam suam intrandi per ejusdem susceptionem. Quod ergo dicitur in conclusione: *Plenè à Christo institutus*, intellige de perfectione sive plenitudine essentiali & intrinseca.

20. Satisfit Adversariorum argumentis. Ex his facilè est respondere ad ea, quæ Adversarij nobis opponunt. Primò: non leguntur discipuli ante mortem Christi baptizasse, nisi vivente Joanne Baptista; ergo Baptismate Joannis.

Respondeo Primò ex D. August. supra Epistola 108. *Non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur.* S. Aug.

Ad primum respondetur dupliciter: quia potuit fuisse factum & non scriptum. Respondeo Secundò negando consequentiam; potuit quippe Baptismus Christi circa principium suæ institutionis usurpatus, postea pro tempore fuisse intermissus, cùm nondum obligaret. Sic enim neque statim post Resurrectionem leguntur Apostoli baptizasse; sed solùm post promulgationem legis novæ facta in die Pentecostes; quia pro tunc solùm Baptismus incipiebat obligare: quando & ipsi Apostoli antea abluti Baptismo fluminis, rursum baptizati sunt (juxta illud Actor. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*) Baptismo flaminis. *Spiritus namque sanctus* (utor verbis D.Gregor. Homil. 30. in Euang.) *repentino sonitu super discipulos venit, mentesq; carnalium in sui amorem permutavit; & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia: quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt*; repleti utique omnium charismatum donis: *Vt enim is* (inquit Cyrillus catech. 17.) *qui aquâ mergitur & baptizatur, undique ab aquâ circumdatur; sic illi à Spiritu baptizati, sunt perfecti.* Et potuit usurpari, & post intermitti. Actor. 1. S. Greg. Cyrillus.

Sanè de hac perfectione & plenitudine atque copia gratiarum Spiritûs sancti intelligi debet quod dicitur Joannis 7. vers. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Alioquin indubitatum est, ante Christi passionem Mariam Magdalenam, Apostolos & alios invisibiliter accepisse Spiritum sanctum, id est, gratiam sanctificantem. Joan. 7.

21. Secunda objectio. Opponunt Secundò: Apostoli tunc ignorabant mysterium SS. Trinitatis, in quo tamen datur Baptismus Christi.

Respondetur primò. Respondeo Primò negando assumptum; sciverunt siquidem quantùm necesse erat ad proferendam formam, etsi fortè sensum formæ

formæ non intelligerent distinctè & perfectè.

Respondetur secundò. Respondeo Secundò, si probabile sit (de quo infra) Apostolos aliquando baptizasse, etiam post passionem, in solo nomine Jesu; id potiùs credi potest fuisse factum in principio.

Joan. 21. Cæterùm (teste Euangelista Joanne cap. ultimo sui Euangelij v. ultimo) *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus*, & docuit: *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Inter illa autem meritò numerari potest privata instructio Apostolorum circa mysterium SS. Trinitatis, & traditio formæ Baptismatis, quam post Resurrectionem suam Christus publicè proposuit Matth. ultimo, præcipiens generaliter Apostolis Baptismum conferre, & toti mundo eum suscipere.

Apostoli sciverunt ex privata Christi instructione mysterium SS. Trinitatis.

22. Opponunt Tertiò: Baptismus omnem suam vim habet ex passione Christi.

Respondetur ad tertium, quòd Baptismus habuerit vim ex Christi meritis prævisis; Ephes. 1.

Respondeo, etiam antiquos Patres omnem gratiam accepisse ex meritis & passione Christi; sed prævisis. *Deus* (inquit Apostolus ad Ephes. 1. v. 3.) *& Pater Domini nostri Iesu Christi benedixit nos omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem; ut essemus sancti, prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum placitum voluntatis suæ* &c.

Potest etenim præmium antecedere meritum tempore. Et si à me quæratur, quomodò præmium, scilicet collatio gratiæ, in antiquis Patribus præcesserit meritum Christi, quo illis meruit illius gratiæ collationem? Respondeo cum Doctore Subtili 3. d. 19. q. 1. n. 10. Scotus. *Quòd meritum Christi prævidebatur ab æterno, & ut sic prævisum acceptum fuit, ut aliquid boni conferretur electis ratione illius antequam exhiberetur; ut scilicet eis, qui præcesserunt exhibitionem passionis eius, dimitteretur originale, & conferretur gratia.*

Quod ostenditur pulchro ex D. Anselm. exemplo. Probat exemplo ex D. Anselmo lib. 2. Cur Deus homo; cap. 16. *Esto* (inquit) *quòd multi offenderint unum regem, & pro offensa exulant, venit unus innocens de sanguine illorum, & promittit facere unum opus pro rege placitum ei certo die statuto, ut rex remittat eis offensam, & reconcilietur eis. Rex acceptando servitium promissum remittit offensam, & si aliquis eorum deliquerit, si satisfacere & pœnitere voluerit, promittit ei iterum offensam illam dimittere, protestando tamen quòd nullus eorum, qui fuerint inimici, intrabunt palatium suum, quousque servitium innocentis impleatur.* Applicatur meritis Christi. *Sic hic, passio Christi hominis innocentis ab æterno prævisa, ut exhibenda in certo tempore, fuit multùm accepta Trinitati, & pro ista omnibus credentibus illam exhibendam in tempore remisit offensam, quam contraxerant ex Adam, & quam postea commiserant, si pœnitere voluerint: non tamen acceptavit eam tantùm, ut aliquis ingrederetur palatium suum æternum, antequam passio exhiberetur in effectu. Isto modo remisit Patribus offensam in circumcisione, sicut nobis in Baptismo: sed nullus est ingressus in palatium ante Passionem exhibitam.*

Opponunt Quartò; ad Scripturas & conjecturas ex illis supra à nobis desumptas, Responderi potest: Primò, Christum dici baptizasse (esto Baptismo Joannis) per discipulos, tamquam famulos, sicut Dominus per famulum dicitur aliquid facere. 23. Quarta objectio.

Secundò, quòd discipuli Joannis conquererentur, causam fuisse, quia indignabantur aliquos alios, præsertim alterius congregationis, se immiscere in baptizando, quod Joannes solus hactenus fecerat.

Tertiò, quòd Judæi non apprehenderint hunc esse Baptismum, quem Joannes prædixerat, vel audiendo quòd uterentur ipsâ Joannis formâ, vel certè intelligendo ex ore discipulorum aut Christi, Baptismum à Joanne prædictum venturum fore postea; non enim omnia (ut mox diximus) sunt scripta.

Fateor: sic quodammodò eluduntur conjecturæ; interim ad summum ostenditur Scripturas citatas omninò non convincere, adeoque contrariam sententiam probabiliter posse sustineri, quod supra concessi. Solùm noto ultimam elusionem gratis prorsus confingi sine fundamento contra communem conceptum, quem ex plano contextu & serie rerum gestarum, prout in Euangelio referuntur, quilibet prudens non præoccupatus statim eliceret. Respondetur Scripturas citatas non omnino convincere.

Ex eodem textu & serie facilè quisque colligit, Sacramentum Baptismi non esse institutum antequàm Christus baptizaretur à Joanne, vel etiam dum baptizaretur: cùm enim esset janua novæ Legis, ante hujus prædicationem non conveniebat illud institui. Porro priusquàm Christus baptizaretur à Joanne, nondùm inceperat docere; ut patet ex Luc. 3. v. 21. *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum* &c. Sequitur v. 23. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Initium autem doctrinæ ejus narratur capite sequenti; postquam enim Euangelista exposuisset tentationem Christi in deserto à diabolo, & consummationem tentationis, & regressum Jesu in Galilæam, subdit v. 15. *Et ipse docebat in synagogis* 24.

Non conveniebat Baptismum institui ante novæ Legis prædicationem; Luc. 3.

Quæ prædicatio non fuit facta ante Baptismum datū Christo.

Scilicet reserationem januæ cælestis. *vitatur periculum, & ad regnum cælorum pervenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit.*

17. Unde bene dicitur Baptismus post resurrectionem solùm completè institutus. Quâ ratione dicere possumus, Baptismum quoad suam institutionem & efficaciam fuisse completum post Resurrectionem; sicut etiam ex parte rei significatæ: siquidem significat Passionem & Resurrectionem Christi, teste Apostolo ad Roman. 6. vers. 3. 4. & 5. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus.*

Rom. 6.

Propter significationem Passionis & Resurrectionis Christi.

Perficiebatur quoque Baptismus post Resurrectionem quoad usum & dispensationem, quando Christus Apostolos suos misit in universum mundum, ut docerent omnes gentes *baptizantes eos* &c. Matth. ultimo tribuens ipsis potestatem etiam gentiles baptizandi; & consequenter omnibus imponens præceptum Baptismum suscipiendi, Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit* &c. Etenim licèt ante mortem Christi Baptismus esset institutus & utilis, tamen nondùm necessarius, ut infra videbimus.

Ejusque frequentionem usum & dispensationem,

Et suscipiendi obligationem.

18. Et de hac forma, sive præcepto & ordine baptizandi omnes gentes, intelligi posset quod ait Leo Papa Epistola 4. cap. 3. *Dominus Iesus postquàm resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens:* Euntes ergo *nunc* docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. *De quo utique eos ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione capisse* &c.

Leo Papa.

In quibus equidem verbis, etiam in Adversariorum sensu intellectis, Pontifex nihil definit; sed tantùm doctrinaliter agit, volens Episcopis Siciliæ persuadere, ne Baptismum conferrent in die Epiphaniæ; sed illum differrent usque ad Resurrectionem, & Pentecosten: etsi alioquin Epistola sit decretalis, seu contineat simul aliqua decreta.

19. Nec refert, quòd oppositum docuisset D. Leo aliique PP. Et esto contrarium nostræ conclusionis senserit D. Leo, & alij nonnulli Patres, nobiscum docent D. August. & plures alij. Ratio quoque adstipulatur. Quis enim credat Christum in formatione suæ Ecclesiæ, congregatis jam discipulis in specialem cœtum, non adhibuisse Baptismum, januam & signum Christianismi? Distulit tamen eum extrinsecùs perficere, usque dum in Pentecoste, lege Euangelicâ promulgatâ, cunctis nationibus obligationem imposuit Ecclesiam suam intrandi per ejusdem susceptionem. Quod ergo dicitur in conclusione: *Plenè à Christo institutus*, intellige de perfectione sive plenitudine essentiali & intrinseca.

Ex his facilè est respondere ad ea, quæ Adversarij nobis opponunt. Primò: non leguntur discipuli ante mortem Christi baptizasse, nisi vivente Joanne Baptista; ergo Baptismate Joannis. 20. Satisfit Adversariorum argumentis.

Respondeo Primò ex D August. supra Epistola 108. *Non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur.* S. August.

Respondeo Secundò negando consequentiam; potuit quippe Baptismus Christi circa principium suæ institutionis usurpatus, postea pro tempore fuisse intermissus, cùm nondum obligaret. Sic enim neque statim post Resurrectionem leguntur Apostoli baptizasse; sed solùm post promulgationem legis novæ facta in die Pentecostes; quia pro tunc solùm Baptismus incipiebat obligare: quando & ipsi Apostoli antea abluti Baptismo fluminis, rursum baptizati sunt (juxta illud Actor. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*) Baptismo flaminis. *Spiritus namque sanctus* (utor verbis D. Gregor. Homil. 30. in Euang.) *repentino sonitu super discipulos venit, mentesq́; carnalium in sui amorem permutavit; & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia: quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt*; repleti utique omnium charismatum donis: *Vt enim is* (inquit Cyrillus catech. 17.) *qui aquâ mergitur & baptizatur, undique ab aquâ circumdatur; sic illi à Spiritu baptizati, sunt perfecti.*

Ad primum respondetur dupliciter: quia potuit fuisse factum & non scriptum;

Et potuit usurpari, & post intermitti. Actor. 1.

S. Greg.

Cyrillus.

Sanè de hac perfectione & plenitudine atque copia gratiarum Spiritûs sancti intelligi debet quod dicitur Joannis 7. vers. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Alioquin indubitatum est, ante Christi passionem Mariam Magdalenam, Apostolos & alios invisibiliter accepisse Spiritum sanctum, id est, gratiam sanctificantem. Joan. 7.

Opponunt Secundò: Apostoli tunc ignorabant mysterium SS. Trinitatis, in quo tamen datur Baptismus Christi. 21. Secunda objectio.

Respondeo Primò negando assumptum; sciverunt siquidem quantùm necesse erat ad proferendam formam, etsi fortè sensum formæ Respondetur primò.

formæ non intelligerent distinctè & perfectè.

Respondetur secundò. Respondeo Secundò, si probabile sit (de quo infra) Apostolos aliquando baptizasse, etiam post passionem, in solo nomine Jesu; id potiùs credi potest fuisse factum in principio.

Cæterùm (teste Euangelista Joanne cap. ultimo sui Euangelij v. ultimo) *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus*, & docuit: *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Inter illa autem meritò numerari potest privata instructio Apostolorum circa mysterium SS. Trinitatis, & traditio formæ Baptismatis, quam post Resurrectionem suam Christus publicè proposuit Matth. ultimo, præcipiens generaliter Apostolis Baptismum conferre, & toti mundo eum suscipere.

Joan. u't.

Apostoli sciverunt ex privatà Christi instructione mysterium SS. Trinitatis.

22. Opponunt Tertiò: Baptismus omnem suam vim habet ex passione Christi.

Respondetur ad tertium, quòd Baptismus habuerit vim ex Christi meritis prævisis; Ephes. 1.

Respondeo, etiam antiquos Patres omnem gratiam accepisse ex meritis & passione Christi; sed prævisis. *Deus* (inquit Apostolus ad Ephes. 1. v. 3.) *& Pater Domini nostri Iesu Christi benedixit nos omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum placitum voluntatis suæ* &c.

Potest etenim præmium antecedere meritum tempore.

Et si à me quæratur, quomodò præmium, scilicet collatio gratiæ, in antiquis Patribus præcesserit meritum Christi, quo illis meruit illius gratiæ collationem? Respondeo cum Doctore Subtili 3. d. 19. q. 1. n. 10. *Quòd meritum Christi prævidebatur ab æterno, & ut sic prævisum acceptum fuit, ut aliquid boni conferretur electis ratione illius antequam exhiberetur; ut scilicet eis, qui præcesserunt exhibitionem passionis eius, dimitteretur originale, & conferretur gratia.*

Scotus.

Quod ostenditur pulchro ex D. Anselm. exemplo.

Probat exemplo ex D. Anselmo lib. 2. Cur Deus homo; cap. 16. *Esto* (inquit) *quòd multi offenderint unum regem, & pro offensa exulant, venit unus innocens de sanguine illorum, & promittit facere unum opus pro rege placitum ei certo die statuto, ut rex remittat eis offensam, & reconcilietur eis. Rex acceptando servitium promissum remittit offensam, & si aliquis eorum deliquerit, si satisfacere & pœnitere voluerit, promittit ei iterum offensam illam dimittere, protestando tamen quòd nullus eorum, qui fuerunt inimici, intrabunt palatium suum, quousque servitium innocentis impleatur. Sic hic, passio Christi hominis innocentis ab æterno prævisa, ut exhibenda in certo tempore, fuit multùm accepta Trinitati, & pro ista omnibus credentibus illam exhibendam in tempore remisit offensam, quam contraxerant ex Adam, & quam postea commiserant, si pœnitere voluerint: non tamen acceptavit eam tantùm, ut aliquis ingrederetur palatium suum æternum, antequam passio exhiberetur in effectu. Isto modo remisit Patribus offensam in circumcisione, sicut nobis in Baptismo: sed nullus est ingressus in palatium ante Passionem exhibitam.*

Applicatur meritis Christi.

Opponunt Quartò; ad Scripturas & conjecturas ex illis supra à nobis desumptas, Responderi potest: Primò, Christum dici baptizasse (esto Baptismo Joannis) per discipulos, tamquam famulos, sicut Dominus per famulum dicitur aliquid facere. 23. Quarta objectio.

Secundò, quòd discipuli Joannis conquererentur, causam fuisse, quia indignabantur aliquos alios, præsertim alterius congregationis, se immiscere in baptizando, quod Joannes solus hactenus fecerat.

Tertiò, quòd Judæi non apprehenderint hunc esse Baptismum, quem Joannes prædixerat, vel audiendo quòd uterentur ipsâ Joannis formâ, vel certè intelligendo ex ore discipulorum aut Christi, Baptismum à Joanne prædictum venturum fore postea; non enim omnia (ut mox diximus) sunt scripta.

Respondetur Scripturas citatas non omnino convincere.

Fateor: sic quodammodò eluduntur conjecturæ; interim ad summum ostenditur Scripturas citatas omninò non convincere, adeoque contrariam sententiam probabiliter posse sustineri, quod supra concessi. Solùm noto ultimam elusionem gratis prorsus confingi sine fundamento contra communem conceptum, quem ex plano contextu & serie rerum gestarum, prout in Euangelio referuntur, quilibet prudens non præoccupatus statim eliceret.

24. Ex eodem textu & serie facilè quisque colligit, Sacramentum Baptismi non esse institutum antequàm Christus baptizaretur à Joanne, vel etiam dum baptizaretur: cùm enim esset janua novæ Legis, ante hujus prædicationem non conveniebat illud institui. Porro priusquàm Christus baptizaretur à Joanne, nondùm incœperat docere; ut patet ex Luc. 3. v. 21. *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum* &c. Sequitur v. 23. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Initium autem doctrinæ ejus narratur capite sequenti; postquam enim Euangelista exposuisset tentationem Christi in deserto à diabolo, & consummationem tentationis, & regressum Jesu in Galilæam, subdit v. 15. *Et ipse docebat in synagogis*

Non conveniebat Baptismum institui ante novæ Legis prædicationem; Luc. 3.

Quæ prædicatio non fuit facta ante Baptismum datū Christo,

synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

Cùm ante illum non legatur habuisse discipulos; *Mar. 1.*

Neque legitur antecedenter ad Baptismum Joannis habuisse ullos discipulos; sed *postquàm traditus est Ioannes* (ait Euangelista Mar. c. 1. v. 14.) *venit Iesus in Galilaeam prædicans Euangelium regni Dei* &c. Subjungitque v. 16. & 17. *Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinùs relictis retibus secuti sunt eum.* Qui & fuerunt primi ejus discipuli. Unde dicebat Petrus Actor. 1. v. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Iesus incipiens à Baptismate Ioannis usque in diem, quâ assumptus est &c.*

Sed solùm post Joannis traditionem. *Actor. 1.*

Non est autem credibile, instituisse proprium novæ Legis Sacramentum, nisi publicè & respectivè ad Ecclesiam visibilem novi Testamenti, quæ non fuit antequàm Christus doceret aut haberet discipulos; quippe Ecclesia non est aliud, quàm cœtus hominum Christianæ fidei professione ac Sacramentorum participatione sub uno legitimo pastore coadunatorum. Adde, quòd pro tunc nullus poterat esse usus novi Baptismatis durante adhuc Baptismo Joannis, qui erat dispositio ad ipsum.

25. Convincitur ergo institutionem Sacramenti Baptismatis non præcessisse illud tempus, quo Christus à Joanne fuit baptizatus. Concomitantiam videntur astruere aliqui Patres, sed etiam absque sufficienti fundamento sive ex Scriptura, sive ex ratione, nisi intelligantur (sicut commodè possunt intelligi) de materiæ designatione & aliquali sanctificatione, dedicatione videlicet, sive benedictione quâdam externâ, sicuti modò fons baptismalis speciali ritu benedicitur. Ita explicat Scotus 4. d. 3. q. 4 n. 2. ibi: *Quando tamen primò fuit institutus, dubium est. Non quidem quando Christus baptizabatur à Ioanne; quia ille non fuit Baptismus Christi, id est, in forma Christi, sed in forma Ioannis; tamen Christus dedicavit tunc aquam tamquam materiam idoneam suo Baptismo ex contactu suæ mundissimæ carnis.*

Simul fuit Baptismus Christi & Baptismus Joannis, *Scotus.* Sed solùm quoad materiæ designationem & quandam sanctificationem.

Quòd autem Sancti Patres ita possint, imò debeant explicari, probatur: quia etiam illi, qui docent Baptismum solùm esse institutum post passionem, asserunt nihilominùs Christum suo Baptismo sanctificasse aquas &c. ut patet apud Tertull. lib. adversùs Judæos cap. 8.

Sic possunt & debent Sancti PP. intelligi:

Accedit, quòd institutio Sacramentorum sit actus personæ communis & legislatoris, quam Christus in suo Baptismo non sustinuit; sed privatam potiùs & pœnitentis.

Alioquin Christus in isto Baptismate ad vivum expressit Baptismum à se instituendum, non solùm quoad materiam, per ablutionem scilicet externam corporis, quam in se admisit, sed etiam quoad formam, sive invocationem SS. Trinitatis per apparitionem trium personarum, Patris in voce Filij in humanitate, Spiritûs Sancti in specie columbæ; promeruitque tunc sua humilitate, ut Baptismus à se instituendus haberet vim sanctificandi: aquas etiam suo contactu moraliter consecravit (ut supra ex Scoto dixi) sicut v. g. calix nondùm consecratus consecratur attactu sanguinis. 26.

Vel etiam quoad formam per trium personarum apparitionem.

Porro quòd nonnulli dicunt, Joannem tunc à Christo fuisse baptizatum, incertum est, & à multis Patribus negatur. Vide D. Hieronymum in cap. 3. Matth. Damasc. & alios. Certè si hoc verum fuisset, discipuli Joannis nullam habuissent vel apparentem rationem querelæ de Baptismo Christi.

Incertum, an tunc Joannes à Christo fuerit baptizatus. *S. Hier.*

Igitur (ut finem imponamus huic conclusioni) conformius est Scripturæ & rationi, Sacramentum Baptismi institutum esse paulò postquàm Christus fuit baptizatus, ut quemadmodùm tunc incipiebat prædicari lex nova, ita & inciperet janua ejus ac professio. Cùmque per primum hominem mors introierit in universos, nisi per hanc januam universi intrent in Ecclesiam Christi, non possunt (inquit Veritas) in regnum cælorum introire.

Concluditur assertionem esse Scripturæ & rationi conformem.

Hinc sequitur examinanda & declaranda ejus essentia; præsenti quidem sectione materia, tamquàm pars præjacens & determinabilis; sequenti autem forma, ut posteriùs adveniens & determinans. Itaque

CONCLUSIO II.

Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis.

IN omni Sacramento, quod consistit in usu seu fieri, duplex reperitur materia; una proxima, altera remota, ut suis locis patebit. *Materia* (inquit Scotus 4. d. 3. q. 3. n 2. agens de materia hujus Sacramenti) *propriè accipiendo, sicut illud in quo est forma rei, est totum illud, quod est ibi sensibile, in quo fundatur relatio signi, quod est formale in Baptismo: sed sicut in illo toto sensibili aliquid est princi-* 27.

Materia quorumdam Sacramentorum duplex. *Scotus.*

principalius, ut ultimatè determinans, & ideo dicitur forma: ita aliquid est minùs principale vel determinabile, & illud dicitur materia: sed tale potest intelligi vel proximum ad significandum, vel remotum. Proximum est ipsa ablutio visibilis; de qua conclusione sequenti.

Proxima & remota.

Aqua autem est materia remota, quæ applicatur corpori in ista lotione. Et huius probatio (scilicet à priori) non est alia, nisi quia sic institutum est; ut patet Ioan. 3. Amen amen dico tibi (loquitur Christus Nicodemo) nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et Matth. 3. Ego quidem (inquit Joan. Baptista) baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit, non tantùm in aqua, sed etiam in Spiritu sancto & igni, tribuens remissionem peccatorum per gratiam justificantem, quam Spiritus Sanctus, qui ignis nomine appellatur, & in ignis specie visibiliter descendit super Apostolos, partitur singulis per Baptismum, ut causam instrumentalem, prout vult; & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.

Hæc in Baptismo est aqua; Cujus ratio à priori est Christi institutio. Joan. 3. v. 5. Matth. 3. v. 11.

Ut proinde stolidè ex illo loco Matth. qui adhuc alias patitur explicationes (ut videre est apud interpretes Sacræ Scripturæ) quidam hæretici, Jacobitæ dicuntur, materiam Baptismi doceant esse ignem, ferro candenti imprimentes signum crucis in frontibus aut genis baptizatorum.

28. Porro veritas Catholica, quam etiam nostri temporis Acatholici non negant, definitur Primum in cap. Firmiter de summa Trinitate, quod est Concilij Lateranensis sub Innoc. III. ibi: Sacramentum Baptismi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij & Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quàm adultis &c.

Cui accedit definitio Ecclesiæ in Lateranensi Concilio;

Concil. Florent. in decreto Unionis sub Eugenio IV. sic inquit: Materia huius Sacramenti (Baptismi) est aqua vera & naturalis; nec refert frigida sit, an calida.

Item in Florentino.

Novissimè Concilium Trident. sess. 7. can. 2. de Baptismo: Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

Et Tridentino.

Etenim quod in Scripturis sanctis (ait D. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10.) perspicuè sonat, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum sit. Quid autem magis perspicuè sonat, quàm quòd Actor. 8. v. 36. ait Eunuchus ad Philippum: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Sequitur v. 38. Et iussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.

Et claris Scripturæ textus, & August. Act. 8.

Ejusdem perspicuitatis sunt verba Apostoli Petri, quæ referuntur Act. 10. v. 47. Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Subditur v. sequenti: Et iussit eos baptizari, utique in aqua, in nomine Domini Iesu Christi.

Item 10.

Confirmantur hæc omnia ex perpetuo usu & traditione universalis Ecclesiæ, nec non constanti omnium sanctorum Patrum doctrina.

Et constanti Patrum doctrina;

Congruentias assignat Doctor Subtilis supra, inquiens: Quare autem sic sit institutum, sunt aperta congruentiæ: quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria & communis. Et hæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptismus, qui est ad reprimendum æstum concupiscentiæ; ad flectendum rigorem inobedientiæ; ad illustrandum claritatem fidei; ad introducendum in viam salutis; & hæc est commune omnibus, sicut lex ista, cuius hoc Sacramentum est initiativum, communis est omnibus ad salutem.

Quibus varias adjungit Scotus congruentias.

His non obstat factum cujusdam Judæi, qui de vita periclitans, aquâ deficiente curavit se baptizari arenâ, & statim convaluit. 29. Objectio.

Respondeo enim, quidquid sit de veritate historiæ (de qua tractat Baronius ad annum 181.) postmodùm Ecclesiam desuper fuisse consultam, & à Dionysio Episcopo Alexandrino judicatum, Judæum illum iteratò esse baptizandum, ut eadem refert historia. Deus itaque extraordinarium illud miraculum præstitit fortè in gratiam ardentis voti Baptismi. Responsio.

Ex dictis infertur, Primò perinde esse ad valorem Baptismi, aqua frigida sit, an calida; putei, fluminis, an maris; pluvialis, an resoluta ex nive, grandine, glacie; turbida, an clara; tincta etiam colore, & licèt transierit per sulphureos meatus aut cineres: & generaliter valet Baptismus collatus in aliquo liquore, qui in communi sermone vocatur aqua; omnis quippe talis liquor est vera aqua naturalis & elementalis, sive usualis. 30.

Sufficit qualibet aqua, modò communiter reputetur naturalis & usualis.

Infertur Secundò, non valere Baptismum collatum in cervisia aut jusculo bene decoctis, sudore, lacte, urinâ, lachrymis, sputo seu salivâ, phlegmate, aquâ rosaceâ, aut ex alijs herbis distillata.

Ex quo multa inferuntur.

De quibus omnibus ita discurrit Doctor Subtilis supra à num. 3. Respondeo, quòd aquæ illæ, quæ communiter dicuntur artificiales, sunt corpora quædam mixta, & non dicuntur 31.

Et ex Scoto ostenduntur non esse vera materia.

aquæ

aquæ nisi æquivocè. Probat Primò: quia *habent à tota specie aliquam qualitatem dissimilem aquæ elementari.* Secundò: quia *fiunt per actionem ignis decoquentis & resolventis; ignis autem non videtur esse sufficiens in virtute activa ad corrumpendum vel convertendum quæcumque mixta in aquam elementarem. Propter quod* (inquit) *universaliter concedi potest, quòd aquæ illæ, quæ dicuntur artificiales, non sunt conveniens materia Baptismi; quia non sunt in specie aquæ elementaris.*

Primò aqua artificialis.

Pergit ad aquam impuram, de qua sic pronuntiat: *Impuritas in aqua potest intelligi duobus modis, vel propter mixtionem secundum iuxtapositionem; ut aqua lutosa dicitur impura: vel propter mixtionem alterantem à specie; sicut humor mixtus dicitur non esse aqua pura. Et prima quidem impuritas non prohibet; dum tamen non excludit ab aqua, quin sit conveniens ad lavandum vel abluendum: nec est alia ratio, nisi quia sic institutum est. Vnde aqua imbibita farinæ, in pasta vel in spongia, dum ibi est, vel imbibita in spisso luto, & sic de alijs, si contingant carnem, non sunt conveniens materia Baptismi tales aquæ; quia talis contactus non est lotio.*

Secundò impura, si sit alterius speciei per mixtionem reddita,

Aut inepta ad abluendum.

In secundo modo, dico quòd aliqua impuritas potest esse manente aquâ intra speciem: sicut forte si incipiat inspissari tendendo ad generationem elementi grossioris. Ista non prohibet, dum tamen sit fluida; quod pro tanto dico, quia in glacie, nive & grandine, quæ tamen sunt imperfecta, vel in via ad mixtionem, dum talia sunt, non potest in eis fieri Baptismus; quia ibi non est lotio, sicut nec in luto.

Unde glacies, nix, grando non sunt materia,

Ubi bene addit: *dum talia sunt*; quia certò sunt materia conveniens dum resolvuntur, si tamen resolutio fiat in manu baptizantis, sic ut stillæ dimittantur in corpus baptizandi; alioquin enim ipse non applicat materiam ablutioni aptam, sive verè non abluit, sed baptizandus potiùs se ipsum. Veluti si Petrus imponat capiti Joannis hydriam aut spongiam plenam aquâ, non ille censetur hunc propriè abluere; sed Joannes se ipsum, si hydriam frangat, aut aquam spongiæ imbibitam exprimat.

Nisi resolvantur in manu baptizantis.

Non sufficit, quòd in capite baptizandi resolutio fiat.

32. Prosequitur Scotus: *Si autem per illam alterationem iam sit extra speciem aquæ, omninò non est materia Baptismi; & de quibusdam alterationibus satis patet, quia constituunt alteratum extra speciem aquæ, puta de humoribus naturaliter resolutis per digestionem, ut saliva, urina & huiusmodi, iuxta illud extra de Baptismo & eius effectu,* cap. Non ut apponeres, ibi: *Postulasti, utrum parvuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam & absentiam Sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput & pectus, ac inter scapulas pro Baptismo salivæ conspersione linivit. Respondemus, quòd cùm in Baptismo duo semper, videlicet verbum & elementum, necessariò requirantur* &c. *dubitare non debes, illos verum non habere Baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum.* Ita Innoc. III. Episcopo Morosiensi.

Ostendit Scotus aliquos humores certò esse alterius speciei ab aqua naturali,

Innoc. III.

De alijs autem non est ita manifestum, puta de decoctionibus & admixtionibus secundum sensum, in quibus non apparet evidenter, quòd sit alterata species, ut patet de brodio carnium & farinata, & huiusmodi, & cervisia; & medone: non enim manifestum est, quòd sit ibi aliquod activum corrumpens speciem aquæ. Tamen hoc discutere non pertinet ad Theologum determinantem materiam Baptismi, in quantùm haberi potest ex canone Bibliæ: neque ad Canonistam determinantem conditiones materiæ, prout determinantur ab ordinatione Ecclesiæ: sed pertinet ad Philosophum naturalem, cuius est inquirere, quæ alteratio transferat aquam à specie sua, & quæ non.

Aliquos solùm dubie.

Hoc discernere pertinet ad philosophum,

Ad ministrum autem spectat non uti extra necessitatem nisi materiâ certâ, ut vidimus disp. præced. sect. 7. conclus. 13. eâque præscriptâ ab Ecclesia.

Ad ministrum non uti nisi materiâ certâ extra necessitatem,

33. Sed quæ ista? *Aqua solemnis Baptismi* (inquit Rit. Rom. tit. de Sacramento Baptismi §. de Materia) *sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in fonte mundo nitida & pura diligenter conservetur.*

Rit. Rom. Et non nisi præscriptâ ab Ecclesia,

Concordat Clementina unica de Baptismo: *Præsenti* (ait Pontifex) *prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis vel cameris, aut alijs privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare.*

Clem. unic. de Baptis.

Et ut ostendat gravitatem præcepti, pœnam adjungit his verbis: *Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam adhibuerit, taliter per Episcopum castigetur, quòd alij attentare similia non præsumant.* Equidem hæc pœna videtur afficere eos tantùm, qui baptizant solemniter in domibus privatis, secùs qui in Ecclesia cum aqua non benedicta; nam hoc postremum ibi specialiter non prohibetur, ut patet ex verbis.

Idque sub gravi obligatione,

Si fiat solemniter in domibus privatis.

Si ergo quæritur, an Sacerdos baptizans cum aqua non benedicta peccet mortaliter? Negant quidam apud Dianam parte 9. Tract. 6. resol. 33. quia (inquiunt) aquâ non benedictâ baptizare, quid leve debet existimari, cùm benedictio nec ad essentiam,

Diana. Quid si in Ecclesia utatur aqua non benedicta?

Quidam negant esse notale: essentiam, nec ad integritatem Sacramenti, nec ad justificationem, intentionemve baptizandi, nec ad essentialem Baptismi solemnitatem, nec ad gravis mysterij significationem pertineat. Nec levissimum suborietur scandalum, si aquâ non benedictâ fiat Baptismus: sicuti orirotur, si alij exteriores ritus, insufflationes, unctiones, & similia deessent in solemni Baptismo, vel sine stola aut suppelliceo fieret: ergo &c.

Alij communiùs affirmant. Nihilominùs contraria sententia est communior, quam ibidem tenet Diana, dicens: Nec talis benedictio levis materia censenda est, ut de se patet. Primò, quia versatur circa materiam ipsius Sacramenti. Secundò, quia habetur in manuali specialis benedictio. Tertiò, quia talis benedictio non efficitur nisi Sabbato Paschæ & Pentecostes. Quartò, quia in ipsa benedictione adhibetur trina infusio sacri Chrismatis in modum crucis; quæ omnia satis demonstrant talem benedictionem rem levem non esse. Hæc Ille.

Diana.

Probatur varijs modis.

35. Quæ confirmantur ex summa sollicitudine Ecclesiæ, ut nunquam sine aqua benedicta Baptismus solemniter administretur. Sic enim docet Rituale supra: *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest; in minori tamen quantitate. Si verò corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, tamq; benedicat ex formula, quæ infra præscribitur. Sed si conglaciata sit, curetur ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parùm aqua naturalis non benedictæ calefacere, & admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, & eâ tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.*

Rit. Rom.

Et confirmatur ex summa Ecclesiæ in hac re sollicitudine.

Notat etiam Diana supra hujus benedictionis mentionem fecisse D. Dionysium de Cælesti Hierarchia cap. 2. parte 2. D. August. Homilia 27. & 50. & lib. 6. contra Julianum cap. 8. & D. Ambrosium lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Unde Lessius in 3. parte quæst. 71. num. 6. ex D. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 2. dicit, Consecrationem aquæ esse traditionem Apostolorum. Ita Diana.

Lessius.

Utramque nihilominùs problematicè defenditur. Cæterùm quia multiplicatio peccatorum mortalium odiosa est, elige quod placet. Profectò in Baptismo non solemni, esto alioquin propter majorem reverentiam Sacramenti etiam aqua benedicta foret adhibenda, si talis commodè posset haberi; tamen non videtur magnus scrupulus faciendus, ait Præpositus quæst. 71. art. 4. dub. 1. n. 5. Patet ex verbis Ritualis, in quibus non fit mentio nisi Baptismi solemnis.

Præpositus.

36. Contra principalem quæstionem objicit sibi Scotus primò. Sed revertamur ad principale propositum, contra quod objicit sibi Scotus, Primò: *Aqua artificialis habet eadem accidentia cum aqua naturali, scilicet humiditatem, frigiditatem, perspicuitatem & hujusmodi; sed ex accidentibus cognoscitur substantia; ergo &c.*

Et objectioni occurrit. Respondet n. 6. *Etsi haberet aliqua accidentia similia; tamen aliquod, vel aliqua dissimilia habet à tota specie, ex quibus sequitur distinctio substantiæ.*

Objicit secundò. Objicit Secundò: *Mixtum est grossius aquâ elementari; aqua autem artificialis est subtilior, vel saltem non grossior; ergo non est aliquid mixtum; ergo &c.*

Et objectionem solvit. Respondet: *Etsi aliqua aqua artificialis videatur subtilior quàm elementaris, quia magis penetrativa; ista tamen subtilitas non est subtilitas simplicitatis, sed virtutis activæ; & hoc modo vinum est subtile, vel subtilius aquâ: subtilitas autem conveniens aquæ elementari est subtilitas simplicitatis, eo modo, quo elementum est simplicius mixto.*

Objectio tertia. Objicit Tertiò: *Miscibilia possunt separari à mixto; ergo aliquis potest adhibere activum passivo ad faciendum talem separationem;* ergo &c. Respondet: *Possibile esset Angelum bonum vel malum adhibere aliqua activa mixto ut passo, per quæ resolveretur ab eo aqua elementaris ..... sed dico, quòd nulla ars potest adhibere idem activum, puta ignem, quantumcumque diversis mixtis & passis, ita quòd per illud agens fiat immediatè resolutio in aquam, scilicet elementarem, quia illud idem agens non potest habere virtutem ut sit sine formis intermedijs mutandi; neque etiam ita taliter diversa in eumdem terminum corrumpendi.*

Illique satisfit.

37. Objectio ultima. Objicitur ultimò: Sacramentum Baptismi designatum fuit per aquam, quæ fluxit ex latere Christi; sed illa fuit phlegma, quia tunc in corpore non erat aqua elementaris; ergo &c. Majorem docet Innoc. III. extra de Celebr. Missarum cap. *In quadam* in fine: *In quibus* (inquit) *duobus*, sanguine scilicet & aqua, *duo maxima Sacramenta, redemptionis videlicet & regenerationis, elucent.*

Innoc. III.

Cui respondetur ex Scoto sup. Respondeo cum Scoto supra num. 7. ex eodem cap. ibi: *Cæterùm sicut fuit verus spiritus & verus sanguis, ita proculdubio vera aqua, cùm Christus sit veritas, & à veritate omnis fallacia sit penitus aliena. Nam si non fuisset aqua, sed phlegma, quod de latere salvatoris exivit, ille qui vidit & testimonium veritati perhibuit, profectò non aquam, sed phlegma dixisset.* Dixit autem aquam Joan. 19. v. 34. *Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò*

continuò exivit sanguis & aqua. Probat etiam Innoc. *à posteriori* (verba Scoti sunt) *per materiam Sacramenti Baptismi : nec in hoc* (inquit) *verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum : cùm per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua. Probat etiam per aquam miscendam in Sacramento Eucharistiæ. Probat etiam quartò per figuram, quæ præcessit super hoc in veteri Testamento, quando Moyses percussit silicem, & ex ea non phlegma, sed aqua manavit.*

Ad probationem respondet ibi, quòd vel illa aqua fuit ibi de novo creata miraculosè, vel de componentibus resoluta. Concludit Doctor: *Sed qualitercumque dicatur de aqua lateris Christi, quia fluxit, sicut sibi placuit; non propter hoc ibi Sacramenta susceperunt efficaciam ..... Sed propter quamdam perfectiorem similitudinem ad Baptismum & Eucharistiam. Certum est tamen, quòd Baptismus non potest fieri nisi in aqua usuali, quia Christus hoc instituit.*

38. Sal resolutum probabiliter est materia sufficiens. *Diana, Henriquez.*

Pro fine conclusionis petes, an sal resolutum sit materia conveniens Baptismi? Affirmativè respondet (& meritò, inquit Diana parte 3. tract. 4. resolut. 5.) Henriquez lib. 2. cap. 6. n. 1. qui in glossa littera F. testatur de communi. Ratio est: quia sal efficitur ex aqua salsa, ut experimento constat, & docet Aristoteles 2. Metheo. cap. 3. Eamdem sententiam docet Antonius Fernandez in exam. Theolog. mor. parte 3. cap. 2. §. 4. n. 5. ubi ita asserit: Idem de sale atque nive geluque dicendum arbitror; est enim aqua maris essentialiter gelata æstivo sole, sive per solem condensata; ergo videtur in pristinum statum resolvi.

Anton. Fernandez.

Probabiliter ostenditur oppositum *Regins.*

Aliunde tamen pro contraria opinione (quam tenet Regius hîc quæst. 66. art. 4. dub. 1. n. 22.) sicuti vi caloris furni ex massa farinæ panis, ex aqua & hordeo cervisia, ex terra speciali succo mixta saccarum gignitur tanquàm corpus mixtum: sic fortè vi caloris solis ex aqua salsa exurgit corpus mixtum distinctum; quod proinde resolvitur non in aquam, sed in humorem specie distinctum. Saltem non est aqua usualis, aut moraliter loquendo; quod videtur requiri. Sed & hoc negari posset, dicendo esse aquam usualem, non minùs, quàm aquam mixtam luto. Itaque ut minimum est materia dubia; adeoque usurpanda tempore necessitatis.

39. Idem dicendum de humore è ligno fluente cùm igni imponitur.

Idem videtur dicendum de humore è ligno fluente, quando igni imponitur; videtur quippe ex una parte, quòd sit aqua naturalis propter humiditatem, frigiditatem, perspicuitatem & similes qualitates, in quibus assimilatur aquæ elementari. Ex altera autem parte probabiliter dici posset, esse substantialiter succum quodammodò coctum, contentum in fibris ligni, & alimentum ejusdem (aut simile quid sudori corporis humani) vitaliter per radicem attractum.

Certius porro est, sudorem marmoris aut parietum tempore pluvioso esse veram aquam. Similiter liquorem, qui colligitur ex vaporibus densati, cùm ex ollæ ore evaporantur, & in testaceo tegumento reperiuntur: siquidem vapores essentialiter aqua sunt; aqua verò è parietibus manans, aqua est ex aëre humido in aquam verso. Ita Antonius Fernandez apud Dianam supra.

Liquores ex herbis & plantis expressi sunt materia dubia.

Cæterùm aliqui apud Regium supra num. 23. & Dianam p. 5. tract. 3. resol. 2. etiam liquores ex herbis & plantis expressos (quos n. 30 cum communiori sententia diximus non esse materiam convenientem Baptismi) annumerant materijs dubijs: qui proinde, sicuti & omnes cæteri liquores, etiam negativè sive merè dubij; quia videlicet non potest utrimque ex ulla ratione quidpiam determinatè cum probabilitate statui; & equidem incertum est, an sint aqua, quia potest fieri quòd sint, etsi non possit hîc & nunc defectu luminis, gustûs &c. discerni: omnes illi (inquam) liquores possunt & debent in necessitate adhiberi, ut succurratur proximo per remedium dubium in defectu certi. Vide quæ diximus Disputatione præced. Sect. 7. Conclusione 12. in fine. Et idem omnino sit judicium in dubio materiæ proximæ, de qua instituo sequentem conclusionem, quæ talis est:

Adeoque in necessitate adhibenda.

CONCLUSIO III.

Materia proxima Baptismi est ablutio tum activa, tum passiva.

40. Ablutionis proximæ Baptismi materiæ duplex definitio. *Scotus.*

Ablutio à Scoto 4. dist. 3. quæst. 3. num. 4. dicitur: *Contactus aquæ fluidæ liberæ conjungentis se cuti, vel separantis inter cutem & aliud corpus.* Aliter definitur: Motio aquæ liquidæ circa corpus, quæ per se ordinatur ad sordes abluendas. Dico *per se ordinatur*; quippe (ut bene advertit Doctor supra num. 2.) Non *oportet quòd sit ibi ablutio prout distinguitur contra lotionem, & includit amotionem sordium à corpore per contactum aquæ: sed sufficit lotio in communi dicta, corporis ab aqua, alio hanc agente; quod nihil aliud*

aliud est, nisi quòd oportet istum contactum corporis ab aqua fieri, ab alio causante contactum istum. Ut proinde ablutio activa fit ille contactus prout egreditur ab alio agente; passiva verò quatenus recipitur in corpore, quod abluitur: porro depositio sordium potiùs est effectus accidentalis lotionis. Quo supposito

41. Ejusque communis probatio ex Scoto. Probatur communis conclusio à Scoto supra, ibi: *Proximum* determinabile, sive materia proxima Baptismi, *est ipsa ablutio visibilis: ipsa enim cum verbis tanquam signum proximum significat effectum Baptismi. Et ideo* (subdit Doctor) *non urget nos illa dubitatio* (Gandulphi 1. quæst. 1. cap. *Detrahe*, in glossa ad illud verbum) *nè fortè asinus bibat Sacramentum; quæ verè est dubitatio asinina: quia illa ablutio non durat nisi in fieri: & quantumcunque aqua posset bibi, vel huc vel illuc transfundi, ipsa ablutio non.*

Magist. S. August. Unde Magister 4. distinctione 3. sententiam illam Divi Augustini (quæ refertur cap. *Detrahe* mox allegato) ex Tractatu 80. in Joannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; explicat his verbis: *Non utique ipsum elementum fit Sacramentum; sed ablutio facta in elemento.* Et Doctor Angelicus 3. parte quæst. 66. articulo 1. *Ad* 3. (inquit) *dicendum, quòd accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum; non quidem in ipso elemento; sed in homine, cui adhibetur elementum per usum ablutionis*; ac si diceret, in ipsa ablutione.

S. Thom.

Et ex ipsa Baptismi forma. Probat autem ex ipsa forma, inquiens: *Et hoc etiam signat verbum, quod accedit ad elementum, cùm dicitur: Ego te baptizo* &c. Quibus verbis non tantùm exprimitur ablutio activa, sed etiam passiva: prima quidem per ly *Baptizo*, quod significat actionem ministri; secunda verò per ly *te*, quod significat suscipientem ablutionem; nisi enim aqua contingat baptizandum, falsò dicitur: *Ego te baptizo*, sive, *lavo*.

Igitur forma Baptismi proximè significat, adeoque determinat applicationem aquæ ad subjectum, sive ablutionem corporis baptizandi; cum qua tanquam proximo determinabili significat ablutionem animæ à peccato, quæ est effectus Baptismi, quamque nullo modo significat sola aqua. Etenim licèt aqua possit abluere sordes, tamen non abluit, nec proximè nata est abluere, nisi applicetur subjecto. Sanè hoc Sacramentum non est quid permanens; sed consistit in usu, non alio quàm lotione, ex communi totius Ecclesiæ praxi, superædificata verbis Christi Matthæi ultimo, versu 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c.

Ex his festinè cognoscitur, quarè in conclusione expresserim ablutionem activam & passivam: certum quippe est, utramque reperiri in ministerio baptismali; cùm actio essentialiter respiciat passionem, imo fortè realiter sint idem. Constat quoque (ut jam jam ostendimus) verba formæ utramque significare & determinare; ergo nulla est ratio, quarè potiùs una dicatur materia proxima Baptismi, quàm altera. 42. Ablutio est duplex, activa & passiva.

Quod tamen non ita velim intelligas, quasi exigatur aliqua realis passio in corpore baptizati, præter contactum successivum physicum aquæ; sed quòd sine illo contactu ratio Sacramenti non subsistit, & ille solus sufficiat. Unde etsi nulla sequeretur frigefactio, vel humectatio in corpore, aut nulla ablutio sordium, nihilominus Sacramentum foret validum; hæc enim (ut patet ex dictis) per accidens se habent ad ablutionem. Ad hanc sufficit contactus successivus physicus aquæ in corpore baptizandi.

Si petas, quid contactus ille sit? Respondeo, denominationem extrinsecam, seu relationem quamdam ex tali propinquitate corporum resultantem; vel, si mavis, ipsa corpora taliter sibi mutuò approximata. Ille contactus est quædam denominatio extrinseca seu relatio.

Porro quòd debeat esse contactus successivus, ostendit communis modus concipiendi ablutionem; aqua siquidem immota existens in vase, non dicitur illud abluere propter solum contactum; & ita pars aquæ, quæ adhæret corpori ablutione finitâ, quamvis illud contingat, non tamen propriè abluit; intellige effectivè, qualis ablutio requiritur ad Sacramentum, ut rectè notavit Doctor Subtilis supra num. 2. ibi: *Et intelligitur ablutio hic, non tantùm sicut aqua dicitur lavare corpus quasi formaliter; sed sicut homo dicitur lavare corpus cum aqua quasi propriè activè: nam solus contactus corporis ab aqua immota*, veluti cùm quis in balneo quiescit aquâ undiquè circumfusus, *quæ est quasi ablutio formalis, non est instituta tanquàm signum vel pars signi, sed ipsa lotio effectivè facta ab aliquo abluente.* Ergo ablutio sacramentalis non consistit ex mente Scoti in quolibet contactu; sed oportet, ut sit in fieri: & ideo necesse est, ut successivè fiat, saltem physicè & naturaliter loquendo; quia per motum localem fit. 43. Quod debeat esse successivus, probatur. Scotus.

Dico *naturaliter loquendo*, inquit Suarez hîc disput. 20. sect. 2. quia fingi potest, quòd Suarez.

quòd ille contactus fiat in uno instanti terminante motum localem aquæ ad corpus; ita ut in eodem instanti plures partes aquæ perveniant ad contingendas plures partes corporis, & tunc ille contactus sine dubio sufficeret ab ablutionem; & ad hoc, ut in eodem instanti perficeretur Sacramentum. Sed hujusmodi casus non sunt morales, & ideo absolutè dici potest, requiri contactum successivum, prout naturaliter fieri potest.

44. Ablutionem consistere in actione ex Scoto colligit Suarez.

Ex verbis Scoti mox allegatis colligit Suarez supra, Doctorem sentire, ablutionem potiùs consistere in actione, quàm in passione seu receptione aquæ in corpore hominis baptizati; quia Sacramentum (inquit) est actio sacra ipsius ministri; ergo & Baptismus ex parte materiæ proximæ erit lotio, ut facta à ministro.

Vasquez in Passione;

Econtrario verò Vasquez hîc disput. 141. cap. 2. citat Doctorem nostrum pro sententia, quæ docet Baptismum potiùs esse ablutionem, quatenus est passio & motus receptus in eo, qui abluitur; siquidem in ipso recipitur Sacramentum, & Sacramentum est cæremonia, quâ quis justificatur, ac proinde quatenùs in ipso recipitur, & est passio.

Ex Scoto 4. d 6 q 2. num. 4.

Allegat autem verba quæ habet Scotus 4. dist. 6. quæst. 2. num. 4. ibi: *Et ex isto videtur sequi corollarium, quod Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva quàm activa; quia plurificata baptizatione activa, non plurificatur passiva, nec Baptismus; quia passiva est una. Istud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus propriè suscipit Sacramentum: suscipit autem propriè ablutionem passivam, & non activam, nisi dicatur idem realiter.*

Ad locum verò superiùs productum pro ablutione activa respondet Vasquez num. 13. solùm ibi asserere Doctorem, lotionem formalem, quam ipse vocat, absque ullo motu aquæ non esse materiam propinquam; secùs ablutionem effectivè factam per motum ipsius aquæ circa corpus hominis. Utrum verò hæc ablutio quatenùs actio, an autem quatenùs passio tantùm, vel utroque modo sit materia propinqua, ibi non definit. Hæc ille.

Sed ibidem nihil definit.

Sed neque aliquid definit circa baptizationem passivam loco à Vasquesio allegato, ut infra ostendam, ubi de ministro huius Sacramenti. Et ideo meliùs dicitur materiam proximam Baptismi consistere in ablutione tum activa, tum passiva; neque enim poni potest actio illa, sive cæremonia sacra Baptismi, separatim ab illa passione sive receptione actionis in subjecto; neque passio sine actione. Utraque igitur ingreditur conceptum essentialem ablutionis sacramentalis. An autem magìs passio, quàm actio, vel è converso; an verò utraque æqualiter, sentio cum Suario supra ad rem theologicam, quæstionem esse parvi momenti & utilitatis.

Resolvitur, quod in activa consistat & passiva simul.

Pergamus itaque ad ea, quæ sunt majoris momenti & utilitatis. Et primò quæro, an sufficiat aquæ guttula, & quælibet minima corporis pars? Asserit Vasq. hîc disput. 145. cap 4. & non improbabiliter, saltem speculativè; adeoque practicè in necessitate. Et quidem pro posteriori parte plurimos citat Auctores, & inter cæteros Doctorem Subtilem 4 dist. 4. quæst. 3. n 3. sed perperàm, ut statim videbimus: pro prima autem solùm Innoc. & Panor. in cap. *Debitum* de Baptismo, ac Summam Rosellam V. Baptismus num. 1. 45.

Sufficit ad ablutionem aquæ guttula, & pars corporis minima, Vasquez.

Quia tamen hæc controversia pendet à communi hominum æstimatione (quippe talis pars debet ablui, & cum tanta quantitate aquæ, ut homo simpliciter censeatur ablutus) & quia in hoc Sacramento propter ejus necessitatem tutior pars videtur eligenda; hinc cum majori & saniori parte DD. Respondeo & dico:

Contrarium tamen, quam tutius eligitur & concluditur.

CONCLUSIO IV.

Ad validum Baptismum requiritur ablutio notabilis tam quoad partẽ corporis, quàm quantitatem aquæ.

Rationem statim insinuavi; quia videlicet major pars Doctorum, imò & aliorum hominum, non existimant quempiam simpliciter ablutum, aspersum, vel madefactum seu tinctum aquâ, si dumtaxat abluatur, aspergatur &c. in minima parte, vel cum modicissima aqua. 46.

Ex majori parte DD. & communi hominum æstimatione.

Quod magìs indubitatum est de ablutione vestium, vel ipsius matris pro puero in utero existenti. De qua loquitur Scotus 4 dist. 4. quæst. 3. num. 3. in hæc verba: *Ad quæstionem dico, quòd vel puer secundùm omnes partes est in utero matris: vel secundùm aliquam partem apparet extra uterum. Si primo modo, dico quòd non potest baptizari: non propter rationem priorem, quia coniunctus est causæ corruptionis, sed quia*

Baptismus

Et ex mente Scotis *Baptismus est lotio vel ablutio in aqua: sed parvulus sic in utero non potest lavari, quia nec sic immediatè tangi ab aqua.*

Intellige, communiter; nam medici quidam existimant (verè an falsò, hîc non disputo) per metrenchyten aquam calidam usque ad infantem vel secundinas, si ijsdem adhuc sit involutus, immitti posse.

Ex hoc sequitur (inquit Doctor) *corollarium, quòd si parvulus corio involveretur, & illud poneretur in aqua, ita quòd aqua non tangeret corpus, non esset baptizatus; sed si tãgeretur aquâ, bene.* Hucusque Scotus de puero, qui secundùm omnes partes est in utero matris.

Sed quid de illo, qui secundùm aliquam partem apparet extra uterum? *Si secundo* (inquit) *modo sic: aut apparet pars principalis ut caput, humeri, pectus, &c. & tunc potest baptizari in illa parte; & in hoc etiam simpliciter baptizari: non est enim verosimile, quòd in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria millia, Actor. 2. quòd quilibet quantùm ad totum corpus suum lavaretur aquâ, sed præcisè quantùm ad faciem aspergendo, vel quantùm ad caput perfundendo. Et in isto casu, si post puer nasceretur, non oporteret ipsum baptizare. Si autem apparet pars minùs principalis, scilicet manus vel pes, illa est baptizanda; quia ibi est tota anima, licet non omnis sensus, sicut in capite. Et si hoc minùs sufficeret ad hoc, ut esset simpliciter baptizatus; si nasceretur postea vivus, esset sub conditione baptizandus, ut docetur extra de Baptismo & eius effectu, cap. de Quibus. Credendum enim est, quòd Deus suppleret illud, quod impotentia impediret: talis enim etsi mortuus nascitur, sepeliendus est in terra benedicta, ratione dictâ.*

Quem Vasquez malè pro sua opinione allegat. Quæ certè verba vel parvum, vel potiùs nullum omninò fundamentum præbere poterant Vasq. allegandi Doctorem pro sua opinione: longè quippe diversa sunt, manum vel pedem esse baptizandum, idque in necessitate, quod tantummodò docet Scotus; & quamlibet minimam partem simpliciter sufficere, etiam capillos, ungues, imò & secundinam, id est pellem, cui infans involutus nascitur; non quia sunt partes hominis viventes eâdem vitâ (quæ tamen est ratio congruentiæ, quam Scotus adducit pro Baptismo partis minùs principalis) sed quia censentur partes hominis, aut quasi partes.

47. Sicut & Gabrielem, qui sequitur Scotum. Sententiam Scoti eisdem verbis sequitur Gabriël 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3. dub. 2. post medium; quem proinde etiam immeritò citat Vasq. pro se; sicut & D. Thom. (D. Thom.) qui parte 3. quæst. 68. art. 11. ad 4. ita ait: *Ad 4. dicendum, quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quacumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nullâ exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite* (ergo loquitur de partibus, in quibus vita partialiter consistit, & non de alijs, quæ nullo modo vivunt) *videtur quibusdam, quòd propter dubium quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo.* Ecce doctrina Angelica, per omnia consonans doctrinæ Subtili. Quibus conformis est D. Thomas.

Quamobrem rationem Scoti: *quia ibi est tota anima*, malè interpretatur & rejicit Vasq. supra n. 30. quia anima (inquit) quæ contraxit peccatum originis, est in quavis parte hominis, licèt ibi non vigeant omnes ejus operationes. Et addit: Quæ quidem ratio parum momenti habere videtur. Nam ut videamus, an sit verum Sacramentum in hac aut illa parte, non tam debemus attendere ad subjectum, cui Baptismus adhibetur, cùm planum sit in quavis parte esse animam (cur ergo negat n. 31. in capillis esse animam, quos tamen ibidem asserit esse partes hominis?) sed ad ipsam ablutionem, utrum in quavis parte sufficiens censeatur pro Baptismo, an non. Malè interpretatur Vasquez rationem Scoti & D. Thomæ.

Respondeo, Doctores Angelicum & Subtilem meliùs attendisse ad ablutionem, quàm Vasquesium; quippe non dicunt, animam esse in capite & alijs partibus minùs principalibus, quasi anima infecta peccato originali sit subjectum ablutionis aut baptismatis: quis enim credat tantos Theologos, tam pueriliter fuisse locutos? Cuilibet namque notissimum est, corpus solùm exteriùs ablui aquâ naturali, animam autem interiùs aquâ spirituali sive gratia Spiritûs sancti, quæ est effectus Baptismi. Sed ideo sic locuti sunt, ut distinguant partem principalem, in qua videlicet magis vigent sensus animæ & functio vitæ, & sine quâ vita in homine nequit consistere, à parte minùs principali, quæ quidem informatur animâ, licèt ibi non sit omnis sensus, id est, licèt in ea non vigeat omnis operatio sensûs & functio vitæ, & sine ipsâ vita possit consistere. 48. Quia illi Doctores non voluerunt dicere, animam esse ablutionis subjectum, Sed distinxerunt partem magis principalem à minùs principali.

Quæ differentia fundamentum est, quarè ablutio capitis certò sufficiat, utpote vera ablutio hominis; non autem ablutio partis minùs principalis; quamvis & hæc in necessitate ablui possit & debeat, quia vera pars integralis corporis; Hinc ablutio illius sufficit.

poris; & probabile saltem est, aut saltem dubium, hominem censeri verè ablutum solâ illâ parte madefactâ. Secùs dicendum videtur de qualibet minima parte, capillis, unguibus &c. Etenim sicuti non sunt nec appellantur partes hominis, sed solùm partes partium, aut quasi partes; ita etiam illis ablutis vel madefactis, aut aspersis vel tinctis, non censetur simpliciter homo ablutus, madefactus &c.

Non hujus.

49. Contrarium sustinet Vasq. estque fundamentum suæ opinionis. Et probat: quia vulnus inflictum in minimâ parte sufficit, ut ab eo homo dicatur vulneratus. Respondeo: absolutè & secundùm rigorem sermonis, nego; abusivè & impropriè concedo. Verùm ab hoc genere locutionis non debet regulari sermo, neque etiam veritas materiæ & formæ Sacramenti, sed à proprietate, & secundùm usum receptum & approbatum sapientum. Quis autem sapiens nominet hominem vulneratum, qui asciculâ pupugit digitum suum? Certè omnes audientes taliter loquentem, subriderent hujusmodi imaginationem.

Respondetur ad fundamentum Vasquesij.

50. Ex quo etiam patet, non sufficere minimam quantitatem aquæ, cùm ab illa homo moraliter, hoc est, secundùm prudentem æstimationem non rectè dicatur ablutus, tinctus &c. in moralibus quippe quod parum est, pro nihilo reputatur. Porro Christus pro materia hujus Sacramenti instituit non quamcumque physicam ablutionem, sed talem & tantam propinquitatem aquæ ad corpus, quæ in omni sermone meretur appellari lotio hominis. Sicuti si Deus instituisset pro subjecto Baptismi hominem album, non sufficeret quælibet albedo, sed talis & tanta, sive talis intensio & extensio, à qua homo absolutè, propriè & in communi sermone denominaretur albus.

Ex quo colligitur nequidem sufficere minimam quantitatem aquæ.

51. Respondet Vasq. disparitatem esse, quòd accidentia, quæ toti rei secundùm omnes ejus aut præcipuas partes inesse solent, non denominent simpliciter totum, nisi aut omnibus partibus insint, aut præcipuis, qualis est albedo aut nigredo: tamen ea, quæ extrinsecùs adhibita omnibus partibus, vel aliquibus aut alicui tantùm, etiam non præcipuæ, convenire solent, totum simpliciter denominant, etiamsi omnibus partibus non insint: hujusmodi sunt vulneratio & ablutio.

His se opponit Vasquez.

Quod alij alijs verbis explicant: Ad hoc (inquiunt) ut subjectum simpliciter dicatur album, requiritur albedo intensa in parte majori, eò quòd à majori parte sumatur denominatio, quando hæc desumitur à forma, quæ quatenùs non inest subjecto, inest ei forma repugnans, v. g. nigredo, viredo &c. secùs est, quando denominatio desumitur ab aliqua actione, quæ circa aliquod subjectum exercetur, ut quando aliquis dicitur verberari, maculari &c. Idem ergo est in præsenti; nam certè sufficit ablutio capitis, quæ tamen juxta exemplum objectum non sufficeret, cùm non sit major pars. Et dicitur Sacerdos lavare manus sub Missa, etsi tantùm minorem partem earum, scilicet quatuor digitos lavet.

Et alij.

Sed ut ab ultimo incipiamus; non dicitur simpliciter: *Sacerdos lavat manus*; verùm (utor verbis Rubricarum generalium Tit. Ritus servandus &c. c. 7. de Offertorio) *Ministro aquam fundente lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis & indicis*; ne fortè, si diceretur simpliciter: *lavat manus*, principaliorem partem manuum lavandam Sacerdos intelligeret. 52.

Illis respondetur. Rubr. gen.

Dico *principaliorem*; hæc quippe in compositis heterogenijs censetur major in ordine ad denominationem totius ab aliquo actu, qui circa compositum illud exercetur; quidni etiam à forma intrinseca? Cur enim nequeat homo dici albus, cujus caput album est, licèt aliæ partes nigræ forent? Aliud est de composito homogenio, vel quod constat ex partibus heterogenijs æquè principalibus, v. g. pariete; tunc siquidem non à principaliori, cùm omnes sint æquè principales, ut supponitur; sed à majori extensivè parte sumitur denominatio: maximè, quando forma denominans coextenditur ipsi subjecto.

Porro differentia inter formam intrinsecam & extrinsecam asseritur à Vasquesio & alijs; sed non sufficienter probatur: & ideo pari facilitate negatur; quia (inquit Hiquæus in suo Commentario ad locum Scoti supra citatum num. 17.) denominatio sumitur ab effectu formæ, & ita se habet ad totum, sicut principium denominans ad totum; illa autem pars nata est solùm denominare totum absolutè, quæ concurrit seipsa ad ejus constitutionem, & non remotè, neque mediatè & secundùm quid; ut quia est pars partis saltem heterogenia, vel hujus etiam pars. Ergo quemadmodùm illæ partes remotæ & mediatæ non denominant hominem integraliter completum, aut carentia earum simpliciter incompletum, ita nec vulneratio earum aut ablutio vulneratum simpliciter vel ablutum; cùm tamen forma Baptismi significet hominem simpliciter & absolutè lavari. 53.

Et Vasquesio.

Hiquæus.

Et certè

Et certè sicuti nigredo, viredo &c. (maneo in exemplo proposito) inest subjecto, quatenùs eidem non inest albedo; ita continuitas partium, quæ est forma opposita vulneri, quod non est aliud, quàm discontinuitas, inest eidem subjecto, quatenùs vulnus non inest. Idem dici potest de ablutione sive madefactione, & non madefactione seu exsiccatione.

54. Ablutio minimæ partis cum modicissima aqua est in necessitate adhibenda. Cæterùm cùm hæc, quæ allata sunt pro nostra & communi doctrina, non omninò convincant, sed locum concedant alicui dubitationi, ita ut verè dixeris: potest fieri, quòd sufficiat ablutio minimæ partis cum modicissima aqua (præsertim accedente auctoritate DD. id asserentium) arbitror omninò adhibendam talem ablutionem sub conditione in necessitate, etiam ab illis, qui moraliter certò judicant eam non valere. Cùm enim materia Baptismi pendeat à voluntate Christi, de qua ex Scripturis, Traditione aut Concilijs in præsenti non evidentissimè constat; nulla committitur irreverentia, si ad evitandam æternam animæ damnationem, quæ fortassis evitabitur, quamvis ego id non credam; si (inquam) abluo partem illam modicissimam cum minima quantitate aquæ sub forma verborum Baptismi maximè sub conditione, interim cessante necessitate, rursum conditionatè cum certâ materiâ repetenda.

55. Quod docuit Innoc. IV. & Clemens VIII. Quare optimè respondit Innoc. IV. parvulum in necessitate baptizandum, etiam in solo digito. Et Clemens VIII. Episcopo Patavino, Baptismum datum in brachio iterandum esse propter maximam necessitatem illius Sacramenti. Idem sit judicium de partibus solùm ornantibus, v.g. capillis: nam & oves (inquit quidam recens Auctor) censentur lotæ, esto subinde ob densitatem lanæ aqua pellem non attingat. Sed quid mirum, quandoquidem oves ratione solius lanæ laventur? Secùs videtur (prosequitur idem Auctor) si prominens capillorum cauda quasi à corpore separata intingeretur aquæ.

Cur hoc, cùm externa pars crinium sit etiam vera pars ornans? Si ergo omnis omninò pars sufficiat, meliùs & hæc dicitur sufficere. Quid enim refert, quòd sit quasi separata, si verè est conjuncta? nam & secundæ solùm sunt quasi pars ipsius pueri, quæ tamen intingi debent; veluti etiam umbilicus, per quem infans sugit alimentum, si extaret, quamvis postmodùm abscindatur. Idem est de secundis & umbilico dicendum.

56. Quid igitur? communis est & concors DD. sententia, extra necessitatem caput esse abluendum. Ita statuitur in Rit. Rom. Titulo de Sacramento Baptismi §. de forma, ibi: *Baptismus licèt fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem aut per aspersionem; primus tamen & secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur, ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur vel immergatur.* In quibus verbis præscribitur & notabilis pars, imò præcipua; & similiter notabilis quantitas aquæ, juxta illud D. August. in Homilia 3. & habetur cap. 78. de consecr. dist. 4. *Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus.* Quòd si parvulus ita est infirmus, ut capitis ablutionem non ferat, abluendum est pectus vel humeri. Extra necessitatem est caput abluendum, Rit. Rom. S. August. Nisi ob infirmitatem parvuli aliter fieri debeat.

Porro imminente periculo mortis, *si aliud membrum* (inquit Rituale Rom. supra §. de baptizandis parvulis) *emiserit, quod vitalem indicat motum, in illo ..... baptizetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus eo modo, quo supra dictum est:* Si non es baptizatus, ego te baptizo &c. *Si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Non quòd talis infans validè baptizatus sit, si reverâ extra necessitatem illa ablutio non sufficiat; sed quia *credendum est* (inquit Scotus supra) *quòd Deus suppleret illud, quòd impotentia impediret*, per se infundendo (ut aliqui piè credunt) gratiam justificantem. Saltem cùm dubia sit ejus sanctificatio, non videtur præceptum Ecclesiæ in tali eventu obligare. Rit. Rom. Scotus.

57. Concluditur & ostenditur ultima pars conclusionis. Hucusque de prima parte conclusionis. Eadem autem est ratio de secunda: licèt enim (ut vult Innoc. IV. in cap. Debitum de Baptismo) non sit præscripta & definita aliqua quantitas in aqua pro materia hujus Sacramenti, quemadmodùm in verbis est præscripta forma certa; eo ipso tamen, quo præscribitur ablutio sive lotio, satis intelligitur necessaria illa quantitas aquæ, quæ requiritur ut homo simpliciter dicatur ablutus; qualis non est stilla aquæ in morali hominum æstimatione, quæ maximè hîc attendenda est, ubi à Christo pro materiâ instituta est ablutio humana, sine ulla ulteriori determinatione. Ex quo etiam sequitur

CONCLUSIO V.

Perinde est ad valorem Sacramenti, an ablutio fiat per infusionem aquæ, aut per im-

immersionem, aut per aspersionem: primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.

58. *Sufficit ablutio immersiva, infusiva & aspersiva, Rit. Roman. A quâ simpliciter homo denominatur ablutus,*

ITa Rit. Rom. supra §. de forma Baptismi. Non est autem verisimile, Ecclesiam Catholicam & Apostolicam in ritu essentiali Sacramenti maximè necessarij errare. Ratio primæ partis est: quia quocumque ex his modis ablutio fiat, homo dicitur verè, simpliciter & in morali æstimatione ablutus. Confirmat Doctor Subtilis 4. dist. 4. quæst. 3. num. 3. exemplo Scripturæ Actor. 2. v. 41. *Non* (inquit) *est verisimile, quòd in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria millia, quòd quilibet quantùm ad totum corpus suum lavaretur aquâ, sed præcisè quantùm ad faciem aspergendo, vel quantùm ad caput perfundendo.* Sicut etiam legitur S. Laurentius proximus suæ passioni quemdam baptizasse sola aspersione.

Ut ostenditur exemplo Scripturæ Actor. 2.

Et convenientia;

Convenientia est moralis necessitas; vel quia est magna multitudo baptizandorum, vel propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem ministri qui non potest sustentare baptizandum, vel denique propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione.

Ex qua concludit D. Thom. immersionem non esse de necessitate Baptismi.

Et ideo (concludit D. Thom. parte 3. quæst. 66. art. 7. in corpore) *dicendum est, quòd immersio non est de necessitate Baptismi.* Siquidem periculum mortis nequit mutare essentialia Sacramenti, ut videlicet in eo sit materia sufficiens, quod aliàs non esset; nisi fortè ex illa circumstantia proveniat, ut actio mea existimetur ablutio, quæ extra illam potiùs diceretur submersio, de quo infra. Sic quippe vita Christianè acta quamvis probabiliter sit confessio in extremo vitæ periculo, quando alia expressior notitia voluntatis confitendi est impossibilis; non tamen extra necessitatem, quia circumstantia mortis facit, ut in illa reputetur desiderium absolutionis; secùs extra illam, uti proprio loco latiùs explicabimus. Hæc tamen in præsenti non obtinent; nam etiam extra necessitatem verè dicitur ablutus, qui perfunditur vel aspergitur aquâ, non minùs, quàm qui in periculo mortis.

59. *Contra quod objicitur. Roman. 6.*

Si objicias: Baptismus est figura mortis & sepulturæ Christi, juxta illud ad Rom. 6. v. 3. & 4. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Respondeo cum D. Thom. supra ad 2. *Quòd in immersione expressiùs repræsentatur figura sepulturæ Christi .... Sed in aliis modis baptizandi repræsentatur aliquo alio modo, licet non ita expressè. Nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus, aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.* *Respondetur Primò cũ D. Thoma.*

Respondeo Secundò, illas significationes non esse essentiales; sed significationem ablutionis animæ à peccato, ad quam per se requiritur ablutio corporalis: quòd autem hoc vel illo modo, accidens est, adeoque non variat substantiam rei. In hoc igitur maximè consistit similitudo Baptismi cum Morte, sepultura & Resurrectione Christi, teste eodem Apostolo supra: *Vt quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, justitiam sive gratiam sanctificantem in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem. *Respondetur Secundò,*

Hinc aliqui non rectè colligunt ex illo loco Apostoli, immersioni, quâ confertur Baptismus, debere semper succedere emersionem, quasi hæc sit necessaria ad repræsentationem Resurrectionis Christi. Et aliunde certum est solam immersionem veram esse ablutionem. Patet in balneantibus & natantibus, qui ab omnibus dicuntur se lavare, se abluere, antequàm aquas exierint; quippe non minùs sordes deponuntur manentibus ipsis in aquis, quàm dum emergunt. 60. *Immersioni non debet succedere emersio,*

Neque contrarium docet Scotus 4. dist. 5. quæst. 3. num. 3. ut falsò ipsi imponit Vasq. disp. 145. cap. 3. in principio. Accipe verba Doctoris: *Sed projectus de ponte non* (baptizatur) *quia hoc non est ad vitam ordinatum vel lotionem, sed ad mortem.* Loquitur de puero, qui projicitur in flumen cum certa sui morte. Ex quo infert Vasq. ergo censet mersioni succedere debere emersionem, ut verum sit Sacramentum. *Contrarium non asseruit Scotus, ut ipsi imponitur à Vasquez.*

Quàm evidens consequentia! Immersio, quæ per se est occisio, non est ablutio, sed submersio; ergo nulla immersio est ablutio. Quis adeò parùm versatus in Philosophia, quin statim respondeat: nego consequentiam? Quippe generalis regula est: non licet procedere à specie ad genus distributum, v. g. *Homo est, ergo omne animal est: Homo non est, ergo nullum animal est.* Similiter ergo non sequitur: *Hæc immersio non est ablutio*, & consequenter nec materia

Baptismi;

Baptismi; *ergo nulla immersio*, quam non sequitur emersio.

Enimverò fieri potest, quòd aliquis immergatur cum debita forma, & antequàm extrahatur, forma sit absoluta; pone & obiisse catarro, aut alio accidente. Anne ex verbis Doctoris nostri præcitatis prudenter inferri poterit, hunc Baptismum fuisse invalidum? Certè illa lotio non erat ordinata ad mortem.

Similiter peritus artis natandi projicit se, vel ab alio projicitur ex ponte, ut sordes corporis abluat; num Vasq. diceret, talem projectionem esse ordinatam ad mortem, aut Scotus negaret esse veram ablutionem? Quis sapiens, & non intelliget ista? intelligens, & non sciet hæc? Profectò de his nulla controversia est inter DD. sed quæritur, an immersio, cui certò conjungitur submersio, sufficiat? & si sufficiat, an liceat? Pro resolutione primæ quæstionis sit

CONCLUSIO VI.

Ablutio occisiva valida est, tam illa, quæ fit levi aspersione, quàm projectione pueri in flumen.

61. Ablutio occisiva quomodocumque facta, est valida. Ita multi D.D. Panormitanus. Gabriel. Valentia. Suarez. Vasquez. De quo dubius manet Scotus pro opposita sententia citari solitus.

ITa sentiunt Panormitanus, Gabriël, Valentia, Suarez, Vasquez, Pet. Ledesma, & Recentiores passim. Nec dissentit absolutè Scotus, licèt ordinariè citetur pro parte opposita, quam in exteriori apparentia docet 4. dist. 4 quæst. 3. n. 3. ibi: *Sed proiectus de ponte non* (baptizatur) *quia hoc non est ad vitam ordinatum vel lotionem, sed ad mortem.* Interim (ut bene notat Scholiastes ad hunc numerum) contrarium innuit, vel saltem manet dubius, dist. 5. quæst. 3. n. 1. ibi: *Dicitur etiam, quòd talis sic proiectus non esset baptizatus, quia Baptismus est ablutio ordinata ad vitam illius abluti; non sic ordinatur illa immersio.*

Richardus. Hæc est sententia Richardi 4. a. 4. cap. 2. & 3. quam nomine ipsius refert Doctor nec probans tamen, nec improbans; adeoque non videtur eam tenere tanquàm certam. Quocirca in Reportatis 4. dist. 5. q. 3. num. 8. sic inquit: *Sed quid si adultus proijciatur in flumen, dicendo:* Baptizo te &c. *Credo quòd non baptizatur; quia proijciens non habet intentionem Ecclesiæ, quia intentio Ecclesiæ est sic madefacere eum, quòd ipso vivente posset iterum desiccari; vel esto quòd baptizetur, non timeo quin proijciens peccet mortaliter.* Ergo absolutè non docet talem Baptismum invalidum, quamvis magis in illam partem videatur inclinari, quàm simpliciter tenent Sylvester, Tabiena, Armilla, Richardus, Sotus, Angelus, Antoninus, Henriquez, Vivaldus, Toletus, Pitigianus, & alij. Et ratio est, quam supra insinuat Scotus: *Quia hoc non est ad vitam ordinatum* &c. sive: *quia intentio Ecclesiæ est sic madefacere eum* &c. Quod non ita intelligendum est (ut Suarez & Vasquez minùs verè interpretantur) quasi Doctor velit, hoc Sacramentum, aut potiùs ablutionem principaliter à Christo esse ordinatam ad conservandam vitam corporalem, & non potiùs ad significandam & causandam vitam spiritualem; sed quòd non videatur Christus instituisse Sacramentum in tali materia, quæ per se esset occisiva hominis, adeoque actio intrinsecè mala.

In quam magis inclinat. Multi alij simpliciter tenent, Sylvester. Tabiena. Armilla. Richardus. Sotus. Angelus. Antoninus. Henriquez. Vivaldus. Toletus. Pitigianus.

62. Ratio est, quod hæc ablutio non sit moralis & usualis.

Sit itaque principale fundamentum hujus sententiæ; quia talis projectio in communi usu & modo loquendi non dicitur ablutio, sive non est moralis & usualis ablutio; hæc quippe instituta est non ad occidendum, sed ad sordes abluendas salvâ vitâ. Equidem quis non ab omnibus exploderetur, si diceret se velle lavare, quem ligatis manibus & pedibus, vel cum ingenti saxo ad collum, in profundum flumen mergeret, aut in cacabum aquæ bullientis projiceret? Certè omnes adstantes unâ voce clamarent, hanc mersionem veram esse submersionem vel occisionem, minimè ablutionem. Unde talis immergens à judice jure meritissimo ut homicida puniretur.

Ut communiter judicarent homines.

63. Probatur nihilominùs conclusio ratione.

Nihilominus conclusio nostra videtur verior, nam in primis nihil deest tali actioni, quo minùs sit vera & physica ablutio, hoc est, motus aquæ circa corpus ex se conveniens ad abstergendas sordes, sive contactus corporis ab aqua (qui, ut supra diximus ex Scoto, est quasi ablutio formalis) effectivè procedens ab alio, scilicet projiciente. Si physica, quidni etiam moralis? Etenim qui sordida pecora in aquas dejiciunt, verè ea lavant secundùm usitatum modum loquendi, & tamen non intendunt ea educere, sed permittunt per se enatare; quæ enatatio per accidens se habet ad ablutionem. Quarè etsi submergerentur, non minùs propterea dicerentur abluta: porro quòd ordinariè immergamus ea, quæ volumus lavare, cum animo emergendi, ratio in promptu est; non quia aliàs non esset ablutio, sed quoniam res ipsas perderemus, quas cupimus salvas. Ita

Et exemplo projicientium sordida pecora in aquas.

Regius. Ita Regius hîc q. 66. a. 7. d. 1. n. 69.

64. Contra conclusionem objicitur primò. Sed contra: alia est ratio lavandi bruta animalia, alia homines, saltem in morali æstimatione, quod sufficit. Sic quippe licèt pasta in specie physica fortè conveniat cum pane; non tamen est materia consecrabilis. Similiter licèt Absolutio per litteras sufficeret ad naturam actûs judicialis, in quo institutum est Sacramentum Pœnitentiæ; tamen invalida est, quia institutio Christi ad eam non extenditur. Ergo pari ratione quamvìs ablutio occisiva sit vera physica & materialis ablutio, imò fortè etiam moralis; adhuc non sufficiet defectu institutionis Christi.

Respondetur primò. Respondeo negando consequentiam; nam de illa non extensione constat nobis ex definitione Pontificis, non ita de defectu institutionis. Ad aliud simile dico, pastam illam nunquàm simpliciter vocari panem, quemadmodùm immersio (de qua hîc agimus) non solùm pecorum, sed etiam hominum, aliquando vocatur ablutio simpliciter. Exemplum sit in natante, qui seipsum projicit ex ponte, vel ab alio projicitur ad lavandum corpus maculatum, quamvìs etiam per accidens conjungeretur submersio.

65. Objicitur secundò. Dices: Mersioni pueri per se conjungitur submersio, imò est ipsa submersio; ergo potiùs dicenda est occisio, quàm ablutio.

Respondetur secundò. Respondeo negando antecedens pro secunda parte: quippe non submergitur, qui mergitur; sed qui ita immergitur, ut non emergat. Unde non emersio, sive permanentia sub aquis, vel suffocatio est submersio; quæ quidem per se, id est infallibiliter, sive ut plurimùm sequitur ex mersione in illis circumstantiis; non tamen per se, id est, ex natura istius actionis secundùm se consideratæ, ita ut immediata occisio sit, quemadmodùm strangulatio, transfossio cordis, amputatio capitis, & similes actiones; qualis etiam est violenta detentio sub aquis aut projectio in ignem, quæ ex natura sua non sunt ordinatæ, nisi ad occisionem.

Non omnis immersio est submersio, esto non sequatur emersio. Porro immersio nostra per se potiùs ordinatur ab ablutionem, quàm ad submersionem: unde si infans projiceretur, quando posset ab alio vivus eripi, absque dubio ab omnibus censeretur ablutus & baptizatus; quidni ergo dicatur simpliciter ablutus, quando per accidens (ut sic loquar) defectu eripientis submergitur? Etenim supponamus plures adesse, qui infantem possint extrahere, & non velint: an proptereà actio illa minùs erit ex naturâ suâ ordinata ad mortem? Enimverò parochus præsens, qui non vult baptizare aut absolvere, reputatur absens.

Prætereà, Sacerdos sincera intentione immergit puerum fonti baptismali, & viribus destitutus subitâ infirmitate nequit educere; submergitur infans. Quis audeat negare validum Baptisma? Elabitur casu è manibus; tingitur aquâ ferventi (esto ex intentione occidendi) vel etiam aquâ frigidâ, ex cujus contactu propter indispositionem moritur baptizandus: num ideo minùs censebitur ablutus, quàm si supervixeret? Et tamen debilem sic occidit levis causa, sicut fortem gravis; & sicut hic ex ignorantia potest excusari à peccato formali, ita & ille putans bona fide sibi illam projectionem licere: præterquàm quòd non videatur ignorantia ministri posse facere, quòd actio aliqua sit vel non sit ablutio à Christo instituta. Profectò materia Sacramenti Baptismi, quæ est ablutio cum aqua naturali, de se (ut patet) non est occisiva, quamvìs hîc & nunc per accidens propter indispositionem subjecti, vel qualitates extrinsecas aquæ inhærentes, possit conjungi occisio. 66. Ut ostenditur exemplo pueri in fonte baptismali morientis. Potest ablutio baptismalis esse per accidens occisiva.

Eodem modo Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ in pane & vino; præcepitque Apostolis ut manducarent panem, & biberent vinum. Prætereà instituit Sacramentum Extremæ Unctionis in oleo sive unctione olei. Inficiatur panis & vinum veneno, ita ut ex solo odore Sacerdos consecrans contrahat lethalem infirmitatem; num ideo consecratio erit invalida? Moritur infirmus ex unctione olei infecti; ergo non fuit validè inunctus? negatur ab omnibus consequentia. 67. Sicuti sumptio specierum consecratarum, Et moribundi inunctio.

Cur non similiter hæc? Puer immergitur aquæ, sive per projectionem è ponte, sive per manus Sacerdotis, vel per lapsum è manibus ipsius, & moritur, quia non est qui extrahat sive educat eum ex aqua; ergo non fuit Baptismus validus. Certè non apparet disparitas, præsertim si consideremus illam projectionem cum intentione projicientis, & circumstantiam extremæ necessitatis; enimverò ab omnibus qui noverint eam, censebitur projiciens potiùs velle lavare, quàm occidere, idque quia aliter lavare non potest.

Instantia. Placet responsio? Minimè, inquis: quia equidem talis projectio est, & proprié vocari potest moralis occisio. Sit, & vocetur: quid vetat unam & eamdem actionem sortiri duas moralitates? Sit igitur & vocetur etiam moralis ablutio; quemadmodùm eadem actio potest esse & vocari moralis comestio, bibitio aut unctio, Satisfit ex eo quod possit una actio duas sortiri moralitates.

unctio, & simul etiam moralis occisio.

Ex his plana est responsio ad fundamentum contrariæ opinionis. Equidem licèt projectio hominis in aquas non in omnibus circumstantijs in communi usu & modo loquendi appelletur ablutio, sive non sit moralis & usualis ablutio (ut bene probant exempla supra allata) attamen non video, quarè in casu extremæ necessitatis parvuli tali nomine non sit digna, quando omnis alia ratio & modus lavandi est impossibilis.

Moralis videlicet occisionis & ablutionis.

68. Christus itaque instituit pro materia Baptismi veram ablutionem, prohibens adhiberi actionem illicitam, non tamen invalidam; nam (ut dicitur in cap. *Ad Apostolicam* de Reg.) *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Sic etiam Christus in omnibus alijs Sacramentis ordinavit actiones licitas; non tamen eas irritat, si per accidens ex mala voluntate ministri inficiantur, aut sortiantur simul aliam malam moralitatem. Quarè ista ablutio non est mala quà ablutio, sed quà occisio; & eatenùs non est instituta, sed sub moralitate ablutionis, cui moralitas occisionis adjungitur, si tamen adjungatur.

Hanc Christus voluit materiam validam, non licitam:

Validam in ratione ablutionis, non occisionis;

69. Verùm enimverò neque sic quiescit animus, sed tacitis secùm dicit cogitationibus: consentio quòd talis projectio sit ablutio moralis; equidem non procedit effectivè à ministro, quod tamen secundùm Scotum (ut supra vidimus) requiritur ad materiam hujus Sacramenti: quippe ablutio baptismalis determinatur à forma secundùm rigorem verborum: *Ego te baptizo*; in qua vel exprimitur persona ministri, vel saltem subintelligitur; ac proinde videtur necessarium, ut proximè applicet per se aut instrumentum conjunctum, vel puerum aquæ, vel aquam puero.

Procedit-que effectivè à ministro;

Sed hoc est quod quæritur; unde eâdem facilitate negatur, quâ adstruitur. Neque enim Doctor noster exigit, ut lotio corporis ab aqua fiat ab alio immediatè, vel per instrumentum conjunctum, sed simpliciter *ab alio causante contactum istum*, sive immersione, sive aspersione, sive applicando puerum aquæ, sive aquam puero, vel manibus proprijs sustinendo, vel projiciendo; hæ siquidem omnes actiones denominant ministrum verè lavare sive abluere, ut patet in eo, qui pecora lavanda projicit in aquas. Hæc pro validitate; quâ supposita,

Non tamen immediatè, vel per instrumentum conjunctum.

CONCLUSIO VII.

Difficulter ostenditur ex ratione ablutionem occisivam, v. g. projectionem parvuli in flumen cum certa ejus submersione, semper esse illicitam.

Auctoritas facit in oppositum, etiam Doctoris Subtilis, qui verbis supra citatis ex Reportatis 4. distinct. 5. quæst. 3. num. 8. hæc subjungit: *Et quid si non posset aliter baptizari? Dico, quòd nullus debet exponere se pro alio peccato mortali; & plùs debet diligere animam suam, quàm animam proximi. Quid si dicatur: immergo? Dico, quòd non videtur verbum ad intentionem baptizandi, sed submergendi.* 70.

Ablutio occisiva ex auctoritate ostenditur illicita, Scotus.

In primo autem scripto 4. distinct. 5. quæst. 3. num. 1. ad quæstionem, an aliquis debeat ministrare Sacramentum Baptismi, quando præsumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis ejus, qui suscipit? Respondet in hæc verba: *Aut talis præsumptio est certa ex signis certis; utpote si quis non habens aquam, quam posit attingere, nisi de ponte propellat puerum in fluvium vel in puteum; hoc certum est, quòd quantum est ex ratione talis actûs, nata est mors subsequi, quia submersio* (non formalis, sed concomitans aut subsequens) *Dico quòd quando sic præsumitur mors, nullo modo debet aliquis eum propellere aut projicere: quia peccabit mortaliter occidendo; & quilibet tenetur magìs vitare peccatum mortale in se ipso, quàm quærere salutem proximi: quia ordinata charitas magìs est ad se ipsum.*

Etiam Doctoris Subtilis;

Scoto subscribunt cæteri ferè omnes DD. idque ex eodem fundamento, videlicet quia talis projectio est directa occisio innocentis, quæ juxta communem sententiam, solò (quod sciam) Joanne Poncio Summæ Theolog. disp. 52. quæst. 5. contradicente, in omni prorsus casu est illicita, Deo attestante & præcipiente Exod. 23. v. 7. *Innocentem & justum non occides, quia aversor impium.* 71.

Et omnium fermè aliorum Scoto subscribentium,

Ex eo quòd innocentis directa occisio semper sit illicita. Exod. 23.

Porro præfatus Auctor hanc statuit quartam conclusionem: *Licet aliquando directè occidere Innocentem.* Exemplificat in Tyranno, qui potens vellet destruere Rempublicam aliquam, quæ resistere non posset, nisi mitterent

Cujus oppositum non rectè docuit Poncius,

mitterent ad ipsum caput alicujus innocentis amputatum; in tali enim (inquit) casu mors illius innocentis esset necessaria, ut conservaretur Respublica, & filij ac parentes ipsiusmet innocentis. Et quamvis vita hominis sit sub dominio Dei, tamen non ita, quin sicut posset Respublica ordinare (ut omnes fatentur) ut quis exponeret se manifesto periculo mortis pro salute Reipublicæ, sic etiam posset in casu præmisso interficere ipsum.

72. Innixus ruinoso fundamento. Sic Poncius noster ruinoso certè fundamento imponens gravissimam molem novæ & hactenus inauditæ sententiæ. Quid si enim Tyrannus mandet, ut innocens seipsum occidat? num ideo occisio sui erit licita? Et tamen occisio innocentis & sui ipsius eodem præcepto prohibentur. Fateor, naturam magìs abhorrere occisionem propriam, quàm alienam, propter intimam connexionem, aut potiùs identitatem hominis secum, ita ut propterea plures doceant, neminem constitui idoneum executorem sententiæ capitalis in seipsum: attamen illa connexio non est tanta, quin secluso præcepto divino teneretur se ipsum occidere pro bono communi; quemadmodùm potest & debet proprios parentes trucidare, licèt extra necessitatem propter reverentiam & connexionem cum illis non sit idoneus executor justæ sententiæ mortis.

73. Non enim licent omnia quæ pro bono communi sunt necessaria. Non itaque omnia licent, quæ sunt necessaria pro bono communi; sed illa dumtaxat, quæ aliunde à Deo non inveniuntur specialiter prohibita. Patet in fornicatione, adulterio & similibus intrinsecè malis; quibus rectissimè annumeratur occisio directa innocentis, quæ proinde non censetur concessa sive pro bono communi, sive privato, corporali aut spirituali.

Ut variè ostenditur.

Profectò si Reipublicæ commissa est directa occisio innocentis pro sui conservatione; quâ fronte negabimus eandem permissam, quando planè necessaria est pro æterna hominis salute, quam quisque prædiligere debet bono communi, & pro qua tenetur se exponere manifestissimo periculo mortis corporalis? Aut cur non liceat Regi occidere uxorem sterilem, ut ex altera hæredem suscitet omnimodè necessarium pro bono communi Reipublicæ tam civilis, quàm Ecclesiasticæ? Certè Poncius vix aut ne vix quidem inconsequentiam poterit ostendere.

Poncius pro se nullum citat Auctorem. Suppono igitur cum communi sententia, contra Poncium, qui pro se nullum citat Auctorem, in nullo prorsus casu licere occisionem directam innocentis: sed nego in casu conclusionis nostræ eam intervenire. Quod ut probem, non abs re erit, imo quamplurimum juvabit, ne dicam omninò necessarium, scire differentiam seu distinctionem inter occisionem directam & indirectam, quam hîc appono: In casu conclusionis non intervenit directa occisio.

74. Quid sit illa. Directè occidere innocentem, est intendere ejus mortem vel ut medium, vel ut finem, saltem ex natura actionis. Quod ultimum addo; quia non requiritur semper explicita volitio mortis, sed videtur sufficere, quòd ponatur talis actio, cujus effectus unicus, necessarius & immediatus est mors.

Quid occisio indirecta. Ex quo facilè colligitur, quid sit occidere indirectè; videlicet ponere actionem aliquam, cui conjungitur sive fallibiliter, sive etiam infallibiliter mors, non intenta tamen neque ut medium, neque ut finis, etiam ex natura ipsius actionis. Exemplifico in bello:

Hujus ponitur exemplum. Oppugno justè aliquam civitatem, & pro victoriâ necessaria est eversio turrium & mœniorum. Collocantur in his pueri, & alij innocentes: everto nihilominùs turres & mœnia, atque opprimuntur innocentes. Dico, occisionem esse indirectam, ac proinde licitam; quoniam tametsi is, qui arcem diruit, physicè loquendo sit causa illius mortis, non tamen humano & morali modo; quia hoc verbum in ordine ad actionem humanam communiter applicatur intendenti mortem in se, vel in causa per se, aut certè in causa per accidens, quando obligatur eam non ponere. Porro justus hostis pro fine habet victoriam, ad quam nullatenus conducit mors innocentium; sed sola eversio turris, in qua utitur jure suo, neque tenetur vitare damna proximi, quæ inde per accidens sequuntur, cum tanto sui detrimento.

75. Quod impugnatur; sed impugnationi satisfit primò. Sed contra: mors in casu posito sequitur per se; ergo intenditur: ergo est occisio directa. Respondeo Primò negando antecedens: nam casu vel malitiâ aliorum evenit, quòd ibi sint innocentes. Igitur accensio cuniculi v.g. aut etiam ipsa dissipatio arcis ex natura sua non ordinatur ad mortem; sed ista ad eversionem, hæc verò ad victoriam, vel alium finem indifferentem; adeoque occisio prævisa non magìs debet imputari injicienti ignem in pulverem tormentarium, quàm si nullo modo fuisset prævisa; sicuti pollutio præcognita à confessario non plus

plus ipsi imputatur, ac si omnimodè illam ignorasset, sive confessio turpium dicatur causa per accidens, sive etiam per se, ut aliqui volunt.

Satisfit secundò. Respondeo Secundò negando consequentias: nam victoria est effectus æquè necessarius & immediatus, ac qui sua bonitate malitiam effectûs mali videtur elidere, solus ab hoste expressè intentus. Tunc autem non intenditur moraliter effectus malus, nequidem in causa per se.

76. Excusatur factum Sampsonis à peccato propriæ occisionis. S. August. Atque hàc ratione multi excusant factum Sampsonis Judicum 16. vers. 30. à peccato propriæ occisionis; quamvis Div. August. de Civitate Dei lib. 1. cap. 21. recurrat ad specialem instinctum Spiritûs sancti, dicens: *Nec Sampson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppresit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat:* fortè, quia existimavit Sampsonem expressè intendisse propriam mortem, ex his verbis, quibus historiam narrat Scriptura sacra loco supra citato: Judic. 16. *Ait (Sampson) moriatur anima mea cum Philisthym; concussisq́, fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes* &c. Fortassis etiam, quia Sanctus Doctor judicavit, vindictam illam de inimicis non fuisse causam sufficientem seipsum indirectè occidendi: quippe videndum est, an bonum commune aut privatum, quod inde provenit, tantum sit, ut ex præcepto charitatis possit quis illud præponere vitæ propriæ aut aliorum innocentium.

77. Et illius qui se ex alta turri projiceret ut incendium evaderet. Et ita, secundùm quamplurimos DD. licet seipsum projicere ex alta turri cum evidenti periculo mortis ad evadendum incendium; ignem injicere in pulverem tormentarium cum certa conflagratione navis, & interitu nautarum, nè alioquin navis veniat in potestatem hostium cum maximo detrimento Reipublicæ Christianæ; & alia similia multa censentur tantummodò mors sive occisio indirecta, quoniam non intenta neque in se, neque in sua causa, neque ut medium, neque ut finis; quæ tamen si absque causa fierent, proculdubio homicidij crimine innecterentur. Ut quædam actio sit directa vel indirecta occisio, pendet multum à circumstantijs. Enimverò circumstantiæ sæpissimè mutant moralem rationem actionis, ita ut eadem physica actio, quæ in aliquibus esset directa occisio, in alijs solùm sit indirecta.

78. Quod ostenditur exemplis. Hinc etiamsi in bello justo haberentur infantes hostium, non possent occidi, ut pro liberandis filijs parentes obsessi sese dedant; siquidem tunc occisio eligeretur tanquàm medium ad victoriam obtinendam. Idem est si aliquis primò occîdat infantem, ut tali via alio ictu possit occidere injustum invasorem. Aliud dicito, si unico ictu occidat invasorem & infantem, quo se protegit: quippe tunc non eligitur causa ista physica occisionis propter conjunctionem, quam habet cum morte infantis; sed cum occisione invasoris, qui effectus licitè est volibilis, cui per accidens conjungitur mors infantis.

Quidni ergo projectio infantis in casu conclusionis sit occisio solùm indirecta moraliter? Imò hæc videtur magìs licita, quia est puero valde utilis, utpote causa æternæ salutis, & nullo modo damnosa, cùm sine ea nihilominus statim moreretur: sine comparatione autem meliùs est illi puero ita baptizari, quàm sine Baptismo adhuc paulolùm supervivere.

Respondet Regius supra num. 75. esse diversam rationem in hàc projectione, atque in alijs dictis actionibus; quia his secundùm se consideratis omninò per accidens conjuncta est occisio: quemadmodùm etiam quando fugio mortem ab hoste mihi imminentem cum certo vitæ periculo pueri obvij, ab equo, cui insideo, conculcandi. Similiter dum mulier gravida sumit medicinam directè conducentem suæ sanitati, etsi certò sequatur aborsus fœtûs animati, cujus alioquin nulla superest spes vitæ. Nam sine hac occisione posset eadem numero eversio aut explosio tormentorum fieri, si illi innocentes abessent; & similiter eadem esset fuga, si puer à via abesset; & mulier illa idem pharmacum sumeret, etsi non esset prægnans. Secùs est de projectione illa pueri, quæ secundùm se considerata, & seclusis omnibus extrinsecis circumstantijs fieri naturaliter nequit sine pueri occisione. Quarè qui eam vult, necessariò vult etiam mortem pueri, nec potest unam ab alia præscindere efficaci volitione. 79. Responsio Regij

80. Impugnatur ex ipso Regio. Contra: etiam in alijs casibus nequit homo efficaci voluntate velle unum, & non aliud certò conjunctum, saltem physicè loquendo, ut admittit idem Auctor supra num. 73. nam loquens de indirecta occisione, quam existimat ex rationabili causa licitam, inquit: Quia etsi tunc physicè loquendo hîc & nunc cum tali actione conjuncta sit occisio innocentis, atque illam exercens sit hujus causa; tamen moraliter loquendo occisio est planè per accidens conjuncta cum illo opere: tum quia nullo modo neque ut medium, neque

 ut finis

ut finis est intenta ab exercente illud opus, qui omnimodè cuperet eam abesse: tum quia ille non tenetur hîc & nunc omittere illam actionem, nè occisio sequatur; atque ita non censetur hujus moralis esse causa. Hucusque Regius.

81. Sed quis ita præoccupatus, ut non statim videat & fateatur similem esse rationem projicientis puerum? Siquidem mallet omnibus modis conservare vitam ejus, si posset sine dispendio æternæ salutis; neque elegit mortem tanquam medium ad Baptismum, cùm non possit mortuo prodesse Baptismus (puta, quia subjectum ejus est homo vivens) sed tantùm sequitur mors post Baptismum, non certiùs, quàm sequatur in alijs actionibus. Quapropter licèt non possit velle projectionem tanquàm medium necessarium ad Baptismum, nisi simul physicè velit submersionem infallibiliter subsecuturam; causalitas tamen moralis, quæ necessaria est ut actio sit illicita, non sufficienter evincitur.

82. *Quòd quis non censeatur moraliter velle occisionem, faciunt circumstantiæ.* Equidem quòd in alijs casibus non censeatur quis moraliter velle occisionem, provenit ex circumstantijs, quibus datur intelligi mortem non esse per se volitam; adest enim alius effectus immediatior vel æquè immediatus, qui censetur solùm intendi, & ad quem obtinendum mors nullo modo est medium: v. g. præcipitans se ex turri vel ex fenestra ad evadendum incendium, non reputatur suicida, etsi certò moriatur; quia mortem suam neque intendit ut finem, neque ut medium; quia antequam mors sequatur, jam est extra periculum incendij. Aliud esset, si manens in domo se pugione transfodiat, nè vivus igne absumatur; tunc siquidem eligitur mors tanquàm medium ad evadendum ignem, quem alioquin manens vivus non evaderet, quod dubio procul illicitum est.

Quæ fiant, dum puer in aquas projicitur ut baptizetur. Porro in casu nostro ex circumstantijs manifestè colligimus, non esse intentionem projicientis occidere, sed baptizare sive abluere, quæ ablutio est effectus magìs immediatus & necessarius, quàm submersio; ista quippe ab immersione nequit separari, imo essentialiter est ipsa immersio; hæc autem abesse potest, si adstantes puerum statim extrahant: neque ullatenùs necessaria est tanquàm medium ad ablutionem, quæ principaliter intenditur tanquàm finis. Illi igitur projectioni quà est Baptismus, æquè per accidens conjungitur mors infantis, atque in alijs casibus à Regio & alijs admissis.

Respondent aliqui, ibi ex naturali significatione circumstantiarum intelligi, quòd non intendatur occisio; hîc autem ex accidentali tantùm & dependenter ab institutione. Sed profectò sive ex istis, sive ex illis circumstantijs, dummodò adstantes intelligant; quid refert? Et sanè circumstantia Baptismi cognita tam naturaliter significat illam projectionem non fieri ex intentione occidendi, quàm circumstantia incendij. v. g. aut mortis ab hoste imminentis, conculcationem infantis obvij, aut præcipitationem ex fenestra sive turri. 83. *Nec refert, quòd circumstantiæ sint naturales vel accidentales.*

Dices: Non variatur actio etiam secundùm moralem suam rationem, ex arbitrio cujusque particularis, sed communi quibuscumque obvio. Respondeo, obvio illis, qui norunt circumstantias actionis sive voluntarias, sive naturales; quòd autem una circumstantia magìs & pluribus nota sit, quàm altera, impertinens est ad propositum. Enimverò ponamus me inspectante & nesciente, Petrum fugere inimicum suum, & fugiendo conculcare puerum, statim judico ipsum homicidam: similiter si video ipsum saltantem ex fenestra, & ignoro domum ardere; & ita in alijs. Scio incendium, scio persecutionem inimici; ex tempore dico: non est occisor. Ergo à pari, qui videt infantem projici in aquas, si ignorat necessitatem Baptismi, judicat submersionem; cognoscit eam, & indubitanter loquitur: abluitur puer, & non submergitur. 84. *Aut una magìs & pluribus sit nota, quàm altera.*

Concludo finaliter, & dico non minùs probabile videri, projectionem nostram esse occisionem tantummodò indirectam, ac proinde licitam attentâ solâ ratione, quàm eversionem mœniorum, explosionem tormentorum, fugam, sumptionem pharmaci, & similes actiones, quando æquè certò mors propria vel innocentis est adjuncta. Et ideo docet hanc sententiam Ochogavia apud Dia, parte 5. Tract. 3. de casibus tempore mortis occurrentibus, resol. 14. & pluries Lovanij publicè est defensa. *Concluditur ablutionem occisivam esse licitam attenta sola ratione.* *Ochogavia.*

Interim si malumus credere auctoritati, erit occisio directa, ex qua suppositione Scotus supra citatus non timet, quin propellens aut projiciens peccet mortaliter; quippe non sunt facienda mala, ut eveniant bona: sed tunc magìs consequenter negatur incensionem navis & alias actiones supra enumeratas licere cum certa omninò morte propria vel innocentium: secùs, si solùm est periculum mortis; siquidem exponere seipsum aut proximum certæ morti, 85. *Attentâ auctoritate erit occisio directa.*

morti, secundùm illos Auctores est directè occidere; exponere verò periculo mortis cum aliqua spe evasionis, indirectè tantùm.

Citatur D. August. Et hoc (inquiunt) videtur conformius D. August. lib. 1. de Civit. Dei cap. 26. in fine: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, nè incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, nè hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magìs hâc vitâ opus est, ut possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

86. Sed perperam, cùm agit in casu, in quo eligitur mors ut medium. At quis non illicò respondeat, August. loqui in casu, quo quis eligit mortem, tanquàm medium ad evadendas molestias temporales aut spirituales? Certè verba clarissima sunt.

Caramuel. Per quæ etiam facillimè solvitur quæstio proposita à Joanne Caramuele, Theologiæ suæ fundamentalis fol. 561. n. 1166. Sollicitat (inquit) Antoniam Petrus, & ipsa se fragilem sentit: vim ille imponit, & ipsa periculum proximum judicat, è quo non possit probabiliter evadere innocens. Ergo, nè mortaliter peccet consentiendo libidini, cùm aliter se à Petri invasione liberare non potest, illum licitè occidit, & vi repellit vim, & se conscientiamque suam securam reddit. Hanc sententiam tenent universi: nemo enim condemnat castam virginem, quæ lascivum invasorem interemit: nemo asserit, debere illam stuprum permittere potiùs, quàm se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Sed quid dicendum erit, si non possit invasorem occidere, nec aliter ejus manus evadere, quàm per fenestram exiliendo? An se præcipitare poterit, & hoc modo periculum peccandi effugere? Et quid dicendum tandem, si Antonia invadat semetipsam? Quid eo casu, quo pruriente seminis abundantia & urgente consuetudine peccandi, illa evidenter videat se peccaturam esse? Annè in tali casu poterit contra seipsam procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ? Ita interrogat præfatus Auctor.

Quod est illicitum. Respondeo: potest per fenestram exilire cum periculo propriæ vitæ & spe evadendi manus stupratoris; minimè se ipsam manentem in cubiculo pugione transfodere: quippe sic eligit mortem, adeoque intendit eam tamquàm medium necessarium ad fugam peccati, desiderio utique vitæ melioris, quam post mortem sperat: sed profectò *reos suæ mortis* (inquit August. supra) *melior post mortem vita non suscipit.* Licèt fieret desiderio vitæ melioris.

Quæris, unde hoc sciam? Respondeo cum Sancto Doctore supra cap. 20. in principio: *Neque enim frustra in sanctis Canonicis libris nusquàm nobis divinitùs præceptum permissumvè reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendivè mali causâ, nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait:* Non occides; *præsertim quia non addidit: proximum tuum, sicut falsum testimonium cum vetaret.* S. August. Aut causâ carendi cavendique mali.

87. Objectio, quod liceat occidere injustum invasorem vitæ &c. Dices: Præceptum *non occides*, multas patitur interpretationes & exceptiones: licèt quippe occidere malefactores, injustos invasores vitæ, bonorum temporalium, honoris ac pudicitiæ; cur non similiter carnem propriam, quando injustè me invadit, violenter quasi pertrahens ad consensum peccati?

Responsio, quòd caro propria non sit injustus invasor. Respondeo, negando carnem esse injustum invasorem; siquidem justissimè retributa est concupiscentia carnis merito inobedientiæ primorum parentum. Nam *si quid infirmitatis* (inquit D. August. lib. 2. contra Felicem cap. 8.) *patiuntur, qui non possunt facilè implere quod volunt, manifestum est hoc venisse de tradùce primi peccati Adam.* Et tamen *ne dicatis* (verba sunt ejusdem Sancti Enar. in Psal. 40.) *non possum tenere & portare & frænare carnem meam: adjuvaris, ut possis.* Etenim (teste Concil. Arauf. 2. cap. 25.) *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere.* Non dicit Concilium: si seipsos occiderint, sed: *si fideliter laborare voluerint.* S. August. Et quòd concupiscentia frænari valeat aliâ viâ. Arauf. Fideliter utique laborando.

Quis autem ita desipiat, ut dicat eum fideliter laborare in vinea suæ custodiæ commissa; qui eam destruit nè ampliùs oporteat laborare? Laborandum igitur est cum S. Teresia, de qua legitur in divino Officio: *Cùm assidua ederet exempla virtutum, tam anxio castigandi corporis desiderio æstuabat, ut quamvis secus suaderent morbi, quibus afflictabatur, corpus cilicijs, catenis, urticarum manipulis, aliisq; acerrimis flagellis sæpè cruciaret, & aliquando inter spinas volutaret, sic Deum alloqui solita:* Domine, aut pati aut mori. *Se semper miserrima morte pereuntem existimans, quamdiu à cælestis æternæ vitæ fonte abesset.* Ad exemplum S. Teresiæ.

Taliter quoque laborabat Seraphicus Pater

Et Seraphici Patris Francisci. Pater noster Franciscus, de quo narrat Seraphicus Bonaventura cap. 5. vitæ ejus, gravem tentationem carnis non se occidendo, sed durissimis cædendo flagellis, & in nives se projiciendo, effugasse. Hos Sanctos imitetur Antonia cum Apostolo (Et Apostoli Pauli.) castigans corpus suum, & in servitutem redigens, non autem violenter occidens; neque dicat: *Aut peccandum, aut moriendum*; sed potius: *Aut patiendum, aut moriendum.*

Apposite D. August. lib. 2. de Peccat. (S. August.) meritis cap. 6. Dubitare non possum, *nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuvandum, quo fiat, quod iubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo.* Postulet itaque à Deo gratiam, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus, qui sic petunt & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est. (Deus etenim impossibilia non jubet. Trident.) Neque enim *impossibilia iubet* (verba sunt Trid. sess. 6. cap. 11.) *sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis.*

88. (Sed quid si sit necessitas aut fornicandi, aut propria manu moriendi? Caramuel.) Sed quid si tentatio tanta sit, ut patiendo liberari non possis, & tibi ideo aut moriendum, aut cedendum sit? Respondet Caramuel parte 2. Theol. fundamentalis n. 108. in fine: Ride quæso; militamus sub bono Deo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ergo respondeo casum esse impossibilem, & sine injuria Dei possibilem dici non posse. Et sic non dissolvo controversiam, sed tollo. Sed quid si esset possibilis? Respondeo non esse absurdum, si ex præmissis absurdis absurdæ consequentiæ inferantur. Hæc ille.

Dico ego, neque in tali casu mortem propriam esse præeligendam fornicationi v. g. cùm majus malum sit se ipsum directè occidere, quàm fornicari; ex duobus autem malis minus est eligendum. (Præeligenda erit fornicatio.) Sicuti ergo non bene sequitur: aut fornicandum est, aut adulterandum; ergo licet adulterari: ita etiam non valet hæc consequentia: fornicandum est, aut propria manu moriendum; ergo possum mihi mortem consciscere. Quippe (ut statim dixi) majus malum est directè seipsum innocentem occidere, quàm fornicari; sicut majus malum est adulterari, quàm fornicari.

89. Objectio. Contra: Non occiditur innocens, sed nocens, quoniam necessitat ad peccandum: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit* (juxta (Jac. 1.) Apostolum Jacobum cap. 1. v. 15.) *generat mortem.* Ut autem habetur cap. *Significasti* 2. de homicidio: *Vim vi repellere omnia iura omnesq; leges permittunt.* Si ergo conceditur occisio invasoris vitæ corporalis cum moderamine inculpatæ tutelæ, quantò magis invasoris vitæ spiritualis?

Respondeo hîc excedi moderamen inculpatæ tutelæ: quippe non permittitur tutela contra invasorem justum, v. g. ministrum justitiæ publicæ: concupiscentia autem si necessitat ad peccandum, ut tibi placet, est quasi minister justitiæ divinæ, aut potiùs pœna justè pro peccato inflicta. (Responsio.) (Concupiscentia est quasi minister justitiæ divinæ,) (Aut pœna pro peccato inflicta,) Ergo quemadmodùm fur, ut evadat infamiam patibuli, seipsum interimens, graviter delinquit contra præceptum: *Non occides*; simili ratione homo sibi ipsi manus injiciens, ut evadat concupiscentiam necessitantem ad fornicationem, sive fornicationem necessariam, reus erit homicidij. Igitur ex eo quòd Antonia (de qua supra) necessitaretur ad fornicandum, minùs rectè infertur, posse se ipsam pugione transfodere, aut alio genere mortis directè occidere. Hæc dicta sint occasione verborum S. August. & quæstionis propositæ à Caramuele.

Majorem difficultatem habent alia verba D August. ibidem cap. 21. quæ supra citavi & explicavi. 90. Quòd si minùs cuipiam allubescat explicatio, & contendat D. August. fuisse in contraria opinione, non ago pugnaciter: nam etiam videtur asserere, illicitum esse occidere invasorem injustum propriæ vitæ, de lib. arbit. lib. 1. cap. 5. (Aug. asserere videtur esse illicitum occidere) (Invasorem injustum propriæ vitæ.) ibi: *Sed illi homines lege inculpata, quomodò inculpati queant esse, non video: non enim lex eos cogit occidere* (invasores scilicet vitæ, pudicitiæ, bonorum fortunæ) *sed relinquit in potestate.* Et infra: *Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Et post pauca: *Quomodò enim apud eam* (providentiam divinam) *sunt isti peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

Sed quam ob causam arbitramur Doctorem Sanctum ita fuisse locutum contra communem omnium DD. sententiam, quæ concedit occisionem injusti invasoris, saltem propriæ vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ? (Assignatur causa, cur sic docuerit August.) Certè non ob aliam, quàm quæ insinuatur ab Evodio ipsum interrogante, his verbis: *Quomodò possum arbitrari carere istos libidine, qui pro ijs rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti? aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi? Non ergo lex iusta est, quæ dat potestatem vel viatori, ut latronem, nè ab ipso occidatur, occidat: vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat: nam militi etiam iubetur lege, ut hostem necet; à qua cæde si tem-*

si temperaverit, ab Imperatore pœnas luit. Ita Evodius.

91. Respondet August. *Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem* &c. Admittit quidem legem justam & inculpatam; at permittentem solùm, non præcipientem, præterquam militi. Nam *miles* (inquit) *in hoste interficiendo minister est legis, quare officium suum facilè nulla libidine implevit.* Libido itaque sive periculum libidinis, quæ facilè intervenire potest in defensione vitæ, pudicitiæ ac bonorum fortunæ, rationem dedit tanto Doctori dubitandi de bonitate, & quasi asserendi malitiam hujus actionis.

Libido vid. aut ejus periculum in talibus defensionibus non solutum?

Confirmatur ex illis, quæ habet Epistolâ 154. post medium, ibi: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro alijs vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitimâ potestate, si eius congruit personæ. Qui verò repelluntur aliquo terrore, nè malè faciant, etiam ipsis aliquid fortasse præstatur. Hinc autem dictum est: Non resistamus malo, nè nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus.* Quia ergo homines quando propria causa agitur, facilè opere vel affectu modum defensionis excedunt, hinc non videt Lumen Ecclesiæ D. August. quo pacto regulariter excuset ab omni peccato, qui interficiunt.

Item absentia moderaminis inculpatæ tutelæ.

92. Enimverò (ut ad præsentem difficultatem redeamus, & finem ei imponamus) longè abest libido aut vindicta ab illo, qui infantem projicit in flumen, non pro se, sed pro æterna parvuli salute. Ut proinde ab exemplo Sampsonis non evidenter ducatur argumentum ad ablutionem occisivam. Neque ad sectionem cæsaream matris, ut proles baptizari possit in partu desperato, licèt ista infallibiliter interitura sit.

Ab illo, qui projicit infantem in flumen ut salvetur, abest libido & vindicta.

Sed nunquid ideo hæc sectio licita? Difficile est (inquit de Scildere in Synopsi de Sacram. §. 13.) in ea peccatum ostendere, cùm neque quà corporis apertiva (ut in calculi sectione patet) illicita sit; neque quà allativa mortis, utpote æquè immediatè causa Baptismi per se intenti, ad quem mors matris subservire non potest.

An liceat sectio cæsarea.

Atque hæc præcipuè urgent in matre moribunda, eò quòd in morte matris proles suffocari soleat; quare illius sectionem tunc licitam esse, opinatur Theologus non nemo cum Medicis quibusdam. In oppositum unanimiter stant cæteri Theologi, quamvis eorum aliqui (Præpositum intelligo) baptizari posse credat infantem in utero aquâ immissâ, licèt mors inde matris oritura sit.

Saltem in matre moribunda?

Probat autem Præpositus suam sententiam: quia in hoc casu actio ministri non respicit interitum matris pro suo termino, sed ablutionem prolis, quæ in ratione ablutionis materialis est quid indifferens: in ratione verò cæremoniæ sacramentalis est honesta, & subsequens mors matris solùm est permissa, atque adeò non imputatur ad peccatum; imò mater eo casu tenetur permittere, ut proles baptizetur. Nam si cum certo vitæ corporalis periculo tenemur succurrere saluti proximi, quando moraliter certum est nos posse succurrere, & certum est eum aliàs periturum; eadem ratione tenemur in similibus circumstantijs permittere, ut cum aperto nostræ vitæ periculo alius succurrat. Quamdiu tamen ex una parte non apparet morale periculum, quòd proles non poterit nasci viva ex utero, & ex altera parte moralis spes quòd efficaciter poterit ei succurri in utero Baptismum reipsa conferendo, mater non tenetur sese aperto vitæ discrimini exponere, & proinde rarò tenetur se exponere isti periculo, cùm rarò omnes illæ circumstantiæ occurrant. Hæc ille.

Posse baptizari parvulum in utero, etsi mors matris sit secutura, docet Præpositus qu. 66. n. 92.

Imo matrem debere permittere, ut sic baptizetur.

Quæ sic posset aliquis applicare sectioni cæsareæ. Hæc sectio non respicit interitum matris pro suo termino, sed apertionem corporis & eductionem prolis, ut ea possit baptizari; ad quam utique apertionem & eductionem non magìs certò sequitur mors matris, quàm ad infusionem aquæ; proinde solùm est permissa, atque adeò non imputabitur ad peccatum, eritque obligatio sectionem permittendi in prædictis circumstantijs. 93.

An sit eadem ratio sectionis cæsareæ?

Respondeo: prorsus erit obligatio eam permittendi, immo & exequendi, ex suppositione (quam communiter negant Theologi) quòd liceat: prout etiam projectionem parvuli aut adulti in flumen. Quippe omni medio licito tenemur succurrere nobis ipsis & proximo in extrema necessitate vitæ spiritualis constitutis, etiam cum præsentissimo periculo mortis corporalis. Quidni & cum certa morte, si probabiliter fuerit honesta? Etenim sic dicimus teneri Sacerdotem absolvere moribundum, qui non dedit signa doloris præter vitam Catholicè actam, ex hypothesi quòd probabiliter liceat. Profectò satiùs & omnibus modis exoptandum est tam parvulo, quàm adulto, statim emori cum spe aliqua æternæ vitæ, quàm diutiùs supervivere cum certitudine æternæ damnationis.

Est obligatio eam permittendi & exequendi, supposito quòd liceat.

Atque

Quæstio de ablutione occisiva magis speculativa, quàm practica.

Atque hæc (ut reor) sufficient pro controversia magìs speculativa quàm practica, cùm casus illi extremæ necessitatis perrarò soleant occurrere. Restat quæstio circa ablutionem sacramentalem trina esse debeat, an una? pro qua subjicio hanc conclusionem desumptam ex Concil. Toletano IV. cap. 5.

CONCLUSIO VIII.

Ablutio in Sacramento Baptismi una sit vel trina, secundùm consuetudinem Ecclesiæ.

94. Ablutio sit una vel trina, secundùm usum Ecclesiæ.

Tolet. IV.

CONcil. Toletanum IV. can. 5. sic ait: *De Baptismi autem Sacramento, propter quod in Hispanys quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur.* Et post pauca: *Beatæ ergo memoriæ Gregorius Rom. Ecclesiæ Pontifex, qui non solùm partes Italiæ illustravit, sed & longè existentes Ecclesias suâ doctrinâ perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro Episcopo de hac Hispaniæ diversitate, quid potiùs esset sequendum, inter cætera rescribens ei, sic ait: De trina verò mersione Baptismatis nihil responderi veriùs potest, quàm ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fortè, etiam pro summæ Trinitatis veneratione, existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquas mergere: quia dum in tribus subsistentys una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari.*

Per trinam triduanæ sepulturæ Sacramenta significantur, & Trinitas personarum:

Per unam essentiæ unitas designatur.

Sed si nunc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant: dumq;, quod faciebant, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter, quia de utroque Sacramento, quod fit in sancto Baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. Hactenus Concilium. Non est autem verosimile vel Pontificem Gregorium, vel Concil. illud, totamque Ecclesiam Hispaniæ errasse circa essentialia Sacramenti maximè necessarij.

Tempore itaque Leandri Episcopi consuetudo erat illius particularis Ecclesiæ unicâ mersione baptizare, occasione scilicet particularis hæresis, sive (ut loquitur Conc.) *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum* in illa Ecclesia. Porro in Ecclesia Romana & universali semper obtinuit usus à tempore Apostolorum trinæ ablutionis. Atque hæc de facto præscribitur à Rit. Romano tit. de Baptismo §. de Forma Baptismi, ibi: *Baptismus licèt fieri possit aut per infusionem* &c. *ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur* &c. Ideoque obligat & semper obligavit, ubi per contrariam consuetudinem non est aut fuit ei sufficienter derogatum.

Tempore Leandri Episcopi adhibebatur una;

In Ecclesia Romana semper trina.

Rit. Rom.

Sub obligatione quidem adhibenda,

Suppono quippe ex Concil. Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere, can. ultimo, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, non absque peccato aut contemni, aut à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum particularium pastorem absque consensu expresso vel implicito summi Pontificis posse mutari. Et secundùm hanc consuetudinem universalem locuti sunt Sancti Patres, qui trinam ablutionem videntur requirere, ad licitam videlicet administrationem.

Sicuti alia qui recepti & approbati Ecclesiæ ritus secundùm Trident.

Nec obstat Can. 49. Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Episcopus aut presbyter non trinam mersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, damnetur.* Non, inquam, obstat; nam (præterquàm quòd auctoritas horum Canonum non sit omnino certa, & ly *damnetur* non afficiat Baptismum, sed ministrum illicitè sic baptizantem) tantùm damnat eos, qui in sola morte Christi baptizabant, & ideo unica mersione utebantur; & consequenter si damnat Baptismum tanquàm invalidum, intelligit dumtaxat eum, qui dabatur sine invocatione SS. Trinitatis; quippe pro ratione subjungit: *Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritùs Sancti.*

95. Contrarium sapientes damnantur,

Non Baptismus, nisi in morte Christi collatus;

96. Eodem modo intelligi quod refertur c. 82. de consec. dist. 4.

Eodem modo explicari potest & debet, quod ex Pelagio Papa ad Gaudentium Episcopum refertur c. 82. de consec. dist. 4. *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi, una etiam*

etiam mersione se asserunt baptizare. Euangelicum verò præceptum ipso Deo & Domino salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trinâ etiam mersione Sacramentum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris &c. Ex qua ratione subnexa patet, præceptum Euangelicum seu divinum (de quo hic facit mentionem Pontifex) non concernere nisi invocationem SS. Trinitatis; de illa enim sola loquitur Euangelium citatum, non autem de trina mersione.

Addidit autem Pelagius: *trinâ etiam mersione*; quia valde conveniens ad exprimendam SS. Trinitatem, & ex traditione Apostolica, usu Ecclesiæ confirmata, necessariò servanda. Cæteroqui dic, etiam mersionem esse juris divini, quam tamen constat defacto in plerisque Ecclesijs consuetudine esse abrogatam. Quo circa
Theod. Theod. lib. 4. hæret. fabularum de Eunomio ait: *Ipse quoque subvertit Sancti Baptismi ritum à Domino & Apostolis ab initio traditum, & contrariam legem apertè tulit, dicens: Non oportet ter mergere eum qui baptizatur* (contra traditionem Apostolicam) *nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi*, contra præceptum dominicum.

97. Assignatur ratio conclusionis. Ratio igitur conclusionis est: quia ex Scriptura, traditione & Patribus non aliud probatur, quàm ablutionem per se requiri ad Baptismum de necessitate Sacramenti: jam autem unica immersio seu ablutio est vera ablutio, & ab illa denominatur quis simpliciter & usualiter ablutus. Qui tamen eâ uteretur contra usum suæ Ecclesiæ, cessante rationabili causa *graviter* (inquit D. Thom. 3. p. q. 66. a. 8. in corpore) *peccaret, quasi ritum Ecclesiæ non observans.*

Contravenient usui Ecclesiæ peccaret graviter: D. Thom.

An autem similiter peccaret mortaliter ex mente hujus Doctoris, qui baptizaret per aspersionem vel infusionem contra ritum Ecclesiæ suæ, videtur affirmare Dicastillo hîc disput. 1. dub. 3. num. 42. sed in D. Thom. id non reperio, saltem distinctis verbis expressum; neque necessariò deducitur ex verbis jam citatis: quia trina ablutio potest esse materia gravis, & pro tali à Doctore Angelico æstimatur; aspersio autem vel infusio materia levis, qualem censent Barthol. de Angelis dial. 2. cap. 92. Sotus dist. 4. q. 5. art. 8. Valent. disp. 4. de hoc Sacramento q. 1. puncto 2. quos sequitur Dicastillo supra n. 43.

Dicastillo.

Non sic, si ter aspergeret ubi usus habet ter immergere, ut Barthol. de Angelis, Sotus, Valent.

Et potest aliqualiter colligi hæc differentia ex Rit. Rom. supra, ubi simpliciter requirit trinam ablutionem, sub disiunctione autem perfusionem vel immersionem: *Trina* (inquit) *ablutione caput baptizandi perfundatur vel immergatur.* Sequitur: *In modum crucis, uno & eodem tempore, quo verba proferuntur*; utique ut singulæ concurrant ad effectum Sacramenti. Quod confirmatur ex Rit. Romano.

Rogas, an ergo ablutio 2. & 3. quæ sequuntur totam prolationem formæ, non sint essentiales? Pro responsione erit

CONCLUSIO IX.

Finitâ formâ cum prima ablutione essentiali, perficitur Sacramentum, sic ut aliæ non sint Sacramenti pars, nec sit in potestate ministri effectum Sacramenti eousque suspendere.

Notanter dico *prima ablutione essentiali*; quoniam ab intentione ministri pendet cum ultima ablutione conferre effectum, si nimirum nolit duas priores esse materiam Sacramenti sivè essentiales, sed tantummodò cæremoniales: verùm tunc ultima erit prima essentialis. 98. Potest minister velle duas primas ablutiones esse solum cæremoniales.

Hoc prænotato; probatur conclusio, quæ est communis: quia positâ formâ & materiâ essentiali non est in potestate ministri, ut sit vel non sit Sacramentum; ergo non est in ejus potestate, ut conferatur vel non conferatur effectus. Antecedens est evidens; siquidem compositum tum naturale, tum artificiale vel morale non est aliud, quàm suæ partes essentiales. Consequentia probatur: quia Sacramenta conferunt suum effectum instar causarum naturalium, quæ, supposito quòd existant, causant independenter ab intentione efficientis. Ergo similiter Sacramenta ex hypothesi quòd sint, causabunt gratiam ex opere operato independenter ab intentione ministri. Quis hoc negat? Non autem suspendere effectum finitâ primâ essentiali cum formâ.

Sed (inquit Dicastillo supra num. 69.) non possum capere quâ ratione fieri possit, ut valeat Baptismus ante 3. immersionem, si usque ad illam dirigitur intentio ministri. Ideo mihi placet doctrina D. Thom. quæst. 66. art. 8. ad 3. ubi expressè docet, ex intentione ministri pendere dare Baptismum trinâ mersione; ait enim: *Intentio requiritur ad Baptismum; &* D. Thom. *ideo ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit unum Baptismum dare trinâ immersione, efficitur unum Baptisma.* Non esset autem unum

unum Baptisma trinâ immersione factum, si solâ primâ immersione perficeretur. Ita hic Auctor.

99. *His non contrariatur D. Thomas,* Sed numquid nobis displicet doctrina D. Thomæ? Minimè; quippe Angelicus Doctor tantùm vult, quòd minister debeat habere intentionem conferendi unum Sacramentum, quamvis 3. abluat; quia Sacramentum Baptismi nequit iterari, neque habet distinctas formas, ut possint fieri distincta Sacramenta.

Quid aliud significant hæc verba Divi Thom. supra? *Si vero intenderet & ad unamquamq́; immersionem unum Baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formæ, peccaret, quantùm in se est pluries baptizans.* Quod verissimum omnes censent. *Qui censet eum peccare, qui vellet dare ad unamquamquè mersionem unum Baptisma:* Sed quid ad propositam controversiam? Aut quomodò inde rectè infertur: Ergo non esset unum Baptisma trinâ immersione factum, si solâ primâ immersione perficeretur? An ergo communis sententia docet plura ibi esse Baptismata? Certè nemo hactenus id somniavit.

Igitur quemadmodùm plures aliæ cæremoniæ hujus Sacramenti præcedentes, concomitantes & subsequentes non multiplicant Baptisma, sed unum aliquod constituunt, accidentaliter perfectum; ita neque 2. & 3. ablutio & ulteriores, si ex præcepto Ecclesiæ essent adhibendæ, quando sequuntur integram prolationem formæ, utpote cæremoniales tantùm, & non essentiales, ut supra notavi. *Quod hic non quæritur.*

Et ubi quæso D. Thom. dicit, non perfici Sacramentum, si cum prima immersione proferatur integra forma? Sanè oculatior Argo sit, qui hoc in ipso legerit. An fortè Dicastillo? Non facilè crediderim, nisi textum proprijs oculis inspexerim.

100. *Ablutio trina antecedens formam est pars,* Sed dices: si ablutio tertia præcedat formam, concurrit tanquàm pars, etsi una alioquin sufficeret; ergo etiam quando sequitur. Respondeo negando consequentiam: disparitas est obvia; quippe quando præcedit, quælibet æquè determinatur à forma, & concurrit ad significationem; non autem postea: siquidem forma statim determinat materiam, quæ primò ponitur & sufficit; & quàm primùm id fecit, ponitur tota essentia Sacramenti & effectus, adeoque serò venit, quæ postea subsequitur: *serò* autem *venientibus* (ut habet commune proverbium) *ossa*, id est, in præsenti, ablutioni serò venienti attribuitur major soliditas & firmitas accidentalis. *Non sic una aut altera subsequens.*

Sicuti etiam possum adhibere unam ablutionem copiosam, etsi minùs abundans sufficeret; equidem tota jam determinatur à forma: si tamen forma omnem ablutionem præcedit, & incipio cum aliquo tractu aquam infundere capiti, non differtur Sacramentum, quousque desisto ab infundendo; sed quàm primùm sufficiens est ablutio, forma illam determinat, & consequenter cùm jam sit sufficiens significatio, ponitur Sacramentum & effectus. *Exemplificatur in unâ ablutione copiosâ,*

Similiter possum exili voce proferre formam; si tamen utor sono vehementi, certè totus concurrit ad significationem Sacramentalem, utì ad grammaticalem. Addo ultimæ syllabæ longam caudam; num proptereà differtur Sacramentum usque ad finitam istam caudam? Quis credat Sacramentum indigere tali caudâ, quæ nullatenùs est necessaria ad verborum significationem, à quâ solâ tamen pendet eorum efficacia? *Et in formâ diutius protractâ.*

Dices II. ergo peccat, qui, ubi est præceptum adhibendi trinam immersionem, finit formam ante tertiam immersionem. 101.
Probatur Consequentia: quia tali casu non celebratur Baptismus per trinam immersionem, cùm ante tertiam finitâ formâ verborum jam sit celebratus.

Resp. Ecclesia quidem desiderat, ut omnes ablutiones sint Sacramentales, ideoque sollicitè monet, ut Sacerdos formæ prolationem accommodet; attamen sine obligatione, saltem gravi. Prout in simili patet ex Sacramento Extremæ Unctionis de cujus materia & forma sic statuit Rituale Romanum titulo de Sacramento Extremæ Unctionis: *Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat nè altero ipsorum inungendo Sacramenti formam priùs absolvat, quàm ambo hujusmodi paria membra perunxerit.* *Nihilominùs non peccat saltem graviter finiens formam ante trinam ablutionem. Rit. Rom. Quod & in unctionibus dicendum.*

Quis tamen ideo dixerit, contrarium facientem peccare, saltem graviter? Nam etiam tunc illud Sacramentum non celebratur sine unctione utriusque oculi v. g. esto unctio alterius solùm sit cæremonialis. Et consimiliter talis Baptismus non celebratur sine trinâ immersione, esto tertia non sit essentialis, sed solùm cæremonialis. Herculè tertia immersio, tametsi incipiat ante finem formę (quod indubiè sufficit ad evitandùm peccatū) in quantùm tamen frequenter pro parte durat finitâ formâ, non potest esse nisi cæremonialis, utì & cauda ultimæ syllabæ, ut dixi in solutione præcedētis objectionis.

Atque hanc puto esse communem intentionem baptizantium, ut nimirum velint conficere Sacramentum & conferre effectū, statim atque posita est sufficiens materia & forma. Ex quo sequitur valere Baptismū si puer, aut etiam baptizans moriatur post primam *Intenditur confectio Sacramenti ad positionem formæ & materiæ.*

primam immersionem factam cum prolatione integræ formæ. Ita Doctores communiter. Nihilominus

102. Objicies III. In formâ absolutionis Sacramentalis etsi sufficiat *Absolvo te*, si tamen ex intentione Sacramenti addatur *A peccatis tuis*, non fit antea Sacramentum: ergo similiter per intentionem potest Sacerdos facere, ut etiam tertia ablutio sequens formam sit una pars essentialis Baptismi.

Hæc verba: à peccatis tamen etiam subsequentia, possunt esse essentialia.

Resp. gratis admisso antecedente (de quo infra in materia de Pœnitentia) negando consequentiam: nam cùm ly *Absolvo* sit significationis de se indeterminatæ, potest per intentionem Ministri sumi in sua generali significatione, vel in significatione à circumstantijs determinandâ ad absolutionem à peccatis. Itaque si velit, ut tantùm significet id quod verbum generatim importat, & ut absolutio à peccatis determinatè significetur per verba expressa, omninò id fiet. Non enim, secundùm aliquos Doctores, circumstantiæ solæ sic determinant ly *Absolvo*, ut, quidquid intendat minister, debeat in illis determinatè per se significare absolutionem à peccatis; ut patet, quandoquidem præmittatur sæpe in ijsdem circumstantijs in generali significatione, dum dicit Sacerdos: *Absolvo te ab excommunicatione.* Sicut itaque ibi ly *Absolvo* sic sumitur generaliter; quidni volente ministro id etiam fiat, dum absque prævia à Censuris absolutione dicit: *Absolvo te à peccatis?*

103. Confirmatur: quia urgente necessitate potest, juxta Rit. Rom. tit. de Sacramento Pœnitentiæ § Absolutionis forma, simul à Censuris & peccatis absolvere, dicendo: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis* &c. tunc autem non est Sacramentum ante ly *A peccatis*, & consequenter ly *Absolvo* potest ex intentione ministri sumi generaliter, volendo ut non circumstantiæ, sed verba expresè ad hoc instituta illud determinent ad absolutionem à peccatis. Igitur si ex intentione ministri id fieri possit, liquet profectò tunc Sacramentum non confici ante ly *A peccatis*, cùm ly *Absolvo* in generali significatione sumptum non sufficiat, ut manifestum est.

Confirmatur ex Rit. Romano.

Impræsentiarum autem non sic: etenim secunda vel tertia ablutio nullatenùs determinat significationem primæ quasi generalem & indeterminatam; sicuti ly *A peccatis* determinat significationem ly *Absolvo* indeterminatum ad variorum vinculorum significandam absolutionem: sed prima ablutio absque eo quòd à secunda vel tertia, aut à circumstantijs determinetur, immò omnibus positivè exclusis, per se satis significat lotionem corporis, utpote effectum suum naturalem; hæc autem, & non alia, est essentialis significatio materiæ hujus Sacramenti, quæ simul cum significatione verborum formæ, sive cum ipsa forma eandem ablutionem externam corporis ex institutione humana significante, ex institutione divina significat ablutionem animæ à peccatis.

Aliud est de ablutione secunda vel tertia.

Cùm prima sit de se satis determinata ad significandam lotionem corporis.

Accedit, quòd ly *A peccatis* requiritur essentialiter, saltem implicitè; & consequenter mirum non est, quòd, dum additur, ipsum per se concurrat ad significationem sacramentalem: nihil autem tale invenitur in secunda & tertia ablutione; certum quippe est, unicâ mersione absque ullo respectu explicito vel implicito ad secundam aut tertiam, non solùm validè, sed etiam licitè ubi moris est, Sacramentum hoc administrari. 104.

Neque secundam & tertiam hæc quidem implicitè involvat.

Oporteret ergo Adversarios assignare exemplum, in quo effectus suspenditur ob intentionem ministri, positâ materiâ & formâ essentiali; idque propter additionem alicujus, quod nec explicitè, nec implicitè ad Sacramentum requiritur, prout est tertia ablutio. Unde in materia de Eucharistia communiter docent Theologi, non posse suspendi effectum consecrationis, usque dum prolatum sit: *Novi & æterni* &c. quidquid intendat minister; quia videlicet significatio ista non pertinet ad significationem essentialem præsentiæ sanguinis Christi, seu transsubstantiationis vini.

Objicies IV. in Extrema Unctione singulæ Unctiones cum singulis formis proportionatis concurrunt tanquàm partes integrales. Respondeo, de hoc esse varias sententias, quarum nulla deservit objicientibus. 105.

Neque Adversarijs prodest argumentum ab unctionibus acceptum:

Primò quidem DD. communiùs censent, omnes requiri essentialiter, adeò ut unâ ex unctionibus quinque sensuum deficiente, Sacramentum sit irritum. In hâc sententiâ non confertur gratia, nec est Sacramentum aut esse potest, ante ultimam Unctionem. Quid hoc juvat pro secunda aut tertia ablutione, quæ nequidem ex præcepto Christi requiritur?

Vel enim omnes requiruntur essentialiter,

Secundò, quidam censent singulas Unctiones constituere cum singulis formis particularia Sacramenta, & conferre statim effectum partialē, sicuti in Eucharistia consecratio unius speciei, aut etiam una species est partiale Sacramentū distinctum à consecratione alterius speciei, sive ab altera specie. Et similiter in Sacramēto Ordinationis plures Ordines sunt plura Sacramenta partialia, vel (ut alijs placet) totalia, quæ constituunt unum

Vel singulæ cum singulis formis sunt Sacramenta partialia,

unum Sacramentum, non ita unitate moralis integritatis, quemadmodùm consecratio panis & vini; quàm bene collectionis & subordinationis ad unicum præcipuum finem, nempe Eucharistiam.

Verùm in hac sententia non potest minister per unam unctionem vel unam formam totum effectum conferre, Christo ita instituente. Ubi autem instituit tres ablutiones & tres partiales formas Baptismi cum partiali causatione & significatione effectûs?

Tertiò, quidam putant sufficere ex institutione divina unicam Unctionem; adeò quòd ratio ob quam in prima Unctione non ponatur Sacramentum integrum & essentialiter completum, non sit defectu secundæ aut reliquarum unctionum, sed defectu formæ, quæ non est adæquata; sic ut si adæquata foret v. g. illa Græcorum: *Pater sancte medice animarum & corporum, sana hunc servum tuum à morbo corporis & animæ, quo detinetur.* Aut hæc Ambrosiana: *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris &c. ut more militis uncti preparatus ad certamen aëreas possis superare potestates.* Vel, si diceretur: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per ullum sensum*; Sacramentum perficeretur posita sufficienti unctione, nec expectaretur usque ad 2. 3. aut ulteriorem unctionem, quæ formæ prolationem sequeretur: eo modo, quo in præsenti conclusione dicimus positâ unicâ ablutione & formâ proportionatâ, non expectari 2. aut 3. ablutionem, sed statim perfici Sacramentum & conferri gratiam sanctificantem tanquàm effectum naturalem, consequentem causam quasi naturalem non impeditam.

Vel differtur effectus defectu solius formæ, utpote inadæquatæ.

Sufficeret una unctio, si foret forma adæquata.

Idem est de ablutione.

106. Sed contra: Impeditur per intentionem ministri, qui existimans, secundùm aliorum opinionem, se posse suspendere effectum usque ad 3. ablutionem, ita absolutè & simpliciter vult.

Respondeo: vel hæc intentio est tacitè subordinata alteri efficaciori ac prævalenti, quâ minister vult absolutè facere quod Christus instituit, quamquàm ex errore putet sic instituisse, & tunc citiùs confertur Sacramentum. Sicuti etsi Græci erroneè existiment ad consecrationem panis necessariò concurrere ly *Quod pro vobis datur*, adeoque eousque differri effectum; equidem validè consecrant, ob prævalentem communem intentionem, quâ absolutè volunt consecrare, etsi illa verba ex institutione Christi non concurrerent.

Neque impeditur per intentionem ministri aliter fieri putantis.

Vel ista particularis intentio est omninò absoluta & efficax, elidens alteram communem & præviam, hoc est, vult minister tertiam ablutionem concurrere, adeò ut si hoc non possit stare simul cum eo, quòd concurrat prima & secunda, nolit has esse Sacramentales, ut saltem tertia sit talis; & tunc quidem (ut in principio conclusionis indicavi) verè differtur Sacramentum usque ad tertiam, sed prima & secunda ablutio non sunt partes essentiales, quod tamen Adversarij videntur velle.

Vel si omnes velit esse partes essentiales, efficaciùs tamen simul intendat differre Sacramenti essentiam & effectum usque ad tertiam, quæ sequitur formam, etsi etiam aliter Christus instituisset, audacter pronuntio, talem nihil facere: quemadmodùm qui intenderet consecrare, tamen omninò absolutè nollet Sacramentum aut effectum poni ante quadrantem horæ postea, nequaquàm validè conficeret Eucharistiam: uti & ille invalidè absolveret, qui nullatenùs intenderet dare effectum ante hæc verba: *In nomine Patris* &c.

Nisi particularis intentio sit omninò efficax.

Ut in consecrante & absolvente patet.

Rationem iterum assigno, cum illa finiens præsentem conclusionem & sectionem; quia non est in potestate ministri differre positionem Sacramenti, & ex consequenti differre effectum Sacramenti positâ sufficienti materiâ & formâ cum debita intentione; sicuti non est in potestate ministri ponere Sacramentum illorum aliquo deficiente.

His ita constitutis de prima parte essentiali hujus Sacramenti, pro secunda instituitur

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De forma Baptismi.

1. Principalior pars Baptismi est forma.

ACturus de secunda & principaliori parte hujus Sacramenti, hoc est, forma Baptismatis, superfluum duxi referre & refutare particulatim errores, qui circa illam aliquando fuerunt: etenim singulari Dei providentiâ factum est, nè innumerabiles infantes pereant, ut hæretici nostri temporis vulgò utantur legitimâ formâ; quamvis, quia existimant illam non necessariam, timendum, nè subinde sive ex proprio fastu, sive ex instinctu diabolico, eam substantialiter immutent: imò id aliquando fieri, se à viris fide dignis intellexisse refert Regius ad art. 6. qu. 66. dub. 1. num. 34. Quapropter ubi agitur de Baptismo ab hæreticis collato, diligenter investigandum venit, quâ formâ usi fuerint; & siquidem rationabiliter dubitetur, Baptismus sub conditione repetatur.

Timendum, ne illam Hæretici immutent. Regius.

Si sit dubium, est Baptismus repetendus.

2. Omissis igitur erroribus, quos videre est apud Alphonsum à Castro lib. 3. advers. hæreses circa initium, Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 3. Suarium, Vasq. & alios; hæc est legitima & Ecclesiæ Catholicæ ordinaria forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti*, quam Christus Dominus ac Magister noster ore suo sacrosancto tradidit ac præscripsit Matth. ultimo v. 19 *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Eamque omnino necessariam asserit Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de forma Baptismi, in principio: *Quoniam* (inquit) *Baptismi forma his verbis expressa*: Ego te baptizo &c. *omninò necessaria est; ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt.*

Ordinaria forma est necessaria. Rit. Rom.

Quia tamen (ut loquitur Scotus 4. dist. 3. q. 2. n. 5.) *In Sacramentis est aliquid necessarium simpliciter, scilicet ex parte Sacramenti, quo scilicet non existente, omninò non est Sacramentum; aliquid est necessarium aliqualiter, scilicet ex parte ministri, sine quo minister dispensando Sacramentum, non potest vitare peccatum*: quæstio esse potest, an verba jam assignata ita sint præcisa forma Baptismi, ut sine illis non valeat Sacramentum? Ad quam Respondeo & dico:

Scotus. An ex parte Sacramenti, an solius ministri, inquiritur.

CONCLUSIO I.

Valet forma Græcorum, quæ hujusmodì est: *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Qui tamen in Ecclesia latina eâ uteretur, graviter peccaret.

PRima pars expressè traditur ab Eugenio IV. in Concil. Florent. ibi: *Forma autem* (Baptismi) *est*: Ego te baptizo in nomine Patris &c. *Non tamen negamus, quin & per illa verba*: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris &c. *Vel*: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris &c. *verum perficiatur Baptisma.* Rationem adjungit: *Quoniam cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exteriùs Sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* 3.

Et dicitur, quòd valeat forma Græcorum.

Uti definitur in Florentino,

Quod pridem docuerat Doctor Subtilis supra n. 7. inquiens: *De forma necessaria ex parte Sacramenti, patet quòd ista* (ordinaria Ecclesiæ Latinæ) *non est talis quantùm ad omnia verba, ex hoc quòd dictum est, quòd Græci verè baptizabant, non tamen sub eadem forma.* Attexit pro notitia eorum, quæ sunt necessaria ad valorem: *Unde advertendum est, quòd in ista forma sunt verba principaliter pertinentia ad eam; aliqua autem non principaliter pertinent, quia exprimunt ministrum, actum & suscipientem. Ministrum enim non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi, neque pronomine cuiuscumque personæ; quia non est in verbis Christi Matth. ultimo. Alia autem duo, scilicet actum & suscipientem, necessarium est exprimi: sed non determinatè eodem modo, quo istis verbis exprimuntur, scilicet actus verbo indicativi modi, & suscipiens pronomine secundæ personæ; sed potest actus exprimi verbo alterius modi, & suscipiens verbo alterius personæ, ut Græci exprimunt.*

Et longè ante docuerat Scotus,

Adstruens quòd in forma sint quædam verba principaliter, quædam minùs principaliter pertinentia ad illam.

Si quæras, quarè Ecclesia Græca noluerit servare 4.

Causa, cur Græci aliâ utantur formâ, datur à Scoto. 1. Cor. 1. v. 12. servare formam istam? *Causam* (inquit Scotus supra n. 5.) *tangit Apostolus* 1. Cor. 1. Hoc autem dico, quòd unusquisque vestrûm dicit: ego quidem sum Pauli &c. *gloriabantur enim de ministris baptizantibus quasi eis adscriberetur Baptismus, & redarguit eos & istam eorum contentionem, dicens*: Divisus est Christus? *Et propter hoc, ortum fuit inter eos schisma, & ordinatum fuit inter eos ad istud schisma tollendum, ne minister exprimeretur in propria persona, nec actus in indicativo modo, sed optativo: quia tunc minister non significatur esse auctor Baptismi; sed tantùm minister desiderans & orans effectum Baptismi conferendum à Deo: & suscipiens etiam non exprimeretur in secunda persona, sed in tertia; quasi non præcisè reciperet, quod recipit ab aliquo sermone sibi dirigente.*

De cujus validitate nefas est dubitare; Nefas ergo sit dubitare de validitate hujus formæ, quæ à temporibus Apostolorum in Ecclesiâ Græcâ licita, rationabilis, imò præcepta fuit; utpote usu & consuetudine recepta. An autem hodie cessante ista causa liceat? respondet Doctor noster supra num. 6. *Vel Romana Ecclesia prohibuit istam formam quantùm ad eos; & tunc peccant servando (quod expressè non invenitur in aliquo capitulo specialem mentionem faciente de eis) vel si permisit sive concessit, licitum videtur eis illam formam continuare.* Quæ etiam nunc, Ecclesia permittente, licitè utuntur. *Et si tali permissione seu licentiâ stante, in Concilijs suis particularibus ordinaverunt inter se talem formam esse servandam, videtur quòd minister eorum tenetur eam servare: sicut stante illa permissione Ecclesiæ Romanæ, quòd alicubi fiat trina immersio, alicubi una; in illa Ecclesia, quæ determinavit trinam immersionem servandam, sic faciendum est, & est de necessitate ministri præceptum & modum propriæ Ecclesiæ servare.*

5. Atque hæc sit probatio secundæ partis conclusionis, de qua sic discurrit idem Doctor ibidem n. 5. *Si quæratur de forma secundo modo necessaria, hoc est, de forma necessariò observanda à ministro; dico, quòd in totâ Ecclesiâ Romanâ forma necessaria hæc est, de qua quæritur* (Ego te baptizo &c.) *forma necessaria scilicet ministro; & hoc loquendo de ministro, cui competit ex officio baptizare: nam istum non potest ignorantia excusare, quia tenetur scire illa, quæ sunt sui officij, ad quod deputatur.* Tenetur Latinus sub peccato uti formâ ordinariâ.

Probat: *Quia quilibet minister in Ecclesia Romana tenetur necessariò illam formam servare, quam talis Ecclesia imposuit ministris: hujusmodi est ista, de qua quæritur.* Patet ex cap. *Si quis* 1. extra de Baptismo & ejus effectu, quod est Alexand. III. *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti amen; & non dixerit*: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti amen; *non est puer baptizatus.* Confirmatur ex Florent. supra, Rit. Rom. & perpetuo usu.

Cumque forma Sacramenti indubiè sit res gravis; notabilis ejus variatio, etiam solùm accidentalis, contra ritum propriæ Ecclesiæ, nequit excusari à gravi peccato. Porro magnam diversitatem inter has formas quis Theologus non libenter fateatur? 6. Illoque gravi:

Et ideo hanc partem conclusionis docent Reginaldus lib. 27. num. 24. & alij communiter, quos sequitur Dicastillo disp. 1. dub. 3. num. 44. addens non videri eamdem rationem de eo, qui baptizaret vulgari sermone: aliquando enim administratur sic in Ecclesia latina, nunquàm cum forma Græcorum, etsi alioquin valeret. Sicuti Sacerdos in Ecclesia latina validè consecrat panem fermentatum, quamvis graviter peccet; quia notabiliter immutat, etsi dumtaxat accidentaliter, materiam Sacramenti contra ritum suæ Ecclesiæ. Reginald. Dicastill. Secus, si uteretur vulgari sermone. Sacerdos consecrans fermentatum peccat graviter.

Interim Ecclesia in substantialibus Sacramentorum numquam aliquid mutavit (ut ostendimus disp. præced. sect. 3. conclus. 4.) neque potest. Unde si materia aut forma semel & in una Ecclesia est essentialis, semper & in omni Ecclesia talis permanet, donec & usque à Christo, qui eas determinavit, aliter ordinetur. Substantialia non mutantur ab Ecclesia.

Ex jam dictis non difficulter colligitur, quæ sit forma necessaria ex parte Sacramenti: pro majori tamen claritate pono sequentes conclusiones.

CONCLUSIO II.

Ut forma Baptismi valeat, debet exprimere actionem ministri.

Est communis. Ratio à priori voluntas Christi, quæ sumitur ex illo Matt. ultimo v. 19. *Baptizantes eos* &c. secundùm communem & perpetuum intellectum Ecclesiæ. Aliàs enim si accipiantur verba prout jacent, videretur sufficere ablutio in actu exercito; siquidem eodem loco dicitur: *Docete omnes gentes*; & Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: non tamen propterea debent Sacerdotes dicere, se consecrare, neque baptizans, se docere: satis est actuale exercitium. Et sic fortè etiam in Baptismo posset sufficere externa 7. Forma exprimat actionem ministri, Matth. ult. Quia sic semper intellexit Ecclesia. Luc. 22.

externa lotio absque illis verbis, nisi Apostoli & tota retrò Ecclesia aliter verba Christi intellexissent.

Mar. 16. Uti & illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Alioquin Mar. 16. v. 17. volens Christus significare, quam potestatem habituri essent credentes in eum, ait: *In nomine meo dæmonia ejicient,* hoc est, in virtute mea, non autem, in prolatione istorum verborum.

Et sic voluit Christus. Quarè autem Christus voluerit verbis exprimi actionem ministri baptizantis potiùs, quàm docentis, aut consecrantis, vel dæmonia ejicientis, ratio congruentiæ est, ut non solùm per materiam, sed etiam per formam explicitè & determinatè significaretur lotio animæ à peccatis, præcipuumque mysterium fidei, in fidei Sacramento, sive in prima fidei professione; quod non fieret, si minister uteretur solâ lotione externâ, vel si dumtaxat diceret: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti*; cùm illa verba non habeant perfectum & determinatum aliquem sensum.

8. Objectio. Ensebius. Dices: Eusebius lib. 4. cap. 11. refert de Valentinianis: *Adducentes eos ad aquam, & baptizantes, hæc super eos proferunt verba: in nomine (aiunt) ignoti Patris omnium, & in veritate omnium matre, & in eo qui descendit in Iesu.* Non aiunt: *Ego te baptizo.* Unde fortassis in Ecclesiâ verba illa tunc temporis non usurpabantur. Ita quidam nuper in publicis thesibus.

Responsio. Respondeo: Eusebius hæc refert de quodam Marco & ejus sectatoribus. Accipe verba Eusebij: *Idem quoque ipse Irenæus, immensum profundum Valentini erroris de materia & cæteris validissimè coarguit, & serpentis in modum, cæcis semetipsum latebris obtegentem, in lucem protrahit ac denudat. Iis adiungit & de Marco quodam, quem dicit magicis artibus imbutum, & apprimè enituisse. De cuius profanis superstitionibus & arcanis non tam sacris, quàm sacrilegis & mysticis mysterijs, ita scribit: Etenim quidam eorum thalamum construunt, & nefarium quoddam initiandi celebrant genus, tamquam secretis quibusdam carminibus ac verbis, non tam sacris, quam execrabilibus, eum qui introducitur consecrantes, spirituales nuptias aiunt esse quod faciunt, instar videlicet supernarum coniugationum. Adducentes verò eos* &c. ut supra: *Alij verò Hebraïca nomina ad pavorem audientium super eos, quos initiant, terribiliter loquuntur. Hæc de sectatoribus Marci Irenæus scribit* Hucusque Eusebius.

Et verò quia homines profani, superstitiosi & sacrilegi non aiunt: *Ego te baptizo,* bene infertur: Ergo fortassis in Ecclesiâ verba illa tunc temporis non usurpabantur? Nonne bene sequitur: sectatores Marci aiunt: *In nomine ignoti Patris omnium* &c. ergo fortassis in Ecclesiâ verba illa tunc temporis usurpabantur? Sectatores Marci *Hebraïca nomina ad pavorem audientium super eos, quos initiant, terribiliter loquuntur:* ergo fortassis in Ecclesiâ nomina illa tunc usurpabantur? Non sic benignè Lector, non sic: sed in Ecclesia & ab Ecclesia tunc temporis usurpabantur verba illa: *Ego te baptizo* &c. vel ostendatur nobis, ubi & quando inceperit eis uti Ecclesia.

Herculè in libro, qui intitulatur: *Ordo Romanus antiquus de divinis Catholicæ Ecclesiæ officijs & ministerijs per totius anni circulum*, & scriptus putatur sæculo 8. vel 9 ita legitur: *Tunc accipit* (Pontifex) *eum* (infantem) *& dicit*: Et ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. *Et reddit eum patrinis vel matrinis.*

Quod probè sciens Alexand. III. cap. 1. de Baptismo sic ait: Si quis puerum ter in aqua immerserit (id est, secundùm Gloss. ibi, immergendo dixerit) in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti amen; & non dixerit: Ego te baptizo &c. non est puer baptizatus. Et Concil. Floren. in decreto de Armenis: Cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exteriùs Sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum; aliàs non. Cap. 1 de Baptis. Concil. Florens.

Perinde verò est sive hic actus exprimatur per verbum *Baptizo*, sive per aliud æquivalens, ut *abluo, tingo, immergo* &c. Item sive exprimatur per verbum activum sive passivum, indicativum sive imperativum (ut vidimus conclus. præced. in forma Græcorum) dummodò tamen actus baptizandi significetur ut actû exercitus; quippe formæ Sacramentorum sunt orationes practicæ exprimentes actu fieri, quod significant. 9. Perinde est sive actus ministri exprimatur per verbum Baptizo, Sive per alia æquivalentia, Dummodò actus baptizandi significetur ut exercitus de facto.

Quarè non valet, si quis dicat; *Baptiza Petrum* &c. cùm solùm significet ablutionem, ut ab alio exercendam. Aliud est si dicatur: *Baptizetur*; nam in primis licèt sit imperativi modi, habet tamen sensum indicativum: veluti si Princeps, vel alius qui habet ab illo potestatem liberandi à vinculis, imperet liberationem his verbis: *Talis liberetur*; idem valet, ac si diceret: *Talem libero à vinculis:* ita ut sibi ipsi magìs censeatur, quamvìs impropriè, imperare, quàm alteri. Deinde esto habeat sensum imperativum, aut etiam deprecativum (ut mavult Hinc colligitur validitas aliquarum formarum.

mavult Scotus supra n. 5.) non dubito, quin significetur actus, qui à ministro exercetur, ut è dicendis clariùs patebit.

10. Hinc probabilis est valor hujus formæ: *Baptizet te Christus in nomine* &c. sive imperativè dictum intelligatur, sive deprecativè; quippe idem est: *Baptizet te*, atque: *Baptizetur talis à Christo*. Porro hoc verbum non est desiderantis ablutionem corporalem, sed desiderantis & orantis effectum Baptismi conferendum à Deo.

Et forma Græca. Et hic modus magìs congruit attentâ ratione, ob quam Græci non exprimunt personam ministri (vide illam conclus. præced.) quia imperativus modus designat auctoritatem ministri; deprecativus autem non ita, sed magìs auctoritatem causæ principalis, à qua Sacramentum habet suam efficaciam, licèt ministerialiter fit à conferente. Unde sensus est: *Baptizat* sive *baptizet te Christus per me tanquam suum ministrum*; quod significat Florent. supra addens ly *manibus meis*, ibi: *Vel baptizatur* (quo verbô utuntur Græci) *manibus meis talis in nomine* &c. Quamvìs certum sit, Græcos verba illa omittere; quia in circumstantijs satìs subintelliguntur.

11. Adde, imperium, sive dirigatur ad effectum Sacramenti, sive ad personam ministri, non posse propriè intelligi; quia neque propriè quis sibi imperat, neque effectus, qui est à causa superiore, cadit propriè sub imperium inferioris; maximè quando non fundatur in potestate jurisdictionis communicatæ, sicut fundatur effectus Pœnitentiæ, qui procedit à potestate clavium.

Esto imperativè aut deprecativè proferatur. Quidquid sit de hoc, uterque modus significat ablutionem in fieri, sive ablutionem ut exercitam à ministro, non tanquàm à causa principali effectûs, sed ministeriali & principali externæ lotionis corporis.

Confirmatur ex forma, quâ Constantinus fuit confirmatus à S. Sylvestro (ut refert in suo edicto ipse Imperator) *Signet te Deus sigillo* &c.

Dicastillo. Respondet Dicastillo disp. 1. dub. 5. num. 92. præterquàm quòd incertum sit, Constantinum illâ formâ fuisse confirmatum, nihilominùs denotari actionem ministri ut ab ipso procedentem, cùm dicantur verba illa hîc & nunc à ministro exequente cum circumstantijs, quibus positis sufficienter significatur actio ut à ministro procedens.

Sed quis adeò cæcus est, ut non videat etiam illa verba: *Baptizet te Christus*, dici hic & nunc à ministro exequente cum circumstantijs &c?

12. Dices: Non potest minister imperare Domino. Respondeo: non potest tamquam superior; potest tamen imperare, id est, efficaciter velle, ut dominus per ipsum aliquid faciat, supposita domini immutabili institutione: & hanc efficacem voluntatem verbo indicativi, imperativi aut etiam optativi modi exprimere; quippe non omnis, qui voluntatem suam sic intimat, imperat tanquàm superior suo subdito. Quod imperium non foret superioris in subditum.

13. Scotus. Quando ergo Scotus supra n. 7. dicit: *Ministrum non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi*, intellige directè; nam indirectè semper connotatur verbo, quo directè exprimitur actus baptizandi, sive sit indicativum, sive imperativum; quippe visam actionem & auditam formam sine ulla alia circumstantia quisque ad invicem relaturus est. Unde addit Doctor: *Neque pronomine cuiuscumque personæ*. Sufficit, quòd minister exprimatur indirectè.

Exprimuntur autem illa verba *manibus meis* à Concil. Florent. non quòd Græci istis uterentur (ut mox notavi) quamvis quidem ratio, quarè mutaverint formam, hoc non permittat; sed declarationis gratiâ, non necessitatis, ut Concilium significaret, aliquo modo, saltem implicitè, designari per formam Græcorum ipsum ministrum. Quod fit in formâ Græcorum.

Enimverò non erat intentionis Græcorum significare, solum Deum sine causa instrumentali baptizare; sed ipsum solum tanquam causam principalem baptizare. Quamvìs enim per se ipsum solùm possit conferre gratiam; tamen de potentia ordinaria ut agit mediante Sacramento, agit mediante ministro ut causa instrumentali: & hoc modo actio Dei mediante Sacramento, quæ explicatur in omni forma, importat & implicitè significat actionem ministri conficientis Sacramentum. Si enim per actionem ministri significatur actio Dei; quidni etiam per actionem Dei mediante Sacramento, actio ministri? Relativa siquidem eodem modo se habent ad invicem, & Sacramentum necessariò exigit ministrum. Minister est causa instrumentalis gratiæ.

14. Ad quem refertur invocatio Trinitatis. Unde neque invocatio Trinitatis referri debet ad Deum, sed ad ministrum deprecantem Deum, ut conferat effectum per invocationem trium Personarum factam in forma à ministro; sicuti sæpè invocamus Deum, ut per nomen sanctum suum sit nobis propitius: *Deus in nomine tuo salvum me fac* &c. Psal. 53. v. 1. Psalm. 53.

Sed nec illud *In nomine* designat auctoritatem baptizandi, quam habet minister; ast potiùs potestatem Dei & unitatem personarum, respectivè ad baptizatum & effectum

effectum ablutionis animæ à peccato.

Hæc pro valore hujus formæ: *Baptizet te Christus* sive *Baptizeris à Christo*, cui communiter DD. contradicunt; idque quia in ea non exprimitur actus ut à ministro est, sed totus tribuitur Christo: secùs in forma Græcorum, quæ exprimit actum per ly *Baptizatur* vel *Baptizetur*, subintelligendo *à me* vel *manibus meis*. Et idcirco dixi, valorem illius formæ probabilem dumtaxat, hujus autem omninò certum.

Formæ Græcorum valor est omninò certus.

15. Nobiscum sentit Sotus 4. dist. 3. quæst. unica art. 5. Idemque docere debent omnes, qui formam Græcorum intelligunt deprecativè, Scotus supra n. 5. D. Bonaventura 4. dist. 3. 1. parte art. 2. q. 1. Richardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Adrianus, & alij; quippe deprecatio illa in forma Græcorum non magis significat actionem ut à ministro est, quàm in forma, de qua controvertitur.

Sotus. Scotus. D. Bonavent. Richardus. Durandus. Paludanus. Gabriel. Adrianus.

Unde etiam (quod bene notandum est) non dicit Concil. Florent. supra: *Si exprimitur actus, ut à ministro procedit &c. perficitur Sacramentum*; sed: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum &c.* Per consequens ipse minister explicitè vel implicitè, directè vel indirectè: nam verba passiva explicitè & directè non denotant personam ministri, sed potiùs subjectum, in quo est actio per modum passionis; implicitè autem & indirectè connotant agens correlativum, seclusâ aliâ particulâ, quæ ipsum exprimeret: etenim correlativa sunt simul cognitione; ergo sunt simul cognitione actio & passio, utpote correlativa.

Florent.

In qua exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum.

Ex opposito verò verbum activum, puta ly *Baptizo* directè & explicitè significat personam ministri, etsi non apponatur pronomen *Ego*; quippe utrumque primariò est institutum ad significandam primam personam. Nonne ly *Baptizo* in ratione significativi essentialiter differt ab hac voce *Baptizas* vel *Baptizat*? Ergo significat non solùm actionem baptizandi (sic enim non differret) sed actionem talis personæ vel talem personam agentem, scilicet illam ipsam, quæ loquitur; implicitè autem & indirectè personam patientem: quia enim actio, quæ terminum habet seu subjectum, essentialiter connotat illud eo ipso quo significatur actio; saltem in confuso & vagè atque indeterminatè significatur etiam id, in quod actio transit; & quia etiam passio ab aliquo provenit, eo ipso quòd verbum significat passionem alicujus subjecti, indirectè censetur connotare illud agens, à quo provenit.

Ex his indubitatum est apud omnes ly *Ego* in forma ordinaria Latinorum non esse simpliciter de necessitate Sacramenti. *De pronomine Ego* (inquit Doctor supra num. 14 ad 5.) *verum est, quod non est simpliciter de necessitate formæ neque expressum, neque ut implicitum in verbo primæ personæ. Sed quantùm ad Ecclesiam Latinam (ad minùs post tempus Alexandri) necessarium est ministro exprimere* Ego. *Et Glossa illa* Si quis *cum probatione sua* (retulerunt) *potest intelligi pro tempore præcedente illam constitutionem Alexandri III. Si quis in nomine &c.* 16.

Ly ego non est de necessitate Sacramenti.

Ut tenet Scotus.

Probabiliùs tamen apparet, ejus omissionem non esse peccatum mortale secluso contemptu, teste Soto 4. dist. 3. q. unica art. 5. Vasquesio & alijs, quos sequitur Dicastillo supra num. 84. Ratio est parvitas materiæ; quippe parùm conducit ad significationem formæ, maximè cùm implicitè ponatur in verbo activo, & nemo dubitet de Sacramenti validitate.

Imò ejus omissio est solùm venialis. Sotus. Vasquez. Dicastillo.

Idem sit judicium de particula *Amen*: quin imò non satis intelligo in ejus omissione culpam venialem; quamvis enim in constitutione Alexand. III. cap. *Si quis* de Baptismo supra citato exprimatur, tamen in Rituali Romano eam non lego, non est autem verisimile quin exprimeretur, si esset necessaria, etiam solâ necessitate ministri: nam in fine Bullæ Pauli V. Rituali præfixæ sic loquitur Pontifex: *In quo* (Rituali) *cùm receptos & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis Romani meritò edendum publico Ecclesiæ Dei bono iudicavimus. Quapropter hortamur in Domino Vener. Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubiq; locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut in posterùm tanquam Ecclesiæ Romanæ filij, eiusdem Ecclesiæ omnium matris ac magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur; & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent.* 17.

Omittere ly amen, nequidem veniale videtur.

Bulla Rit. præfixa.

Et, quod magis mirandum est, cùm sæpiùs hoc Rituale formam Baptismi repetat, numquàm addit ly *Amen*, nequidem per modum responsionis ministri; cùm tamen in forma Sacramenti Pœnitentiæ semper apponat, in qua ad summum requiritur necessitate ministri, minimè Sacramenti. Prout etiam præscribit, ut Sacerdos distribuens Eucharistiam, dicat: *In vitam æternam amen.*

Cùm numquam in Rituali formæ addatur.

18. *De ly te est major ambiguitas.* Sed major ex dictis oritur ambiguitas circa ly *Te*, quo explicitè significatur persona baptizanda; enimverò communissima hactenùs sententia docet, illam particulam esse de necessitate Sacramenti. Scotus supra n. 7. *Alia autem duo, scilicet actum & suscipientem, necessarium est exprimi*: agit de necessitate Sacramenti (ut patet ex principio illius numeri) & de explicita & directa expressione, quam ibidem immediatè ante negat necessariam respectu ministri, cùm tamen etiam hîc implicitè exprimatur, ut ostendimus.

Tenetur communissimè esse necessarium, Scotus.

Subjungit Doctor: *Sed non determinatè eodem modo, quo istis verbis* (formæ latinæ) *exprimuntur, scilicet actus verbo indicativi modi, & suscipiens pronomine secundæ personæ: sed potest actus exprimi verbo alterius modi, & suscipiens verbo alterius personæ, ut Græci exprimunt.* Hanc sententiam expresè docet Suarius hîc disp. 21. sect. 2. conclus. 3. Franc. Pitigianus dist. 3. q. 2. a. 4. & alij quamplures, quos citat & sequitur Dicastillo supra n. 83.

Saltem in verbo æquivalenti. *Suarez.* *Franc. Pitigianus.* *Dicastillo.*

19. *Contrarium quidam impresserunt & defenderunt.* Contrarium à paucis annis aliqui impresserunt & publicè defenderunt. Primus quidem sub hac forma verborum: *Baptismus, Confirmatio, Ordo, videntur validè conferri posse non expressâ verbis personâ suscipientis; v. g. si quis dicat: Hic Baptismus datur in nomine Patris* &c. Secundus utitur his verbis: *In ea* (forma Baptismi) *exprimi sive significari aliqualiter debent persona baptizans, baptizanda & actio ministri tanquam ab eo procedens; quod ultimum si sufficienter fiat in forma Græcorum, cur non valeat forma latinorum omisso ly Te?* Tertius absolutè asserit, verosimiliter sufficere tacitam sive indirectam connotationem personæ baptizandæ.

Eo quòd videatur sufficere indirecta personæ baptizandæ connotatio.

Pro qua sententia sic posset aliquis argumentari: Sufficit indirecta connotatio personæ baptizantis per ly *Baptizetur*; ergo etiam sufficit indirecta connotatio personæ baptizandæ per ly *Baptizo*. Nihilominùs inhærendo vestigijs Doctoris nostri Subtilis, cum communi sententia dico:

CONCLUSIO III.

Invalidè confertur Baptismus non expressâ, ly *Te*, aut alijs verbis æquivalentibus, personâ suscipientis.

20. *Oppositum resolvitur.* Ratio necessitatis (inquit Scotus supra) *quòd illa duo sic, vel sic exprimerentur, sumitur ex illo Matth. ultimo: Baptizantes eos* &c. *Ubi exprimitur* (utique disertis verbis) *actus & suscipiens*, non minùs, quàm invocatio SS. Trinitatis nominibus Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, quæ (ut videbimus conclusione sequenti) ex illo loco maximè probatur necessaria necessitate Sacramenti, prout eum semper intellexit universalis Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & intellectu Scripturarum.

Et à Scoto probatur.

Ex quo plana redditur responsio ad fundamentum novæ illius sententiæ; equidem non nego, personam baptizandam indirectè connotari per ly *Baptizo*; imò etiam directè per ly *Baptizetur* aut *Hic Baptismus datur*; sed assero illam connotationem non sufficere, prout sufficit connotatio personæ baptizantis; tum quia major baptizantis expressio non significatur verbis Christi Matth. ultimo: *Baptizantes eos* &c. tum propter definitionem Ecclesiæ, approbantis in Concilio Florent. formam Græcorum, in qua tacitè solùm connotatur persona baptizans; expressis autem verbis denotatur persona baptizanda, quando dicitur: *Talis servus*.

Neque indirecta illa connotatio sufficit. *Ut ex Florentino colligitur.*

Et ideo addidi in conclusione: *Aut alijs verbis æquivalentibus*, v. g. *Hunc* vel *Ioannem* vel *Vos* aut *Vestram dominationem*, etsi tales aulicismi in collatione Sacramentorum non sint liciti, sed nec graviter peccaminosi.

Dices cum Auctoribus supra citatis: Florentinum nihil aliud exigit, quàm ut exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione; atqui hoc fit quando dicitur: *Baptizo* vel *Datur hic Baptismus in nomine Patris* &c. 21.

Quod frustra Adversarij pro se allegant.

Confirmatur ex forma Confirmationis: nam licèt in ordinaria dicatur: *Signo te, Confirmo te* &c. tamen in Ordine Romano antiquo habetur: *Confirma in nomine Patris* &c. Deinde forma Græcorum est hæc: *Signaculum doni Spiritûs Sancti* (supple: donatur tibi) seu (ut explicat Bessarion Cardinalis) *Signaculum est donationis* (supple: quæ per me tibi fit) *Spiritûs Sancti*. Si ergo in hac forma satis exprimitur indirectè persona confirmanda (cujus equidem expressionem æqualiter exigit forma consueta, sicut forma Baptismi) cur non in altera satis connotatur persona baptizanda?

Se ulteriùs stabilientes per formam Confirmationis. *Bessarion.* *Sed malè, quia ecclesia approbat unam formam, nusquam aliam.*

Respondeo: quia in Scriptura lego: *Baptizantes eos*; non autem: *Confirmantes eos*. Secundò: quia reperio formam Confirmationis à Romana Ecclesia approbatam, & ab Ecclesia Græca usitatam, in qua disertis verbis non exprimitur persona confir- 22.

confirmanda; assignent novi illi Doctores hujusmodi formam Baptismi, & jungemus dexteras.

Alioquin dicamus sufficere hoc verbum; absolvo.

Alioquin cur non valeat absolutio sacramentalis sub hac forma: *Absolvo* vel *datur hac absolutio in nomine Patris* &c? Quemadmodùm enim ratione circumstantiarum, v. g. ablutionis externæ, quæ fit à ministro, ly *Baptizo* satis perfectè & determinatè significat personam præsentem, quæ abluitur; ita etiam ratione confessionis præmissæ determinatur absolutio per ly *Absolvo* importata, ad personam confessam & præsentem. Ut quid igitur ly *Te*, aut particula æquivalens communiter existimatur necessaria necessitate Sacramenti Pœnitentiæ?

Joan. 20.

Cum forma Baptismi & absolutionis sit par ratio.

Certè non ob aliam rationem, quàm quia Christus Joannis 20. instituens hoc Sacramentum, dixit Apostolis suis vers. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Sicuti eisdem discipulis suis tradens formam Baptismatis, dixerat Matth. ultimo: *Baptizantes eos* &c. ostendens suæ esse voluntatis, ut quemadmodùm materia Baptismi explicitè & directè, seclusis quibuscumque alijs circumstantijs, significat seu determinat hanc particularem ac individuam personam; ita etiam forma expressis & directis verbis eandem ut distinctam à baptizante exprimeret; prout non exprimit ly *Baptizo* aut *datur hic Baptismus*; quia potest quilibet seipsum lavare & sibi ipsi dare ablutionem, sicuti seipsum communicat, & sibi ipsi administrare potest communionem: neque enim datio illa Baptismi est propria donatio, quæ exigit voluntariam acceptationem donatarij, cujus parvuli incapaces sunt, sed administratio dumtaxat seu confectio Sacramenti, quæ si Deo placuisset non necessariò respiceret suppositum distinctum, sicuti de facto ex institutione Christi respicit.

23.

Cur exprimatur magis persona baptizanda, quam baptizans,

Cur autem Christus voluerit, ut magis verbis exprimeretur persona baptizanda, quàm baptizans, cùm utraque æqualiter concurrat ad ablutionem externam, penes ipsum est. Quis consiliarius ejus fuit? Si liceat rationem divinorum operum investigare, non incongrua videtur, quia per Baptismum persona baptizanda inscribitur catalogo fidelium, & recipitur in familiam Christi per solemnem fidei professionem, quâ constituitur debitor non solius fidei tantùm, sed etiam universæ legis Christi servandæ.

Stat pro ratione voluntas Christi:

Assignatur aliis nominibus congruentia.

Accedit, quòd Baptismus ex baptizato, & non baptizante, accipit suam determinationem seu individuationem; ergo ut exprimatur actus in individuo determinatus qui per ministrum exercetur, oportet ut verbis exprimatur persona baptizanda.

Ex quo respondeo ad argumentum principale desumptum ex Concilio Florentino, negando minorem; nam, prætérquàm quòd nulla fuerit cum Græcis controversia circa expressionem suscipientis, ut constat ex formis à Concilio assignatis, in quibus persona baptizanda significatur per ly *Talis servus Christi*; quamquàm meliùs potuisset exprimi, ut notat Scotus supra n. 6. nomine proprio: *Non enim* (inquit) *iam servus Christi baptizatur, sed baptizatur ut sit servus Christi, loquendo de servitio spirituali, quo Christianus est servus Christi.* 24.

Respondetur argumento ex Florent. desumpto,

Scotus.

Præter hoc, inquam, non satis apparet, quomodò per ly *Baptizo* aut *Datur hic Baptismus*, sufficienter exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, utpote determinatus in individuo ad hanc individuam personam, idque distinctam à conferente, cùm tamen verba illa indeterminata sint & indifferentia ad hanc vel illam personam, eamdem vel distinctam significandam, ut statim ostendimus.

25.

Cujus argumenti veritas concluderet contra Adversarios,

Adde, quòd si hoc argumentum aliquid probaret, eodem aut simili argumento ex eodem loco illius Concilij concluderetur, non esse necessariam ad valorem explicitam invocationem SS. Trinitatis per nomina Patris, Filij, & Spiritûs sancti, aut æquivalentia, si talia dentur. Patet: quia Concil. Florent. non requirit illa nomina, sed simpliciter Sanctæ Trinitatis invocationem: *Si exprimitur* (inquit) *actus, qui per ipsum ministrum exercetur cum Sancta Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Et tamen juxta communem sententiam, etiam eorum qui huic conclusioni contradicunt, non valet si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*; quamvis Joannes Poncius summæ Theol. disp. 41. num. 23. asserat non posse id certò probari. Intellige certitudine fidei; nam quod concorditer docent omnes Theologi ijsdem prorsus innixi fundamentis, non potest non esse theologicè & moraliter certum.

Florent.

Ostendens non esse necessariam explicitam Trinitatis invocationem per nomina Patris &c.

Joannes Poncius.

Neque valet Adversariorum evasio.

Respondent autem omnes ad Concilium Florent. intelligendum esse de invocatione SS. Trinitatis secundùm formas Latinorum & Græcorum, quas immediatè ante præmiserat, in quibus Trinitas exprimitur nominibus Patris, Filij, & Spiritûs sancti. Similiter & ego respondeo per expressionem actûs ministri,

Concilium intelligere illam, quam præmiserat in ordinaria forma Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, in qua verbo *Te* aut æquivalenti significatur persona suscipiens.

26. Qui sic ministraret, certò graviter peccaret. Ad minùs itaque Baptismus aliter collatus erit dubius, & sub conditione reiterandus; adeoque graviter peccaminosus extra necessitatem: quod in similibus formis dubijs bene est notandum.

Magis certum est, non valere Baptismum sine invocatione SS. Trinitatis; quamvìs hæc in Confirmatione aut alijs Sacramentis (ut proprijs locis videbimus) non ita requiratur. Dubitatur autem, an exprimenda sit Trinitas nominibus distinctis singularum personarum? Pro resolutione erit

CONCLUSIO IV.

Forma Baptismi essentialiter requirit invocationē SS. Trinitatis per distincta nomina singularum personarum.

27. Invocatio Trinitatis debet fieri per distincta nomina personarum. Patet ex Scriptura Matth. ult. Nil certius est, ex communi & perpetuo intellectu illius Scripturæ Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti*, quàm invocationem SS. Trinitatis esse necessariam ad valorem hujus Sacramenti, quod specialiter à Sanctis Patribus appellatur Sacramentum fidei; quia externa & solemnis ejus professio, cujus præcipuum mysterium est Unitas & Trinitas in Divinis, Unitas in essentia, Trinitas in personis.

Quapropter Concil. Florent. supra distinguens inter verba essentialia & non essentialia: *Si exprimitur* (inquit) *actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Ergo à contrario sensu, si non exprimitur actus cum invocatione Sanctæ Trinitatis, non perficitur Sacramentum.

Et Concilio Florentino. Dubitas autem, quibus verbis oporteat SS. Trinitatem invocare? Consule formam in eodem Concil. præscriptam, & certissimè scias, quoniam nomina Patris, Filij, & Spiritûs sancti sufficientissima sunt. Sed numquid essentialia?

28. Quibusdam Hæreticis placuit baptizare in morte Domini: sed hic Baptismus reprobatur can. 49. aliàs 50. Apostolorum, & refertur de consecrat. dist. 4. cap. 79.

Baptismus in morte Domini collatus reprobatur can. 49. Apostolorum. *Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam mersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate (quod dari à quibusdam videtur in morte Domini) deponatur. Non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.*

Alijs visum fuit conferre Baptismum in nomine Domini, quos refutat Pelagius Papa scribens Gaudentio Episcopo in hæc verba (habentur de Consec. dist. 4. c. 30.) *Si reverà hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, solummodò se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cujusq; dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Ergo ex mente hujus Pontificis non solùm illicitus, sed etiam invalidus fuerat ille Baptismus; alioquin sacrilegè præciperet eos rebaptizari. Pelagius Papa. Ut etiam collatus in nomine Domini.

29. Idem Pelag. Vel omnino solius Christi. Eodem modo intelligo quod scribit idem Pelagius eidem Gaudentio Episcopo de Baptismate dato in nomine solius Christi, c. 82. de consec. dist. 4. *Multi* (inquit) *sunt, qui in nomine solummodò Christi, unâ etiam mersione se asserunt baptizare. Euangelicum verò præceptum ipso Deo & Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente nos admonet in nomine Trinitatis, trinâ etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris &c.*

Et quamvìs non addat taliter baptizatos esse rebaptizandos; credo equidem esse rebaptizandos saltem sub conditione, quia absque dubio præceptum divinum, quod in illis verbis allegatur, concernit non quidem trinam mersionem (ut ostendi Sect. præced. conclus. 8.) sed invocationem SS. Trinitatis per distincta singularum personarum nomina; quippe nomen Christi distinguitur hîc & opponitur nomini Trinitatis, cùm tamen in Christi nomine Trinitas implicitè invocetur, ut statim videbimus. Porro præceptum divinum non videtur datum nisi de essentialibus Sacramenti: nam accidentalia reliquit Christus dispositioni suæ Ecclesiæ, ut diximus agentes de materia & forma essentiali Sacramentorum, disput. præced. sect. 3. conclus. 4.

Confirmatur ex cap. 83. de consec. dist. 4. Confirmatur ex cap. 83. ejusdem distinctionis, quod est Zachariæ Papæ ad Bonifacium Episcopum in epistola, cujus initium: *Sacris liminibus*, in qua sic scribit Pontifex: *In synodo Anglorum decretum, & iudicium firmissimè præceptum & diligenter demonstratum esse dignoscitur, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omninò verum est: quia si lotus in fonte Baptismatis* 30.

quis

quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque observari in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse verum non posset. Quod pro certo verum est: quia qui unam ex sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem & Filium; si confessus non fuerit & Spiritum sanctum, neque Patrem habet neque Filium: & qui confessus fuerit Patrem & Spiritum sanctum, & Filium non fuerit confessus, neque Patrem habet neque Spiritum sanctum, sed vacuus est à divina gratia.

31. Alij favet D. Basilius, dicens

Dices: Qui nominat Christum (teste D. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 12.) nominat totam Trinitatem; sic quippe loquitur hic Sanctus in principio capitis citati: *Neminem verò debet offendere illud Apostoli, quod nominis Patris & Spiritus sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit. Neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem.* Quicumque (*inquit*) in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quicumque in Christo baptizati estis; in mortem illius baptizati estis. *Siquidem Christi appellatio, totius Deitatis est professio; quippe quæ simul declarat & Deum, qui unxit; & Filium, qui unctus est; & Spiritum sanctum, qui est unctio.*

Christi appellationem totius Deitatis esse professionem;

Et Sanctus Ambrosius, asserens

Clariùs loquitur ad idem propositum S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. circa principium: *Sicut* (inquit) *qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia unum nomen, potestas una; ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filij, aut Spiritus designatur, non solùm ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec solùm ad Patrem; sed etiam ad Filium refertur & Spiritum.* Denique & *Æthiops Eunuchus Candacis reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.*

Baptizatum in Christo plenum mysterium esse contentum;

Et infra: *Nunc consideremus, utrum quemadmodùm in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum, ita etiam sancto tantùm Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterij plenitudinem.* Pro responsione subjungit: *Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum sanctum quo unctus est, designasti.* Ac paucis interjectis: *Vnde & rationi copuletur auctoritas; in Spiritu quoque rectè baptizare nos posse, Scriptura indicat dicente Domino:* Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. *Et alibi Apostolus ait: Omnes enim in unum corpus in uno Spiritu baptizati sumus.* Ergo eum, qui baptizat in nomine Christi, censent D. Basilius & Ambrosius baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Act. 1. v. 5.

1. Cor. 12. v. 13.

Et Theophilactus, affirmans

Verba D. Ambrosij refert Beda in cap. 10. Act. & subscribit Theophilactus quoque in cap. ultimum Lucæ ad quæstionem: *Quomodò Baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, præsertim cùm aliàs doceamur baptizare in nomine Patris &c.* 3. responsione ait: *Christi nomen in se continet & Patrem inungentem, & unctionem Spiritum, & unctum Filium.*

Christi nomen continere tres personas;

32. Et Nicolaus I. resolvens

Ampliùs dico; Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 104. fretus auctoritate Scripturæ & D. Ambros. ausus fuit asserere, etiam de facto Baptismum in nomine solius Christi valere. Verba ejus referuntur c. 24. de Consec. dist. 4. *A quodam* (inquit) *Iudæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis; & quid de ijs sit agendum, consulitis. Hi profectò si in nomine S. Trinitatis* (puta explicitè, ut solet in decretalibus & PP. intelligi Baptismus datus in nomine Trinitatis) *vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt* (*unum quippe idemq́; est, ut S. exponit Ambrosius*) *constat eos non esse denuò baptizandos.*

In Christi nomine collatum Baptismum esse validum.

Ambrosium & Nicolaum sequuntur Magister 4. dist. 3. Cajet. Hugo, Adrianus citati apud Mercerum fol. 61. & multi alij Canonistæ. Imò Magister cum D. Ambrosio docet, valere Baptismum, si fide mysterium Trinitatis teneatur, etsi una tantùm persona nominetur. Et è converso non valere, etsi tres nominentur, si non rectè de aliquo illorum sentiatur.

Quos quidā sequuntur Scholastici. Magister. Caietanus. Hugo. Adrianus,

Verba S. Ambrosi.

Verba D. Ambros. sunt: *Vbi non est plenum Baptismi Sacramentum, nec principium, nec species aliqua Baptismi æstimatur. Plenum autem est, si Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum fatearis. Si unum neges, totum subruis. Et quemadmodùm si unum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam licet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicas; & aut Patris, aut Filij, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.*

Magister,

Intelligendum est hoc (notat bene Magist. supra lit. E.) super eum, qui non intendit, nec credit baptizare; qui non tantùm caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet. Certum quippe est, errorem circa mysterium Trinitatis non obesse valori Sacramenti, si minister absolutè & efficaciter intendat facere quod facit

Ecclesia. Vide dicta disp. præced. sect. 7. conclus. 4. & 5.

33. Apostoli sic validè & licitè contulerunt. Quod attinet ad mentem Doctoris Subtilis, docet in primis Apostolos aliquando validè & licitè baptizasse in solo nomine Christi, 4. dist. 3. quæst. 2. num. 9. ibi: *De quinto, scilicet de nomine Christi, patet quòd aliquando licitum fuit baptizare*, Act. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Cap. 8. v. 12. *Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.* Cap. 10. de Cornelio v. 48. *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.* Et 19. v. 5. *His auditu baptizati sunt in nomine Domini Iesu.*

Ut docet Scotus ex varijs Scripturis.

Respondent quidam, ibi *In nomine Christi* idem esse, quod in potestate & Baptismo Christi; sicuti dicitur Marci ultimo v. 17. *In nomine meo*, id est in potestate mea, *dæmonia eycient.*

34. Sed contra: *In nomine* Matth. ultimo significat invocationem; ergo & in Actis, à paritate rationis ac subjectæ materiæ, & tam constanti repetitione ejusdem formæ loquendi, quam ante Doctorem nostrum ita intellexit Nicolaus Papa supra, & quilibet non præventus primo occursu intelligeret, & intellexerunt Principes Theologorum, quorum auctoritas sufficit ad sensum probabilem.

Accedit, quòd Act. 8. & 10. nulla fuerit necessitas explicandi differentiam inter Baptismum Christi & Joannis: etenim neque Samaritani, de quibus agitur cap. 8. neque Gentiles, de quibus loquitur cap. 10. sed soli Judæi Baptismum Joannis receperant.

35. Quibus se aliquis opponit. Reponit rursum aliquis: Act. 19. v. 4. dicitur: *Ioannes baptizavit Baptismo Pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.* Et illicò subjungitur: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, id est, in Baptismo ipsius. Confirmatur ex v. 2. nam cùm Apostolus inveniret quosdam discipulos Ephesi, dixit ad eos: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis?* Quæ quæstio omninò fuisset impertinens, si in solo Christi nomine baptizari potuissent.

Sumpto ex Actis Apostolorum fundamento.

36. Respondeo, Baptismati Christi debere & solere præmitti instructionem in mysterio SS. Trinitatis, cùm ejus fides sit dispositio requisita. Unde ex responsione discipulorum suspicabatur Paulus, quòd fortè tantùm essent baptizati in Joannis Baptismate, quod verum erat; nam respondentes dixerunt: *In Ioannis Baptismate.*

Certè quòd ex sola forma ordinaria non debuerint, imò fortè non potuerint credere Spiritum sanctum, vel inde satis probatur, quòd baptizandi non attendant ad singula verba formæ, imò sæpè idioma non intelligant.

Deinde finis interrogationis Apostoli non erat collatio Baptismatis Christi, sed manuum impositio, si necdum forent confirmati. Patet ex textu; nam statim subjungitur: *His auditu baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, quia jam cognoverat Apostolus quòd nondùm essent baptizati Baptismo Christi. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Quod faciliè solvitur.

Mirabatur autem Apostolus, quòd illi, qui erant *credentes*, vel (ut in Græco est) *postquàm credidissent*, nondùm essent instructi de mysterio Trinitatis, quod est primum & principale. Similiter quòd usque modò nihil audivissent de necessitate & fructu Baptismi per collationem Spiritûs sanctificantis, de qua Petrus docuerat Judæos Actor. 2. v. 38. dicens: *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini Iesu in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs sancti.* Actor. 2.

Non ergo impertinens fuisset quæstio Apostoli, etsi in solo Christi nomine baptizari potuissent, ut habet communior opinio Mag. supra, Alensis 4. parte quæst. 8. n. 3. art. 3. D. Thom. 3. parte q. 66. a. 6. ad primum, D. Bonaventuræ parte 1. art. 2. q. 2. & plurium aliorum, contra Armacanum lib. 8. de qq. Armenorum c. 3. quem sequitur Suarez, Sotus, Vasq. & pauci alij sine sufficienti fundamento contra planum textum Scripturæ. 37.

Quòd enim quidam dicit, nomen *Iesu* fuisse ab Apostolis expressum cum cæteris personis, mera conjectura est. Sanè solius istius nominis cur tam constanter fieret mentio, si æquè aliæ personæ expressæ fuissent? Igitur modus ille loquendi probabiliter significat solum nomen *Iesu* tunc fuisse expressum; sicuti quia constanter dicitur, Apostolos contulisse Spiritum sanctum per manus impositionem, colligunt multi hanc solam tunc seu istis vicibus sine Chrismate fuisse adhibitam. Conjectura est, nomen Iesu fuisse expressum cum alijs personis.

Neque obstat can. 49. alias 50. Apostolorum supra allegatus, ubi reprobatur Baptismus datus in morte Domini, cùm tamen Apostolus ad Rom. 6. v. 3. dicat: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* 38. Roman. 6.

Non obstat, inquam; quippe aliud est baptizare

Aliud est baptizare in morte Christi, Aliud in nomine Christi.

baptizare in morte Christi, id est, meritis Christi; aliud in nomine Christi, ut propterea Apostolus præmiserit: *In Christo Iesu*, & addiderit: *In morte ipsius*, utiquè; quià cum essemus inimici, propter nimiam Charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, cujus causa instrumentalis est Sacramentum Baptismi tunc in nomine Christi; nunc autem in nomine Trinitatis explicitè collatum; semper tamen implicitè, utpote contentæ & subintellectæ in nomine Christi.

Itaque videri posset, in canone illo damnari error aliquorum hæreticorum, quem in materia prætendebant per unicam immersionem, ut excluderent Trinitatem & divinitatem Christi; & in forma *In nomine Christi*, si eâ usi fuerint, quod non constat, cum sensu exclusivo Trinitatis.

Tales fortè hæretici fuerunt Bonosiani & Cataphryges, de quibus scribit Gregor. Quirino Episcopo in Iberia lib. 9. epist. 61. & refertur de Consecr. dist. 4. cap. 4. Hi (inquit) *hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cataphryges (quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt: quorum similes multi sunt) & alij tales, cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia Baptisma non fuit, quod in errore positi in sancta Trinitatis nomine minimè perceperunt.*

Fieri quoquè potuit, ut tum satis clarificato nomine Christi & subortâ eâ hæresi, primò dispensatio cessaverit; ratione cujus juxta Doctorem nostrum supra, in primitiva Ecclesia licitum erat baptizare in solo nomine Christi.

39. Dubitat Scotus & Auctor cum illo, an de facto valeat.

Equidem an de facto valeat, dubitat Scotus, & nos cum illo; quòd non liceat indubitatum est. *Sed an modo (inquit) esset baptizatus, si sic traderetur, dubium est. Videtur quòd sic baptizans peccaret mortaliter, immò omninò non baptizaret. Primum probatur: quia legem superioris nullus inferior potest revocare nec simpliciter, nec ad tempus. Lex de baptizando in ista forma communi:* In nomine Patris & Filij &c. *promulgata fuit à Christo Matth. ultimo; ergo eam pro tempore, pro quo Christus eam non revocavit, nullus alius potest revocare.*

Quòd non liceat, est indubitatum.

Subsumit Doctor: *Sed licèt dispensaverit in illa lege pro tempore primitivæ Ecclesiæ, quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi; tamen illa ratione cessante non dispensavit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori potest aliqualiter à lege illa absolvi.*

Consimiliter probatur secundum: quia forma tradita communiter semper manet forma, nisi per formæ institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua dispensatio; sed forma non fuit dispensative tradita nisi pro tempore, pro quo fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi divulgaretur: ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione.

Et concludens interrogat: *Quid ergo? Non audeo dicere, quòd baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus; sed nec audeo dicere, quòd non esset baptizatus; quia non lego ubi fuerit ista dispensatio revocata. In hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus.*

40. Enimverò pro utraque parte exstat decisio Pontificis Romani; pro affirmante quidem Nicolai I. pro negante verò Pelagij & Zachariæ; sic tamen, quòd neutra decisio faciat rem fidei, sive oppositam errorem in fide: quoniam (ut cum Suario notat Wiggers q. 66. a. 5. & 6.) ex quo non habentur in tomis Conciliorum integræ Epistolæ Pelagij & Zachariæ, ex quibus Gratianus refert se sumpsisse allegata decreta, non satis constat certò Pontifices illos ex Cathedra fuisse locutos, & rem absolutè definivisse.

Neutra pars est fide certa.

Wiggers.

Adde, Pontifices non quæcumque declarant, declarare tanquam articulos fidei; sed sæpe oppositum damnare solùm tanquàm falsum, temerarium &c. fortè etiam inspiciendum est, an Papa faciat declaratione sua rem fidei, quando non declarat aliquid tanquàm proponendum & credendum ab universali Ecclesia; sed respondet dumtaxat ad quæstionem propositam à particulari Episcopo aut diœcesi. Et quidem si consulitur ut Pontifex, & ut talis respondet, non videtur posse errare; eo ipso enim indirectè talis res proponitur toti Ecclesiæ, eamque concernit: secùs dicendum, si interrogetur ut particularis Doctor, vel si respondeat non consultus.

41. Ex quo patet responsio ad Nicolaum I. constat siquidem quòd de præsenti controversia non fuerit interrogatus; sed solùm, utrùm obstaret valori Baptismatis, quòd minister esset Judæus: *A quodam (inquit) Judæo, nescitis utrùm Christiano, an pagano* &c. Respondet autem baptismum valere sive fuerit Christianus, sive paganus, dummodò usus fuerit legitimâ formâ. Porrò quæ esset legitima forma, ibi non quærebatur; sed occasione inde sumpta explicat suam opinionem, quam ipse de illa tanquàm Doctor particularis tenebat, puta quòd valeat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*, ductus auctoritate Scripturæ

Ad Nicolaum suprà allatum respondetur.

Ipsum hoc asseruisse ut particularem Doctorem.

turæ & D. Ambrosij, quam allegat.

Potuit autem facilè fieri, ut Nicolaus non viderit responsum Pelagij & Zachariæ, cùm tunc non ita responsa essent collecta, nec per prælum adeò notificata; vel si cognoverit, forsitan aliter duxit ea explicanda, quàm modò universalis Ecclesia intelligit, videlicet vel de implicita invocatione Trinitatis contra hæreticos, qui baptizabant in mortem Domini unicâ mersione, ut excluderent Trinitatem & divinitatem Christi; vel de explicita contra illos, qui unam personam nominabant cum positiva exclusione & errore circa alias.

Qui Pelagij aut Zachariæ responsa forsan non viderat.

Vel aliter intellexerat.

42. Interim Nicol. in hoc errasse non magìs inhonorificum est Sedi Apostolicæ, quàm Joannem XXII. errasse tanquàm particularem Doctorem, significando opinionem suam de inseparabilitate dominij ab usu rerum usu consumptibilium, si verè fuerit ejus sententia, de quo multi dubitant.

Vel hoc definiendo erraverit.

Quod non foret Sedi Apostolicæ inhonorificum.

Quapropter gratìs omninò recurritur ad quorumdam speculationem, causantium voculam exclusivam *Tantùm*, quando dicit Pontifex: *Vel tantùm in nomine Christi*, non excludere duas alias personas, sed dumtaxat expressam nominationem Filij; nam, præterquam quòd hæc explicatio appareat satìs torta, etiam dubitatur de valore hujus formæ, utpote quæ non exprimat secundam personam divinam quà talem; de quo conclusione sequenti.

43 Igitur (ut finem imponamus huic controversiæ) si quæ forsitan appareat alicui contradictio decretorum, reducat illam ad opiniones contrarias, quarum neutra definita est, & in quibus etiam nunc graves Theologi hæsitant.

Et verò Nicolaum (si credimus Cypriano in Epistolis ad Jubaianum & Pompeium) videri posset præcessisse Stephanus. Sic quippe lego in prima Epistola: *Cùm in eadem epistola* (Stephani Papæ) *adverterim etiam Marcionis fieri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod iam in nomine Iesu Christi baptizati esse videantur* &c. Et in epistola sequenti: *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis Baptismo* &c. *contendat filios Dei nasci, & illic in nomine Iesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem & in Dominum Deum Christum?*

Stephanus.

Cyprianus.

Eidem sententiæ accessisse videtur Algerus lib. 3. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, cap. 13. ubi apertè supponit Baptismum ab hoc Pontifice probatum in nomine Christi tantùm, valere, si non sit animus baptizantis erroneus circa mysterium Trinitatis.

Algerus.

Cæterùm Pelagius, & alij Pontifices tutiorem partem elegerunt, quam & nos malumus pro hoc tempore eligere, adstipulante D. August. & plerisque alijs sanctis Patribus ac Theologis, nec non universali praxi Ecclesiæ, quæ in præsenti semper baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti; quidquid olim fortè fuerit adhuc durante dispensatione divina, de qua Pelagius & Zacharias nullam faciunt mentionem, utpote quæ ante illorum decreta cessaverat. 44.

Pelagius aliique Pontifices tutius oppositum docuerunt.

Pro quo nunc stat universalis praxis Ecclesiæ.

Et sanè de Ecclesia primitiva, quando vigebat adhuc dispensatio, commodissimè intelligi posset auctoritas D. Basilij, quamvìs existimem id minimè necessarium. Quidni existimarem? Siquidem inscribitur c. 12. in quo habentur verba præallegata: *Adversùs eos qui dicunt sufficere Baptisma tantùm in nomine Filij.* Quomodò ergo credibile est, id ipsum in hoc capite velle adstruere. 45.

D. Basilius intelligi potest de tempore, quo vigebat dispensatio;

Certè contrarium indicant ea, quæ sequuntur; quoniam cùm dixisset, Apostolum etiam interdum solius Spiritûs sancti in Baptismate fecisse mentionem, ut cùm ait 1. ad Corinth. 12. v. 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*; illicò subjungit: *At non ideo quis dixerit perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritûs nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem* &c. Et post pauca: *Proinde si in Baptismo separare Spiritum à Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile: Quomodo nobis tutum fuerit à Patre & Filio distrahere Spiritum?* Ac tandem in fine capitis concludit: *Nam fides perficitur per Baptismum; Baptismus autem fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; sic etiam baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

Hoc tamen non est necessarium.

1. Cor. 12.

In eumdem sensum sumi possunt & explicari verba D. Ambrosij: utriusque quippe Doctoris idem est propositum; non quidem docere Baptismum collatum in solo nomine Christi aut Spiritûs sancti, esse validum; sed hoc tantùm, quòd dum in Scripturis aliqua divina operatio designatur esse Patris, aut Filij, aut Spiritûs sancti, unam videlicet dumtaxat personam Scripturâ exprimente, cui adscribitur; non debere idcirco ab illa operatione excludi aut separari alias personas, sed operationem illam ad omnes tres debere referri. Ita Wiggers supra num. 29. Considera verba textûs, & ita reperies. Titulus cap. 3. est 46.

Eodem modo intelligendus Ambrosius.

Wiggers.

talis:

talis: *Spiritum Sanctum à Patris Filijq; maiestate non secerni.*

Confirmatur hæc expositio ex eo, quòd habet D. Ambros. lib. de Initiandis cap. 4. ibi: *Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini Iesu, quâ & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, remissionem non potest recipere peccatorum* &c. In quo capite (ut ex titulo cognoscitur) agit de forma baptismatis.

S Ambros. Qui alibi clarè ostendit, trium personarum distinctam invocationem esse necessariam.

47. Forma D. Bernardi non approbanda.

Quod attinet D. Bernardum, qui epistola 140. videtur approbare Baptismum datum sub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei, & sancta ac vera crucis*; respondet Wiggers supra; illam nullo modo esse approbandam, ut omnes docent. Quarè videtur in eo fuisse deceptus; nisi malis dicere cum aliquibus, Bernardum locutum non juxta legem Dei ordinariam, sed ex peculiari quadam indulgentia: quia minister non ex contemptu formæ Ecclesiasticæ; sed ex quadam fidei festinantis devotione (ut ipse loquitur) fuerat illâ formâ usus. Omitto, istam Epistolam esse unam ex illis triginta, quæ posteriùs additæ sunt, de quibus forsitan non immeritò possumus dubitare, an sint reverà Bernardi.

Imò dubium, an sit ipsius.

Profectò Scripturas, ex quibus Ambros. colligit, in Spiritu quoque rectè baptizare nos posse, hactenùs nemo sic intellexit, præter Magistrum supra, ut valeat Baptismus sub invocatione solius nominis *Spiritûs sancti*; sed exponi debent & commodè possunt de effectu, qui est gratia sanctificans, quæ specialiter tribuitur Spiritui sancto, & quâ formaliter baptizamur, sive abluitur anima à peccatis; ut sensus sit, quòd in Baptismo consecuti sumus Spiritum sanctum, vel quòd virtute Spiritûs sancti consequamur Baptismi effectum.

Non potest quis baptizare in nomine solius Spiritûs sancti.

48. Maneat itaque longè probabilius esse, de facto non valere Baptismum collatum in solo nomine Christi, Dei, aut morte Domini; imò neque ipsius Trinitatis, de quo nomine sic loquitur & docet Scotus supra num. 9. *De nomine Trinitatis patet quòd Christus intellexit illas personas explicandas: in hoc autem nomine Trinitatis tantum importantur implicitè. Et ideo quod dicit illud capitulum* A quodam, *Trinitas debet intelligi explicitè pro tribus personis,* per nomina *Patris, Filij & Spiritûs sancti,* vel alia his æquivalentia si talia dentur, de quo multi dubitant.

Imò neque Dei, aut ipsius Trinitatis.

Scotus.

Cajetanus, quem sequuntur aliqui Recentiores, docet valere Baptismum collatum in nomine Genitoris, Geniti & Spirati, sive procedentis ab utroque. Equidem sensus communis Antiquorum & Recentiorum est in oppositum, qui in materia sacramentali multum momenti habet, quatenùs signum est voluntatis Christi, qui utique sic potuit instituere, ut usitatis in quovis idiomate verbis minister in hoc Sacramento, Christianismi januâ, uteretur; sicut instituit aquam usualem; & in Sacramento Eucharistiæ panem usualem, ut quamvìs pasta fortè specie non distinguatur, nihilominùs non valeat.

De Baptismo collato in nomine Genitoris &c.

Dubitatur an valeat.

Inhærentes igitur vestigijs veteranorum militum, qui Ecclesiam Christi non tantùm doctrinâ, sed etiam vitæ sanctitate quàm plurimùm illustrarunt ac constanter propugnarunt, asserimus

CONCLUSIO V.

In nominibus Genitoris, Geniti & Spirati non servatur forma Baptismi à Christo instituta.

Est Scoti 4. dist. 3. q. 2. n. 9. ibi: *De nominibus significantibus proprietates, & non personas, ut Genitor &c. dico, quòd non servatur in eis forma.* Ratio à priori: *Quia (inquit) Christus voluit personas vocari nominibus personarum.* Ratio congruentiæ: *Et rationabiliter secundùm illud, quod tactum est in primo lib. dist. 22. ut sicut Iudæis datum erat aliquod nomen significans essentiam divinam sub propria ratione, quod ipsi vocabant nomen Dei* Tetragrammaton; *ita Christus dedit Ecclesiæ nomina significantia personas sub proprijs rationibus.* 49.

Resolvitur quòd non. Cum Scoto.

Addit: *Si etiam non sic dederit, tamen bene probabile est in aliqua invocatione nomen personæ habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis personæ: petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Ioannis, citiùs impetraretur, quàm si loco nominis proprij poneretur nomen significans proprietatem suppositi.*

Fundamentum ergo primarium est institutio Christi, accedente usu & interpretatione tam Ecclesiæ, quàm Doctorum communiter. Congruentia: quia Baptismus est Sacramentum fidei, quo fideles initiantur, invocando & protestando Deum unum in essentia & trinum in personis: ergo conveniens fuit, ut hoc fieret per nomina significantia ipsas personas; sicut in veteri lege consuetùm erat invocare & profiteri Deum sub ratione essentiæ (cujus solius fides explicita tunc singulis erat necessaria) per nomen *Tetragrammaton,*

Propter institutionem Christi, & usum Ecclesiæ,

Et congruentias.

quod significat essentiam divinam sub propria ratione. Unde & illis vocibus in novo Testamento ubiquè exprimuntur personæ; similiter & in Symbolis, atque alijs Ecclesiæ orationibus.

Confirmatur: quia Baptisma est Sacramentum communissimum, utpote quod ab omnibus est suscipiendum, & ab omnibus in necessitate licitè, extra eam saltem validè, administratur. Quidni ergo institutum sit in nominibus magis accommodatis captui uniuscujusque? Certè nomina Genitoris, Geniti & Procedentis à plerisque non intelliguntur, sed solis Theologis nota sunt.

50. Proponitur unicum Adversariorum motivum. Dices cum Adversarijs (& est unicum eorum motivum) hæc forma: *Baptizo te in nomine Genitoris* &c. æquivalet ordinariæ; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens. Pro quo

Pro quo annotatur forma quadruplex variatio. Adverte cum Doctore Subtili supra numero 7. quadruplicem posse contingere mutationem secundùm verba, scilicet secundùm substantiam, qualitatem, quantitatem, & ubi: Prima (inquit n. 8) *potest intelligi dupliciter; vel quòd aliud verbum secundùm quid ponatur in loco alicuius verborum illorum, puta alia vox*, Flandrica v. g. pro Latina; *tamen idem, & sub eadem ratione significans.*

Et de hac mutatione pronuntiat n. 9. *Quòd manet eadem forma, quia in qualibet lingua potest fieri Baptismus. Fortè tamen* (addit) *non licet baptizanti ex officio, & solemniter, uti verbis cuiuslibet linguæ; sicut nec in confectione Eucharistiæ: quia ordinavit Ecclesia Romana, quòd officia ecclesiastica dicantur, & Sacramenta ministrentur in latino grammatico: & hoc rationabiliter, quia istud distinctius potest scribi & proferri.* Ex Scoto.

Pergit num. 8. & assignat 2. membrum: *Vel aliud verbum simpliciter, scilicet alia vox aliud significatum habens.* Subdividit autem hunc modum inquiens: *Et si secundo modo, adhuc dupliciter; quia vel illud significatum est omnino disparatum à significato vocis, pro quâ ponitur; ut si poneretur* Lapis *loco huius quod est* Pater (& de illo *patet, quòd omninò forma non servatur*, ait n. 9.) *vel est significatum conveniens omninò habens idem substratum in re.*

Et hoc contingit dupliciter, vel quia exprimit distinctè tres personas sub alijs rationibus significatas, quàm significantur per hoc Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: *& sic est de istis nominibus* Genitoris, Geniti & Spirati; *ista enim significant personas sub ratione proprietatum: non autem sub ratione subsistentum & hypostasum. Vel illæ personæ significantur implicitè; & hoc vel tanquàm in toto collectivo, quomodò significat eas hoc nomen* Sancta Trinitas; *vel implicitè, ut in quodam importante personas per correspondentiam effectûs ad causam: & sic importantur per hoc nomen* Christus; *hoc enim nomen significat Filium secundùm naturam humanam, qui unctus est: & dat intelligere Patrem, à quo unctus est; & Spiritum Sanctum quo unctus est.* Hucusque Doctor de mutatione harum vocum quoad substantiam.

51. Voces Pater & Genitor non æquivalent speculativè. Ubi simpliciter & absolutè asserit non æquivalere ly *Pater*, & *Genitor*; *Filius*, & *Genitus*; *Spiritus sanctus*, & *Spiratus* quoad modum significandi, etiam speculativè, & apud Theologos, licèt conveniant in re substrata. Quod explicat ibidem n. 15. his verbis: *Ad illud de* Genitoris *dicendum, quòd Aug.* (5. de Trinitate cap. 7.) *ibi intelligit quòd idem est* Genitor *&* Pater *quantùm ad hoc, quod est dici ad alterum, sive importare proprietatem eiusdem personæ: sed non sunt idem quantùm ad primum conceptum significatum utrobique; quia* Pater *significat primò & per se suppositum in natura divina: aliud autem significat primò & per se proprietatem.* Ergo non æquivalent speculativè.

Sed nunquid practicè? Audi quod sequitur: *Et non est eadem vis nominis proprij, & proprietatis nominis in invocatione facta alicuius personæ, ad aliquem effectum.* Immo nec practicè.

52. Objectio. Dices: hîc petitur manifestè principium; nam æquivalentia practica rectè infertur ex speculativa: pro qua urgeo, quòd etiam *Pater* formaliter significat proprietatem; ergo &c.

Responsio. Respondeo negando antecedens: quippe non sumitur *Pater* in hac forma denominativè, sed substantivè, prout subsistit; licèt etiam sic importet constitutivum sui, scilicet paternitatem: porrò notio significat proprietatem; nam licèt in re sit eadem cum paternitate: tamen significat actum notionalem, generationem videlicet, ut est ad terminum per modum actûs productivi, & non constitutionem personæ sub illa ratione & modo significandi vocis: paternitas autem significat subsistentiam per modum constituentis. Breviter: voces istæ *Genitor* &c. non significant personas divinas quà tales, id est, in ratione subsistentium; sed per modum originis unius ab altera. Voces Genitor, Genitus &c. non significant personas divinas, ut tales;

Addunt aliqui, quòd voces istæ non ita significent consubstantialitatem personarum, sicut *Pater* & *Filius*; cùm possit unum generare aliud non consubstantiale v. g. Deus ignem, & (ut vulgò Philosophi loquuntur) homo & sol generare hominem. Sed facilè responderi posset, illas gene- Quia non consubstantialitatem personarum.

generationes esse improprias.

53. Consentit Epiphanius. Apposite Epiphanius adversus hæres. hæres. 33. *Ingenitus* (inquit) *non significat Patris intelligentiam, Genitus nondum significat proprie Filium, sed ad omnia genita communem facit intelligentiam.* Et post pauca: *Non baptizati sumus in Ingenitum, & Genitum; sed in Patrem, & Filium.*

Et Athanasius; Consentit Athanasius oratione 2. contra Arianos post medium, ibi: *Eoq; summam fidei nostræ tendere voluit, cùm juberet nos baptizari non in nomine Geniti & Ingeniti, neque in nomine Conditi & Increati; sed in nomine Patris, & Filij &c.*

Jussio itaque divina facit, ut variatio hæc, quæ in alijs Sacramentis solùm esset accidentalis (quia voces *Genitor* &c. videntur in sensu convenire, saltem apud Theologos) in Baptismate, de quo in præsenti tractamus, debeat censeri substantialis.

54. Et malè loco Filij poneretur vox Jesu Christi. Hinc etiam non valet, si loco vocis *Filij* ponatur vox *Iesu Christi*; quia non exprimitur sufficienter secunda persona: secùs, si ly *Spiritus* addatur *Parackleti*; quia mutatio illa est solius epitheti, non substantiæ; Spiritus enim significat personam.

Secus, si ly Spiritûs addatur Paracleti.

Rursum invalidus est Baptismus collatus *In nomine primæ, secundæ & tertiæ personæ*; hæc enim non sufficienter explicant mysterium Trinitatis secundùm proprietates personales; neque emanationem unius personæ ab altera. Idem est, si conferatur *In nomine omnipotentis, & sapientis, & boni*, quæ non sunt nomina propria singulis personis, sed tantùm appropriata.

Aliud dicendum, si loco Patris &c. diceretur in nomine primæ &c. personæ;

Aliud aliquibus videtur speculativè loquendo, si loco ly *Filij* ponatur *Verbi*: in praxi tamen omninò abstinendum est partim ob consuetudinem contrariam, partim ob dubium; uti etiam à vocibus *Genitoris* &c. de quibus hîc principaliter disputavimus, etsi concederemus speculativè valere.

Vel in nomine Ingeniti, & Geniti, & Doni. Minùs valet, si dicatur: *In nomine Ingeniti, & Geniti, & Doni*; quia voces istæ non significant totum id, quod voces usitatæ: quippe etsi Deus una tantùm esset persona, adhuc rectè diceretur *Ingenitus*, non tamen esset *Pater*. Hactenùs de vocibus significantibus Trinitatem.

55. Verumenimverò cùm Baptismus non minùs sit professio unius Dei, quàm trini; restat quæstio, quibus verbis necessariò necessitate Sacramenti hæc unitas in forma exprimatur? Et quidem in forma communi importatur per ly *In nomine*, ut patet, id est, in virtute substantiali una, in auctoritate, divinitate, invocatione & fide, non baptizantis, sed Ecclesiæ. Ideoque hæc verba

Unitas exprimitur per ly In nomine.

Scotus supra n. 7. recitat inter verba principalia, dicens: *De verbis autem principalibus, quæ sunt: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et cùm illicò interrogasset: *An ista sint præcisè pertinentia ad formam?* Respondendo ad hanc interrogationem nihil speciale dicit de ly *In nomine*.

Certum interim est non valere, si dicatur: *In nominibus Patris* &c. quia sic nullo modo significatur unitas, nequidem implicitè; cùm tamen ejus professio & invocatio tam necessaria sit, quàm Trinitatis. Imò putant aliqui formam fore invalidam, si 3. dicatur *Nomine*; etenim quamvis tunc non significetur diversitas naturæ, sicut prius; non tamen etiam satis exprimitur unitas. Sunt tamen etiam qui existimant valere, sicuti non obstat unitati essentiæ repetitio ly *Deus* ad voces *Patris, Filij & Spiritûs Sancti*, dicendo: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.* Non per ly In nominibus.

Utcumque sit de hac controversia (utar verbis D. Ambr. lib. 2. de Sacramentis c. 7.) *In uno nomine baptizari nos jussit*, supple, Christus. Et D. Aug. lib. 3. contra Maximinum c. 32 *In nomine* (inquit) *non in nominibus, quia hi tres unum sunt, & hi tres unus est Deus.* Accedat D. Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. *Non baptizamur in nominibus Patris, & Filij &c. sed in uno nomine, quo intelligitur Deus.* Jussioni Christi obtemperemus, & minimè errabimus à via veritatis: ipse enim est via, veritas & vita. 56. S. Ambros. Consentit Augustinus, Et D. Hieronymus.

Si ergo nolumus deficere in administratione Sacramenti primi, & quàm maximè necessarij, dicamus: *In nomine*, non *In nominibus*; *In virtute*; *In* vel *per Patrem*, *nomine Patris*; hæc enim omnia ad minùs practicè dubia sunt, tametsi aliqua speculativè loquendo censeri possint æquivalentia.

Enimverò quod ait Regius hîc quæst. 66. art. 6. n. 61. ly *In* per Hebraïsmum adjungi, sicut quando dicimus: *Credo in Deum, Pulso vel cano in cithara*, quæ phrasi hebræa idem significant quod *Credo Deum*, & *Cano citharâ*, aliquibus displicet. Quia (inquiunt) apud Latinos *facere aliquid nomine alterius* significat *facere ex commissione* sive *loco alterius*; non autem *in virtute, auctoritate, invocatione* &c. quæ supra diximus importari per ly *In nomine*. Ut ut sit de forma pronuntiata idiomate latino; liquet profectò, quòd pronuntiata idiomate Flandrico, omisso ly *In* planè alium ingerat sensum. Regius. Quid sit facere nomine alterius.

Similiter dubitant aliqui, an forma valeat, si omittatur ly *&*, saltem utroque loco; quia non videtur sufficienter significari diversitas personarum. Wiggers putat satis certò valere, si ultimo loco ponatur; quippe 57. Omissio ly & reddit Baptismum dubium.

ita communiter loqui solemus, quando simul plura enumeramus, ut solùm ultimo loco ponamus conjunctionem copulativam.

Finio, & rursum dico diligenter cavendam esse quamcumque variationem verborum quoad substantiam; licèt enim aliqua non sit substantialis sive essentialis, sed dumtaxat accidentalis; & hæc tamen peccaminosa est, idque graviter; quando non constat certitudinaliter de valore formæ sic variatæ: quæ certituno rarissima est, ut ex dictis satis colligitur.

Eadem regula observanda est in variatione quoad quantitatem & qualitatem, de quibus egimus præced. disp. sect. 3. conclus. 4. uti etiam in variatione secundùm ubi, de qua hîc breviter dico:

CONCLUSIO VI.

Nuda transpositio personarum non invalidat formam. Hæc forma ad minùs est dubia: Ego Patris baptizo te in nomine Filij, & Spiritûs sancti.

58. *Nuda personarum transpositio formam non invalidat. Scotus.* EXemplum primæ variationis sit, *Baptizo te in nomine Filij, & Patris, & Spiritus sancti.* Conclusionem hanc quoad utramque partem tenet Scotus supra num. 13. *De quarta (inquit) variatione, scilicet* ubi, *dico quòd aliqua transpositio omninò variat sententiam; ut si diceretur,* Ego Patris baptizo te in nomine Filij &c. *Aliqua autem transpositio permittit, ut transposita teneant quasi eamdem virtutem in ipsa forma; ut si diceretur:* In nomine Filij, & Patris &c. *Et prima transpositio impedit, quia aufert conceptum orationis, ut instituta est.* *De aliqua dubitatur,*

Quam non certificat locutio poëtarum, ut vult Lugo. Contrarium docet Emin. Lugo de Sacramentis disp. 2. sect 6 num. 112. Quia reverà (inquit) apud Latinos Poëtas ille modus loquendi usitatus est.

Respondeo modum loquendi Poëtarum esse particularem, & non communem, cùm à plerisque non intelligatur. Porrò forma Baptismi tis instituta est secundùm usitatum modum loquendi, ut vidimus conclusione præcedenti. Ex quo ad minùs sequitur dubietas hujus formæ.

59. *Secunda variatio* (prosequitur Scotus) *non impedit.* Probat: *Quia etsi congruum esset servare ordinem proferendo personas, qui est personarum secundùm originem, & necessarium sit hoc quantùm ad ministrum; tamen non videtur omninò necessarium ex parte Sacramenti: quia personæ quocumque ordine nominatæ, sunt unum efficiens principale in Baptismo, & ut sic invocantur.* *Aliam certam dicit Scotus.*

Consonat D. Bonav. 4. dist. 3. parte prima q. 3. a. 4. ibi: *Ad id quod quæritur de transmutatione, dicendum quòd si fiat simpliciter sine erroris dogmatizatione, non impedit.* Subjungit rationem: *Quia ordo intelligitur in ipsis verbis, quòd Filius à Patre procedat. Et sic non oportet exprimere ordinem, ita sicut nomina personarum.* *Et D. Bonaventura.*

Ratio itaque primæ partis conclusionis est: quia talis forma satis exprimit causam principalem; quod tantùm exigit Concilium Florentinum, sitque per eam, & in eâ expressa & propria invocatio ac professio Trinitatis sub propria appellatione personarum. Ultimum patet. Primum probatur: quia tres personæ sunt causæ principales quatenùs sunt unum in natura, auctoritate & potentia; non autem prout dicunt ordinem originis: quippe non competit potestas Patri quia Pater, sed quoniam Deus; & ita de alijs: unde ad extra eâdem indivisibili agunt actione. 60. *Ratio 1. partis conclusionis.*

Objicies: sed alia est institutio Christi. Respondeo negativè; siquidem institutio sumit suam explicationem à fide explicita, quam profitetur suscipiens Sacramentum; hæc autem est, quâ credat tres personas in una essentia; id enim dumtaxat accommodatur communi captui: ordo verò originis & modus procedendi personarum excedit captum communem & simplicium, & vix à doctis capitur; neque significatur in forma, nisi quatenùs in prolatione personarum servatur ordo, qui est secundùm processionem earum; quod non sufficit, ut interpretemur hoc esse de necessitate formæ, cujus usus & fides debet esse communis tam doctis, quàm indoctis, idque ex institutione Sacramenti, prout Ecclesia eam declarat. 61. *Objicitur. Respondetur.*

Doctè autem addidit D. Bonav. supra: *Si fiat simpliciter sine erroris dogmatizatione.* Enimverò si minister ita transponens, intendat negare ordinem Originis, sive significare Filium esse priorem, nihil facit, vel defectu debitæ intentionis Sacramenti, nolens illud conficere, si Pater non procedat à Filio; vel etiam fortassis defectu formæ: quippe licèt hæc non exigat servari ordinem Originis, tamen postulare videtur, ut non positivè excludatur; quemadmodùm excluditur, quando illa inversio fit animo significandi exteriùs errorem, quem 62. *D. Bonav. Minister intendens negare ordinem originis nihil facit, Vel defectu intentionis vel formæ.*

quem etiam forma illa nata est significare, juxta sententiam, quæ docet, verba, quæ patiuntur varios sensus, accipere determinationem sive determinatam significationem ex intentione proferentis.

Suarez. Sanchez. Talibus utens verbis non excusatur ab Hæresi externa.

Quarè tenent Suarez de Virtutibus Theol. disp. 21. de Fide sect. 2. num. 10. Sanchez Sum. lib. 2. c. 8. n. 26. & plures alij, non excusari ab hæresi externa, qui utitur verbis ambiguis, si quidem habeat animum significandi hæresim suam internam, etsi alij propter diversas significationes, quas patiuntur voces externæ, eam non percipiant; v. g. si quis dicat: *Maria non fuit virgo*, volens significare Deiparam. Ergo similiter in præsenti, si dicat: *In nomine Filij, Patris, & Spiritûs sancti*, cum animo significandi errorem internum circa processionem Patris à Filio, verè censebitur hæreticus externus, quamvis audientes propter ambiguitatem sermonis, hæresim non determinatè percipiant. De quo plura in materia de Fide, ubi de pœnis hæreticorum: hîc sufficiat indicasse probabilitatem istius sententiæ.

63.
Imò probabiliter nihil facit.

His tamen non obstantibus, etiam contraria sententia, videlicet formam ita inversam non valere quocumque animo proferatur, à multis constanter asseritur, ut proinde non immeritò annumerari possit & debeat formis dubijs; sicuti eam pro tali videtur agnoscere Scotus in Reportatis eâdem dist. & quæst. n. 6. ibi: *Quidam tamen dicunt, quòd si diceretur:* Ego baptizo te in nomine Filij, Patris, & Spiritûs sancti, *non esset rebaptizandus. Credo tamen, quòd ordo personarum sit necessarius, ita quòd qui destruit ordinem Originis, nihil faceret; sed credo quòd talis esset postea rebaptizandus sub conditione.* Ergo censet Doctor talem Baptismum fore dubium, cùm absque dubio, & quidem probabili, nemo sit rebaptizandus; nisi fortè Doctor hîc loquatur de Baptismo collato tali forma cum intentione erroris. *Scotus.* *Saltem meritò dubitari potest.*

Interim probabiliùs existimamus, quod docuit in primo scripto, quamvis etiam non omninò assertivè, ut indicat ly *Videtur*, quo utitur, dicens: *Tamen non videtur omninò necessarium ex parte Sacramenti.*

Ita ergo intellige primam partem conclusionis, ut licèt non sit omninò certa & infallibilis, meritò tamen probabilior & minùs dubia censeri debeat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Filij & Patris &c.* quàm illa: *Ego Patris baptizo te in nomine Filij &c.*

Et hactenus quidem de principijs intrinsecis Baptismi, materia scilicet & forma: transeo ad extrinseca, quæ non minùs sunt utilia, & scitu necessaria. Incipio autem ab effectu.

SECTIO TERTIA.

De Effectu & necessitate Baptismi.

1.
Quis sit Baptismi effectus.

Quod attinet effectum Baptismi, suppono ex dictis præcedenti disp. sect. 4. conclus. 1. 4. & 5. Baptismum conferre gratiam tum habitualem, tum actualem ex opere operato, & imprimere animæ characterem indelebilem.

Etiam specialis, utique ex voluntate Dei.

Suppono secundò ex dictis præsenti disputatione sect. 1. conclus. 1. Baptismum ex speciali Dei voluntate reddere hominem capacem effectuum aliorum Sacramentorum. Dico *Ex speciali Dei voluntate*: quia sicut de facto nullo alio Sacramento prævio valet Baptismus, & causat gratiam; ita nulla apparet repugnantia, quo minùs, si Deus voluisset, cætera quoque Sacramenta non præmisso Baptismo suos causarent effectus.

Porrò ex eadem voluntate & institutione divina, neutiquàm ex natura gratiæ justificantis, præ cæteris Sacramentis

CONCLUSIO I.

Baptismus efficit remissionem omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.

Sunt verba Concil. Florent. in decreto Unionis, ubi agens de effectu Baptismi, ait: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ &c.* Et ut scires per culpam actualem intelligendam esse, etiam venialem, continuò subjungit: *Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem perveniunt.* 2. *Remissio scilicet omnis culpæ & pœnæ;* *Ut ex Florentino constat.*

Certè

Certè si peccata venialia non delerentur, indubiè nec pœna eis debita remitteretur, neque baptizatus sine satisfactione statim ad regnum cælorum perveniret; quippe *non intrabit in eam* (civitatem cælestem Jerusalem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*, Apoc. 21. v. 27.

Apoc. 21.

3. Et Tridentino.

Eamdem veritatem definit Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali §. 5. hisce verbis: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam habet rationem peccati, sed illud dicit tantùm radi aut non imputari, anathema sit.*

Probationem subtexit ex diversis Scripturæ locis, inquiens: *In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum hominem, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Utque significaret se loqui etiam de peccatis venialibus, ac de remissione totius pœnæ, concludit dicens: *Ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.* Remoraretur autem aliquid, si vel peccata venialia non tollerentur, aut tota pœna debita non remitteretur.

4. Asserente alium esse Baptismi, alium pœnitentiæ fructum,

Quod alijs verbis docet sess. 14. c. 2. ibi: *Alius est præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus.*

Et fructus hujus requirere magnos labores.

Labores autem illi requiruntur in Sacramento Pœnitentiæ potiùs ad remissionem pœnæ, quàm culpæ, eodem Concil. attestante sess. 6. c. 14. ibi: *Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, eáque contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum; verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto & suo tempore faciendam, & sacerdotalem Absolutionem; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, sed prò pœna temporali, quæ (ut sacræ litteræ docent) non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur* (utique propter ingratitudinem, ut patet ex verbis immediatè sequentibus) *illis, qui gratiâ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti.*

Ex quo à contrario collige congruentiam plenissimi jubilæi omnium culparum & pœnarum, quod cuilibet renasci volenti semel Deus voluit concedere, ut ita vetus Adam totus quoad culpas & proprium earum effectum sepeliatur in aquis per merita sanguinis & passionis Christi; siquidem prima condonatio solet esse liberalior, in illo præsertim Sacramento, quod expressiùs repræsentat Mortem, Sepulturam & Resurrectionem Dilectissimi Unigeniti sui; qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. 5.

In Baptismo condonatio est liberalior;

Tridens. Quia ante Baptismum supponantur per ignorantiam peccasse.

Sanè (inquit Conc. Trid. sess. 14. c. 8.) *& divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurij & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur.*

Cæterùm cùm gratia, quæ infunditur in ùtroque Sacramento, sit ejusdem rationis; una quippe per aliam intenditur: possit quoquè utrobique esse peccatorum & dispositionis æqualitas; immo in Baptismo quandoque minor dispositio, & majora peccata: liquet tam adæquatam remissionem non fieri vi justificationis hujus Sacramenti præcisè ex natura rei, sed ex liberali prorsus & gratuita condonatione Dei (ut dixi) qui consulens perfectioni novæ Legis, noluit aliquod esse peccatum, quod non totaliter posset remitti vi alicujus Sacramenti.

Adhuc dubitas de veritate conclusionis? Catholica est, non licet; & verò non potes dubitare, si sanis oculis penitiùs introspicias pravitatem hæreticam. Et quæ illa? In Baptismo (inquiunt) peccata verè non remittuntur, sed solùm teguntur, seu non imputantur. 6.

De conclusione supraposita non potest dubitari.

Quis non explodat hujusmodi ineptiam? Quomodò ergo homines sunt mundi & imma-

Ne in Hæreticorum incidas sententiam.

immaculati (juxta Apostolum ad Ephes. 5. v. 26. & 27. *Vt illam* (Ecclesiam) *sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata*) & non potiùs sepulchra dealbata intùs plena sanie & fætore? Quomodò exhibetur Ecclesia Deo gloriosa, sancta & immaculata, ante cujus oculos nihil tegi potest, aut aliter imputari, quàm est?

Ephes. 5.

Audi quid dicat D. August. lib. 1. contra duas epistolas Pelag. c. 13. *Dicunt etiam* (inquit Julianus) *Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Ecce calumniam Pelagianorum.

Quibus se opponit D. August.

Sed quid putamus Doctorem sanctum respondisse? Non aliud certè, quàm veritatem orthodoxæ fidei. *Quis* (inquit) *hoc adversùs Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut* omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. *Nam & istam similitudinem comperi suæ illos adhibere calumniæ, tamquàm hoc nos sentiamus atque dicamus.*

Occurrensque objectioni hæreticorum, addit: *Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necessè est ut etiam baptizatus, & hoc si diligentissimè proficit, & Spiritu Dei agitur, piâ mente confligat.* Ubi admittit concupiscentiam manere in renatis; quod postea definivit Concil. Trident. supra in decreto de peccato originali, ibi: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quin imò qui legitimè certaverit, coronabitur.*

Eorumque objectioni,

Admittens cum Trid. concupiscentiam in renatis,

Nam (ut ait D. August. supra) *Ista ipsa carnis concupiscentia in Baptismo sic dimittitur, ut quamquàm tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus.* Ac lib. 2. de Gen. contra Manichæos c. 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atque compescit; quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.*

7. Concludo cum Apostolo ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Non enim* (verba sunt D. Aug. supra, contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. c. 10.) *damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum.*

Rom. 8.

S. August.

Hinc cap. 13. ita scribit: *Sed hæc* (concupiscentia) *etiamsi vocetur peccatum, non utiquè quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur; sicut scriptura manus cujusq; dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur.* At paucis interjectis: *Et ideo iam non sit peccatum, sed sic vocetur, sive quod peccato facta sit, sive quòd peccandi delectatione moveatur*, id est, inclinet ad peccatum, *etsi ei vincente delectatione iustitia non consentiatur.*

Quæ vocatur peccatum quia peccato facta est,

Vel ad peccatum inclinat,

Idem docet lib. 1. Retract. c. 15. ibi: *Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur.*

Contrariam doctrinam damnat Trident. supra dicens: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquàm intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Ut expressè docet Trident.

Dices: Si concupiscentia est pœna peccati, & hæc manet in renatis; ergo Baptismus non remittit omnem pœnam, quæ pro culpa debetur, quod opponitur secundæ parti conclusionis. 8.

Respondeo distinguendo consequens: non remittit omnem pœnam propriè dictam, id est, quæ ita ab extrinseco homini à divina justitia pro peccato infligitur, ut nullum in natura habeat fundamentum, v. g. tormenta inferni, purgatorij, & similia, nego consequentiam: non aufert pœnalitates hujus vitæ, cujusmodi sunt passibilitas corporis, ægritudo, dolor, fames, sitis, mors, fomes concupiscentiæ, & similia, quæ ex natura ipsa oriuntur, & essent in homine condito in statu puræ naturæ quantùm ad substantiam & imperfectionem suam, concedo totum.

Remittitur nihilominus per Baptismum omnis pœna propriè dicta,

Non pœnalitates,

Sed de his non loquitur Conclusio: certò enim constat hominem baptizatum illis miserijs esse subjectum, quas & ipse Christus voluntariè in se suscepit (fomitem concupiscentiæ excipio, quia ad peccatum inclinat) & in Matre sua (quam tamen præservavit à peccato originali) reliquit ad meritum.

De quibus non loquitur conclusio.

De Christo sic inquit D. August. lib. 4. contra duas epistolas Pelag c. 4. *Quod* (pati mortem sine meritis mortis) *de uno solo mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu Catholica fides novit, qui pro nobis mortem,* hoc

S. August.

hoc est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est.

Quomodò ergo Virgo immaculatè concepta? Respondeo: quia non pro nobis passa est mortem, quemadmodùm Filius ejus; & meritum proculdubio mortis habuisset, nisi Filius suus eam præservasset. *Potest* autem *mediator* (utor verbis Scoti Subtilissimi propugnatoris immaculatæ Conceptionis 3. dist. 3. q. 1. n. 8.) *reconciliare aliquem, ut auferantur ab eo pœnæ sibi inutiles, & relinquatur in pœnis sibi utilibus: originalis culpa non fuisset utilis Mariæ; pœnæ temporales tamen fuerunt utiles, quia in eis meruit.*

Hoc non obest immaculatæ V. M. conceptioni, *Scotus.*

Quia pœnæ temporales fuerunt illi utiles.

9. At quomodò pœnæ, si sunt defectus naturales? Respondeo: quia subventum illis erat per justitiam originalem, & in homine lapso revixerunt, amissâ per peccatum justitiâ originali.

De concupiscentia ita D. August. lib. 14. de Civit. c. 12. *Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subiacebat, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriâ retinendùm, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsecutum est* &c.

S. August.

Quæ verè nomine pœnæ intitulari possunt.

Et ibidem cap. 19. *Hæ igitur partes* (ira & libido) *in paradiso ante peccatum vitiosæ non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur* &c. *Unde quòd nunc ita moventur* &c. *non est utique sanitas ex natura, sed languor ex culpa.* Non quòd in natura sana seclusâ justitiâ originali minimè fuissent; sed quia & tunc non sanitas, sed languor, sive defectus naturæ extitissent.

Et sanè, unde tanta erubescentia primorum parentum Gen. 3. v. 7. *Cumq; cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata?* Unde nisi ex peccato? *Ego vero* (inquit August. lib. 5. contra Julian. c. 2.) *non à pictore inanium figurarum, sed à scriptore divinarum litterarum didici, quòd illi primi homines nudi erant, & non confundebantur; in quibus absit, ut tanta innocentia tam impudens esset: sed nondùm inerat, quod puderet. Peccaverunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt* &c.

Post peccatum primi parentis: *Genes. 3.*

S. August.

10. De morte corporis quid dicam? Loquor cum D. August. lib. 6. de Gen. ad litt. c. 22. *Fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte mulctatos, ut etiam quidquid eorum stirpe esset exortum, eadem pœnâ teneretur obnoxium.*

Quibus annumeratur mors corporalis ab August.

Idem pluribus alijs locis enuntiat, & generaliter de quibuscumque miserijs hujus vitæ ait lib. de Natura boni c. 7. *Creaturis præstantissimis, hoc est, rationabilibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut, si nolunt, corrumpi non possint, id est, si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac sic incorruptibili pulchritudini eius inhæserint: si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis,* sive propriè dictis, ut apostatæ Angeli, & qui impœnitentes ex hac vita decedunt, aut certè pœnalitatibus, quas quotidie experimur magno nostro malo, utinam non æterno! imò certè æterno, ni gratia Salvatoris nostri Jesu Christi nos adjuvet.

Et omnes miseriæ hujus vitæ.

Quippe *hoc Deo propitiante* (verba sunt Concil. Arausi. c. 25.) *& prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.*

Et ab Arausicano attenuatio liberi arbitrij.

Nam unde sunt illæ voces? interrogat D. August. lib. 3. de lib. arbit. c. 18. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Et illud: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud: Caro concupiscit adversùs spiritum; spiritus autem adversus carnem: hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis, faciatis.* Respondet autem: *Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientia.*

S. August.

Propter hoc exclamat Apostolus Rom. 7. v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia* (inquit) *Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hanc à Deo petamus, qui dat omnibus affluenter: *Utique his omnibus, qui sic petunt,* ait August lib. de natura & gratia cap. 17. *& tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.*

Propter quæ conquerens exclamat Apostolus Rom. 7.

S. August.

Humiliemus illi animas nostras, si fortè recogitet de nobis, & non pereamus. Siquidem in hoc mundo *sic cavenda est elatio* (clamat August. lib. de corrept. & grat. c. 13.) *ut etiam per satanæ Angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.* Propter quod, cùm ter Dominum rogasset, ut discederet ab eo, responsum accepit 2. Corinth. 12. v. 9. *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate,* patienter tolerata, *perficitur.*

Per satanæ Angelum colaphizatus.

2. Cor. 12.

Sed Dei gratiâ roboratus.

Igitur per *pœnam* in secunda parte conclusionis accipienda venit propriè dicta, idque à Deo infligenda in futuro sæculo pro peccatis præteritis ad satisfaciendum justitiæ vindicativæ. Enimvero in foro civili posset Princeps homicidam, aut furem morte 11.

morte punire ob homicidium, aut furtum commissum ante Baptismum (uti etiam pœnas infligere pro peccato commisso post Baptismum, quamquam deletum esset integrè coram Deo per pœnitentiam) pium tamen erit ut pœnam non exigat, sed omnia in Baptismo sepulta relinquat, nisi bonum commune aliud postulet.

Princeps piè non exigit pœnam pro peccatis ante Baptismum commissis.

Quidni & Deus, justè posset infligere pœnas in hac vita pro peccatis in Baptismo remissis? Equidem peccatum meretur pœnam hujus, & alterius vitæ; Unde sæpissime legitur Deus peccatores punivisse & morte corporali sive temporali, & æternâ.

12. Porrò verba Florentini, & Tridentini in principio conclusionis citata, omnino verificantur de reatu pœnæ temporalis, exsolvendæ in futuro sæculo in purgatorio; siquidem illâ pœnâ remissâ, baptizatus moriens antequàm culpam aliquam committat, statim ad regnum cælorum, & Dei visionem perveniet, esto posset à Deo puniri pœnâ temporali in hoc sæculo, quemadmodùm potest puniri à judice sæculari.

Posset tamen etsi foret remissa. Rom. 13.

Herculè Princeps, secundùm Apostolum Rom. 13. v. 4. *Dei minister est: vindex in iram ei, qui malè agit.* Si ergo ministro licet vindicare peccatum per Baptismum remissum quoad pœnam, & culpam; quantò magis Deo, qui talem potestatem dedit hominibus? *Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum.* Matth. 10. vers. 24.

Matth. 10.

13. Sed dices; quorsum igitur prohibet Concil. Florentinum, ne pro peccatis præteritis injungatur Baptizato satisfactio? Nonne Deus vidit opera Ninivitarum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit?

Baptizato non injungitur satisfactio

Respondeo; quia loquitur de satisfactione sine operibus satisfactorijs à Sacerdote injungendis pro peccatis quoad pœnam temporalem post hanc vitam exsolvendam in purgatorio. Moveor, quia illa sola ut n. præced. insinuavi, post mortem impedit visionem beatificam, ita ut fur, vel homicida justè alioquin pro peccato supplicio afficiendus, si tamen plenè justificatus, sive per Baptismum sive per pœnitentiam, aut indulgentiam, mortem obierit naturalem, mox in cœlum recipiatur.

Ad delendam pœnam in purgatorio solvendam.

14. Accedit, quòd peccata publica, quæ vergunt in detrimentum & scandalum communitatis, non recipiant privatam satisfactionem; sed semper liberum manet judici humano infligere pœnam à lege constitutam.

Sit itaque infidelis, qui malo suo exemplo corrupit totam communitatem, baptizetur, nì morte plectatur, periculum est, nè alij spe impunitatis per Baptismum obtinendæ, eisdem malefactis Rempublicam conquassatam confringant; dormit judex humanus, dissimulans peccata propter proprium commodum. Quis arguet Deum injustitiæ, si talem baptizatum propter peccata præterita, remissa tamen in suo judicio alterius sæculi quoad pœnam, & culpam per Baptismum, puniat morte temporali in hoc sæculo?

Et verò si Deus non fuisset plenè conversus & reversus à furore iræ suæ ad pœnitentiam Ninivitarum, sed condonato peccato, & pœnâ futuri sæculi, si, inquam, pœnam præsentis sæculi, quam ultrà pœnas inferni commeriti erant, inflixisset, an propterea fuisset injustus?

Quod ergo quidam dicunt, non posse baptizatos assumere opera satisfactoria pro peccatis antè Baptismum admissis, quia fieret injuria Sacramento, intelligendum credo (salvo meliori judicio, quia hanc controversiam non invenio decisam in aliquo Auctore) intelligendum, inquam, credo de operibus satisfactorijs pro pœnis purgatorij. 15.

Cæteroquin, sicuti baptizatus potest supplicare pro venia peccatorum præteritorum in foro externo hujus sæculi & offerre omnem satisfactionem possibilem, si fortè judex humanus ignoscat, & remittat pœnam in illo foro commeritam; cur similiter nequeat Deum, supremum judicem, qui misericors est, & præstabilis super malitia hominum, suppliciter exorare, ut flagella sua, quæ pro peccatis suis in hoc foro merentur, avertat, & ad istum finem jejunia, orationes, & alia pia opera assumere?

Potest suscipere baptizatus opera satisfactoria Ad delendum pœnas

Constat profectò Deum hujusmodi pijs exercitijs homini solere reconciliari, & condonare pœnas, quas justè alioquin statuerat in hoc sæculo infligere; & aliunde posset alicui non videri omninò certum omnes illas pœnas per Baptismum esse remissas. Hæc dixerim, non asserẽdo, sed tamquàm examinanda ac corrigenda peritioribus offerendo.

Alioquin in hoc sæculo infligendas.

Indubitatum est conclusionem debere intelligi de remissione peccatorum præteritorum. Etenim quod nondum est, nequit jam remitti, neque merita Christi applicantur pro debitis contrahendis, sed pro jam contractis. Et ita definitum est contra hæreticos in Concilio Tridentino sessione 7. de Baptismo can. 10. ubi sic legos: 16.

Peccata committenda non remittuntur per Baptismum, Trident.

 Si quis

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

Florent. Idem non obscurè colligitur ex Concil. Flor. supra ibi: *Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis* &c. Ergo pro futuris injungenda; ergo hæc per Baptismum non remittuntur. Aliàs non fuisset opus instituere Sacramentum pœnitentiæ, faciliúsque condonarentur peccata commissa post Baptismum, quàm antè, contrà doctrinam Apostoli ad Hebr. 6. vers. 4. *Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati*, per Baptismum, *gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti* &c. *& prolapsi sunt; rursùs renovari ad pœnitentiam.* Immeritò quoque Pœnitentia vocaretur secunda post naufragium tabula, sed potiori ratione Baptismo seu recordationi ejus id foret appropriandum, ut patet consideranti.

Ne foret inutilis pœnitentiæ institutio, Hebr. 6. Et ne frustra vocetur secunda post naufragium tabula.

17\. Ex hactenus dictis summariè infero, Baptismum ex opere operato præter characterem, causare gratiam sanctificantem, & specialia auxilia gratiæ, remissionem peccati originalis, & omnium actualium mortalium, & venialium præteritorum, nec non omnis pœnæ propriè dictæ debitæ pro hujusmodi peccatis in altera vita.

Effectus Baptismi recensentur;

Pœnalitates hujus vitæ non aufert, nisi fortè radicaliter, ita ut ejus virtute sint auferendæ in alia vita, juxta illud Apostoli ad Roman. 6. vers. 4. & 5. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.* Ubi indicat Apostolus, quòd sicut virtute Baptismi in præsenti vita morimur cum Christo, sic etiam suo tempore gloriosi sine ullis defectibus, utì Christus, resurgemus.

Inter quos impropriè memorantur pœnalitates hujus vitæ; Rom. 6.

18\. Concupiscentiam quoquè (per quam intelligo non ipsum appetitum sensitivum, sed motus illius inordinatos, sive rebellionem appetitûs adversùs rectam rationem) relinquit ad agonem, & victoriam; nonnihil tamen eam minuit, ut insinuat D. August. lib. 1. de nuptijs & concupiscentijs cap. 25. docens in proficientibus magìs ac magìs minui: verba ejus sunt: *Quamvis autem reatu suo iam soluto, manet tamen*, concupiscentia, *donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cùm exterior induerit incorruptionem: non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor.* Et post pauca: *Quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente autem senectute multò maximè.*

Nullatenus rebellionis appetitus sensitivi ablatio, S. August. Sed bene remissio,

Augustinum sequitur Doctor Subtilis 4. distinct. 4. quæst. 7. num. 2. ibi: *De secundo ergo est quæstio, & dicitur, quòd plures effectus tales habet Baptismus; ordine tamen quodam: quia causare gratiam, & remittere fomitem, & hujusmodi. Patet autem quòd non in omnibus baptizatis æquè remittitur fomes.* Ergo in omnibus remittitur. Ut tenet Scotus.

Num formaliter? Absit, sed causaliter; *Quia*, prosequitur Doctor, *fomes cum sit in carne, vel in virtute aliqua corporali, per gratiam, quæ est in anima, non potest formaliter diminui: quia non est inter ipsum, & gratiam formalis repugnantia, cum non sint nata fieri circa idem. Sed dicitur fomes diminui quantum ad effectum, quem consuevit causare in anima, scilicet peccatum: nam secundùm quod gratia augetur, fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum.*

Explicat exemplo lapilli alligati alis aquilæ: *Quia*, inquit, *si cresceret virtus motiva aquilæ, licèt non diminueretur gravitas lapilli (quia oppositæ non sunt, nec in eodem) tamen gravitas lapilli diminuitur quantùm ad effectum: quantò enim maior est virtus in ala, tantò lapillus minùs impedit ascensum, vel volatum.*

Atque hæc operatur unus Deus, una fides, unum atque idem Baptisma in omnibus; attamen legitimè dispositis. De qua dispositione egimus disp. præced. conclus. 1. & 2. Addam solùm, quod ibi conclus. 1. ad hunc locum remisi. Ad hos effectus requiritur dispositio.

Quærebatur autem an Trident. enumerans inter cæteras dispositiones ad justificationem, odium & detestationem peccati, hoc est, eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; deberet intelligi etiam de solo peccato originali? Clariùs; sub Judice lis est, an adultus solo originali infectus, debeat formaliter de illo pœnitere, ut fructuosè suscipiat hoc Sacramentum? Pro decisione hujus litis deserviet

CONCLUSIO II.

Homini adulto accedenti ad Baptismum sine peccato mortali actuali cum solo originali, non est necessaria pœnitentia

tentia formalis, ut recipiat illius peccati remissionem; sed sufficit voluntaria susceptio Baptismi ex amore Dei super omnia, aut spe retributionis æternæ.

19. In adulto cum solo originali accedente Scotus.

Videtur doctrina Scoti 4. dist. 14. quæst. 4. n. 6. & 7. ibi: *Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via: vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi: ita & in proposito* (loquitur de Sacramento Pœnitentiæ) *Hoc declaratur sic; quia ad primam susceptionem gratiæ* (scilicet ex bono motu) *requiritur aliquis motus meritorius de congruo: ad secundam non requiritur, nisi voluntaria susceptio Baptismi, & sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis; ita quòd in primo requiritur aliquod opus intrinsecum, aliquo modo acceptum tamquàm meritum de congruo: in secundo solùm requiritur opus exterius, cum amotione interioris impedimenti.* Verùm, ut alibi adhuc notavi, aliqua videntur esse, & ideo adscribuntur Doctori Subtili, quæ benè expensa reverà ipsius non sunt. Quod ut ostendam in loco statim citató

Sufficit voluntaria susceptio Baptismi ex amore Dei super omnia &c.

20. Adverto non paucos ex malo intellectu illorum verborum perperàm imponere tàm pio, & tàm insigni Doctori, ut eum intitulat noster Andreas Vega lib. 9. de justificatione c. 15. falsissimam, & meritò damnandam sententiam, ut ibidem loquitur idem Auctor, quæ docet sufficere ad consequendam gratiam per Sacramenta, non ponere eis obicem, id est, non actu peccare in eorum susceptione, & intendere ea juxta intentionem Ecclesiæ suscipere.

Andreas Vega.

Non autem sola non positio obicis.

Porrò longissimè illum fuisse ab hac opinione, seu potiùs errore; probat ibidem præcitatus Auctor ex multis ipsius locis, quæ alibi tractata sunt, & inferiùs adhuc adducentur, & explicabuntur. Nunc dumtaxat locum allegatum ex 4. dist. 14. quæst. 4. num. 6. expendemus. Et ut taceam, quòd Doctor secundùm aliquos solùm loquatur de remissione peccati originalis per Baptismum, ad quam juxta nostram conclusionem, & probabilem multorum sententiam non requiritur formalis pœnitentia, certum mihi est, Scotum per attritionem, quam negat necessariam ad Sacramentum pœnitentiæ, intelligere contritionem perfectam.

Quod falsò attribuitur Scoto.

21. Accipe ejus verba n. 7. *Non solùm ergo attritus per aliquod tempus usque ad certum instans, in ultimo instanti recipit gratiam delentem peccatum, tamquàm per virtutem meriti de congruo ..... sed non habens talem actum, qui sufficiat ad meritum de congruo* (justificativum extra Sacramentum) *sed tantùm habens voluntatem suscipiendi Sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto, vel in voluntate inhærentis, recipit* non *ex merito*, perfectæ contritionis, *sed ex pacto divino, effectum istius Sacramenti, ut sic parùm attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati* extra Sacramentum, id est, attritione, sive contritione imperfecta, *volens tamen recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu, in ultimo instanti illius prolationis verborum*; Ego te absolvo &c. *in quo scilicet est vis Sacramenti istius, recipiat effectum Sacramenti, scilicet gratiam pœnitentialem. Non quidem ex merito, quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis Sacramento suo ad effectum illum, ad quem instituit Sacramentum; alioquin non appareret, quomodò Sacramentum Pœnitentiæ esset secunda tabula, si numquàm per ipsum, ut Sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantùm per attritionem tamquàm per præviam dispositionem, & per contritionem, tamquàm per dispositionem completivam.* Hæc ille. Et amabo quid dici poterat expressius & luculentius?

Qui per attritionem quandoquè intelligit contritionem perfectam,

Quòd si fortassis quispiam perfricta fronte audeat adhuc resistere, & pugnaciùs contendere Doctorem, docuisse, Sacramentum Pœnitentiæ justificare sine prævio dolore de peccatis præteritis, legat quod habet eâdem dist. & quæst. n. 9. in fine, ubi sic concludit: *Concedo ergo, quòd ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari, vel simpliciter, & tunc per pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit augetur: vel suscitari secundùm quid, scilicet ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per Sacramentum.* 22.

Et ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarium asserit aliquem dolorem,

Itaque tria requirit, ut recipiat quis gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ (idem est de Baptismo, si Baptizandus habeat mortalia actualia sive personalia, ut ostendi disp. præced. loco suprà citato) videlicet voluntatem recipiendi Sacramentum, displicentiam aliquam de peccatis commissis, & non esse in aliquo mortali, actu vel voluntate. Et ista duo aliquandò ab eo comprehenduntur uno verbo, videlicet

Et absentiam actualis peccati, sive quod suscipiens actu non peccet.

Sine fictione, vel, *Sine obice*, neque immeritò. Quippe qui non habet displicentiam de peccato, quod placuit, moraliter semper dicitur perseverare in ejus complacentia, atque in illo esse actu vel voluntate, & illud voluntati ipsius adhuc inhærere.

Et communi more omnia, quibus impedimus effectum Sacramenti in nobis sive contrariè, sive contradictoriè, id est, vel actu peccando, vel intermittendo necessaria ad reverenter & fructuosè ea recipienda, uno nomine, *Obicis*, vel, *Fictionis*, solemus significare. Dicimus siquidem generaliter Sacramenta causare gratiam in non ponentibus obicem, vel in non fictè ea suscipientibus. Atque ita omnia, quibus impediuntur agentia naturalia à suis effectibus, verbo uno, *Obstaculi*, *Obicis*, vel, *Impedimenti*, ut plurimùm nuncupamus.

Quod est sine fictione Sacramentum suscipere.

Quo circà quando Doctor suprà docet sufficere opus exterius cum amotione interioris impedimenti, non solùm intelligit peccatum actuale, sed etiam habituale non sufficienter retractatum, de quo scilicet suscipiens nullo modo atteritur, vel conteritur.

23. Quod non bene in Scoto quidam videtur.

Hæc pro defensione doctrinæ Subtilissimi Principis Theologorum, quæ à communi in nullo prorsùs discrepat, quamvis aliquibus minus bene Doctori nostro affectis, & parum de doctrina ejus solicitis, lippis aut caligantibus oculis Solem Theologicum inspicientibus, aliter videatur. Sed minimè curandum eorum videri, ubi constat de re.

Nolo igitur adducere Doctorem nostrum pro hac conclusione, ne in numero talium (quod absit) inveniamur. Nihil quippe certius est, quàm ipsum hoc loco non tractare præsentem controversiam. Meminit quidem solius originalis, sed hoc propterea, quia Baptismus per se institutus est ad ipsius remissionem, quemadmodùm Pœnitentia ad deletionem peccatorum personalium.

Duplex via delendi peccatum

Argumentatur autem à Baptismo ad Pœnitentiam, ostendens, quòd sicuti originale deleri potest duplici viâ, vel per solam contritionem ante realem susceptionem Baptismi, vel per Sacramentum cum attritione, seu alia necessaria dispositione, quæ per se non sufficiat ad remissionem sine Sacramento; ita etiam peccata personalia remitti posse vel per contritionem perfectam ante Sacramentum, vel per ipsum Sacramentum cum sola attritione sive contritione imperfecta.

Tam originale, Quàm personale.

Cæterum de casu nostro, qui metaphysicus est, ut bene notat Suarez hîc disp. 28. sect. 1. conclus. 2. quia moraliter & regulariter non accidit, ut homo adultus accedat cum solo originali sine aliquo personali mortali; de hoc, inquam, casu Scotus neque hîc, neque alibi disputat.

Tenet autem Conclusionem nostram Suarez loco jam citato, dicens: Si contingeret hominem adultum accedere ad Baptismum sine peccato mortali cum solo originali, non esset ei necessaria pœnitentia aliqua, sed sufficeret voluntas ac propositum profitendi ac servandi legem Christi. Propositum, inquam, ut inferiùs explicat, obediendi Deo in omnibus, saltem spe retributionis, vel ob timorem pœnæ, vel denique propter intrinsecam honestatem præceptorum seu cujuscumque virtutis. 24.

24. Pro conclusione principali citatur Suarez.

Docet hic Auctor cum communiori sententia, dari actus supernaturales virtutum moralium: nos verò, quoniam cum Doctore Subtili eos negamus, hinc præter actum fidei supernaturalem in intellectu, quem universi admittunt necessarium, insuper requirimus in voluntate actum virtutis Theologicæ, amoris scilicet, aut spei, nè sine ulla conversione supernaturali voluntatis nostræ ad Deum, ipse ad nos supernaturaliter convertatur per infusionem gratiæ supernaturalis & justificantis; cùm tamen scriptum sit Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Zach. 1.

Interim quòd non requiratur conversio in jejunio, fletu, & planctu, id est, pœnitentia formalis, est expressa, inquit Suarius suprà, sententia D. August. lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 8. ibi: *Pœnitentia enim Baptizandis non est necessaria, sed baptizatis de maioribus & minoribus peccatis pœnitendum est.*

Qui eam existimat esse D. Augustini lib. de vera & falsa Pœnit.

Sed hic liber communi calculo ab ejus operibus rejicitur. Quidni rejiciatur? Citat quippe sententiam D. Aug. cap. 17. & ab ea dissentit. Id si non esset, inquit censura illi operi præfixa in impressione Parisiensi, tamen tot undique sunt argumenta, quæ clamitant hoc opus non esse August. ut abundè sit admonuisse Lectorem.

Sed hic liber communiter adscribitur alteri Auctori.

25\. Hâc ergo admonitione præmissâ, quisquis Auctor sit, cum totus ferè hic liber, ut notat censura citata, transcriptus sit in decreta, & sententias, non immeritò in hac sententia fundatur conclusio, de qua pauci Auctores ex professo egerunt.

Cæterùm sententia illa, si solitariè consideretur, plus justo probare videtur. Hinc adjunge sequentem ejusdem capitis: *Sine pœnitentia*, inquit, *nulli profuit Baptismus, qui peccavit spontaneus.* Ne igitur Auctor ille in eodem

Cujus mens explicatur.

eodem contextu sibiipsi contrarius sit, intellige priora verba de Baptismo præcisè considerando id, ad quod per se & primariò est institutus, id est, peccatum originale; quòd enim cum illo conjuncta sint mortalia personalia, quæ simul tollantur, per accidens est. Atque in hoc sensu verè dicitur, Baptismum per se non prærequirere pœnitentiam.

Porrò hanc esse mentem istius Auctoris luculenter indicat ratio, quam attexit: *Per fidem enim Ecclesiæ, sola remittuntur peccata, quæ contraxit homo in origine, ut sicut à patre peccante damnationem accepit, ita per matris Ecclesiæ fidem consequatur remissionem. Sed qui per se peccavit, per dolorem proprium, & per fidem Ecclesiæ indulgentiam acquisivit.*

Pœnitentia formalis propriè est de peccatis ab ipso pœnitente commissis.

Et ratio est, quia pœnitentia formalis propriè est de peccatis ab ipso pœnitente commissis, id est, de peccatis personalibus. Unde dicitur: *Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.*

Item.

Cui consonat Scotus 4. dist. 14. q. 1. n. 15. assignans quadruplicem definitionem vel descriptionem ejus, quod est pœnitere. *Prima*, inquit, *est ista: Pœnitere est vindicare peccatum à se commissum. Secunda descriptio est: Pœnitere est detestari vel odire peccatum à se commissum, vel displicentiam habere de hoc peccato à se commisso. Tertia descriptio: Pœnitere est pœnam inflictam pro peccato commisso gratanter acceptare. Quarta descriptio est: Pœnitere est pœnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre.*

Quadruplex ratio pœnitere.

26. Trident.

Si dixeris; etiam originale est peccatum suum sive proprium, juxta Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali § 3. ibi: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagine non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c.*

Originale inest unicuique proprium per inhærentiam.

Respondeo, proprium per inhærentiam, concedo; per efficientiam physicam propriæ voluntatis, nego: jam autem pœnitentia strictè accepta est efficax displicentia, & retractatio propriæ voluntatis, sive, ut loquitur Trident. sess. 14. c. 4. *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

Idem.

Non est objectum pœnitentiæ strictè acceptæ.

Equidem fatentur omnes peccatum originale non esse objectum hujusmodi pœnitentiæ; quod enim alienâ voluntate contrahitur, non potest propriâ retractari, nec potest efficaciter mihi displicere, quod in mea potestate non est, ut fiat, vel non fiat.

27. Objectio.

Dices; peccatum originale est vera offensa Dei, quam potest homo velle delere, & debet delere, vel per Sacramentum Baptismi, vel per votum ipsius. Quidni ergo voluntariam in eo permanentiam possit, & debeat efficaciter retractare? Non dubito: verùm hæc permanentia non est tam peccatum originale, quàm personale, si mora fuerit culpabilis. Responsio.

Aliàs voluntas Sacramenti est talis detestatio & retractatio, de qua nunc quæritur, an sit necessariò verus actus pœnitentiæ elicitus, vel imperatus; an autem sufficiat, quòd procedat ex amore Dei, vel certè spe veniæ supernaturali, quod puto probabilius; quamquàm enim circa originale posset dari aliquis actus pœnitentiæ, tamen non invenitur præceptus.

Circa originale potest dari aliquis actus pœnitentiæ, tamen non invenitur præceptus.

Quippe quòd attinet ad Trident. constat illud agere de peccatore obnoxio peccatis actualibus; nam sess. 6. c. 6. ait: *Ac propterea moventur adversus peccata* &c. Atque in probationem adducit Scripturam Mar. 2. v. 5. & Matth. 9. v. 2. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*; ubi certum est agi de peccatis actualibus.

Eo quòd Trident. agat de actualibus peccatis. *Mar. 2. Matth. 9.*

Quod manifestiùs significat sess. 14. c. 1. ibi: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria.* Nota, *Qui se mortali aliquo peccato inquinassent*; jam autem peccatum originale inquinamentum est propagatione in omne genus humanum per inobedientiam Adami transfusum. Trident.

Accedit, Trident. pœnitentiam, quam c. 4. ejusdem sess. asserit necessariam fuisse quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, definire, ut supra vidimus; Animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi: quis autem nesciat nequaquàm dari propositum de cætero non peccandi originaliter?

28. Objectio ex Tridentl.

Arguis; Trident. sess. 6. c.6. post verba supra citata, addit: *Hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Respondeo, sic loqui, quia supponit, ut supra notavi, regulariter nullum adultum accedere ad Baptismum cum solo originali. Unde sequitur: *Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Responsio.

Explicatur sententia D. Aug de adultis obnoxijs peccatis actualibus.

Eodem modo loquitur D. August. vel quisquis est Auctor lib. de pœnitentiæ medicina c. 2. *Omnis*, inquit, *qui iam voluntatis suæ factus est arbiter, cùm accedit ad Sacramenta fidelium nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare.* Et addit: *Ab hac pœnitentia cum baptizantur, soli pueri immunes sunt*; utique quia rarissimè, aut vix unquàm adulti liberi sunt ab omni mortali actuali.

Quòd autem de illis solis intelligat suam sententiam patet; quia postquam ex Scriptura probasset peccatum originale parvulorum, pro adultis peccatoribus adducit verba Apostoli Petri Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi* &c. Item verba Christi Matth. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et Joannis Bap. Matth. 3. v. 7. & 8. *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Nil autem clariùs, quàm in his Scripturis agi de adultis obnoxijs peccatis mortalibus.

Act. 2. *Matth. 4.* *Matth. 3.*

29. *Uti etiam sententia D. Fulgentij.* De ijsdem etiam accipe, quod docet D. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 30. *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non sic à malis suis* (nota ly *suis*) *fuerit per pœnitentiam fidemq; conversus, & per Sacramentum fidei, & pœnitentiæ, id est, per Baptismum liberatus. Et maioribus quidem necessarium esse & pœnitentiam de malis suis agere, & fidem Catholicam secundùm regulam veritatis tenere, & Sacramentum Baptismatis accipere: parvulis verò, qui nec propriâ voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt agere possunt, Sacramentum fidei, quod est sanctum Baptisma, quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.* Puta, quia tamdiu incapaces sunt peccati actualis sive personalis, pro quo solo necessaria est pœnitentia formalis, & strictè dicta, ut qui se per propriam voluntatem à Deo avertit, etiam per propriam voluntatem ad Deum convertat, efficaciter sibi displicendo in peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi, & Deo satisfaciendi.

Atque hinc itidem fit, ut quamvìs adultus peccator personalis, per se non justificetur extra Sacramentum, nisi per formalem contritionem; tamen debitor solius culpæ originalis ad summum indigeat amore Dei super omnia.

30. *Explicatur alius locus S. August.* Quando ergo D. August. lib. de Correp. & gratia cap. 6. ait: *Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*, solùm vult peccatum originale non posse homini placere, imò debere displicere, scilicet inefficaciter, quia vera offensa Dei, aliena quidem, quia à parentibus trahitur; nostra autem, quia in Adamo omnes peccavimus; imò & efficaciter propter peccata actualia ex eo secuta, hoc est, ipsa peccata actualia ex corruptione naturæ procedentia; quorum ante Baptismum requiritur ad minus attritio supernaturalis, de qua in materia de pœnitentia, ubi ostendemus illam sufficere ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, ergo etiam in hoc Sacramento, quod non est minoris efficaciæ ad remittenda peccata ante Baptismum commissa, quàm illud ad delenda crimina hominis post Baptismum lapsi.

Hactenus de controversiâ magìs speculativa quàm practica, in qua utraque pars non est improbabilis; hanc autem elegimus, quia nolumus obligationes multiplicare absque evidenti ratione, vel auctoritate, qualis ab Adversarijs non adfertur; & quia aliunde apparet eum, qui propria voluntate non fuit à Deo aversus satis superque per amorem, aut spem supernaturalem ad eum converti, ut efficiatur verus ac proprius amicus Dei; secùs qui propria voluntate non solùm moraliter, sed physicè prætergressus est obedientiam sui creatoris; quippe illius inobedientiæ quantumcumque levissimæ, requiritur debita retractatio, ut baptizandus ejus accipiat remissionem. 31. *Non sunt multiplicandæ obligationes sine necessitate.*

Profectò quando culpa mortalis non est satìs retractata, perspicuè manifestum est, ex dictis disputatione præcedenti, gratiam non conferri, donec & usque accedente debitâ dispositione Baptismus reviviscat, de qua reviviscentia egimus longè & latè sect. 6. præced. disp. videantur ibi dicta. 32. *Culpa mortalis non retractata impedit effectum gratiæ.*

Si verò culpa mortalis retractetur, nullatenus autem venialis; multum verisimile est cum infusione gratiæ non remitti hanc culpam, quemadmodùm non remittitur illa, ad quam baptizandus actualem affectum retinet; neque enim gratia repugnat peccato veniali, neque congruit, ut qui sponte recessit à Deo, illius recessus obtineat veniam, nisi etiam spontaneè accedat ad Deum, saltem per actum aliquem meritorium in illum finem relatum; etenim non æqualis retractatio requiritur ad remissionem utriusque peccati, mortalis scilicet, & venialis, ut patebit proprio loco. Debet itaque omnem culpam commissam aliquo modo retractare. *Venialis non retractata non remittitur.* *Sicut nec illa, quæ actu placet.*

Quid si non fecerit? Respondeo faciat in hac vita, & accipiet plenam remissionem, etiam cum infusione novæ gratiæ sanctificantis, non quidem ex opere operato, supposito quòd eam acceperit in prima collatione Baptismi; sed ex opere operantis; quis enim ambigat, retractationem hujusmodi tanquàm opus bonum hominis justi mereri de condigno gratiam, & gloriam? 33.

Certè valde probabiliter remissionem pecca-

Remissionem peccatorum concomitatur gratia de novo infusa.

peccatorum in hac vita semper concomitatur gratia de novo infusa sive prima, sive ejus augmentum; etenim existens in peccato mortali, cùm perseveret inimicus Dei indignus est reconciliatione, etiam pro levi injuria. Dixi, *concomitatur*; quia nulla est formalis repugnantia, inter gratiam, & peccata venialia.

In hac vita, non sic in altera.

Dixi etiam, *in hac vita*, nam morienti cum venialibus, dimittuntur isthæc in altera vita absque infusione novæ gratiæ; sed hoc per accidens defectu statûs viatoris, qui solus aptus est infusioni gratiæ, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum. De Sacramento patet: quia illud pro solis viatoribus institutum est, ut disp. præced. sect. 8. in principio ostendimus.

Defectu meriti congrui vel condigni. Scotus.

De gratia extra Sacramentum probatur; quia deberet accipi ex merito congruo, vel condigno; porrò, ut loquitur Doctor Subtilis 4. dist. 21. q. 1. n. 10. *Motum aliquem bonum, per quem, tamquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel condigno deleatur veniale, ponere in anima post mortem, non videtur doctrinæ Theologicæ consonum, quæ ponit statum illum ab istis immunem.*

34. Remittitur post hanc vitam pœna temporalis vi gratiæ baptismalis; Dicastill. S. August.

Sed numquid moriens cum peccato veniali non retractato, vi gratiæ baptismalis post hanc vitam recipiet remissionem pœnæ temporalis, quæ pro culpa illa debetur? Partem affirmativam esse communem fidelium sensum post Lugonem docet Dicastillo disp. 2. dub. 15. n. 173. ductus exemplo Martyris, qui moritur in affectu actuali peccati venialis, juxta illud D. August. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: & nos suprà docuimus disp. 1. sect. 6. conclus. 2.

De quo dubitat novus auctor,

Interim dum hæc scribo invenio quemdam novum Auctorem valde dubitantem, propterea, ut ait, quòd Concilia, & Pontifices solùm adscribant tantam efficaciam Baptismo, & Martyrio, supposità sufficienti dispositione, & videantur loqui de reviviscentia præsenti vita durante; quòd autem etiam in futura vita post mortem habeant, Unde constat?

Eò quòd Baptismi efficacia sit in dispositione fundata,

Quæ præsumitur in martyre jam morituro.

In Martyre autem jam morituro non est nata abesse sufficiens dispositio ad remissionem omnis culpæ, idque meritò præsumunt fideles. Attamen rogati de casu proposito, credo potiùs sensuros esse contrarium. Et planè nescio, quid Dicastillo de Baptismo statuat sensum esse communem fidelium, quod ipse docet; cum casus iste non sit moralis, de quo fideles in specie cogitent, minus sensum seu judicium ferant. Hucusque ille Auctor. Cujus utiquè discursus placet, nisi quòd omninò gratis supponat, fideles potiùs sensuros contrarium si interrogarentur.

35. Quis enim hoc ei revelavit? Quippe cum resolutio pendeat ex voluntate Christi, qui Sacramenta instituit, & effectus ipsis adnexuit: probabiliùs quoque sit Baptismum in hac vita reviviscere ad deletionem peccatorum venialium, & pœnarum purgatorij ipsis correspondentium; quidni fideles auditis hinc inde rationibus potiùs judicent Sacramentum reviviscere, etiam in altera vita?

An reviviscat Baptismus in altera vita

Equidem Concilia, & Pontifices generaliter pronuntiant, Baptismum conferre integram & plenam remissionem omnium peccatorum quoad culpam, & pœnam omnibus non ponentibus obicem, nec ullibi distinguunt inter præsens sæculum, & futurum. Cur ergo oculus noster nequam sit, ubi Dominus bonus est? aut non licet Domino quod vult facere?

36. Non certò constat;

Fateor non omninò certò nobis constare de hujusmodi voluntate. Et quid mirum, cùm neque voluntas reviviscentiæ in hac vita sit prorsùs indubitata? Verumtamen satis probabiliter una ex alia colligitur.

Probabiliter tamen defenditur;

Enimverò quòd Sacramentum reviviscat in præsenti sæculo, ratio est; quia Sacramentum mox ut validè recipitur, tribuit jus ad suum effectum pro instanti, vel tempore legitimæ dispositionis; atqui per mortem hominis non tollitur illud jus, & post mortem advenit dispositio, sive aufertur obex; ergo etiam post mortem conferet Baptismus suum effectum.

Quia per mortem hominis non tollitur jus acquisitum per Baptismum;

Minor quoad primam partem probatur; quia non reperitur, gratia sacramentalis limitata ad præsens sæculum, sed certò certius permanet in æternum, in quantùm videlicet identificatur gratiæ justificanti; quod addo propter auxilia actualia, quoniam in patria non sunt necessaria, visione, & fruitione beatificâ eorum supplente defectum. Quin imò multorum probabilis est opinio, gratiam deperditam per peccatum, in justificatione non semper actu totam recuperari, neque per actum quemcumque meritorium in præsenti vita semper conferri augmentum gratiæ, sed per actum dumtaxat intensiorem gratiâ præhabitâ, & secundùm præsentem subjecti dispositionem.

Non quia gratia sacramentalis est pro præsenti sæculo,

Maximè cùm gratia deperdita non tota semper recuperetur.

37. Scotus. Nec per quemcumque actum meritorium semper augeatur;

In quam sententiam non parùm inclinatur Doctor noster 4. dist. 21. q. 1. n. 9. ibi: *Istud est probabile in alijs; quia cùm quodcumque meritum, mereatur (ut credo) augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ, ad quem requiritur ut dispositio prævia*

aliquis

aliquis gradus gratiæ, & non semper Deus post quemcumque actum meritorium, augeat gratiam proportionatam merito, videtur quòd augmentum debitum meritis remissis reservet usque ad instans mortis.

Sed reservetur usque ad instans mortis.

Ex quo ibidem n. 10. infert ut probabile, venialia in hac vita non remissa pro illo instanti deleri in præmium gratiæ sive meritorum viæ. Hæc sunt ejus verba: *Et eodem modo de ista deletione venialium, quæ est quoddam præmium non principale istorum meritorum, sicut & augmentum charitatis in tali vel tali gradu. Et hoc est rationabile; quia in illo instanti iste primò fit in statu alio, & præmium meritorum reddi eis impedivit status viatoris, vel aliquid concomitans statum hujusmodi.*

Pro quo etiam delentur venialia;

Et eâdem quæst. n. 8. sic inquit: *Opera istius, qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ab ipso ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec etiam ipse habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale; tamen opera priùs facta possunt esse à Deo relata ad remissionem istius venialis post mortem. Et hoc isto modo; quia causa impedibilis, dùm est impedita, non ponit effectum, dùm verò non est impedita, ponit; sed merita istius morientis in charitate, essent causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso, vel à Deo acceptante illa in ordine ad istud: sunt autem impedita dum iste vivit, si semper actu manet in peccato veniali: post mortem verò non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis: igitur per illa delebuntur venialia post hanc vitam.*

Cùm pro illo non sint impedimenta deletionem retardantia.

Eodem modo loquitur de reviviscentia meritorum 4. dist. 22. q. 1. num. 10. ibi: *Per hoc dico ad argumentum, quòd resurgens plura merita habet in acceptatione Dei, quàm habuit quando cecidit, & per consequens ad maiorem gloriam ex parte ordinatur; sed non oportet eum in maiori gratia resurgere, quia secundùm eius dispositionem in detestando peccatum commissum intensè, vel remissè datur sibi nunc maior, vel minor gratia*; totam absque dubio in altera vita recepturus.

Eodem modo loquendum de reviviscentia meritorum censet Scotus.

38. Ex his sic argumentor: probabile est merita hujus vitæ delere peccata venialia post hanc vitam: probabile est merita, & Sacramenta mortificata in via, reviviscere ad totam gratiam deperditam, saltem in patria: ergo non minùs probabile est Sacramentum Baptismi, etiam in altera vita reviviscere, seu primò conferre remissionem venialium, & totius pœnæ debitæ, obice seu impedimento hujus vitæ sublato; remissionem quidem venialium accedente eorum retractatione, remissionem verò totius pœnæ debitæ suppositâ totius culpæ deletione; quippè non retractatio obex erat deletionis culpæ; non deletio autem impedimentum remissionis pœnæ.

Ex quibus infertur Baptismum in altera vita reviviscere.

Hactenus de effectu, venio ad necessitatem de qua plura dicenda occurrunt, quæ tamen brevitatis gratiâ paucis conclusionibus conabimur explicare. Sit itaque

CONCLUSIO III.

Sine Baptismo, aut ejus voto post Euangelium promulgatum nulli umquam contigit justificatio extra casum Martyrij.

Hoc est; Baptismus in re vel voto in nova lege est medium necessarium ad salutem. Ita definit Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. sequentis tenoris: *Quibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Et sess. 7. can. 5. de hoc Sacramento: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.* 39.

Baptismus in re vel voto est necessarius ad salutem,

Ut definitum est à Tridentino,

Idem ante definiverat Florent. in decreto Unionis ibi: *Et cùm per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu sancto renascimur, non possumus (inquit Veritas) in regnum cælorum introire.*

Et Florentino,

Ratio itaque à priori est voluntas Christi, liquidò expressa Joannis 3. v. 5. verbis ab utroque Concilio citatis, quæ nihilominus tortuosus intellectus hæreticorum variè detorquet, contra unanimem PP. consensum, ac verborum proprietatem.

Et constat ex Scriptura Joannis 3. v. 5.

Et primò quidem ly *Aquam* metaphoricè accipit pro mortificatione, ac si Scriptura diceret; *Nisi quis mortificatus fuerit, non potest introire in regnum Dei.* Sed quid opus est metaphorâ, ubi ex proprio & plano sensu nihil sequitur absurdi? Enimverò neque auctoritati divinæ, neque potentiæ repugnat, quòd aqua à Deo assumatur tamquam instrumentum necessarium ad salutem. Vide dicta disp. præced. sect. 4. conclus. 1. 40.

In qua ly *aquam* malè Hæretici accipiunt metaphoricè,

Hinc Trid. supra can. 2. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Iesu*

Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto; *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit*.

Sibi contradicentes dum hunc locum de baptismo exponunt. Accedit ex illa scriptura sic intellecta neutiquam probari Baptismum, cujus oppositum docent omnes hæretici, qui Baptismum asserunt.

Denique de illa aqua loquitur ibi Christus, de qua Act. 8. Eunuchus ad Philippum ait v. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Quod, utique ineptè de mortificatione intelligitur, ut patet ex contextu; verba enim immediatè præcedentia sunt hæc: *Et dum irent per viam* (Philippus & Eunuchus) *venerunt ad quamdam aquam*. Crede mortificationem secundùm Acatholicos. Quis non rideat tales metaphoricas impudentias.

Act. 8.

Secunda explicatio præ nimia detorsione per se satis corruit; ly *Aqua*, inquiunt, epithetum est Spiritus sancti hoc sensu: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, qui per aquam designatur*; quemadmodum dicitur Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, id est, Spiritu sancto, qui per ignem denotatur.

41. Multò minus aqua potest dici epithetum Spiritûs sancti, Matth. 3.

Sed interrogo primò, ubi in Scriptura legatur Spiritum sanctum apparuisse in specie aquæ, sicuti legitur Act. 2. v. 3. apparuisse in specie ignis? *Et apparuerunt*, inquit Scriptura, *illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum* &c.

Qui non in specie aquæ. Act. 2. Sed ignis legitur apparuisse;

Interrogo secundò. Nonne ignis symbolum est charitatis atque amoris, qui appropriatur Spiritui Sancto? *Veni sancte Spiritus*, cantat Ecclesia in divino officio *reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Ignem*, inquit, non *aquam*, magìs certè idoneam ad ignem extinguendum, quam accendendum; juxta illud Eccli. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua*.

Eoquòd ignis charitatis symbolum sit. Eccli. 3.

42. Non ignoro scriptum esse de Spiritu sancto Ioannis 7. v. 38. *flumina de ventre eius fluent aqua viva*. Verba sunt æternæ veritatis, quibus Euangelista pro explicatione subjicit: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*; scilicet in die Pentecostes per visibilem descensum Spiritus sancti in Apostolos, & per invisibilem gratiam, quam Spiritus sanctus partitur singulis in Sacramento Baptismatis & Confirmationis &c. Non, inquam, ignoro Spiritum sanctum interdum aquæ comparari; quia instar aquæ mundat animam, abstergendo sordes peccatorum, sed nego propterea rectè dici ly *Aquam*, ubicúnque adjungitur Spiritui sancto esse ejus epithetum, & non potiùs significare aquam veram & naturalem, ubi aliud contextus sacræ Scripturæ non requirit.

Interdum tamen aquæ comparatur Ioan. 7. Qui instar aquæ mundat sordes animæ,

Porrò verba citata ex Joannis 3. non solùm non exigunt ejusmodi metaphoricam expositionem, quin & hæc ipsis repugnat. Nam Primò, aqua præponitur Spiritui sancto; absurdum autem est prius poni declarationem, deinde id quod declarandum est. Neque negari potest; quin aqua, si accipitur pro Spiritu sancto, ponatur ad declarandum effectum Spiritûs sancti, qui est mundare.

Suo scilicet effectu;

Secundò, sic aqua malè conjungeretur cum verbo *renascendi*: aqua enim, si tantùm inspiciatur ejus significatio non gignit, sed lavat & refrigerat. Non ergò hôc locô aqua significat effectum Spiritûs sancti, sed aquam veram & naturalem, ut concurrit sacramentaliter ad spiritualem regenerationem.

Ad quem aqua naturalis sacramentaliter concurrit,

43. E contrario verò ly *igni* Matth. 3. (præterquam quòd aliqui per illud intelligant ignem externum, qui descendit visibiliter super Apostolos in die Pentecostes, vel ignem tribulationis, vel ignem purgatorij) postponitur Spiritui sancto, & non est inconveniens, post unum vocabulum poni alterum, quo priùs declaretur: ut omittam, non obscurè determinari ad impropriam significationem per ly *Baptizabit*, quod videtur ex contextu litteraliter accipiendum pro vera externa corporis ablutione, qua Joannes baptizans utebatur, ut sensus sit: *Ego quidem vos baptizo in aqua* corporaliter abluendò: *Ipse vos baptizabit* non tantùm in aqua per ablutionem sordium corporalium, sed etiam *in Spiritu sancto & igne*, id est, per gratiam Spiritûs sancti, qui emundabit corda vestra ab omni peccato, juxtà illud Ezech. 36 v. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*.

Matt. 3. Ezech. 36.

Profectò ignis verus & naturalis materia ineptissima est ad corpus abluendum; aptissima ad conburendum; porrò aqua vera & naturalis convenientissima ad baptizandum seu lavandum, & consequenter ad significandam spiritualem regenerationem sive renascentiam.

non sic ignis.

Tertia detorsio hujus Scripturæ fit, ut conjunctio, *Et*, sumatur disiunctivè pro, *Vel*, hoc modo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua vel Spiritu sancto*. Equidem *Sæpe*, ait lex 53. ff. de verborum significatione, *ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis. Nam cùm dicitur apud veteres*, Adgnatorum 44.

aliquis gradus gratiæ, & non semper Deus post quemcumque actum meritorium, augeat gratiam proportionatam merito, videtur quòd augmentum debitum meritis remissis reservet usque ad instans mortis.

Sed reservetur usque ad instans mortis.

Ex quo ibidem n. 10. infert ut probabile, venialia in hac vita non remissa pro illo instanti deleri in præmium gratiæ sive meritorum viæ. Hæc sunt ejus verba: *Et eodem modo de ista deletione venialium, quæ est quoddam præmium non principale istorum meritorum, sicut & augmentum charitatis in tali vel tali gradu. Et hoc est rationabile; quia in illo instanti iste primò fit in statu alio, & præmium meritorum reddi eis impedivit status viatoris, vel aliquid concomitans statum huiusmodi.*

Pro quo etiam delentur venialia;

Et eâdem quæst. n. 8. sic inquit: *Opera istius, qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ab ipso ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec etiam ipse habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale; tamen opera priùs facta possunt esse à Deo relata ad remissionem istius venalis post mortem. Et hoc isto modo; quia causa impedibilis, dùm est impedita, non ponit effectum, dum verò non est impedita, ponit; sed merita istius morientis in charitate, essent causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso, vel à Deo acceptante illa in ordine ad istud: sunt autem impedita dum iste vivit, si semper actu manet in peccato veniali: post mortem verò non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis: igitur per illa delebuntur venialia post hanc vitam.*

Cùm pro illo non sint impedimenta deletionem retardantia.

Eodem modo loquitur de reviviscentia meritorum 4. dist. 22. q. 1. num. 10. ibi: *Per hoc dico ad argumentum, quòd resurgens plura merita habet in acceptatione Dei, quàm habuit quando cecidit, & per consequens ad maiorem gloriam ex parte ordinatur; sed non oportet eum in maiori gratia resurgere, quia secundùm eius dispositionem in detestando peccatum commissum intensè, vel remissè datur sibi nunc maior, vel minor gratia;* totam absque dubio in altera vita recepturus.

Eodem modo loquendum de reviviscentia meritorum censet Scotus.

38. Ex his sic argumentor: probabile est merita hujus vitæ delere peccata venialia post hanc vitam: probabile est merita, & Sacramenta mortificata in via, reviviscere ad totam gratiam deperditam, saltem in patria: ergo non minùs probabile est Sacramentum Baptismi, etiam in altera vita reviviscere, seu primò conferre remissionem venialium, & totius pœnæ debitæ, obice seu impedimento hujus vitæ sublato; remissionem quidem venialium accedente eorum retractatione, remissionem verò totius pœnæ debitæ suppositâ totius culpæ deletione; quippè non retractatio obex erat deletionis culpæ; non deletio autem impedimentum remissionis pœnæ.

Ex quibus infertur Baptismum in altera vita reviviscere.

Hactenus de effectu, venio ad necessitatem de qua plura dicenda occurrunt, quæ tamen brevitatis gratiâ paucis conclusionibus conabimur explicare. Sit itaque

CONCLUSIO III.

Sine Baptismo, aut ejus voto post Euangelium promulgatum nulli umquam contigit justificatio extra casum Martyrij.

Hoc est; Baptismus in re vel voto in nova lege est medium necessarium ad salutem. Ita definit Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. sequentis tenoris: *Quibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Et sess. 7. can. 5. de hoc Sacramento: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.* 39.

39. Baptismus in re vel voto est necessarius ad salutem,

Ut definitum est à Tridentino,

Idem ante definiverat Florent. in decreto Unionis ibi: *Et cùm per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu sancto renascimur, non possumus (inquit Veritas) in regnum cælorum introire.*

Et Florentino,

Ratio itaque à priori est voluntas Christi, liquidò expressa Joannis 3. v. 5. verbis ab utroque Concilio citatis, quæ nihilominus tortuosus intellectus hæreticorum variè detorquet, contra unanimem PP. consensum, ac verborum proprietatem.

Et constat ex Scriptura Joannis 3. v. 5.

Et primò quidem ly *Aquam* metaphoricè accipit pro mortificatione, ac si Scriptura diceret; *Nisi quis mortificatus fuerit, non potest introire in regnum Dei.* Sed quid opus est metaphorâ, ubi ex proprio & plano sensu nihil sequitur absurdi? Enimverò neque auctoritati divinæ, neque potentiæ repugnat, quòd aqua à Deo assumatur tamquam instrumentum necessarium ad salutem. Vide dicta disp. præced. sect. 4. conclus. 1.

40. In qua ly aquam malè Hæretici accipiunt metaphoricè.

Hinc Trid. supra can. 2. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Iesu*

Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto; *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Sibi contradicentes dum hunc locum de baptismo exponunt. Accedit ex illa scriptura sic intellecta neutiquam probari Baptismum, cujus oppositum docent omnes hæretici, qui Baptismum asserunt.

Denique de illa aqua loquitur ibi Christus, de qua Act. 8. Eunuchus ad Philippum ait v. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Quod, utique ineptè de mortificatione intelligitur, ut patet ex contextu; verba enim immediatè præcedentia sunt hæc: *Et dum irent per viam* (Philippus & Eunuchus) *venerunt ad quamdam aquam.* Crede mortificationem secundùm Acatholicos. Quis non rideat tales metaphoricas impudentias. (Act. 8.)

41. Multò minusque potest dici epithetum Spiritûs sancti. Secunda explicatio præ nimia detorsione per se satis corruit; ly *Aqua*, inquiunt, epithetum est Spiritus sancti hoc sensu: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, qui per aquam designatur*; quemadmodum dicitur Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, id est, Spiritu sancto, qui per ignem denotatur. (Matth. 3.)

Qui non in specie aquæ Sed interrogo primò, ubi in Scriptura legatur Spiritum sanctum apparuisse in specie aquæ, sicuti legitur Act. 2. v. 3. apparuisse in specie ignis? *Et apparuerunt*, inquit Scriptura, *illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum* &c. (Act. 2.) Sed ignis legitur apparuisse;

Interrogo secundò. Nonne ignis symbolum est charitatis atque amoris, qui appropriatur Spiritui Sancto? *Veni sancte Spiritus*, cantat Ecclesia in divino officio *reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Ignem*, inquit, non *aquam*, magis certè idoneam ad ignem extinguendum, quam accendendum; juxta illud Eccli. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua.* (Eo quòd ignis charitatis symbolum sit. Eccli. 3.)

42. Interdum tamen aquæ comparatur Ioan. 7. Non ignoro scriptum esse de Spiritu sancto Ioannis 7. v. 38. *flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Verba sunt æternæ veritatis, quibus Euangelista pro explicatione subjicit: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*; scilicet in die Pentecostes per visibilem descensum Spiritus sancti in Apostolos, & per invisibilem gratiam, quam Spiritus sanctus partitur singulis in Sacramento Baptismatis & Confirmationis &c. Non, inquam, ignoro Spiritum sanctum interdum aquæ comparari; quia instar aquæ mundat animam, abstergendo sordes peccatorum, sed nego propterea rectè dici ly *Aquam*, ubicùque adjungitur Spiritui sancto esse ejus epithetum, & non potiùs significare aquam veram & naturalem, ubi aliud contextus sacræ Scripturæ non requirit. (Qui instar aquæ mundat sordes animæ,)

Porrò verba citata ex Joannis 3. non solùm non exigunt ejusmodi metaphoricam expositionem, quin & hæc ipsis repugnat. Nam Primò, aqua præponitur Spiritui sancto; absurdum autem est prius poni declarationem, deinde id quod declarandum est. Neque negari potest; quin aqua, si accipitur pro Spiritu sancto, ponatur ad declarandum effectum Spiritûs sancti, qui est mundare. (Suo scilicet effectu;)

Secundò, sic aqua malè conjungeretur cum verbo *renascendi*: aqua enim, si tantùm inspiciatur ejus significatio non gignit, sed lavat & refrigerat. Non ergò hôc locô aqua significat effectum Spiritûs sancti, sed aquam veram & naturalem, ut concurrit sacramentaliter ad spiritualem regenerationem. (Ad quem aqua naturalis sacramentaliter concurrit,)

43. E contrario verò ly *igni* Matth. 3. (præterquam quòd aliqui per illud intelligant ignem externum, qui descendit visibiliter super Apostolos in die Pentecostes, vel ignem tribulationis, vel ignem purgatorij) postponitur Spiritui sancto, & non est inconveniens, post unum vocabulum poni alterum, quo priùs declaretur: ut omittam, non obscurè determinari ad impropriam significationem per ly *Baptizabit*, quod videtur ex contextu litteraliter accipiendum pro vera externa corporis ablutione, qua Joannes baptizans utebatur, ut sensus sit: *Ego quidem vos baptizo in aqua* corporaliter abluendo: *Ipse vos baptizabit* non tantùm in aqua per ablutionem sordium corporalium, sed etiam *in Spiritu sancto & igne*, id est, per gratiam Spiritûs sancti, qui emundabit corda vestra ab omni peccato, juxtà illud Ezech. 36 v. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* (Matt. 3. Ezech. 36.)

Profectò ignis verus & naturalis materia ineptissima est ad corpus abluendum; aptissima ad conburendum; porrò aqua vera & naturalis convenientissima ad baptizandum seu lavandum, & consequenter ad significandam spiritualem regenerationem sive renascentiam. (non sic ignis.)

44. Tertia detorsio hujus Scripturæ fit, ut conjunctio, *Et*, sumatur disiunctivè pro, *Vel*, hoc modo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua vel Spiritu sancto.* Equidem *Sæpe*, ait lex 53. ff. de verborum significatione, *ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis. Nam cùm dicitur apud veteres*, Adgnatorum

 genti-

gentiliumque, *pro separatione accipitur.*

Consentio ita quandoque accipi posse particulam, *Et*, ut non conjunctionem, sed disjunctionem significet: ast unde constat Christum sic usurpasse in præsenti Scriptura? Certè non nisi ex perversa voluntate hæreticorum, qui malum dicunt bonum, & bonum malum, omnia quæcumque ignorant, aut potiùs ignorare volunt, blasphemantes, corrumpentes & in pravum sensum detorquentes.

Particula Et quandoque disjunctionem significat.

Sanè numquid pravus sensus est, quempiam sine Spiritu cum sola aqua posse introire in regnum Dei? Et tamen hoc perspicuè sequitur ex hujusmodi depravato intellectu illius Scripturæ.

45. Dices cum Petro martyre in cap. 7. 1. ad Corint. Rom. 10. v. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam, & ore confessio fit ad salutem.* Ubi habetur eadem copulativa particula, *Et*, & tamen non est ejusdem necessitatis, fides, & confessio oris.

Petrus Martyr. Ordinariè conjunctionem;

Respondeo primò, confessionem oris, & fidem cordis non referri ad eundem finem, seu effectum; hæc quippè necessaria est ad justitiam acquirendam; illa ad salutem non amittendam. Unde in vulgato textu non habetur ly *Et*, sed particula, *Autem*; at in Baptismo aqua, & Spiritus sanctus ad eamdem regenerationem pertinent.

Respondeo secundò, neque Catholicos parem agnoscere necessitatem aquæ & Spiritûs sancti in ordine ad justificationem & salutem simpliciter; sed dumtaxat ad justificationem acquirendam per Sacramentum Baptismi in re. Hinc conclusio nostra asserit sufficere Baptisma in voto; excipit quoque Martyrium, sic tamen ut semper maneat obligatio Baptismi realis possibilis.

Esto inter conjuncta nō sit æqua necessitas.

Dico, *Possibilis*; impossibilium enim nulla est obligatio; obligatio, inquam, propriè dicta; quæ oritur ex lege vel præcepto propriè dicto; cæteroquin sæpe contingit quippiam esse medium necessarium ad aliquem effectum consequendum, etsi hîc & nunc sit impossibile. Sic v. g. contritio sive pœnitentia est medium necessarium homini adulto peccatori ad accipiendam justitiam & salutem, etiam tunc quando est ipsi impossibilis propter amentiam, vel ebrietatem; & in præsenti, ut habet conclusio, Baptismus est medium necessarium, parvulis quidem in re, adultis in re vel voto extra casum Martyrij, non obstante ejus impossibilitate, proveniente ex defectu ministri, formæ, aut materiæ debitæ.

Baptismus est medium necessarium. Nō obstante ejus impossibilitate

Pro clariori intelligentia hactenùs dictorum, & ampliùs dicendorum, præmitto primò quid sit necessitas medij, quid præcepti. Omissis autem varijs sententijs, dico illud esse medium necessarium ad justificationem, quod positivè ad illam conducit, & per se in illam influit, usque adeò ut sine illo realiter habito, justificatio secundùm legem Dei ordinatam sit impossibilis. Illud autem necessarium necessitate præcepti, quod quidem per se non justificat, causando gratiam habitualem; requiritur tamen ad evitandum peccatum, per quod justitia præhabita deperderetur; ut proinde solùm se habeat tanquam removens prohibens salutem tam primam, quàm secundam, id est, gratiam sanctificantem, & æternam beatitudinem. 46.

quid sit esse necessarium necessitate medij. Et necessitate præcepti.

Asserendum quippe *est* cum Concil. Trident. sess. 6. cap. 15. *non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam* demeritoriè *amitti, divinæ legis doctrinam defendendo; quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes, qui lethalia committunt peccata.*

Trident.

Itaque necessitas præcepti est necessitas per accidens, consistens videlicet in ablatione seu non positione impedimenti; porro necessitas medij est necessitas per se; medium siquidem per se influit & confert aliquid ad salutem, & ille influxus talis est, ut sine illo non possit salus obtineri.

Hæc est necessitas per accidens. Illa per se.

Ex quo plures aliæ oriuntur differentiæ inter has necessitates. Prima, quòd necessitas præcepti tantùm habeat locum in actibus liberis & honestis, utpotè qui soli sint materia legis & præcepti: necessitas verò medij, etiam in alijs rebus; sic quippe habitus gratiæ & lumen gloriæ sunt media necessaria ad salutem.

47. Est & aliæ inter illas necessitates differentiæ.

Secunda, quòd necessitas præcepti, utì & ipsum præceptum, solos concernat adultos ratione utentes; medij etiam reperiatur in parvulis, & amentibus.

Secunda differentia.

Tertia; præcipitur actus, & carentia, seu omissio actûs; equidem non nisi actus positivus est medium necessarium; negatio quippe haudquaquam potest habere aliquem physicum influxum in salutem; neque de facto habet moralem, cum probabilius sit puram omissionem non esse meritoriam.

Tertia.

Quarta

quarta. Quarta quòd necessitas præcepti excusetur per ignorantiam invincibilem; secùs necessitas medij; quamquam enim ignorantia possit supplere præceptum, sive excusare à peccato; minimè tamen supplet influxum & causalitatem medij necessarij; etenim ex ignorantia, etiam invincibili, omittens v. g. Baptismum, non propterea censeri debet baptizatus magis, quàm si omitteret scienter, excusatur tamen à novo peccato.

48. quid votum Baptismi? Præmitto Secundò, quid sit votum Baptismi, quod Trident. in principio conclusionis citatum docet sufficere ad justificationem, videlicet non quodlibet propositum suscipiendi hoc Sacramentum; potest enim peccator manens in actuali affectu peccati, huiusmodi elicere voluntatem: sed contritio charitate perfecta (aut certè amor supernaturalis Dei super omnia) quæ tametsi justificet antequam Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ actu suscipiatur (propter quod à Theologis vocatur Baptisma Flaminis) *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam*, docet Trident. sess. 14. c. 4.

est Dei amor super omnia sive formalis sive virtualis. quæ justificant ante susceptionē Sacramenti;

Nota; *Quod in illa includitur*; Ergo, inferunt plures Recentiores, sufficit propositum seu votum Sacramenti virtuale sive implicitum, hoc est, inclusum in perfecta contritione, quæ detestatur propter Deum summè bonum omnia peccata mortalia super omnia appretiativè alia mala; adeoque virtualiter proponit servare omnia mandata divina, quorum unum est susceptio Sacramenti.

adeoque sufficit sacramenti votum implicitum.

49. à quo non dissentiunt antiqui Theologi contra Hiquæum. Neque ab hac sententia dissentiunt antiqui Theologi; uti perperam putat Hiquæus in comment. Scoti ad dist. 17. n. 106. conclus. 1. quæ sic se habet: *Ad remissionem peccati requiritur votum explicitum distinctum ab ipsa contritione*. Hæc est nostri Doctoris hic n. 30. *Dico*, inquit, *quod illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis secuturæ: & sic non deletur peccatum sine proposito confitendi*. Eamdem tenet Canus, supponit Ioannes de Medina, Durandus & Paludanus. Est etiam Divi Bonaventuræ, Alensis, Divi Thom. & Magistri. Probatur ex Augustino & Cassiodoro, super illud psalmi 31. *Dixi confitebor adversùm me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Magna pietas Dei, ut ad solam promissionem peccata dimiserit: nondum pronuntiat ore. Si autem Deum aut in corde, quia ipsum dicere quoddam pronuntiare est: votum enim pro opere reputatur &c.* Prima hujus auctoritatis verba sunt

Scotus.

Cassiodori, usque ad illud, *dimiserit*; reliquum est Augustini. Hactenus Hiquæus.

Sed ubi verba illa in Augustino legerit, nescio: hæc sunt genuina: *Dixi. Quid dixisti? non iam pronunciat, sed promittit se pronuntiaturum, & ille iam dimittit: Attendite, fratres magna res, dixi, pronuntiabo. Non dixi, pronuntiavi, & tu dimisisti. Dixi, pronuntiabo, & tu dimisisti: quia eo ipso quòd dixit, pronuntiabo, ostendit quia nondum pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere, pronunciabo, pronuntiare est, ideo & tu remisisti impietatem cordis mei* Quæ certè verba, si velimus intelligere prout sonant, convincunt Deum dimittere peccata ad solum propositum confitendi, quod constat esse falsum. pro quo malè allegatur D. Augustinus.

Si dixeris, propositum illud debet procedere ex contritione charitate perfecta. Respondeo; ergo non proposito sive promissioni adscribenda est justificatio, sive remissio peccatorum, sed magis ipsi contritioni, quæ in se includit talem promissionem, & ex qua regulariter provenit expressum propositum de cætero non peccandi, adeoque observandi omnia mandata Dei: impossibile quippe videtur quempiam summè detestari omnia peccata mortalia propter Deum supra omnia dilectum, & advertenter omittere tale propositum; siquidem summè detestari nihil est aliud, quàm velle quodlibet malum potius sustinere, quàm peccare.

detestatio summa non fit sine expresso proposito.

Si itaque occurrat intellectui hujusmodi pœnitentis obligatio Baptismi aut confessionis, non dubium quin mox voluntas prorumpet in affectum externum illorum Sacramentorum. Qui affectus cum simili externa peccatorum detestatione ex amore Dei super omnia perspicuè palam est justificare ante realem susceptionem Sacramentorum, quamquam nonnulli voluerint contradicere propter aliquas sententias Divi Augustini malè intellectas, quas in progressu explicabimus.

si occurrat obligatio Baptismi aut Confessionis,

Et aliud nihil voluit Sanctus Doctor loco supra citato, uti etiam antiquiores Theologi magis solliciti de confessione, ejusque obligatione, quàm de distinctione voti virtualis, & formalis; etenim supposito voto virtuali, facillimè & communiter elicitur formale.

Cæteroquin parum solida, imò prorsus infundata videri posset secunda conclusio Hiquæi supra n. 112. *In casu ignorantiæ, quando est defectus instructionis, qui contingere potest, sufficit votum confusum Sacramenti, neq. requiritur voluntas distincta*. Hęc, inquit, conclusio videtur congrua divinæ an sufficiat votum confusum, ut docet Hiquæus.

 miseri-

misericordiæ, & infirmitati nostræ, neque alioquin casus est impossibilis, sed qui frequenter accidere potest in ijs, qui minùs instructi sunt. Votum hoc explico per hoc, quòd habeat voluntatem adhibendi media necessaria, vel quæ ordinata sunt in remedium peccati, quamvis in specie tale esse ignoret. Ita ille.

Non asseruerunt Scholastici. Profectò neque Scotus, neque Divus Thomas, neque Divus Bonaventura, aut alij DD. quos citat pro prima sua conclusione, illius confusi propositi meminerunt; sed simpliciter requirunt propositum confitendi. Si ergo ipsi liceat ex consideratione misericordiæ divinæ, & nostræ infirmitatis celebrare distinctionem voluntatis confusæ, & distinctæ, ignotam antiquis Theologis, perperam reprehendit modernos, qui celebrant distinctionem voti formalis, & virtualis, etsi ab antiquis parum cognitam.

Vasquez. Equidem pro hac, teste ipso Hiquæo, citatur Richardus, & si credimus Vasquio 3. parte q. 84. a. 5. dub. unico, eam docet Adrianus, Gabriel, Maior, &c. pro illa autem mirum si aliquis inveniretur, quem Hiquæus non adduxisset; adducit verò neminem.

distinctio voti formalis & virtualis innititur misericordiæ Dei; Præterea distinctio voti formalis & virtualis, nonne & ipsa innititur misericordiæ divinæ, & nostræ infirmitati? Quis enim credat Deum, cujus misericordia superexaltat judicium, non misereri eius, qui ex toto corde detestatur peccatum, si fortè ex tenuitate sui intellectûs, qui pluribus intentus minor est ad singula, si fortè, inquam, non eliceat explicitum propositum confitendi, quia voluntati non objicitur obligatio confitendi?

52. Dices; propositum confusum sufficit ut verè remittatur peccatum in ordine ad claves; ergo aliud non requiritur. Probatur consequentia; quia aliàs facienti quod in se est ex fide & gratia, Deus deesset; hic autem aliud præstare nequit ex impedimento, quamvis habeat bonam voluntatem, & perfectum dolorem. Ita Hiquæus supra; contrarium innuens de proposito nostro virtuali, quando ejus insufficientiam probat ex damnatione hujus propositionis Petri Oxomensis Doctoris Salmantini in Concilio Complutensi: *Peccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius sæculi delentur per solam contritionem cordis sine ordine ad claues.*

& virtuale sufficit ut remittatur peccatum in ordine ad Sacramentum. Verùm respondeo, etiam votum virtuale planè sufficere, ut peccatum remittatur in ordine ad Sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, cuius votum est. Ostendo; quia peccatum remitti in ordine ad Sacramentum non est aliud, quàm post peccatum remissum manere oblgationem realiter suscipiendi sacramentum; quam obligationem negabat Petrus præfatus, nos autem cum Ecclesia Catholica asserimus. Ubi porò Ecclesia doceat ad justificationem extra Sacramentum sufficere voluntatem confusam Sacramenti & requiri voluntatem formalem haudquaquàm reperio, & ideo non assero.

Enimvero quod attinet Concil. Tridentinum, ex quo Hiquæus clarius suo videri probat explicitum votum, sic ait sess. 6. c. 14. *Vnde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali; eaque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam &c.* Ergo infert ille, votum Sacramenti suscipiendi est aliud à detestatione peccati, sive contritione; & per consequens, requiritur votum saltem confusum, distinctum ab ipsa contritione. 53. contrarium quidã conatur elicere ex Tridentino:

sed sine fundamento; Respondeo; si Concilium intelligendum sit ad litteram, probat non sufficere voluntatem generalem adhibendi media necessaria, sed requiri voluntatem specialem confessionis sacramentalis, non solùm necessitate præcepti, à qua, ut vidimus supra, excusat ignorantia, sed necessitate medij; quippè pari methodo loquitur de ipsa contritione, & voto Sacramenti; atqui illa est medium necessarium, quod non supplet ignorantia juxta doctrinam Catholicam; ergo etiam voluntas Sacramenti. Ergo in casu ignorantiæ non sufficit votum confusum contra Hiquæum.

Dices; formalis amor Dei super omnia sine formali pœnitentia, non obstante hâc doctrinâ Concil. Trident. probabiliùs justificat extra Sacramentum immemorem suorum peccatorum: ergo similiter justificabit voluntas generalis servandi omnia mandata, conjuncta contritioni, immemorem, vel ignorantem præceptum Sacramenti. 54.

Consequentia probatur; quia sicuti amor Dei super omnia est virtualis contritio, ita voluntas generalis servandi omnia mandata, virtualiter in se continet voluntatem specialem servandi hoc præceptũ particulare; virtute quippè volitionis universalis in memore præcepti particularis, voluntas statim elicit, vel nata est elicere singulare propositum adimplendi hoc speciale præceptum suo tempore. Quis audeat negare?

Respondeo, qui audet asserere Trident. intelligendum esse sine glossa. Porrò qui ejus

cum eadem sit difficultas in proposito virtuali, quæ est in confuso:

ejus commodam admittit interpretationem, sicut omnes admittere debent, non majorem reperiet difficultatem in proposito virtuali à contritione realiter indistincto, atque in voluntate confusa realiter distincta. Si igitur hæc sufficiat, cur non & illud?

55. neque enim concilium requisivit voluntatem Sacramenti realiter distinctam.

55. Dices; quia Concil. requirit voluntatem Sacramenti realiter distinctam. Sed undè id constat? Etenim sess. 14. cap. 4 asserit votum Sacramenti in contritione includi; utique ut declaret, se in præcedentibus sess. per actus illos, quos videbatur requirere tamquam expressos & distinctos à contritione, non intellexisse realem distinctionem; sed solummodò virtualem continentiam eorum in contritione charitate perfecta.

Undè non dixit Concilium, per illud votum contritionem perfici in ordine medij justificativi, quasi ab illo accipiat vim justificandi; constat siquidem propositum Sacramenti solitariè spectatum nullam prorsus habere virtutem justificativam, quam non habent alia opera bona & meritoria.

56. contritio enim, quæ sufficiebat ante Sacramentorum institutionem,

sufficit pòst eandem cum ordine tamen seu obligatione ad Sacramentum.

56. Ipsa ergo contritio est, quæ sicuti ante institutionem Sacramenti ex Dei liberalitate tanquam meritum congruum infallibiliter justificabat sine voto, aut ordine ad aliquod Sacrmentum; ita de facto post institutionem Sacramentorum ex eadem liberalitate justificat, cum ordine tamen ad Sacramentum, id est, cum obligatione suscipiendi illud; non nouâ, qualem inducit contractus emptionis ad solvendum pretium, cui proindè malè comparatur ab aliquibus contritio justificans; sed quæ antea inerat; non quasi sub conditione remittantur peccata (sæpe enim contingit, & novit Deus sacramentum numquam suscipiendum) verùm quia per contritionem ita remituntur à Deo peccata, & gratia justificans insunditur, ut tamen maneat eadem obligatio Sacramenti, ac si de facto nulla esset facta remissio.

57. Quapropter, saluo meliori judicio, per votum Sacramenti sive Baptismi sive pœnitentiæ, ut est aliquid distinctum à contritione, non incongruè intelligeretur ipsa obligatio Sacramenti, quæ realiter moraliter distinguitur ab ipsa contritione, ut patet consideranti; nam in lege veteri, & naturæ eadem erat natura & vis contritionis, & tamen nulla obligatio Baptismi, aut Confessionis.

Porrò in lege Euangelica hæc in illa includitur, seu illi annectitur; quia Christus instituit & præcepit Sacramenta Baptismi & confessionis tamquam media per se necessaria ad remissionem peccatorum; de cætero intactam relinquens vim justificandi, quam antea habebat contritio ne fortè in necessarijs deesset suæ Ecclesiæ; cùm frequenter possit occurrere casus in quo Sacramentum, maximè pœnitentiæ sit impossibile.

Ex quo confestim cognoscitur, quòd, licet contritio respiciat etiam alia præcepta, equidem magis speciali titulo concurrat ad justificationem propter votum Sacramenti, quàm aliorum præceptorum; quia alia præcepta non influunt directè in remissionem peccatorum sed solùm removendo prohibens, conservant & ex opere operantis augent justitiam præhabitam. At verò Sacramentum re susceptum perse, & directè, quamvis solùm moraliter, influit gratiam justificantem, vel primam, si illam non reperiat, vel saltem ejus augmentum ex opere operato. Ergo potiori ratione dicitur contritio justificare per ordinem seu votum Sacramenti, quàm per votum v. g. restitutionis aut alterius similis præcepti; tametsi revera non justificaret, si votum istud non includeret. 58.

58. Contritio magis speciali titulo concurrit ad justificationem propter votum Sacramenti, quàm aliorũ præceptorũ.

Sed contra: Homo contritus obligatur etiam præcepto Eucharistiæ, quæ per se & directè causat gratiam; etiam interdum primam; sed hoc non obstante non dicitur necessarium esse votum Eucharistiæ ad remissionem peccati per contritionem: Ergo votum Sacramenti requisitum hîc ad remissionem peccati, non est sola obligatio suscipiendi Sacramenti: quia hæc est effectus legis, votum autem spectat ad dispositionem, & voluntatem nostram. 59.

59. contritus obligatur præcepto Eucharistiæ.

Cujus tamen votum non est necessarium, cum per cõtritionem deletur peccatum.

Cõfirmatur primò.

Confirmatur primo; obligatio suscipiendi Sacramenti non oritur ratione contritionis, sed peccati, & supponitur ad contritionem pro omni tempore, quo quis est in peccato, à quo non absolvit contritio, sive habeat explicitam, sive implicitam voluntatem ejus adimplendæ, quin etiam manet cum contraria voluntate: ergo talis obligatio inaniter reducitur ad contritionem tamquam in ea inclusam, vel ipsi annexam ex sua perfectione; ergo votum Sacramenti est aliud à dicta obligatione. Ita Hiquæus supra n. 110.

Confirmatur secundò.

Confirmatur Secundò; si aliquis contetatur de peccatis præteritis confessis, quæ reipsa fuerunt remissa; nulla est in eo obligatio ad Sacramentum confessionis, cùm eadem peccata bonâ fide subjecerit clavibus; & ponamus in Sacramento deleta: ergo falsum est contritionem includere votum implicitum confessionis ex natura actûs. Ita præfatus Auctor supra n. 111.

Verùm advertere debuisset, Concil. Trident. 60.

Occurritur objectioni factæ ab Hiquæo; dent. loqui de contritione primò remissiva peccatorum, vel, ut clariùs dicam, primò remittente peccata, quæ procul dubio ex natura sua, posito præcepto Sacramenti, includit ejus propositum. Et alioquin quomodo vera erit tertia ejus conclusio n. 113. *Remissio* inquit, *peccati est per ipsam contritionem, ut hâc circumstantiâ voti Sacramentalis affecta est, sine qua non remittit peccatum; neque est perfecta contritio?*

Putas negaret contritionem de peccatis præteritis, esse perfectam contritionem? Non puto: & tamen non est affecta circumstantiâ voti Sacramentalis. Quid ergo? Contritio ex natura sua dicit implicitum ordinem ad omnia præcepta; cumque supponatur præceptum confessionis adimpletum, quid miramur si hujusmodi contritio sit perfecta, tametsi actu non respiciat confessionem istorum peccatorum? Igitur secunda confirmatio non est ad rem.

61. & assignatur differentia inter Baptismum ex una, & Eucharistiam ex altera parte; Porrò ad principale argumentum assigno differentiam inter Baptismû & Pœnitentiâ ex una parte, & Eucharistiâ ex altera, quòd duo priora Sacramenta per se & primariò instituta sint ad primam gratiam conferendam, sive in remissionem peccatorum; Eucharistia autem ad augmentum tantùm gratiæ justificantis; & ideò contritio remissiva peccatorum, de qua hîc solùm agitur, ut mox dictum est, magis in causando respicit Baptismum & Pœnitentiam, atque à Trident. vocatur votum eorum magis quàm votum Eucharistiæ.

præcipuè cùm necessitas Eucharistiæ sit solùm præcepti, Accedit quòd nemo possit salvari sine Baptismo aut ejus voto, quod sit contritio, vel contritioni conjunctum; salvatur autem Baptizatus absque Sacramento Eucharistiæ cum simplici desiderio illud tempore suo suscipiendi. Unde necessitas Eucharistiæ non est medij, sed præcepti dumtaxat.

ut patet ex eius institutione. Patet; quia augmentum gratiæ, ad quod primariò institutum est, quamvis ad melius, non tamen simpliciter est necessarium ad consequendam æternam beatitudinem, quemadmodum gratia baptismalis, aut confessionalis. Et quod hinc sequitur, ignorans invincibiliter præceptum Eucharistiæ salvabitur per solam gratiam Baptismi absque ullo actu justificativo, secùs invincibiliter ignorans Sacramentum Baptismi, aut confessionis.

62. Ad illud quod addebatur; obligatio est effectus legis; votum autem dispositio voluntatis; Respondeo, contritio est optima dispositio voluntatis; & obligatio esto sit effectus legis, seu voluntatis legislatoris, attamen suo modo recipitur in voluntatem subditi, utpote morale vinculum alligans voluntatem ad hoc vel illud faciendum.

Sed quid ad primam confirmationem? Quòd nemo umquam docuerit obligationem confitendi oriri ex contritione, aut in ea includi, vel ipsi annexam esse ex sua perfectione. Constat sanè apud omnes contritionem hodiernam nequaquam præstare contritioni veteris, aut naturæ legis; in qua tamen nulla erat obligatio confitendi. 63. Respõdetur primæ confirmationi.

Quid igitur? Oritur ex perfectione contritionis, quæ super omnia detestatur peccatum, quòd ipsa sit virtualis voluntas confitendi, inductâ jam obligatione, quæ antea non erat, per positivum Christi præceptum. Annectitur itaque, & quasi includitur obligatio in contritione, radicaliter quidem ex voluntate Christi præcipientis pro tempore legis Euangelicæ tanquam perfectioris præter contritionem (quæ sola antea sufficiebat) externam peccatorum confessionem; formaliter verò ex natura ipsius contritionis, quæ talis est ut per eam pœnitens velit & desideret efficaciter adimplere omnia præcepta divina, ac proindè continet efficax desiderium sacramentalis confessionis suo tempore faciendę, & sacerdotalis absolutionis. Annectitur obligatio contritioni, radicaliter ex voluntate Christi, formaliter ex natura cõtritionis, quę cõtinet efficax desiderium confessionis,

Quòd autem hoc desiderium debeat esse explicitum & distinctum ab ipsa contritione, ex hactenus dictis ab illo Auctore non satis ostenditur, ut patet ex eorum solutione. Cumque ex reg. juris 65. de Reg. Iuris in 6. *In pari causa potior sit conditio possidentis,* sto pro libertate mea, & judico non esse obligationem voti expliciti & physicè distincti ab actu contritionis; sed ipsam secundùm se, non tamen sine voto, quod in ea includitur, ante realem susceptionem Sacramenti justificare. quod non debet esse explicitum, & ab actu contritionis distinctum.

His præmissis pro explicatione terminorum, veritas conclusionis se ipsâ est manifesta, accedente verbo Christi Ioan. 3. vnanimi consensu Patrum, ac sensu, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero intellectu & interpretatione Scripturarum sanctarum. Porrò sensus Ecclesiæ est, neminem prorsus sive parvulum sive adultum viâ ordinariâ post Euangelium promulgatum transferri ab eo statu, in quo nascitur filius iræ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei sine Baptismo, aut ejus voto. ostenditur conclusionis veritas ex sensu Patrum & Ecclesiæ.

Dico, *viâ ordinariâ*, propter Martyrium, quod in conclusione excepi; quamvis enim non sit medium communiter à Christo institutum ad justitiam, aut salutem æternam, ut dixi disp. præcedenti Sectione 1. conclus. 1. adeoque non propriè conferat gra- Excipitur martyrium.

gratiam ex opere operato, quemadmodum Sacramenta, id eſt, ex vi ſuæ institutionis; Deus tamen per extraordinariam ſuam providentiam liberaliter promiſit infuſionem gratiæ omnibus mortem pro ſe ſuſtinentibus, ſive abſque eorum merito, puta parvulis, aut certè ſupra meritum, ut adultis; & hoc eſt Martyrium gratiam cauſare quaſi ex opere operato.

Cui à deo eſt liberaliter promiſſa gratia

Sine vel ſupra meritũ.

65. Hanc promiſſionem lego apud Matth. 10. v. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Mar. 8. v. 35. ſcriptum reperio: *Qui autem perdiderit animam ſuam propter me & Euangelium, ſalvam faciet eam.* Vel, ut loquitur Luc. cap. 17. v. 33. *Vivificabit eam*, hîc per gratiam & in altera vita per gloriam. Ita unanimiter intelligunt has Scripturas SS. Patres, qui in effectu comparant, imò quandoque præferunt Martyrium Baptiſmo; ut latiùs ediſſero ſect. ultimâ hujus diſputationis.

Matth. 10. hęc promiſſio oſtenditur ex ſcriptura, Mar. 8. Luc. 17.

Junctâ Patrum interpretatione.

Addidi, *poſt Euangelium promulgatum*, in quo datur intelligi tempus, à quo Baptiſmus cœpit eſſe medium neceſſarium. Pro quo pono ſequentem concluſionem.

CONCLUSIO IV.

Baptiſmus ab inſtitutione ſua fuit utilis; cœpit autem obligare Hieroſolymis in die Pentecoſtes, quando primùm Apoſtoli ſolemniter Euangelium prædicaverunt; in alijs autem locis deinceps ſicut eis prædicabatur.

66. PRima pars eſt communis. Docet eam Scotus 4. diſt. 3. q. 4. n. 8. ibi: *Quia ſi ante paſsionem aliquis Iudæus ad prædicationem Chriſti vel Petri parvulum ſuum baptizaſſet, & non circumcidiſſet; ſi parvulus fuiſſet mortuus, ſalvatus fuiſſet; quia recepit gratiam in Baptiſmo: à prima enim inſtitutione Baptiſmus contulit gratiam.*

Baptiſmus ab inſtitutione ſua fuit utilis, Scoto.

Alioquin ut quid diſcipuli Jeſu Joannis 4. v. 2. baptizaſſent? Certè nulla fuit ratio effectum Baptiſmi differendi uſque ad tempus neceſſitatis. Sic quippè Euchariſtia utilis fuit, antequam neceſſaria. Quin imò repugnat Baptiſmum fuiſſe inſtitutum in ratione Sacramenti novæ legis, & non contuliſſe gratiam ſuſcipientibus ſine obice; etenim fuiſſet ſignum gratiæ efficax, & non efficax. Efficax, quia ſupponitur Sacramentum, quod eſſentialiter definitur ſignum practicum gratiæ: inefficax, quia inutile.

Cum non erat ratio effectum differendi:

Imò id repugnabat,

Solùm obſtare videtur, conſequens inde eſſe, pro illo tempore Circumciſionem non fuiſſe neceſſariam, cùm tamen omnes doceant legem veterem (cujus janua erat Circumciſio, quemadmodum Baptiſmus legis Euangelicæ) non fuiſſe mortuam ſive extinctam ante mortem Chriſti, fortè nec ante promulgationem legis Euangelicæ in Pentecoſte, ut multi cum Scoto docent in tractatu de Legibus, ubi de ceſſatione legis veteris.

Stante etiã circũciſionis neceſſitate,

Sanè neceſſitatem Circumciſionis uſque ad mortem Chriſti, expreſſis verbis tradit Doctor in Reporta editionis Colonienſis eadem diſt. quæſt. 5. n. 2. ibi: *Sed dupliciter fuit promulgatio facta Baptiſmi. Vno modo per modum conſilij, Chriſto veniente in carne, ſed non per modum præcepti: alio modo per modum præcepti. Primo modo non fuit neceſſarium recipere Baptiſmum, quia tunc imponebatur neceſſariò Iudæis Circumciſio uſque ad paſsionem Chriſti, & legis Moſaicæ: quod probant aliqui, quia Chriſtus ante paſsionem ſuam comedit agnum Paſchalem, quod non feciſſet, niſi neceſſe fuiſſet Iudæos adhuc ſervare legem Moſaicam. Patet igitur quòd ita eſt.* 67.

Quam pro tunc admiſit Scotus,

Et tamen conſequens ſupra poſitum videtur docere in primo ſcripto n. 12. inquiens: *Sed quantum ad Circumciſionem diſtinguo quatuor tempora. Pro primo erat neceſſaria: pro ſecundo utilis, non neceſſaria: pro tertio nec utilis, nec neceſſaria, tamen licita: pro quarto omnino illicita & mortifera. Primum tempus Circumciſionis præceſſit utrumque tempus Baptiſmi. Secundum tempus Circumciſionis, comitabatur primum tempus Baptiſmi: nam, ſicut argutum fuit priùs, ex quo primò conſulebatur Baptiſmus, non fuit Circumciſio neceſſaria volenti baptizari, ſed tunc cucurrit utrumque ſub diſiunctione, ut Iudæus eligeret quodcumque vellet: licuit enim, & profuit ſibi circumcidi, ſi voluit (nec enim fuit tunc revocata quantùm ad utile, nec quantùm ad licitum) ſicut etiam ſibi, imò laudabile fuit baptizari: & hoc etiam ſatis congruum fuit, quòd in tempore intermedio inter duas leges, quando non ſubitò prima tollitur, nec ſecunda imponitur; illo, inquam, tempore ſimul currant ambæ ſub diſiunctione.*

Qui ſibi hîc videtur contrarius,

Ecce hîc aſtruit libertatem, ibi neceſſitatem. Nunquid ergo ſibi ipſi contradicit? Minimè, ſed hîc per libertatem intelligit libertatem à neceſſitate medij, ibi imponit neceſſitatem præcepti, hoc eſt, in primo ſcripto docet Circumciſionem à tempore inſtitutionis Baptiſmi non fuiſſe parvulis medium neceſſarium ad remiſſionem 68.

Sed conciliatur,

nem peccati originalis per consequens ad salutem; in Reportatis autem, affirmat Circumcisionem ex præcepto legis veteris obligasse adultos pro se ipsis & pro suis parvulis usque ad promulgationem Euangelij, saltem usque ad Christi mortem.

Et conciliationis ratio datur

Hunc autem intellectum, sive concilationem colligo; quia Circumcisio, quæ ex Patribus erat ante legem veterem, & ex tunc medium necessarium deletivum peccati originalis pro parvulis, etiam præcepta fuit in lege veteri adultis pro se ipsis, & pro suis parvulis, adhuc præcepti incapacibus, in signum professionis istius legis, & distinctivum populi Judaici ab alijs gentibus, adeo ut omnes Judæi, etiam justificati per remedium legis naturæ in extrema necessitate, aut certè per contritionem, seu amorem Dei super omnia, circumcidere debuerint carnem præputij sui.

Suscipiendæ Circumcisionis necessitas & præceptum,

Jos. 5.

Probatur ex scriptura Jos. 5. v. 2. & 3. *Eo tempore ait Dominus ad Iosue: fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundò filios Israël. Fecit quod iusserat Dominus, & circumcidit filios Israël. Quia*, ut ibidem dicitur v. 7. *sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.* Non est autem verosimile per annos 40. omissum fuisse remedium peccati originalis. Optimè igitur simul stant Circumcisionem fuisse evacuatam à tempore institutionis Baptismi quoad necessitatem medij salutis, & necessariam mansisse necessitate præcepti adultis, & parvulis in signum professionis legis Judaicæ.

69. Hinc Doctor in primo scripto post verba supra citata ex n. 8., statim sibi objicit: *Et si dicitur, quòd verum est quod parvulo suffecisset Baptismus* (utiquè ad salutem) *sed pater peccasset non circumcidendo.* Quid putatis Ipsum respondisse? *Contra*, inquit, *quia ante octavum diem potuit baptizare parvulum, & ex quo ille habuit iam remedium contra originale, & hoc credidit pater* (*nam credidit Baptismum efficacem ad hoc*) *tunc videtur quòd non tenebatur necessariò providere parvulo de alio remedio*, scilicet contra originale.

Quod amplius ex Scoto ostenditur,

Excusante nō circumcidentem parvulum à peccato

Ubi non excusat patrem à peccato, si octavo die non adhibuit Circumcisionem præceptam à lege in signum fœderis; sed vel ab omni delicto, si infans mortuus fuerit infra octavum diem, vel à solo peccato contra pietatem, quæ patrem obligat ad providendum filijs de remedio contra peccatum originale, quodcumque illud sit.

Non omni

Quod eisdem ferè verbis explicat & inculcat in Reportatis loco jam citato n. 7. *Si Iudæus, inquit, fuisset baptizatus, & postea baptizasset filium suum post genitum, & ille puer fuisset mortuus ante passionem Christi, certum est quòd fuisset salvatus, quia eiusdem efficacia fuit Baptismus tunc, sicuti nunc: igitur non fuit necesse istum puerum circumcidere*, supple, ut salvaretur, bene, ut pater à transgressione legis, quæ præcipiebat octavo die circumcidere, excusaretur; quam necessitatem n. 2. ejusdem quæstionis, ut vidimus, expressè asseruit; nisi velimus dicere, Doctorem subtilem in paucis lineis manifesta docuisse contradictoria, quæ summa esset tanto Doctori injuria: *Cuius doctrinæ grave illud testimonium extat, quod eius libri absque ullo erroris nævo usque in hanc diem trecentos circiter annos in Oecumenicis Concilijs inviolati permanserint.* Ita Antonius Possevinus in apparatu sacro. Ut non immeritò sacræ Inquisitionis Generalis Romæ Tribunal ante annum 1620. præceperit, teste Luca Waddingo in vita Scoti cap. 6. doctrinarum aut librorum censoribus, ut quidquid Scoti esse constaret, intactum inviolatumque permitterent.

Peccasset enim contra legem de circumcidendo octavo die.

Hæc si ut oportuit considerasset Suarez, non citasset Doctorem Subtilem pro peculiari opinione, ut vocat, aliquorum Scholasticorum docentium, præceptum Circumcisionis cessasse ante mortem Christi l. 9. de leg. c. 12. n. 2.

Suarez mal. imponit Scoto cessasse circumcisionis præceptum ante Christi mortem.

Si objicias; eo ipso quo Virginitas est in consilio, Matrimonium non potest esse præceptum. Disparitatem do, quia actus Matrimonij repugnat Virginitati, non ita Circumcisio Baptismo, si illa consideretur ut est professio legis veteris, pro illo tempore nondum abrogatæ secùs; prout intelligitur determinatè necessaria ad remissionem peccati originalis: quia ut bene notat Doctor supra in Reportatis n. 7. *Quando duo sic se habent, quòd præceptum ad unum prohibet aliud: consilium de uno licentiat aliud dimittere.* 70.

Occurritur objectioni.

Scotus.

Quòd autem præceptum Baptismi prohibuerit præceptum Circumcisionis definitur in Cap. *maiores* de Baptismo ibi: *Absit ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio & Circumcisionem cum Baptismo servandam.*

Innoc. 3.

Sed hæc satis de prima parte, transeamus ad secundam, quæ pluribus displicet, ijs scilicet omnibus, qui initium obligationis hujus Sacramenti ponunt mortem Christi. Quod enim attinet tempus ante passionem, communis sententia est, pro tunc Baptismum non obligasse, sive non fuisse præcepti, sed consilij dumtaxat; quippe *Institutio*, inquit Doctor supra in primo scripto n. 4. *præcessit promulgationem, non enim promulgatur lex, nisi primò sit determinata à legislatore, à quo habeat firmitatem* (& *ista* 71.

Baptismus ante passionem fuit solùm consilij.

Scotus.

ista determinatio potest dici institutio) nisi etiam ab ipso sit revelata alicui tamquam præconi solemni, & hoc si per præconem illum voluerit promulgari.

Et continuò attexit: *De hac institutione dico duo. Primò quòd propter eam non erat necessarium simpliciter baptizari, quod patet Ioan. 15. v. 22.* Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. *Quod sic est intelligendum*, inquit in Report. supra n. 2. *Si non venissem, in propria persona, vel in ministro authentico peccatum non haberent.* Ex quo infert. *Igitur Christus non vult aliquos obligare, nisi per ipsum, vel per servum authenticum.*

Subsumo cum Ipso: *Sed sola institutio non fuit promulgatio sufficiens communi populo, nec per Christum, nec per servum authenticum:* & infero ex primo scripto: *Non ergo per solam istam institutionem præcedentem promulgationem obligabatur populus necessariò ad Baptismum, & hoc maxime de isto præcepto: quia erat tantummodo positivum. Illud autem positivum, quod præcepit de Circumcisione, non debuit statim amitti, ex quo certum fuit, quòd à Deo fuerat institutum; nisi etiam certitudo fieret illud secundum fuisse datum à Deo: hac autem certitudo de secundo non poterat haberi sine promulgatione authentica.*

72. At ne quispiam objiceret Baptismum ante passionem fuisse promulgatum ab ipso Christo Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* præsertim accedente publico ejus ministerio Joan. 4. v. 1. & 2. *Vt ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quamquā Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam &c.*

Non obstante ejusdem pro mulgatio ne, Joan. 3. & 4.

Huic, dico, objectioni occurrit Scotus supra n. 5. inquiens: *Secundò, dico quòd promulgatio, huius Sacramenti poterat poni duplex, una per modum consilij: alia per modum præcepti. Hoc autem fuit congruum quòd primò promulgaretur per modum consilij.* Propter quid? Propter duo, inquit, *Primò, quia lex Euangelica, quæ est perfectissima, non debuit præcipitanter imponi, sed homines primò ad illam allici, cadentem adhuc sub consilio, ut postea exercitatis posset sub præcepto imponi. Secundò, quia lex vetus non erat mala, sicut est idololatria, & ideo non debuit subitò repelli: in hac enim fuisset repulsa quasi mala; sed debuit Synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore suo. Impositio autem Baptismi per modum præcepti, evacuatio fuit Circumcisionis, saltem quantum ad necessitatem. Debuit autem aliquando sequi promulgatio per modum præcepti, quia aliter numquam haberet lex ista firmitatem vel necessitatem, saltem quantum ad illud Sacramentum.*

Quæ solùm fuit consilii juxta Scotum,

Ne lex Euangelica præcipitanter imponeretur,

Et Mosaica subito repelleretur.

73. Quando ergo Christus Joan. 3. egit de necessitate Baptismi, egit de futura, veluti circa Eucharistiæ legem fecit Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; cùm tamen pro isto tempore nondum esset Eucharistia instituta; ergo similiter, quando Joan. 3. dixit: *Nisi quis renatus fuerit &c.* noluit imponere, aut significare obligationem pro tempore præsenti, sed pro futuro postquam videlicet lex Euangelica ut talis foret solemniter promulgata.

Unde Joan. 3. insinuatur Baptismi necessitas futura,

Adde verba illa Joan. 3. dicta esse soli Nicodemo, qui venit ad Jesum nocte: porrò promulgatio est publica propositio; quare illis verbis nequidem per modum consilij Baptismus fuit promulgatus, minùs per modum præcepti.

Cum pro tunc nequidem promulgaretur per modum consilij,

Rogas ubi ergo Christus promulgaverit Baptismum per modum solius cōsilij? Respondeo, ubi publicè illum instituit, & administravit; quippe promulgatio hęc non aliud est, quàm publica doctrina essentiæ ac utilitatis hujus Sacramenti. Quis autem audeat suspicari Christum per discipulos solemniter baptizasse, antequam instruxisset populum de Sacramento tàm utili, & pro futuro tempore tàm necessario?

Profectò cùm in passione sua Dominus à Pontifice interrogaretur de doctrina sua, fidenter respondit Joan. 8. v. 20. *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil*, scilicet, quod non vellem publicè ab Apostolis annuntiari, juxta illud Matth. 10. v. 27. *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta.* 74.

Joan. 8.

Matth. 10.

Ave Maria gratia plena

Sed aliud est docere, aliud ferre legem; aliud instar Doctoris tradere doctrinam Euangelicam, aliud instar Legislatoris proponere legem Euangelicam, significando se velle communitatem obligare ad ejus observantiam. Primum lego Christum fecisse ante suam passionem; secundum non reperio: sed cuidam dicenti Luc. 12. v. 13. *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem*; respondet v. 14. *Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?*

Nec ante mortem per modum præcepti.

Luc. 12.

Et quamvis fortè Christus Apostolis suis ante mortem præceperit Baptismum; tamen illud præceptum non fuit vera lex, defectu communitatis subjecti; lex quippe definitur Præceptum commune, justū, ac stabile, sufficienter promulgatum. Commune, inquam, communitate subjecti, quando pręceptū fertur communitati perfectæ, id est, quæ tot hominum genera complectitur, ut sibi ipsi sufficiant ad politicam felicitatem, sive, cujus membra non tam ordinantur ad bonum unius capitis (sicut fit in privata familia, in qua

Saltem communitatem concernentis,

in qua omnes ordinantur ad bonum unius patris-familias) quàm ad bonum particulare uniuscujusque membri.

75. Qualis ante mortem Christi non erat Apostolorum congregatio; Joan. 20. Certè ante mortem Christi congregatio Apostolorum familia potiùs erat, quàm communitas perfecta. Enimvero institutio Pontificis, & totius ordinis Hierarchici facta est post resurrectionem Joan. 20. v. 21. 22. 23. *Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* En clavis Jurisdictionis. Sequitur potestas Ordinis. *Hac cum dixisset, insufflavit, & dixit eis* (omnibus scilicet Apostolis) *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ut autem scires cæteris Apostolis, tamquam Legatis dumtaxat, Petro verò ut Ordinario concedi hanc potestatem, subjecit Joan. 21. v. 17. soli Petro loquens: Joan 21. *Pasce oves meas*, non docendo tantùm, & concionando, ut hæretici volunt; sed regendo quoque, & imperando; pastor namque ovium non solùm administrat cibum ovibus; sed etiam ducit, & reducit, tuetur, castigat &c. de quo plura in Tract. de fide.

Unde præcepta pro tunc Apostolis data. Igitur præcepta, si quæ fortassis data fuerint Apostolis ante passionem, pro tunc non erant leges propriè dictæ (etenim *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*, ait lex 2. ff de LL.) sed potiùs præcepta personalia, de quibus in præsenti non agimus. Erant potius personalia. De quo ergo Disputamus? An Baptismus ante resurrectionem Christi habuerit vim legis universalis; quam de facto obtinet respectu communitatis generis humani; idque legis positivæ.

76. Ex consilio Christi oriebatur obligatio naturalis ad non contemnendum Baptismum. Scotus. Equidem ex doctrina, & consilio Christi oriebatur in hominibus obligatio quædam naturalis ad non contemnendum Baptismum, ut docet Scot. supra n. 5. ibi: *Et notandum generaliter, quòd promulgatio facta de consilio divino obligat ad non contemnendum.* Probat: *Qui enim consilium contemnit, contemnit consulentem, in quantùm consulentem: & ideo nolens servare consilium divinum Euangelicum, quasi contemnens illud, tamquam irrationabile & infructuosum, peccat mortaliter.*

Et pro majori explicatione adjungit n. 6. *Hæc autem dixi de consilio & præcepto divino: quia secùs est de humano, etiam loquendo de consilio, seu præcepto hominis superioris, seu Prælati: licèt enim tam consilium quàm præceptum alicuius Superioris contemnere,*

Ac ne libera daretur facultas errandi, aut sinistrè interpretandi mentem ejus, ut plures hodie faciunt, explicat de quo contemptu loquatur: *Id est*, inquit, *irrationabile & infructuosum iudicare: sed non licet, dum est Prælatus, contemnere non observando*, quando non est moraliter certum, quòd præceptum sit irrationabile & infructuosum.

Cæteroquin *mihi lex esse non videtur*, inquit Evodius apud D. Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. *quæ iusta non fuerit.* S. August. Siquidem, ut ait idem Sanctus Doctor lib. 19. de Civit. cap. 21. *Quod iure fit profectò iustè fit. Quod autem fit iniustè, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, vel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manaverit.*

Sed quare potiùs licet contemnere consilium, vel præceptum Superioris humani, quàm divini? *Quia*, inquit Scot. *non tenetur aliquis necessariò habere falsam opinionem de suo Superiore* homine: *sed monitio eius, vel præceptum potest in se esse irrationabile, & infructuosum: & rationabiliter & utiliter tunc laborandum est ad eius revocationem, & ad correptionem vel amotionem talis Prælati fatuè præcipientis. Ergo non tenetur subditus reputare præceptum eius tamquam rationabile & fructuosum, sed potest oppositum reputare, sicut est, & sic contemnere non approbando.* 77. Quare potiùs liceat contemnere consilium vel præceptum superioris humani quàm divini. Scotus.

At verò Legislator divinus, propter increatam & infinitam scientiam suam & bonitatem, nequit aliquid præcipere, aut consulere, quod non sit rationabile & fructuosum, adeo ut homo oppositum judicans, hoc est, contemnens, quantùm in se est, destruat illa attributa Dei; quod constat apud omnes gravissimum esse peccatum mortale.

Sic ergo patet, concludo verbis Scoti, *quòd prima promulgatio Baptismi per modum consilij obligavit omnes*, jure naturali religionis, *ad non contemnendum*, id est, irrationabile & infructuosum judicandum. *Secunda autem per modum præcepti obligavit omnes, ad quos legitimè venit, ad suscipiendum.* Non venit autem ad communitatem perfectam ante mortem Christi, ut ex dictis liquet; neque probabiliùs ante Pentecosten; sed in ipsa illa die; ergo ex tunc incœpit, & deinceps obligavit, adultos quidem necessitate medij & præcepti, parvulos verò, utpote præcepti incapaces, solâ necessitate medij, de quo plura sect. sequēti, quæ erit de subjecto Baptismi. Scotus.

Restat in præsenti probandum ante Pentecosten legem veterem non cessasse in ratione legis, adeoque novam, cujus janua est Baptismus, statim à resurrectione Christi non obligasse formaliter in ratione legis positivæ, hoc est, Baptismum non fuisse necessarium medium ad salutem ante solemnem legis novæ propositionē in die Pentecostes. 78. Lex vetus ante Pentecosten non cessavit in ratione Legis. Adeoque nec nova introducta.

Conclusionē nostram tradit Doctor Subtilis 4. dist. 3. q. 4. n. 11. his verbis: *Quantùm ergo ad istum articulū, dico, quòd in Baptismo* Scotus.

non

non est distinguere nisi duo tempora, scilicet tempus, quo erat sub consilio, & tempus, quo erat sub præcepto: & primum duravit à principio ex quo prædicabatur Euangelium vel Baptismus per Christum, vel per Apostolos usque ad prædicationem solemnem, & authenticam eiusdem post Ascensionem Christi; ita quòd primum tempus nullam habuit differentiam per mortem Christi, nec post eam, ex hoc solo, quòd aliter cucurrit post Baptismus, quàm ante.

Secundum autem tempus (ut credo) incœpit in die Pentecostes in Ierusalem; quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publicè, iuxta illud verbum Christi Luc. 24. Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. *Sed in die Pentecostes misso Spiritu sancto, solemniter prædicaverunt, & appositа sunt illo die circiter tria millia, & baptizati sunt Actor. 2. Inde autem ad alias civitates, secundùm ordinem cuilibet loco, vel genti erat tempus secundum, quando ibi publicè & solemniter prædicabatur lex Euangelica; ita quod tempus non incœpit simul apud quoscumque, sed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Ierusalem iuxta prophetiam Isaiæ cap. 2. & quibusdam incœpit tempus secundum ad mensem post Pentecosten, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, sicut eis prædicabatur.* Puta usque ad perfectam Euangelij promulgationem, id est, publicam & solemnem propositionem in præcipuis mundi partibus, argumento Authent. *Vt facta nova constitutiones*, Coll. 5. tit. 21. Novel. 66. ibi: *Sancimus igitur ex illo nostras constitutiones, quæ pro testamentis sunt, valere, ex quo in commune factæ sunt manifestæ; in provincijs autem, ex quo discreta per Metropolitas palam factæ sunt, vel postea factæ fuerint.*

Luc. 24. v. 49. — Act. 2. v. 41. — Nisi post sufficientem promulgationem. — Isa. 2. v. 3. — Quæ non fuit in omnibus mundi partibus æqualiter facta.

Quam regulam generaliter intellexit de omni constitutione, conformiter ad verba Rubricæ, quæ generalia sunt, Pius IV. in Bulla super declaratione temporis ad observanda decreta Concilij Trident. ibi: *Iure communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant.* Quod tamen nullibi invenitur nisi in hac Authentica; quæ generalibus quoque verbis rationem reddit, dicens: *Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones, si, eò quòd non fuerint sufficienter proposita, ignorantur.*

Pius IV. — Novæ constitutiones non nisi post certum tempus vim obtinent.

79. Et quamquam Deus non adstringatur legibus humanis; non est tamen verosimile voluisse legem suam obligare, aut aliquid esse medium necessarium ad salutem, antequam esset possibilis ejus scientia: jàm autem prædicatio Jerosolymis facta in die Pentecostes insufficiens erat, ad causandam notitiam legis Euangelicæ in eodem tempore pro communitate totius generis humani. Quapropter Marc. ultimo v. 15. dixit Christus discipulis suis: *Euntes in universum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit*, post prædicationem Euangelij, *condemnabitur*.

Quod de divina est etiam dicendum. — Mar. ult. — Præcipuè respectu Baptismi.

Nota, *In universum mundum*; ergo ex voluntate Christi non obligabat lex Euangelica universum mundum statim à promulgatione facta in Jerusalem, sed post promulgationem factam in universo mundo, id est, in præcipuis mundi partibus.

Promulgandi ex voluntate Christi per totum mundum.

Licèt autem contingere possit, imò certum sit, multos de facto inveniri, quibus nondum innotuit Sacramentum Baptismatis; equidem quis audeat dicere, etiam ijs ipsis Baptismum non esse medium ad salutem necessarium, esto per ignorantiam excusentur à peccato, quod alioquin committerent Baptisma non recipiendo?

Profectò leges humanæ, tam civiles quàm Ecclesiasticæ, elapso à promulgatione in singulis provincijs eo tempore, quo moraliter haberi potuit earum notitia, obligant simpliciter omnes, etiam illos, qui per accidens eas ignorant, bono communi ac naturâ legis ita exigentibus, ut, quemadmodum requiritur promulgatio, id est, publica propositio, quia lex est regula & mensura communis; ita sufficiat illa publica denuntiatio, ex qua nata est generari communis notitia. 80.

Etenim, ut dicitur cap. 1. de conc. præbendæ in 6. *Lex seu constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi ad notitiam pervenerint eorundem; aut nisi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent.* Neque enim oportet, quòd notitia constitutionis singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcetur, ut habetur cap. 1. de Postul. Prælatorum, *Sed id solùm sufficit, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam* (vel noscere debuit) *solemniter editam, aut* (id est, *&*) *publicè promulgatam.*

Non debet constitutio singulorum auribus inculcari.

Ex dictis sic formo argumentum, eritque probatio conclusionis: lex ut obliget debet edi, & publicè promulgari, non ideo, quia lex humana, sive lata ab homine; sed, quia data communitati hominum ad singulorum vitas, quatenùs sunt partes unius corporis, constringẽdas; atqui Baptismus in ratione legis obligantis universum mundum non legitur modo universitati hominũ accommodato, id est, publicè & solẽniter propositus, vel in morte Christi, vel in ejus resurrectione aut ascensione, vel, ut uno verbo dicã, ante Pentecosten; ergo ante hanc diem non 81.

Sed sufficit edita & publicata. — Quod non fuit factum in constitutione Baptismi ante Pentecostẽ.

non incœpit formaliter obligare; sed in ipsa die in Ierusalem, & deinceps in alijs locis, sicut in eis Euangelium juxta mandatum Christi prædicabatur.

82. Dico, *non incœpit formaliter*; quia sicuti lex vetus fundamentaliter seu radicaliter extincta fuit in morte Christi, ita etiam nova lex causaliter fuit confirmata. Sed quæ ista causa? Solutio pretij redemptionis.

Sic ut formaliter obligaret.

Et hoc tantùm probant authoritates Apostoli ad Hebr. 8. v. 13. *Dicendo autem novum veteravit prius*, scilicet, in causa; nam statim subjungitur: *Quod autem antiquatur & senescit propè interitum est.* Ergo nondum formaliter mortuum, sed brevì moriturum. Cap. 9. v. 15. & sequentibus: *Et ideo novi testamenti mediator est; ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Vbi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.*

Hebr. 8. Item 9.

Confirmatur quidem testamentum per mortem testatoris, tamen formaliter non obligat, nisi postquam legitimè fuerit apertum. Similiter ergo testamentum novum, sive lex Euangelica confirmata quidem fuit in morte, & per mortem Christi, non tamen formaliter obligavit, nisi postquam apertum fuit in Pentecoste per publicam ejus propositionem, quæ est modus ordinarius & hominibus accomodatus, ut possint uniformiter legem servare. Enimvero Deum fuisse usum extraordinariâ providentiâ, singulis hominibus in particulari intimando suam voluntatem, unde constat?

De extraordinaria intimationis via non constat.

Ut quid igitur mandavit Apostolis Matth. ultimo v. 19. dicens: *Euntes docete omnes gentes*, obligationem novæ legis, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*? Certè frustraneum fuisset illud præceptum, si, quemadmodum ab initio per seipsum cordibus singulorum inscripsit legem naturalem, ita etiam in morte sua singulorum cordibus inscripsisset legem Euangelicam.

Matth. ultim. Ne frustra datum foret prædicationis præceptum.

83. Unde scriptum reperio apud Apostolum ad Hebr. 8. v. 10. *Quia hoc est testamentum, novum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentes eorum, & in corde eorum superscribam eas*, abundantiori scilicet gratia aperiendo corda eorum intendere his, quæ ab Apostolis & eorum successoribus prædicabuntur. *Et ipse enim*, inquit Apostolus ad Ephes. 4. v. 11. *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quod est eius Ecclesia.*

Hebr. 8. Ad quod recipiendum Deus corda disponit. Ephes. 4.

Lege librum, cui titulus *Actus Apostolorum* & dicet tibi cap. 16. v. 14. Dominum in corde Lydiæ scripsisse legem suam non per se immediatè, sed medio colloquio Doctoris Gentium aperiendo cor ejus gratiâ suâ præveniente & adjuvante, intendere his, quæ dicebantur. Hæc sunt verba textûs: *Et quadam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cuius dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.*

Act. 16. Gratiâ suâ præveniente & adjuvante.

Quando ergo Apostolus supra ad Hebr. 8. v. 11. ex Ieremia cap. 31. v. 34 dicit: *Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicens: cognosce dominum* &c. non intendit excludere ministerium & doctrinam Apostolorum, aliorumque Doctorum, & præconum Euangelij (seipsum quippè agnoscit prædicatorem fidei in actu exercito, & signato innumeris pœnè locis) sed solùm vult, in lege nova tam facilem forè, auditâ Euangelij prædicatione, Dei cognitionem, cultum, amorem & obedientiam; ut sponte suâ eò procurrant homines; cùm tamen Iudæi in veteri testamento vix minis & pœnis compelli possent ad relinquendum idola, & ad verum Deum cognoscendum, colendum, amandum, eique obediendum. Nulla ergo est ratio dicendi Deum fuisse usum extraordinariâ providentiâ in constitutione legis Euangelicæ. 84.

Hebr. 8. Per quod multum commendatur lex Euangelica, Et facilitatur.

Secundùm jam dicta explicat verba illa Christi pendentis in cruce, Ioan. 19. v. 30. *Consummatum est*, Scotus supra n. 18. ibi: *dico quòd hoc intelligatur de his, quæ scripta sunt de filio hominis, iuxta illud Lucæ 18. v. 31.* Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. *Vel si illud referatur ad antiquam legem, sic debet intelligi*, consummatum est *in causa. Nam mors Christi causa erat confirmationis legis Evangelicæ: sed illa non fuit consummata tamquam necessaria ad observandum ante prædicationem eius publicam, quæ non incœpit in passione, sed in Pentecoste; tempore enim intermedio sederunt in cœnaculo, nemini solemniter, vel publicè prædicantes.* 85.

Scotus. Et morte Christi cõfirmatur, Non autem consummatur in ratione obligationis.

Verissimè ergo dixit Apostolus Rom. 7. v. 4. *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi*; intelligendo de corpore Christi crucifixo; quippe per virtutem & efficaciam passionis Christi mortificati sumus legi, vel lex ipsa mortua est, quoad sufficien-

Rom. 7.

sufficientiam in ipsa morte Christi; quoad efficaciam verò seu cum effectu non statim, sed postea congruo tempore extincta fuit virtute ejusdem corporis Christi, seu mortis ejus.

86. Nec obstat quòd Apostolus adferat exemplum mulieris, quæ statim per mortem viri solvitur ab ejus lege: *Nam quæ sub viro est*, inquit v. 2. *mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.* Non obstat, inquam: quia Apostolus non comparat mortem Christi cum more viri; & ideo non dixit; *In morte Christi*, sed, *per corpus Christi* tamquam per causam sufficientem ad extinguendam Synagogam, quæ viro morienti comparatur.

Aut extinctionis synagogæ.

Porrò Synagoga non statim à morte Christi, sed postea cum honore tempore congruo sepulta fuit; nam multa, quæ ad Ecclesiam spectant, ut supra ostendi, instituta sunt post Resurrectionem; & quantumvis ante mortem ordinata fuissent, debebant tamen priùs publicari, quàm Synagoga extingueretur. Plura de hac controversia in tract. de Legibus, ubi est proprius ejus locus. Sufficiat hìc Baptismum ante Euangelium promulgatum non fuisse medium necessarium in re, vel in voto ad justificationem; & statim à promulgatione novæ legis obligasse, tum in ratione præcepti positivi, tum instar medij necessarij.

Quæ congruo tempore debuit sepeliri.

Facta scilicet sufficienti novæ legis promulgatione

87. Equidem non repugnat quidpiam esse necessarium simul necessitate medij, & præcepti: quin eo ipso, quo aliquid est medium necessarium, præceptum finis, etiam est præceptum medij, v. g. existente præcepto Ecclesiæ audiendi sacrum, si quis non habeat sacrum, quod possit audire, nisi in una Ecclesia, eodem præcepto tenetur exire domo, & ire ad illam Ecclesiam; idque quia accessus ad templum est unicum medium necessarium ad finem, scilicet auditionem missæ, quæ si hìc & nunc non obligat, neque erit obligatio medij, etsi alioquin necessarij ad finem illum obtinendum.

Ad rem nostram. Secundùm præsentem Dei ordinationem post Euangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto non potest fieri justificatio: sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3. v. 5. Atqui ex præcepto naturali divino obligantur omnes adulti acquirere justificationem & salutem: ergo ex eodem præcepto tenentur suscipere Baptismum.

Hic positivè est baptismus necessarius, num. 1.

88. Atque ut per possibile vel impossibile non foret obligatio procurandi æternam salutem, adhuc Baptismus maneret medium necessarium ad eam obtinendum, cum scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit &c. Sicuti adire templum in exemplo supra allato est medium necessarium ad audiendum Sacrum, etiam non præceptum.

Amplius dico, adhuc foret obligatio suscipiendi Baptismum. Et si à me quæritur qualis sit illa obligatio? Respondeo citò, juris positivi divini, Matth. ultimo v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; prout Ecclesia Catholica verba illa semper intellexit.

Et obligatorius

Vi juris positivi divini:

Nec id alicui mirum videri debet; siquidem Baptismus in re est janua & professio legis Euangelicæ, sicut olim Circumcisio erat janua & professio legis Mosaicæ. Et verò lex Euangelica positiva est, an naturalis? Positiva, inquis. Rectè judicasti. Ergo lex Baptismi in re, quidni similiter positiva? Respondes, quia non sunt multiplicandæ obligationes sine necessitate. 89.

Contra; Baptismus in re non est medium determinatè necessarium, sed sub disjunctione in re vel in voto; ergo planè conveniens fuit, ut superinduceretur determinata obligatio positiva, tum in ordine ad justificationem, tum maximè in ordine ad professionem legis Euangelicæ; immo sine hac obligatione numquam fuisset medium necessarium ad salutem Baptismus in re vel in voto; sed solùm Baptismus vel contritio; siquidem quòd contritio nunc sit votum Baptismi, dependet ab illo præcepto positivo.

Ex quo dependet quòd contritio sit votum baptismi.

Igitur justificatis per contritionem Baptismus est necessarius solâ necessitate hujus præcepti positivi, hoc est, ut vitetur novum peccatum, licèt alioquin sit medium conferens illis gratiam justificantem. Patet; quia si propter impossibilitatem non suscipiatur Baptismus in re, sic tamen salvi erunt. Sed & hi non nisi per votum Baptismi ad statum gratiæ pervenerunt; nisi sit sermo de justificatis antequam lex Baptismi obligaret; nam pro tunc contritio non continebat votum Baptismi. 90.

Equidem si adhuc tempore obligationis vivebant, & in nova peccata lapsi erant, debebant per baptismum, aut ejus votum liberari, & similiter quantumcumque justi essent, per susceptionem Baptismi in re à novo peccato preservari. E contrario autem Baptismus respectu parvulorum ita est medium necessarium, extra casum Martyrij, ut sine illo realiter suscepto nequeant salvari, tametsi, quia incapaces, nulla in eis inveniatur

Qui parvulis extra martyrium est absolutè necessarius.

veniatur

veniatur obligatio præcepti.

Quæ omnia, ut cuivis pleniùs constare possint, tantaque claritate ac certitudine, quòd insolentis planè foret pervicaciæ nolle credere, operæ pretium duxi novam instituere sectionem de subjecto & præcepto Baptismi.

SECTIO QUARTA.

De Subjecto & præcepto Baptismi.

1. *Anabaptistæ docent parvulos non posse validè baptizari.*

DEclaratam præcedenti sectione necessitatem Baptismi respectu parvulorum pertinaciter negant Anabaptistæ, causantes eos nec debere, imò nec posse validè baptizari, quos etiam ideo rebaptizant, cum pervenerint ad adultam ætatem; sed supposita capacitate, de qua statim dissero, & admisso peccato originali cum Ecclesia Catholica, de quo in tract. de Virtutibus & vitijs in communi, arbitror necessitatem evidenter satis ostendi ex generalitate verborum Scripturæ, Concilij Florentini & Tridentini, quæ videri possunt sectione præcedenti conclusione 2. in principio. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Puer extra uterum matris est capax Baptismi.

2. *Consentit Scotus si puer sit secundùm omnes suas partes in utero.*

DIco, *extra uterum*, quia existens secundùm omnes suas partes in utero, non potest baptizari; *Non* (inquit Scotus 4. dist. 4. q. 3. n. 3.) *quia coniunctus est causæ corruptionis* (sic quippe non posset habere Baptismum Flaminis, vel Sanguinis, quorum utrumque est falsum) *sed quia Baptismus est lotio vel ablutio in aqua: sed parvulus sic in utero non potest lavari; quia nec sic immediatè tangi ab aqua.* Loquitur Doctor de suo tempore, quando nondum erat inventa, vel saltem ipsi nota methodus, quam hodierni medici affirmant, lavandi puerum in utero per metrenchyten.

3. Si objicias; parvulus in utero matris inficitur peccato Adæ; ergo etiam potest ab illo liberari. Respondeo cum Doctore supra n. 4. *Sed non per istud Sacramentum; quia dum est in utero matris capax non est huius Sacramenti.*

Per idem respondeo ad secundum argumentum apud Scot. supra n. 1. *Parvulus in utero potest liberari à servitute temporali; patet ex manumissione matris; ergo &c. potest ergo ibi baptizari.* Respondeo, inquam, neg. con. Rationem disparitatis ipse assignat n. 4. *Quia quantum ad servitutem temporalem filius dum est in utero non est distinctus à matre, non enim habet dominus dominium in parvulo, nisi quia in matre: sed quantùm ad servitutem, vel libertatem spiritualem ..... ista respicit distinctam personam: parvulus autem in utero est ita distinctus in persona à matre, sicut extra uterum.*

His præmissis de puero in utero; Conclusio definitur contra Anabaptistas & alios hæreticos in Concil. Trident. sess. 7. de hoc Sacramento can. 12. his verbis: *Si quis dixerit neminem esse baptizandum nisi ea ætate, quâ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.* Et can. 13. *Si quis dixerit, parvulos eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.* 4. *De puero extra uterum* *Contrarium definit Tridentinum.*

Eamdem veritatem pridem definierat Concil. Milevitanum II. c. 2. sequentis tenoris. *Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat ..... anathema sit.* *Et Milevitanum.*

Confirmatur ex cap. *Firmiter* de summa Trinitate ibi: *Sacramentum verò Baptismi ..... tam parvulis quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficit ad salutem.* Et c. *Maiores* de Baptismo ibi: *Cùm ergo Circumcisio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne Baptismus, qui successit loco ipsius, & generalior tamen existit, cùm tam viri, quàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectûs, tam adultis, quàm parvulis est conferendus.* *Et cap. Firmiter de summa Trinitate.*

Accedat perpetua Ecclesiæ traditio, cujus testis est D. Aug. lib. 4. de Baptismo c. 23. ibi: *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè non possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quin etiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen* 5. *Et confirmat perpetua Ecclesiæ traditio,* *Cujus testis est D. Augustinus.*

Cum reliquis Patribus,

tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et alijs pluribus locis. Testes quoquè sunt reliqui Patres.

Etiam Nazianzenus

Quamvis consulit exspectare triennium,

Non excipio Nazianzenum, quoniam tametsi consilium det Oratione in Sanctum Lavacrum, ut seclusis omnibus periculis infantes *triennium exspectent, aut paulò minùs, seu plùs, ut & quid mysticum audire, & respondere possint*: attamen ad quæstionem: *Num & illos* (infantes) *baptizemus*? Respondet: *Maximè quidem, si periculum aliquod immineat; meliùs est enim nondùm rationis compotes sanctificari, quàm non signatos & initiatos vitâ excedere.* Quidni & melius sit statim parvulum baptizare, quàm ad triennium exspectare?

Quæ tamen dilatio videtur parum fructuosa,

Et parvulis periculosa.

Profectò illa dilatio parvi aut nullius esset fructûs, cùm etiam tunc parvuli de fidei mysterijs nihil, aut vix aliquid capiant. Et qualiscumque fructus sit, meritò præfertur ipsi status amicitiæ Dei, liberatio à dæmonum insidijs, & similia: potissimùm cùm ob inopinatos casus, quibus infirmior illa ætas frequentiùs est exposita, sæpè adsit periculum salutis, ubi non putatur adesse.

6.

Baptismus parvulorum nullibi reprobatur;

Porrò quamvis in Scriptura nullibi expressè præcipiatur, aut approbetur Baptismus parvulorum, tamen etiam nullibi expressè prohibetur, aut reprobatur; imò non obscurè ex Scriptura colligitur Act. 16. v. 5. *Cum autem baptizata esset,* Lydia, *& domus eius.* Et v. 33. *Et tollens eos,* Paulum & Silam, *in illa hora noctis, lavit plagas eorum: & baptizatus est ipse,* (custos carceris) *& omnis domus eius continuò.* Quis autem prudenter dubitet in istis familijs fuisse parvulos? Ergo & hi ab Apostolo baptizati fuerunt. Quidni?

Act. 16.

Imò non obscurè in Scriptura insinuatur.

Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima cujus præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: *ita nunc indistinctè vox intonat Evangelica:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei: *ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens.* Ita Pontifex Innoc. III. in in cap. *Maiores* de Baptismo.

Et in cap. Maiores definitur,

Ac post pauca reddens rationem hujus generalitatis, inquit: *Absit enim ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Quod autem illud tempore legis Euangelicæ, nisi Baptismus per se institutus in remedium contra culpam originalem?

Teneo ergo, inquit Scotus 4. dist. 4. q. 1. num. 2. *oppositum* (contra Pelagium, qui negabat parvulos baptizandos) *quia, cùm secundùm Scripturam, & fidem parvuli contrahant originale peccatum, ad eius deletionem, quæ necessaria est, sunt baptizandi.*

Et ratione declaratur:

7. Solùm obstare videtur præceptum Christi Matth. ultimo v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos* &c. ubi mandat Apostolis ut priùs doceant, quàm baptizent: ergo parvulos instructionis incapaces non oportet baptizare.

Neque obstat Christi præceptum Matth. ult.

Respondeo illis verbis significari ordinem, qui servari debet in promulgatione Euangelij, quæ adultis fieri debebat, ad quos convertendos Apostoli mittebantur. De quibus etiam intelligitur illud Marci ultimo v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit,* ut patet ex contextu. Nam versu 15. dixerat Christus: *Prædicate Euangelium omni creaturæ,* utiquè adultis, qui soli prædicationis capaces sunt, ergo de ijsdem intelligitur, quod sequitur: *Qui crediderit* &c. Quamvis nec in adultis requiratur actus fidei ad valorem Baptismi, ut patet ex dictis disputatione præcedenti; bene ut Baptismus proficiat ad salutem.

Utpotè latum respectu adultorum, Mar. ult.

8. Ita explicat hunc locum Innoc. III. in cap. *Maiores* dicens: *Cæterùm ex vi litteræ satis patet, prædictas auctoritates* (1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*) *intelligendas esse tantummodo de adultis, qui habent multitudinem peccatorum: cùm de parvulis non possit intelligi; qui peccato tantùm originali tenentur. Similiter & illa auctoritas est solvenda:* Qui crediderit & baptizatus fuerit *&c. cùm non possint credere parvuli, sed adulti: & ob hoc tota auctoritas hæc intelligenda est de adultis: nè ad alios prima, & ad alios secunda clausula referatur. Quamvis nonnulli concedant, quòd parvuli credunt non per usum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in Baptismo: sicut & alia multa verba, secundùm communem usum loquendi non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur.*

Ut explicat Innoc. III. cap. Majores,

Hunc utrumque intellectum exprimit Doctor Subtilis supra respondens ad hoc argumentum Marci ultimo: *Qui non crediderit, condemnabitur:* Parvulus non potest credere; ergo per Baptismum non potest salvari: ergo frustra baptizatur. *Ad aliud, inquit, patet, quòd debet intelligi de adultis per illud, quod præcedit.* Qui crediderit & baptizatus fuerit. *Vel potest dici quòd qui non crediderit, nec actu, nec habitu, condemnabitur; quia secundùm Apost. Hebr.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo *&c. Parvuli autem, etsi non possint habere actum, possunt tamen habere habitum.*

Cum Doctore Subtili;

Equidem

9. Equidem meritò voluit Christus priùs gentes esse docendas, quàm baptizandas; nisi enim in mysterijs fidei, & Sacramentorum essent instructæ, nec ipsæ vellent baptizari, nec parvulos suos baptizandos offerre.

Et constat ex voluntate Christi.

Et quoniam hi absque propria voluntate personali, per voluntatem Adæ constituti sunt peccatores, & damnationi obnoxij, juxta illud Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt*, congruebat divinæ misericordiæ, ut etiam absque propria voluntate, sive intentione suscipiendi Sacramentum, in vitam justitiæ regenerarentur per voluntatem 2. Adam, qui providit omni ætati juxta suam capacitatem.

Meritò hoc sic statuentis; Rom. 5.

Unde dicit Innoc. III. c. *Maiores* §. *Verùm quidam: Originale igitur, quod sine consensu* proprio personali *contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti: actuale verò, quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.*

Quia parvuli originale sine proprio personali consensu contraxerunt. Innoc. III.

Neque sequitur: si baptizandi sunt parvuli, ergo etiam communicandi: quippe Baptismus est omninò necessarius ad salutem, non ita communio. Unde Eucharistia non est instituta in lacte, proprio cibo parvulorum, sed in pane & vino, cibis hominum adultorum: Baptismus autem institutus est in aqua, quæ unicuique adhibetur ad sordes abluendas.

Inde non sequitur dandam esse ipsis Eucharistiam.

10. Quòd si à me petitur quomodo infantes possint fieri membra Christi, exuere veterem hominem, induere novum, & similia? Respondeo, per remissionem peccati originalis, per gratiam justificantem, id est, charitatem, aliasque virtutes supernaturales, fidem, & spem, quæ parvulo in Baptismo infunduntur, juxtà Clementinam unicam de summa Trinitate in fine: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes) tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.*

Parvulis in Baptismo datur gratia juxta Clem. unic. de sum. Trin.

Aliæque virtutes supernaturales infunduntur:

Quæ etiam est sententia Doctoris Subtilis 4. dist. 4. q. 2. n. 3. ibi: *Ad quæstionem dico; quod, sicut est creditum parvulo in Baptismo originale dimitti, ita & creditum est ei sibi gratiam infundi; quia .... Deus pro statu naturæ lapsæ nulli remittit culpam, nisi cui dat gratiam: nullum enim liberat à perditione, nisi quem ordinat ad hoc ut sit filius regni.* Et licèt Deus de potentia absoluta posset dare gratiam sine fide (ponendo quod sint duo absoluta simpliciter distincta) tamen quia Dei perfecta sunt opera Deut. 32. & *quando hominem sanat, totaliter sanat, ideo conceditur, quòd non infunditur gratia parvulo sine fide & sine spe: sed in ipsa justificatione*, attestante Concil. Trident. sess 6. c. 7. *cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem.*

Quæ etiam est sententia Scoti.

Tridentinum

Reliqua argumenta hæreticorum, quibus impugnant Baptisma parvulorum, quia facilem habent solutionem, brevitatis gratiâ prætereo. Vide Bellar. lib. 1. de Baptismo c. 9.

Bellarm.

Suppositâ itaque capacitate & utilitate, pro necessitate erit

CONCLUSIO II.

Baptismus in re, extra casum Martyrij, & alterius extraordinariæ providentiæ divinæ, ut sanctificationis in utero, aut præservationis à peccato originali, est parvulis simpliciter medium necessarium ad salutem.

Pro hac conclusione, præter Scripturam generalem Joannis 3. & locutiones indefinitas Conciliorum, stat frequentissima auctoritas Sanctorum Patrum. Sufficiat illa D. Aug. Epist. 28. ad Hier. *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari non posse.* Et l. 3. de Origine Animæ c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam delictorum, si vis esse Catholicus.* 11.

Baptismus est parvulis regulariter ad salutem necessarius, Ut ostenditur ex Patrum auctoritate. S. August.

Jure ergo meritissimo ab omnibus hodiè exploditur opinio cujusdam Auctoris, qui putatur docuisse aliquos parvulos in necessitate salvari sine Baptismo, ob specialem parentum devotionem, puta votum expressum signo externo sanctæ crucis cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis: est enim exceptio sine fundamento à lege generali generaliter promulgatâ, & generaliter semper ab Ecclesia intellectâ.

Quædam exceptio ab hac regula,

Testem

Testem advoco D. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 11. ubi citans verba Joannis 3. ait: *Vtique nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* Alioquin similes exceptiones alibi obviæ, v. g. in peccatore mortuo impœnitente, quia attritionem bona fide putavit contritionem; aut laboravit ignorantia invincibili confessionis, vel impossibilitate confessarij.

S. Ambros.

12. Sed quod quæso fundamentum hujus temerariæ, ne plùs dicã opinionis? Certè non dignum tanto Doctori, cui adscribitur; & ideo fortè in novissimis exemplaribus & sententia & fundamentum expuncta. Quia, inquit, ante Christi adventum salvabantur parvuli in fide parentum, eis applicata per aliquod externũ signum, absque restrictione ad aliquod signum determinatum. Ita lego apud Wiggers q. 68. a. 1. & 2. n. 6.

Wiggers.

Verumenimverò, etiam gratis admisso illo antecedente, nam contrarium cum D. Aug. docuimus disp. 1. sect. 2. conclus. 5. qualis consequentia; ergo etiam nunc salvantur, saltem in casu necessitatis? An ignoravit Auctor ille, legem veterem modò cessasse tàm in ratione legis, quàm pij instituti, & non solùm mortuam, sed etiam mortiferam esse? An fortè in necessitate etiam licita erit, & utilis Circumcisio? Quomodò ergo verum est, quod dixit Christus Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c.

Cujus fundamentum rejicitur.

13. Dices, extra casum necessitatis; nam & nos excipimus casum Martyrij, & cum Ecclesia Catholica asserimus sufficere Baptismum in voto. Respondeo has exceptiones fundatas esse, tum in Scriptura, quæ pluribus locis attribuit Martyrio, amori Dei super omnia & perfectæ pœnitentiæ vim justificandi, tum in definitionibus Conciliorum jam sæpiùs allegatis. Porrò remedium legis naturæ in necessitate justificare parvulos novi Testamenti, neque lego in Scriptura, neque in Concilijs, neque in sanctis Patribus.

Objectio solvitur.

Quo igitur fundamento statuitur talis voluntas Christi, qui generaliter in nova lege pro remedio justificativo parvulorum determinavit Baptismum, idque in materia tam obvia & facili, ut vix casus possit contingere, in quo parvulus natus non possit baptizari? Neque propterea dici debet manus domini abbreviata in lege Euangelica circa parvulos; sed potiùs è contra; nam, ut advertit Wiggers supra, modò sine comparatione longè plures salvantur infantes, quàm antiquitùs antè adventum Christi Domini. Adde, gratiam baptismalem multum excedere in intensione, & extensione gratiam olim collatam per Circumcisionem, aut aliud remedium legis naturæ.

Maximè cum nullibi constet de tali Christi voluntate exceptiva.

Nec mirandum quòd in lege veteri remedium legis naturæ suppleverit defectum Circumcisionis; hæc quippe non pro omnibus instituta erat, & sæpe sine periculo non poterat adhiberi; Baptismus autem facillimus est, & universalis, ut proinde nulla fuerit necessitas aliud remedium in defectum illius ordinandi.

Et Baptismus omnibus facilè valeat applicari.

Si rursum objicias; adultus justificari potest, & salvari per votum Baptismi absque reali ejus susceptione; ergo etiam parvulus; non per proprium, quia ejus incapax; ergo per alienum; sicut in aliena voluntate peccavit. 14.

14. Nec obstat quòd in adultis sufficiat Baptismi votum proprium.

Respondeo distinguendo ultimum consequens, per alienum puræ creaturæ, nego; per alienum Christi Dei & hominis, concedo. Sic namque scriptum & definitum est in Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali §. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio; aut negat ipsum Christi Iesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum tàm adultis, quàm parvulis applicari; anathema sit.*

Ex quo non sequitur sufficere in parvulis alienum, Tridem.

Nisi mediatoris Christi.

Cujus meritum in Baptismo omnibus applicatur.

Fateor probabile est, purum hominem posse de congruo mereri alteri suam prædestinationem in executione, id est, primam gratiam, in ea perseverantiam, ac æternæ vitæ consecutionem, ut patet ex orationibus Ecclesiæ, & fidelium pro invicem, juxtà illud Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.* 15.

Potest tamen purus homo de congruo mereri Jac. 5.

Videturque expressa sententia D. Aug. l. de bono Perseverantiæ c. 22. ibi: *Si qui sunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur & accipiant eamdem gratiam, quâ velint esse, atque efficiantur electi.*

S. August.

Quamvis, inquam, probabile sit hominem justum posse alteri mereri gratiam justificantem mediatè, hoc est, mereri de congruo applicationem Sacramenti, auxilium efficax, & contritionem in adulto, cum quibus infallibiliter est connexa gratia habitualis; nullatenus tamen probabile est, de facto quempiam alterum justificare immediatè, hoc est, per actum suum sive contritionis, sive amoris Dei super omnia, mereri de congruo alteri gratiam habitualem

Alteri gratiam sanctificantem mediatè,

Nullatenus immediatè.

sine applicatione Sacramenti, aut proprio ejus actu pœnitentiæ vel dilectionis; cùm ne quidem Christus taliter nobis meruerit justificationem.

16. Intellige, viâ ordinariâ; non enim repugnat, quòd Deus propter merita Christi, per extraordinariam providentiam suppleret illud, quod in Baptismo parvulorum impotentia impediret; id tamen lege ordinaria esse statutum, non audeo asserere, utpote nec fundatum in auctoritate, nec ratione. Pium quidem esset sic omnibus fieri, sed quis impium dixerit, si contrarium eveniat, nisi & ipse impius esse velit?

Nisi per extraordinariam providentiam Deus aliter suppleret:

Eleganter & apposite Divus Augustinus lib. de bono Persev. cap. 8. *Non sumus*, inquit, *ingrati, quòd secundùm placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tàm multos liberat misericors Deus de tàm debita perditione; ut si indè neminem liberaret, non esset injustus: ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitam agnoscat.*

S. August.

Quod etsi non faciat, non esset injustus.

Et lib. de Correptione & gratia cap. 7. *Et qui per ætatem*, inquit, *parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam euntibus omnibus ex uno in condemnationem.*

Cur autem istum potiùs, ait idem S. Doctor lib. de Prædestinatione SS. cap. 8. *quàm illum discernat*, inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. *Melius enim & hic audimus & dicimus*, ô homo tu quis es qui respondeas Deo? *quàm dicere audeamus quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit.*

Rom. 11. v. 33.

Rom. 9. v. 20.

Planè convenit quòd *ita dispertiatur genus humanum* (utor rursùm verbis præstantissimi ministri gratiæ D. Aug. lib. 12. de Civit. c. 12.) *ut in quibusdam demonstretur, quid valeat misericors gratia, in ceteris quid justa vindicta..... In qua propterea multò plures, quàm in illa sunt, ut sic ostendatur quid omnibus deberetur. Et quo*, ut ait Enchr. c. 99. *etiam istos debitum judicium duceret, nisi indebita misericordia subveniret.*

Qui injustum velle non potest;

17. Hæc maturè, ut debuit expendens S. Prosper, & ex opposito penitiùs introspiciens dictum Apostoli 1. ad Tim. 2. v. 4. *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* lib. 2. de Vocatione Gentium c. 23. quærit: *Quomodo omnes homines salvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sunt incapaces.*

Sed omnes vult salvos fieri. 1. Tim. 2.

S. Prosper.

Et respondens sibi-ipsi ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi quòd istis paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper est impensa universis nationibus: quâ utique si bene*, physicè & moraliter, *eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnia namq; exordia parvulorum, totaq; illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios, consuli potest: & consequens est illos ad eorū pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu..... Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam, parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non sunt in parentibus defuit, sed iis, qui renati sunt præ parentibus affuit: ita ut multis sæpe, quos suorum pietas deseruit, alienorum cura servierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quibus non erat providenda per proximos.*

Etiam parvulos in utero matrientes.

Providens ipsis gratiam in parentibus.

Aut extraneis

Neque enim, ut bene advertit D. Aug. l. de bono Persev. c. 12. *fato cogitur Deus illis infantibus subvenire; illis autem non subvenire; ..... aut res humanas in parvulis non divina providentiâ, sed fortuitis agi casibus opinabimur; ..... aut parentum negligentiæ sic tribuendum, quòd parvuli sine Baptismo moriantur, ut nihil ibi agant superna judicia, tanquam ipsi, qui hoc modo male moriuntur, parentes sibi negligentes, voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint: quid dicam, quòd parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, exspirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen volente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.*

S. August.

Nihilominus lapsi Baptismum non percipiunt.

Itaque Deum posse supplere defectum Baptismi, non dubito; porrò de facto in omnibus supplere sive per se immediatè, sive per bonam voluntatem parentum noli credere, noli dicere, noli docere, si vis esse Catholicus. 18.

Quem defectum generaliter non supplet Deus.

Firmissimè autem tene & nullatenùs dubites, parvulos decedentes ex hac vita in originali, quia carent justitiâ & Spiritûs Sancti gratiâ in æternum Dei visione privandos, & si credimus S. Fulgentio de fide ad Petrum cap. 27. *Ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*, juxta illud D. Aug. Ser. 14. de verbis Apostoli c. 3. *Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur duas partes facturus est, dextram & sinistram. Sinistris dicturus: Ite in ignem æternum*, hoc est, combustionem æternam, ut ibidem exponit. *Dextris*; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.....

Unde decedentes cum originali S. Fulgent. puniuntur pœnâ damni, S. August.

Fortè etiam ignis;

Hanc

Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.

Quia tamen non habuerunt in se delectationem actualem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt pœnæ ignis acerbitatem, quam utiquè sentiunt illi, qui peccaverunt peccato actuali. *Mitissima sane* (verba sunt D. August. Enchr. c. 93.) *omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod origine traxerunt, nullum insuper addiderunt. Quæ autem qualis, & quanta, quamvis definire non possim* (ait idem Sanctus Doctor lib. 5. contrà Jul. c. 11.) *non audeo tamen dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potius expediret.*

Item. Quæ tamen erit mitissima.

Ex his colligitur Baptismi necessitas.

Ecce necessitas Baptismi parvulorum tantâ evidentiâ contestata, ut non nisi pervicacia possit adversùs illam nervos contentionis intendere. Sed quoniam hæc propria est hæreticis, ut omittam Pelagianos, qui absolutè negabant peccatum originale, quos multis libris editis constantissimè oppugnavit D. August. *Episcopus*, testimonio Prosperi lib. 3. de vita contempl. c. 31. *acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione suæ fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus persolvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis canonicis cautus*; omisso (dico) Pelagianorum dogmate, quod evertit, destruxit atque substravit D. Aug. & admisso peccato originali, contra conclusionem hæretici nostri ævi

19. Quæ ab Hæreticis impugnatur primò. Matth. 19.

Objiciunt Primò, quod Christus dixit Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cælorum*; Ergo sine Baptismo possunt salvari.

Respondetur primò.

Respondeo negando consequentiam; nam Christus tantùm voluit parvulos ratione ætatis nihil habere malitiæ actualis, quod eos excludat à regno cælorum, prout habent adulti, quibus parvulos opponit.

Secundò.

Accedit, Christum ibi locutum fuisse de parvulis dumtaxat Judæorum, ac aliorum fidelium, qui justificati erant per Sacramentum Circumcisionis, aut remedium legis naturæ; quippe Baptismus tunc necdùm erat præcepti, sed consilij solùm; ut ostendimus Sect. præcedenti conclus. 4. adeoque minimè necessarius necessitate medij. Loquitur autem de parvulis, qui possent venire; igitur dudùm erant nati, ac liberati ab originali.

20. Tertiò.

Et dato, quòd inter illos aliqui adhuc fuissent obnoxij damnationi; quid prohibet dicere, per impositionem manuum Christi (*Et cum imposuisset eis manus, abijt inde* v. 15.) damnationem primi peccati evasisse? Ibidem.

Quartò.

Præterquam, quòd Scriptura illa explicari possit, & à multis ita explicetur, ut significet solùm capacitatem parvulorum ad regnum cælorum consequendum, dummodo in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. D. Aug. l. 1. de Peccatorum meritis c. 19. *Sed fortè hoc quidem non congruenter dicitur, quòd parvulorum vitam laudaverit Dominus, dicens talium esse regnum cælorum, cum verax sit ille intellectus, quòd humilitatis similitudinem in parva ætate posuerit.* S. August.

21. Impugnatur secundò. Gen. 17.

Objiciunt Secundò; Gen. 17. ait Deus Abrahæ v. 7. *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Ergo saltem filij fidelium, qui intelliguntur per semen Abrahæ, sunt Deo grati sine Baptismo.

Respondetur primò.

Respondeo negando consequentiam; vel enim locus ille intelligitur de filijs carnalibus Abrahæ, & tunc non est ad rem; quippe nihil aliud illis promittit, quàm quòd introducentur in terram Chanaan & contra inimicos à Deo defendentur, quousque mandata illius servaverint. Nam sequitur v. 8. *Daboq; tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroq; Deus eorum.* Ibidem.

Conditionem adjicit v. 9. *Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.* Et quod illud quæso pactum? *Hoc*, inquit v. 10. *est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum* &c. En præceptum Circumcisionis in remedium peccati originalis pro filijs carnalibus Abrahæ, cui in lege nova successit Baptismus.

22. Respondetur secundò.

Vel certè intelligitur locus iste de semine spirituali Abrahæ, id est, de fidelibus & justis, ut videtur insinuari Heb. 11. v. 13. *Iuxtà fidem defuncti sunt omnes isti* (Abraham, Isaac, Jacob) *non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.* Atque tunc mala est deductio; cùm parvuli sine Baptismo in lege gratiæ non censeantur spirituale semē Abrahæ; sicut ante legem gratiæ non censebantur sine Circumcisione, aut alio remedio. Hebr. 11.

Enimvero teste Apostolo Rom. 9. v. 6. 7. & 8. *Nō omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semē: id est, non qui filij carnis;* Roman. 9.

carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Et qui illi? Certè non alij quàm spiritualiter regenerati, de quibus ibidem Apostolus v. 30. *Apprehenderunt*, inquit, *justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est*, hoc est, Sacramento fidei, quod est Baptismus. Etenim parvulis baptizari est credere, imò & pœnitere, ut docet D. Aug. supra ibi:

S. August.

Si autem propterea rectè fideles vocantur (parvuli) *quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorumdem verba gestantium diabolo, & huic sæculo renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ.* Et ibidem c. 27. *Quis*, inquit, *nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?*

23. Impugnatur tertiò ex Apost. 1. Cor. 7.

Objiciunt Tertiò; Apostolus 1. Cor. 7. v. 14 filios fidelium vocat sanctos dicens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo filijs fidelium Baptismus non est medium necessarium.

Respondetur.

Respondeo negando consequentiam. Sanè oppositum consequentis videtur definire Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali § 4. his verbis: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti &c. anathema sit.*

Triden.

Porrò locus Apostoli planè est extra rem. Quis enim ambigat Jacob & Esau natos ex parentibus fidelibus & sanctis? Et tamen dicit Scriptura Rom. 9. v. 11. 12. & 13. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni personalis egissent aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui*

Roman. 9.

S. August.

Et quid oderat in Esau (quærit D. Aug. Epist. 105.) *antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Non enim (inquit idem Sanctus lib. 1. ad Simpl. q. 2.) *Deus odit Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.*

24. Regius quoquè Propheta David filius erat viri fidelis, & tamen de seipso humiliter confitetur Psal. 50. v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Psalm. 50.

Et ideo exclamat Apostolus ad Ephes. c. 2. v. 3. *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* An fortè, quia credidit se & cæteros natos ex parentibus infidelibus? Nonne de seipso testatur Galat. 1. v. 14. *Proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum?*

Ephes. 2. — Gala. 1.

Quomodo ergo naturâ filius iræ, si illi filij sancti sunt vera sanctitate, quorum unus saltem parens est fidelis? Aut quomodo vir infidelis sanctus per mulierem fidelem, cùm vera sanctitas & justitia repugnent infidelitati? Nonne scriptum est: *Iustus ex fide vivit* ad Heb. 10. v. 38.? Et; *Sine fide impossibile est placere Deo.* Heb. 11. v. 6.?

Hebr. 10. & 11.

Indubiè, etiam secundùm illos hæreticos, qui soli fidei tribuunt justificationem, Scriptura allegata ex 1. Cor. 7. nequaquam potest intelligi de vera & immediata sanctificatione viri infidelis per mulierem fidelem, & mulieris infidelis per virum fidelem.

Et magis dignos existimabimus filios, quibus Apostolus attribuat veram internam justitiam propter fidem unius parentis, quasi hoc ipso, quòd ex uno fideli parente nascuntur, sancti & justi sint non indigentes lavacro regenerationis? Profectò nec ratio nec auctoritas cogit. Etenim de hoc lavacro universaliter pronuntiat idem Apost. ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs sancti &c.*

Ad Titum 3.

Quis igitur erit verus sensus illius Scripturæ? Inter varias hujus loci expositiones, quæ videri possunt apud Vasq. disp. 149. c. 2. probabilissima videtur illa D. August. quam habet lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 12. & ipsissimis ejus verbis hîc subjicio: *Proinde quod ait Apostolus cùm infideles moneret, ut se ab infidelibus coniugibus non disiungerent;* sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: *aut sic est accipiendum; quemadmodùm & nos alibi, & Pelagius cùm eamdem ad Corinthios Epistolam tractaret exposuit, quòd exempla iam præcesserant, & virorum, quos uxores, & fæminarum, quas mariti lucrifecerant Christo, & parvulorum, ad quos faciendos Christianos, voluntas Christiana, etiam unius parentis, evicerat: aut si, quod magis verba Apostoli videntur sonare, & quodammodo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, quâ sanctificabantur vir vel mulier infidelis in coniuge fideli, & quâ sancti nascebantur filij fidelium, sive quia in menstruo cruore mulieris, à concubitu continebat, quicumque vir, vel fæmina id in lege didicerat: nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figuratè accepta sunt, sive propter aliam*

25. Et assignatur illius loci genuinus sensus.

Ex D. Augustino.

quam-

quamlibet, quæ ibi apertè proposita non est, ex ipsa necessitudine coniugiorum, atque filiorum sanctitatis aspergine, illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione, & Sacramentis efficiantur fideles.

Nam nec coniuges infideles, quamlibet sanctis & iustis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit, nec parvuli de quibuslibet sanctis iustisq; procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tantò impensiùs loqui debemus, quantò pro seipsis minus possunt.

Ita sincerissimus Euangelij præco, verbi divini solidissimus interpres, veritatis & gratiæ fidelissimus assertor, Apostolicæ vitæ simul & doctrinæ diligentissimus custos Sanctus Augustinus, de quo hoc testimonium reliquit S. Vincentius Ferrerius: *Quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem Augustini.* Et nos igitur hâc contenti simus.

S. Vincent. Ferrerius.

26. Ex quo discimus Apostolum loqui

Ex qua utiquè discimus, vel Apostolum solum loqui de sanctitate aliqua extrinseca, sicut omnia alia, quæ junguntur rebus sacris aliquo modo sanctitate asperguntur, seu sancta reputantur, juxtà illud Rom. 11. v. 16. *Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.* Ubi Apostolus Judæos, etsi tunc nequam & infideles, ostendit non debere contemni à Gentibus, sed potius amari & honorari propter sanctitatem radicis, Patriarcharum videlicet & Prophetarum, quam extrinsecè communicabant.

Rom. 11.

De sanctificatione extrinseca.

Unde scitè dixit Scotus 4. dist. 4. q. 3. n. 3. *Fructus in quantum est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris: tamen in quantum est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arbori in se; potest enim fructus esse mollis, & arbor dura. Sic in proposito, quia iustitia & iniustitia respicit personam in se, non ut coniunctam vel divisam localiter, respectu alterius personæ: & ideo iustitia vera & intrinseca potest competere proli, licet non matri, & è converso.*

Scotus.

Vel intrinseca in spe.

Aut Certè, si de intrinseca sanctificatione sit sermo, non in re, sed in spe probabili conversionis conjugis infidelis ratione consortij cum fideli, nec non Baptismi parvulorum, sanctæque educationis operâ partis fidelis. Quia verò hæc spes ex toto corruit quoad conjugem, si fiat separatio, & pro magna parte quoad filios (natum quippe est fieri, quòd proles sequatur conjugem infidelem, maximè si sit vir) ideo Paulus separationem dissuadet: equidem subjungens v. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat fidelis.*

Vnde enim, inquit v. 16. *scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesijs doceo.* 1. Cor. 7.

Hoc est, nisi cum eo permanens, juxtà Dei voluntatem vivas, verbis & exemplis ad veram fidem commovendo & exhortando, ac tandem per Dei gratiam convertendo.

27. Concluditur præcedens discursus. S. August.

Concludo hunc discursum verbis D. August supra: *Nemo de hac re fallatur, & fallat. Omnes aduvit atque aufert iste sancta Scripturæ sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis huius, sic ab origine tractum est & peccatum in hac carne peccati, propter quod sanandum, & propagine attractum, & voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, nec venit vocare iustos, sed peccatores.*

Sed quoniam omnia exordia parvulorum, totaque illa principia needum rationalis infantiæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest, ut supra diximus ex S. Prospero, *Si pupillis*, inquit S. Aug. supra cap. 13. *opem ferre præcipimur, quantò magis pro ipsis laborare debemus, qui destitutiores & miseriores pupillis, etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt?* Et si *mandavit* Deus *unicuique* hominum *de proximo suo* Ecclesiastici 17. v. 12. quantò magìs parentibus de filijs, Dominis ac Pastoribus de subditis? Dico itaque:

Idem.

Eccli. 17.

CONCLUSIO III.

In extrema necessitate tenetur quilibet parvulum baptizare jure naturali charitatis, etiam cum certo periculo vitæ, si sit probabilis spes eum juvandi, & mors mea non sit futura causa gravioris mali. In gravi necessitate cum jactura partis fortunarum; & si fue-

carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Et qui illi? Certè non alij quàm spiritualiter regenerati, de quibus ibidem Apostolus v. 30. *Apprehenderunt*, inquit, *justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est*, hoc est, Sacramento fidei, quod est Baptismus. Etenim parvulis baptizari est credere, imò & pœnitere, ut docet D. Aug. supra ibi:

S. August. *Si autem propterea rectè fideles vocantur* (parvuli) *quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorumdem verba gestantium diabolo, & huic sæculo renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ.* Et ibidem c. 27. *Quis*, inquit, *nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?*

23\. Impugnatur tertiò ex Apost. 1. Cor. 7.

Objiciunt Tertiò; Apostolus 1. Cor. 7. v. 14 filios fidelium vocat sanctos dicens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo filijs fidelium Baptismus non est medium necessarium.

Respondetur.

Respondeo negando consequentiam. Sanè oppositum consequentis videtur definire Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali §. 4. his verbis:

Triden. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti* &c. *anathema sit.*

Porrò locus Apostoli planè est extra rem. Quis enim ambigat Jacob & Esau natos ex parentibus fidelibus & sanctis? Et tamen dicit Scriptura Rom. 9. v. 11. 12. & 13.

Roman. 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni perfecissent aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

S. August. *Et quid oderat in Esau* (quærit D. Aug. Epist. 105.) *antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* *Non enim* (inquit idem Sanctus lib. 1. ad Simpl. q. 2.) *Deus odit Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.*

24\. Regius quoquè Propheta David filius erat viri fidelis, & tamen de seipso humiliter confitetur

Psalm. 50. Psal. 50. v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Et ideo exclamat Apostolus ad Ephes.

Ephes. 2. c. 2. v. 3. *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* An fortè, quia credidit se & cæteros natos ex parentibus infidelibus? Nonne de seipso testatur Galat. 1. v. 14. *Proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum?* Galat. 1.

Quomodo ergo naturâ filius iræ, si illi filij sancti sunt vera sanctitate, quorum unus saltem parens est fidelis? Aut quomodo vir infidelis sanctus per mulierem fidelem, cùm vera sanctitas & justitia repugnent infidelitati? Nonne scriptum est: *Iustus ex fide vivit* ad Heb. 10. v. 38.? Et; Hebr. 10. & 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Heb. 11. v. 6.?

Indubiè, etiam secundùm illos hæreticos, qui soli fidei tribuunt justificationem, Scriptura allegata ex 1. Cor. 7. nequaquam potest intelligi de vera & immediata sanctificatione viri infidelis per mulierem fidelem, & mulieris infidelis per virum fidelem.

Et magìs dignos existimabimus filios, quibus Apostolus attribuat veram internam justitiam propter fidem unius parentis, quasi hoc ipso, quò ex uno fideli parente nascuntur, sancti & justi sint non indigentes lavacro regenerationis? Profectò nec ratio nec auctoritas cogit. Etenim de hoc lavacro universaliter pronuntiat idem Apost. ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs sancti* &c. Ad Titum 3.

25\. Et assignetur istius loci genuinus sensus

Quis igitur erit verus sensus illius Scripturæ? Inter varias hujus loci expositiones, quæ videri possunt apud Vasq. disp. 147. c. 2. probabilissima videtur illa D. Augusti. quam habet lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 12. & ipsissimis ejus verbis hîc subjicio: *Proinde quod ait Apostolus cùm infideles moneret, ut se ab infidelibus coniugibus non disiungerent;* sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: *aut sic est accipiendum; quemadmodùm & nos alibi, & Pelagius cùm eamdem ad Corinthios Epistolam tractaret exposuit, quòd exempla iam præcesserant, & virorum, quos uxores, & fœminarum, quas mariti lucrifecerant Christo, & parvulorum, ad quos faciendos Christianos, voluntas Christiana, etiam unius parentis, evicerat: aut si, quod magìs verba Apostoli videntur sonare, & quodammodo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, quâ sanctificabantur vir vel mulier infidelis in coniuge fideli, & quâ sancti nascebantur filij fidelium, sive quia in menstruo cruore mulieris, à concubitu continebat, quicumque vir, vel fœmina id in lege didicerat: nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figuratè accepta sunt, sive propter aliam* Ex D. Augustino.

quam-

quamlibet, quæ ibi apertè proposita non est, ex ipsa necessitudine conjugiorum, atque filiorum sanctitatis aspergine, illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione, & Sacramentis efficiantur fideles.

Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit, nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tantò impensiùs loqui debemus, quantò pro seipsis minus possunt.

Ita sincerissimus Evangelij præco, verbi divini solidissimus interpres, veritatis & gratiæ fidelissimus assertor, Apostolicæ vitæ simul & doctrinæ diligentissimus custos Sanctus Augustinus, de quo hoc testimonium reliquit S. Vincentius Ferrerius:
S. Vincent. Ferrerius. *Quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem Augustini.* Et nos igitur hâc contenti simus.

26. Ex quo discimus Apostolum loqui
Ex qua utiquè discimus, vel Apostolum solum loqui de sanctitate aliqua extrinseca, sicut omnia alia, quæ junguntur rebus sacris aliquo modo sanctitate asperguntur, seu sancta reputantur, juxtà illud
Roman. 11. Rom. 11. v. 16. *Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.* Ubi Apostolus Judæos, etsi tunc nequam & infideles, ostendit non debere contemni à Gentibus, sed potius amari & honorari
De sanctificatione extrinseca. propter sanctitatem radicis, Patriarcharum videlicet & Prophetarum, quam extrinsecè communicabant.

Unde scitè dixit Scotus 4. dist. 4. q. 3.
Scotus. n. 3. *Fructus in quantum est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris: tamen in quantum est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arbori in se; potest enim fructus esse mollis, & arbor dura. Sic in proposito, quia iustitia & iniustitia respicit personam in se, non ut conjunctam vel divisam localiter, respectu alterius personæ: & ideo iustitia vera & intrinseca potest competere proli, licet non matri, & è converso.*

Vel intrinseca in spe. Aut Certè, si de intrinseca sanctificatione sit sermo, non in re, sed in spe probabili conversionis conjugis infidelis ratione consortij cum fideli, nec non Baptismi parvulorum, sanctæque educationis operâ partis fidelis. Quia verò hæc spes ex toto corruit quoad conjugem, si fiat separatio, & pro magna parte quoad filios (natum quippe est fieri, quòd proles sequatur conjugem infidelem, maximè si sit vir) ideo Paulus separationem dissuadet: equidem subjungens v. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat* fidelis.

Vnde enim, inquit v. 16. *scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesijs doceo.* 1. Cor. 7.

Hoc est, nisi cum eo permanens, juxtà Dei voluntatem vivas, verbis & exemplis ad veram fidem commovendo & exhortando, ac tandem per Dei gratiam convertendo.

Concludo hunc discursum verbis D. August. supra: *Nemo de hac re fallatur, & fallat. Omnes admovit atque aufert ista sancta Scriptura sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis huius, sic ab origine tractum est & peccatum in hac carne peccati, propter quod sanandum, & propagine attractum, & voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, nec venit vocare iustos, sed peccatores.* 27. Concluditur præcedens discursus. S. August.

Sed quoniam omnia exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest, ut supra diximus ex S. Prospero, *Si pupillis*, inquit S. Aug. supra cap. 13. *opem ferre præcipimur, quantò magis pro ipsis laborare debemus, qui destitutiores & miseriores pupillis, etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt?* Idem. *Et si mandavit* Deus *unicuique* hominum *de proximo suo* Ecclesiastici 17. v. 12. quantò magis parentibus de filijs, Dominis ac Pastoribus de subditis? Dico itaque: Eccli. 17.

CONCLUSIO III.

In extrema necessitate tenetur quilibet parvulum baptizare jure naturali charitatis, etiam cum certo periculo vitæ, si sit probabilis spes eum juvandi, & mors mea non sit futura causa gravioris mali. In gravi necessitate cum jactura partis fortunarum; & si fue-

si fuerit parens, Dominus aut Pastor, etiam cum jactura vitæ.

28. Quid sit extrema necessitas spiritualis.

EXtremam necessitatem spiritualem (de ea enim hîc agimus) voco periculum æternæ damnationis, ex quo se aliquis nullo modo potest eripere, ita ut sine mea opera salus ei physicè aut quasi physicè dici queat impossibilis. Gravis autem necessitas est, quando homo physicè quidem potest salvari, sed valde difficulter.

Quid gravis.

Nunc probatur prima pars conclusionis; quia si umquam, tunc saltem obligat præceptum charitatis diligendi proximum sicut seipsum. Matth. 22. v. 39. *Secundum autem præceptum simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quemadmodùm ergo quilibet rationabiliter debet velle potiùs millies mori corporaliter, quàm semel æternaliter, adeoque ad evitandam propriam damnationem certam debet quodcumque periculum vitæ corporalis subire; quidni etiam idem debeat facere ad avertendam certam damnationem proximi, quam sine ejus opera nequit evitare? Profectò gravius malum excogitari non potest, respectu cujus quodcumque incommodum temporale leve & pro nullo quasi æstimandum est.

In extrema est gravis obligatio, Matth. 22.

29. Prout nos docuit Jesus Christus. Joan. 15.

Exemplum dedit nobis unigenitus filius Dei Jesus Christus, ut quemadmodum ipse fecit pro nobis, ita & nos pro proximo nostro faciamus. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,* ait Christus Joan. 15. v. 12. Et ostendens in quo hæc dilectio cõsistat, subdit v. 13. *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, ut animã suam ponat quis pro amicis suis.* Fecit quod docuit. Cœpit *Iesus facere, & docere*, Act. 1. v. 1. Quis tam impius ut audeat dubitare?

Actor. 1. Verbo & exemplo,

Nec solùm pro amicis, sed etiam pro inimicis. *Non credo*, loquitur Seraphicus Doctor S. Bonaventura parte 1. stimuli divini amoris c. 12. *quòd omnes Angeli de paradiso possent suis intelligentijs capere hanc vehementiam charitatis, quâ Dominus noster Iesus voluit talia pati pro nobis vilissimis servis, immo nequissimis inimicis.*

S. Bonavent.

Hunc siquidem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Trident. sess. 6. c. 2. in fine. Ipse de se testatur Joan. 10. v. 14. & 15. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*, ut vitam æternam habeant, certò alioquin perituris in æternum.

Trident. Qui erat verus propitiator.

Joan. 10.

Accedat testimonium discipuli, quem diligebat Jesus, Epist. 1. c. 3. v. 16. *In hoc*, inquit, *cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus* (alioquin certò certiùs in æternum damnandis) *animas ponere.* 1. Joan. 3.

30. Doctrina Christi accedit doctrina Divi Augustini.

Hæc est sententia D. Aug. omnium Ecclesiarum Doctoris Eximij lib. de mendacio ad Consentium c. 6. ibi: *Temporalem planè vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. Hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim & ait:* Hoc est mandatum meum &c. *Non enim quisquam est ita desipiens, ut dicat aliud, quàm saluti sempiternæ hominum consuluisse Dominum, vel faciendo, quod præcepit, vel præcipiendo, quod fecit.*

Et aliorum Patrum,

Augustinum sequuntur cæteri Ecclesiæ Patres & Doctores, quando baptizandus est filius alicujus Christiani: nam (inquit Lor. 2. 2. sect. 3. disp. 28. n. 32. in fine) cùm filij infidelium non sint baptizandi invitis parentibus, non esset subveniendum filio infidelis in eodem articulo.

Lorca. Tam respectu prolium fidelium quàm infidelium,

31. Sed hæc limitatio nobis non probatur, tum quia parentes possunt esse voluntarij; tum maximè quia per Baptismum parvuli jam jam morituri nulla fit injuria parentibus, ut pleniùs constabit ex infra dicendis de Baptismo filiorum infidelium. Si tamen occurreret casus per possibile, vel impossibile, in quo infans morti proximus non possit baptizari sine injuria parentum, vel fidei Catholicæ, fateor me non debere succurrere baptizando cum periculo vitæ; quippe præceptum charitatis non obligat cum injuria proximi, vel Dei: siquidem non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3. v. 7. & 8. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor? Et non (sicut blasphemamur, & sicut ait quidam nos dicere) faciamus mala, ut eveniant bona: quorum damnatio iusta est.*

Excepto certo casu.

Roman. 3.

Cùm ergo, teste D. Aug. supra c. ultimo, *Ad sempiternam salutem nullus ducendus sit opitulante mendacio*, profectò nec parvuli illius salus procuranda venit adjuvante injuria, quæ magìs Deo displicet, quàm mendacium. Quamvìs nonnumquam contingat, ut actio, quæ esset injuria extra necessitatem, in ea non censeatur injuriosa, sed secundùm dictamen charitatis. S. August.

Patet in acceptione rei alienæ, quam justitia prohibet cuilibet non indigenti; charitas autem dictat licitam extremè laboranti; etenim in extrema necessitate omnia sunt communia, neque divisio bonorum

bonorum potuit praejudicare juri, quod unusquisque habet ad vitam suam conservandam ex bonis, ad id à Deo creatis, & hominibus concessis. Et credam ego Deum concessisse jus parentibus in filios, quando extremè periclitatur aeterna eorum salus, alioquin per Baptismum, à Deo ad id institutum, certò consequenda? Non credam.

32. *Sotus.* Neque illud arbitror verum, quod Lorcà supra imponit Dominico Soto lib. de tegendo secretò memb. 2. q. 2. post 6. conclusionem; parvulum scilicet non esse baptizandum cum periculo vitae, quando necessitas istius parvuli ab extrinsecò inducta est. Quid enim refert, ait Lorca, si inducatur ab extrinseco, si verè est extrema? Immo quantò plus est ab extrinseco, & violenter proveniens ab aliena malitia, tantò est major necessitas.

Perinde est sive illa necessitas sit ab extrinseco inducta sive ab intrinseco.

Sed quidquid sit de necessitate, an major sit, an minor, vel aequalis, parùm interest; dummodo sit talis, à qua puer non potest se eripere absque mea opera. Enimvero fundamentum hujus obligationis non desumitur ex necessitate mortis, sed ex necessitate damnationis, supposità certa morte. Quid si dixero submersionem pueri, casu in flumen prolapsi, magis esse necessariam, quàm occisionem ex imperio tyranni? Nonne imperium liberum, & executio similiter voluntaria? Submersio autem naturalis est. Esto tamen sit necessitas ab extrinseco major, ut vult Lorca, ad summum probat obligationem succurrendi in tali casu cum periculo vitae, in quo est verbum ejus verum.

Dummodo ab illa se non possit parvulus eripere.

33. *Sotus.* Sed ubi Sotus id negat? Loco, inquies, citato. Haec sunt verba Soti. Et quartò arguitur. Quia secundùm Doctores, nemo obligatur baptizare puerum cum periculo propriae vitae: saltem quando periculum est ab extrinseco, puta ex malitia tyranni prohibentis me baptizare puerum. Ergo à fortiori, nec teneor cum tali periculo corripere fratrem: nam major est necessitas puero Baptismi, quàm adulto correptionis.

Quis dubitat? Nam peccator seipsum potest corrigere, non sic puer seipsum baptizare. Ergo hic Auctor negat puerum istum esse baptizandum, si sit in periculo mortis. Praeclara consequentia! Caecus sit oportet, qui verba textûs inspiciens, non illico videt Sotum agere de periculo vitae propriae, neutiquam vitae parvuli baptizandi. Et sanè si loqueretur de casu conclusionis, quomodò vir adeo in Theologia versatus contrarium ausus fuisset asserere secundùm Doctores, cùm omnes omninò in conclusionem conspirent? Quod ut meliùs intelligas, & clariùs perspicias,

Praefatae doctrinae non contradixit Sotus.

Nota principalem conclusionem, pro cujus probatione Sotus adfert simile Baptismi, esse istam. *Personae privatae nullum est peccatum, timore mortis, aut amissionis notabilis famae, aut bonorum exteriorum cessare à correptione, ubi correptio non est simpliciter necessaria; quamvìs certum sit correptionem profuturam.* 34. *Sotus.*

Hanc probat quatuor distinctis argumentis, quorum ultimum est de Baptismo jam allegatum. Confirmat insuper Primò; Nam jugum Domini suave est, qui non obligat nos ad opera difficillima &c. Secundò, ex sententia S. Thomae 2. 2. qu. 26. a. 5. ubi quaerit, an teneatur homo diligere salutem spiritualem proximi potiùs quàm corpus proprium: & facit tertium argumentum ad partem negativam; quia homo non tenetur exponere vitam corporalem pro salute Spirituali proximi, sed hoc est perfectorum: & respondet concedendo: Quia, inquit, non est tanta cura nobis vitae spiritualis proximi, quanta est corporis proprij, nisi in casu quo quis tenetur providere saluti illius. Quod intelligit, inquit Sotus, quando alicui incumbit ex officio: vel quando vita nostra est simpliciter necessaria saluti proximi. *D. Thom.*

Ex quo infert Concl. septimâ; quòd si daretur casus, quo vita corporalis privati hominis esset simpliciter necessaria saluti spirituali proximi, tunc, inquit Sotus, non dubito, quin teneretur ille mori pro correptione fratris: nam aliàs praeponeret vitam charitati: quae est ratio nostrae, & communis doctrinae.

Ista si maturè expendisset Lorca, citiùs deprehendisset Sotum communem sententiam non negasse, sed potiùs confirmasse exemplo correptionis fraternae; si enim haec obligat cum periculo vitae corporalis sive extrinseco, sive intrinseco, quando simpliciter est necessaria saluti spirituali proximi: quidni etiam ex sententia Soti obliget Baptismus cum eodem periculo, quando est simpliciter necessarius, puta in casu conclusionis, ad aeternam parvuli felicitatem? 35. *Imò potiùs eamdem confirmavit.*

Ex his apparet non defacilè cuilibet esse credendum, quando citat aliquem pro sententia, communi opinioni Doctorum contrariâ; sed accipe textum, lege, relege, ne secutus errantem, ac malè citantem, & ipse erres in citando.

Haec pro excusatione Soti, qui causam dedit illi errori, per distinctionem periculi extrinseci

extrinseci ab intrinseco, quæ erat omnino extra propositum. Sed revertamur ad conclusionem, in qua

36. *Quæ intelligitur dum est probabilis spes proximum juvandi.* Dixi Primò: *Si sit probabilis spes* &c. Quippe pro bono spirituali incerto, haud tenemur exponere bonum summum & maximè diligibile post bona spiritualia, certissimo periculo; Charitas siquidem dictat magis amandum esse bonum, quod obtinetur, quàm de quo nulla est probabilis spes, quòd obtinebitur. Unde & ipsum lumen naturæ videtur id scripsisse in cordibus hominum; ideo namque oportet exponere vitam temporalem, ut proximus accipiat spiritualem; ergo ubi hæc est impossibilis, illam exponere est quædam prodigalitas propriæ vitæ, sicuti est quædam prodigalitas bonorum fortunæ, quando illa consumuntur pro vita, quam probabiliter non possunt conservare.

37. *Et mors mea non sit futura gravioris mali causa.* Dixi Secundò: *Et mors mea non sit futura* &c. Quia potest contingere, quòd vita mea sit maximè necessaria pro bono communi spirituali, ut si jam velim baptizare hunc infantem cum manifestissimo periculo mortis, postea innumeri alij morituri sint absque Baptismo, quos aliàs possem baptizare. Porrò quemadmodùm bonum temporale communitatis prævalet bono temporali privati hominis, ita quoquè bonum spirituale commune præponendum est bono spirituali privato. Est sententia communis.

38. *Si sit gravis necessitas* Transeo ad secundam partem conclusionis, quæ & ipsa communiter docetur in Tract. de Charitate, ubi de dilectione proximi. Enimvero quòd in gravi necessitate non tenear succurrere cuilibet privato homini cum periculo vitæ, vel inde satis constat, quòd talis absque mea opera absolutè possit v. g baptizari; adeoque nulla est ratio imponendi tantam obligationem singulis hominibus; maximè cùm hæc necessitas inter homines infideles satis frequens sit, & omnino heroicæ charitatis existat ac fortitudinis, vitam suam pro fratribus ponere. *Non teneor succurrere cum periculo vitæ.*

Confirmatur; quia quilibet non tenetur succurrere privato homini, constituto in periculo vitæ corporalis, ex quo seipsum absolutè potest eripere; succurrere, inquam, cum notabili jactura bonorum temporalium, puta diminutione statûs sui; ergo neque procurare salutem spiritualem in gravi dumtaxat necessitate cum jactura propriæ vitæ corporalis: sed sicuti obligor ex charitate, subvenire proximo graviter laboranti in necessarijs ad vitam corporalem cum jactura partis fortunarum, ut traditur in materia de eleëmosyna; pari ratione, imò majori debeo sublevare necessitatem spiritualem cum damno aliquo temporali respectivè graviori, quemadmodùm indigentia spiritûs, gravior est indigentiâ corporis.

Nota me dixisse, *Cuilibet privato homini*; 39. *Nisi sit indigentia respectu reipublicæ. Sive in re spirituali sive corporali.* Quoniam si Respublica graviter indigeret sive re spirituali, sive temporali, quælibet pars ex justitia legali, secundùm receptissimam & verissimam sententiam alibi examinandam, teneretur ei succurrere, etiam cum periculo vitæ; bonum quippe commune præcedit bonum privatum. Quis autem sanæ mentis dubitare potest, civem arctiori vinculo constringi, quàm quemlibet extraneum? Si ergo, qui non est pars Reipublicæ, nihilominùs ex charitate in extrema necessitate obligatur vitam pro ea ponere; quis meritò indignari potest, si dixero, civem ex justitia legali, quæ inclinat partem ad procurandum bonum totius, eamdem subire obligationem in gravi necessitate?

Atque ista sit ratio ultimæ partis conclusionis: etenim cùm Parens, Dominus ac Pastor multò arctiùs obligentur procurare Baptismum parvulo, quàm quilibet privatus; hic siquidem ex charitate sola, illi insuper ex pietate, aut justitia; noli excusare illos in gravi necessitate à præcepto Christi ponendi animam pro fratribus, quod unumquemque concernit in extrema. 40. *Parens, Dominus & Pastor arctius obligantur quolibet privato.*

Alioquin æqualis erit obligatio & hujus, cui imminet specialis cura de salute proximi, & illius, cui non imminet, contra apertissimam doctrinam D. Thomæ Aquinatis, superius à Soto allegatam, 2.2. q. 26. a. 5. in responsione ad tertium. *D. Thom.* *Dicendum*, inquit, *quòd cuilibet homini imminet cura proprij corporis: non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi fortè in casu. Et ideo non est de necessitate charitatis quòd homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti providere.* Quod intelligit, inquit Sotus supra, quando alicui incumbit ex officio.

Ex quo hic Auctor ita concludit §. *Septima conclusio*: Prælatus aliquando tenetur pro correctione subditorum exponere vitam, etiam ubi peccata non procederent ex ignorantia. Nam quamquam tunc non est usque adeo simpliciter necessaria eorum correptio: tamen, quia ratione officij incumbit illi correptio, fieri potest, ut ubi priuatæ personæ fuerit consilium ponere vitam pro fratre, Prælato sit præceptum ponere illam pro filio.

Unde

Joan. 15. Unde de omnibus in universum amicis ait Christus Joan. 15. v. 13. *Maiorem hàc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: quasi hoc ad perfectionem pertineat: sed de Pastoribus ait Joan. 10. vers. 11. *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis*: quasi hoc pertineat ad necessitatem. Sequitur enim: *Mercenarius autem & qui non est Pastor, cuius non sunt oves propria, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.*

Joan. 10.

Qui relinquere non possunt oves quando vident lupum venientem.

41. Hæc ad Pastores dico, qui tempore persecutionis metu mortis aut captivitatis deserunt ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel vivere Christiani, id est, ministerium Baptismi, & aliorum Sacramentorum.

Metu mortis, aut captivitatis

Et ad vos, quibus incumbit onus & necessitas providendi populo de convenienti Parocho & bono Pastore, quique eo nomine percipitis decimas populi & proventus, qui superexcrescunt ultra canonicam portionem ipsius Parochi, & tamen detrectatis concurrere ad communem collectam pro redemptione Parochi captivi, relinquentes gregem sine Pastore, à lupis, id est, hæreticis dispergendum ac devorandum: aut certè tales duces constituitis, parcentes stipendio justo, qui subditos suos defectu scientiæ aliarumque conditionum necessariarum nequeunt defendere ab invasione luporum, ex ore eorum eruere, ac morsus curare, procul dubio in æternum perituri, ni Deus extraordinariâ providentiâ eos eripiat de manibus hæreticorum, qui Ecclesiam & Pastores persequuntur, non tam ex affectu corporum & divitiarum, quàm benè ut impediant exercitia veræ Religionis, populo ad salutem animæ necessaria, & ipsi hæresim suam seminare, plantare & firmare valeant.

Cum notabili gregis sui detrimento.

Certè ostenditis, quicumque tales estis, & vos ipsos factis probatis non Patronos & Patres Plebis Christianæ & gregis Dominici, de cujus lacte comeditis, & cujus lanâ operimini, sed vitricos & inania Patronorum Ecclesiæ simulachra, & similes illis, de quibus dicit Zachar. cap. 11. vers. 17. *O Pastor & idolum derelinquens gregem.* Et Ezechiël cap. 34. vers. 2. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

Zachar. 11.

Ezechiel. 34.

42. Hanc obligationem Pastorum docuit D. August. in Epistola quadam ad Episcopum Quodvultdeum, qui ipsum consuluerat super simili casu impendente Vandalica persecutione, ibi: *Nec eos esse prohibendos, qui ad loca si possunt munita migrare desiderant, & tamen ministerij nostri vincula, quibus nos Christi charitas alligavit, ne deseramus Ecclesias, quibus servire debemus, non esse rumpenda.*

Hanc obligationem docuit D. Augustinus.

Ex quo infert Epistola 180 ad Honoratum (cui illa responsio Augustini non adeo placuerat ac satisfecerat) *Restat ergo ut nos, quorum ministerium quantulecumque plebi Dei ubi sumus manenti, ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: Esto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum.*

Et infra loquens de aliquibus Episcopis Hispaniæ, resolutivè exprimit suam mentem hisce apertissimis verbis: *Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate divinâ, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi.*

Respondens autem ad objectionem Honorati ex Matth. 10. v. 23. *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite ad aliam*, subnectit: *Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas dominicas verasq; sententias, unam scilicet ubi fuga finitur, aut iubetur, alterã ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrariæ, sicut non sunt?*

Doceťque non esse fugiendum e locis,

Et hoc quo modo reperitur, nisi attendatur, quod iam superiùs disputavi, tunc de locis, in quibus sumus premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi: sicut in sporta submissus..... fugit Apostolus, cùm à persecutore propriè ipse quæreretur alijs utiquè necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesiæ.....

Nisi ubi plebs Christi non fuerit,

Aut, si fuerit, possit per alios satisfieri,

Cùm autem plebs manet, & ministri fugiunt, ministeriumq; subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis defuit. & peribit infirmus in tua, non scientia, sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur, quare non potiùs contra suum timorem Domino miserante atque adiuvante fortiter dimicant, ne mala sine compa-

 ratione

ratione maiora, quæ multò ampliùs sunt tremenda, contingant?

43. Quæris à D. Aug. quæ mala? Respondet tibi in eadem Epistola: *An non cogitamus cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, alijs Baptismum flagitantibus, alijs Reconciliationem, alijs etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Vbi si ministri desint quantum exitium sequatur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterne requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum, & ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo fit acquisitio malorum æternorum.*

Ne fideles multis bonis priventur.

Hæc cogitate, hæc in statera cordis vestri appendite, quibus hoc periculoso tempore persecutionis non tam corporum, quàm animarum cura commissa est ovilis Dominici, legite & relegite Epistolam D. August. præmemoratam, & sequimini doctrinam tanti Doctoris, & exemplum Pastoris Pastorum Christi Jesu Domini nostri, qui semetipsum tradidit pro ovibus suis, & pro grege suo mori dignatus est; cui vos obligastis, vel potiùs qui vos sibi obligavit in susceptione curæ pastoralis, pascere gregem populi sui, pascere verbo salutaris doctrinæ, pascere administratione Sacramentorum, pascere exemplo bonorum operum, eo præsertim tempore, quo hæc ministeria magis necessaria sunt; ne fortè, quod absit, aliquis vestrum reperiatur in numero illorum Pastorum, quibus minatur Dominus apud Prophetam Ezechiëlem supra v. 10. *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant ampliùs Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.*

Ezech. 34. Et ipsi Pastores à Deo graviter judicentur.

44. Nec dicat aliquis: hæc obligatio gravior est, & inæqualis mercedi, quam recipio. Enimvero non sollicitudinis, laborum & ejusmodi obligationis merces aut præmium sunt fructus sive proventus temporales, qui hîc pro vitæ sustentatione tantùm suppeditantur (quos si solùm attendas mercenarius es) sed merces & præmium sunt bona illa cælestia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Merces est quod à Christo audies: *Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23. ubi semper cum Filio eris, & honorificabit te Pater, quia Filio in ovibus suis ministrasti, & dilexisti usque ad bonorum spoliationem, usque ad incarcerationem, usque ad mortem ipsam. Vide plura apud Wiggers Tract. de Fort. c. 1. dub. 5. ubi expressè agit de hac controversia, & subscribit sententiæ D. Aug. Jure, vel injuriâ, quis potest ambigere? Jure profectò meritissimo.

Matth. 25. Wiggers.

Et excusabimus parentes ac Pastores ne cum vitæ periculo in gravi necessitate parvulis debeant procurare Baptismum? Nequaquam: indubiè enim omnes fideles graviter scandalizarentur, si contrarium fieri viderent.

Sed numquid, quæ parentis fidelis, eadem est obligatio parentis infidelis? Non est relictus ambigendi locus. Numquid etiam eadem obligatio Pastoris respectu parvulorum parentum fidelium, & infidelium? Sanè cùm parvuli infidelium non pertineant ad jurisdictionem Ecclesiæ, Parochus non aliam habet obligationem respectu eorum, quàm quilibet alius privatus. Et quæ illa? baptizandi eos in extrema necessitate, parentibus licèt invitis. 45.

Eadem est obligatio parentis fidelium & infidelium.

Non item Pastoris respectu fidelium & infidelium.

Atque hæc sufficiant de obligatione baptizandi parvulos in necessitate. At verò extra necessitatem, nonne pro libitu poterit Baptismus eorum differri? Minimè: sed

CONCLUSIO IV.

Consuetudo obligat graviter parentes Christianos, & in eorum defectum Dominos ac Pastores, ut primâ opportunitate parvulis procurent Baptismum.

PRima opportunitas est illud tempus, quod spectatis omnibus circumstantijs prudenter censetur opportunum. 46.

Obligatio gravis respectu parentum in ordine ad Baptismum parvuli, orta ex consuetudine.

Dixi autem, *Consuetudo*; quia hodie nullum jus scriptum de hac obligatione gravi reperitur. Hinc DD. unanimiter (uno, aut altero contradicente) allegant consuetudinem. Sensus etiam fidelium, ac scandalum si secus fiat, idem arguunt. Cæterùm juri divino satisfieret, si baptizaretur in articulo mortis; ampliùs quippe non constat.

Addidi ly, *Christianos*, id est, baptizatos; siquidem de ijs, qui foris sunt, non est Ecclesię judicare, juxtà illud Apostoli 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt judicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis?*

Solos concernens Christianos.

1 Cor. 5.

Nam

Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Per consequens non est Ecclesiæ pro ijs, qui foris sunt, ferre leges propriè dictas; etenim legislator judex est legis, id est, eorum, qui legem transgrediuntur: & legislatio est actus jurisdictionis, qui non exercetur nisi in subditos; subditi autem Ecclesiæ non sunt, qui per Baptismum eam non fuerint ingressi.

47. Quæ etiam est ratio, quare Ecclesia non possit præcipere adultis immediatè, ut hoc vel illo tempore Baptismum suscipiant: bene Pastoribus ut tali & non alio tempore conferant. Fuit quidem olim in Gallia consuetudo non baptizandi etiam parvulos citrà necessitatem extra duo anni tempora, sabbathum scilicet sanctum Paschatis, & Pentecostes; sed hic mos exolevit, ita ut ubique non solùm parvulis, sed etiam adultis omni tempore solemniter hoc Sacramentum administretur.

Olim erat alia consuetudo;

Sed modo abrogata.

Unde Paulus V. in Rituali Romano Tit. de Baptismo §. de baptizandis parvulis: *Opportunè*, inquit, *Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, & quà decet Christianâ modestiâ sine pompa vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis* &c.

Ut constat ex Rituali Romano Pauli V.

48. Porrò cura illa pertinet primò ad parentes; & in eorum defectum ad Dominos temporales, qui in jura parentum succedunt; denique ad Pastores, quibus etiam incumbit cura salutis parvulorum parentum sibi subjectorum. Enimverò partus sequitur ventrem, juxta legem 7. Cod. de Rei Vend. *Partum ancillæ, matris sequi conditionem: nec statum patris in hac specie considerari, explorati iuris est.* Si ergo qui nascitur ex ancilla servus efficitur hominis; Quid miramur si puer, qui nascitur ex parentibus Ecclesiæ in spiritualibus subjectis, & ipse subjiciatur eidem Ecclesiæ quoad animæ suæ spiritualem salutem? Numquid nascitur ex jure omnium gentium subditus illi Principi temporali, cui Parentes subduntur in temporalibus?

Profectò ratione hujus subjectionis talis qualis (nam perfecta non est, ut patet) Ecclesia secundùm communem doctrinam Theologorum potest hujusmodi proles invitis parentibus baptizare, & baptizatas, quando id foret necessarium, ab ipsis abstrahere. Meritò ergo Parochi eamdem cum parentibus Christianis subeunt obligationem, in tantum ut etiam utroque parente invito possit, & debeat parvulos ipsorum baptizare. Quid autem faciendum sit si vel unus vel uterque parens infidelis dissentiat, sequentes conclusiones edisserent.

CONCLUSIO V.

Baptismus parvulorum, etiam contradicente utroque parente infideli, semper valet; licet autem, si parentes sint mancipia Christianorum, aut alter eorum consentiat.

Nomine, *Infidelium*, intelligo hic omnes non baptizatos; secus hæreticos, vel apostatas; sicut enim hi, non minùs quàm Catholici, manent sub potestate Ecclesiæ, possuntque ad fidem servandam compelli, sic etiam eorum proles, non minùs quàm Catholicorum validè & licitè per se loquendo ipsis repugnantibus baptizantur, & à parentibus abstrahuntur, ubi necesse fuerit pro reverentia Sacramenti. Patet ex dictis conclusione præcedenti. 49.

Quinam intelligantur nomine parentum Infidelium?

Hoc supposito: prima pars conclusionis est omnino certa, & communis Theologorum, uno vel altero excepto. Et intelligo eam de infidelibus quibuscumque subjectis sive non subjectis Principibus Christianis. Ratio est manifesta; quia non potest statui aliquid esse necessarium ad valorem Sacramenti, nisi ex Concilijs, Scriptura aut Traditione constet; aliàs cuilibet erit liberum fingere nova requisita, quæ tamen dependent à sola voluntate Christi. 50.

Ipsorum proles validè semper baptizantur,

Ostendat igitur Durandus ubi Christus requisiverit ad validum Baptismum consensum parentum, & libenter ipsi subscribimus. Sin verò id ostendere non possit, sicut revera non potest, mirari desine, communem Theologorum scholam adhærere sententiæ D. Aug. Epistolâ 23. ad Bonifacium, ubi sic inquit circa medium: *Illud autem nolo te fallat, ut existimes reatûs vinculum, ex Adam tractum, aliter non posse disrumpi, nisi parvuli ad percipiendam Christi gratiam, à parentibus offerantur.*

Etiam ipsis contradicentibus,

S. August.

Rationem invenio in principio ejusdem Epistolæ: *Non enim scriptū est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide: sed: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Ut quemadmodùm ad contrahēdum peccatum originale non exigitur consensus parentum vel alicujus alterius prꝑter Adamū; ita neque ad remissionem originalis contracti requiratur

Sicuti sine ipsis contraxerunt originale:

consensus, aut fides cujusquam, præter fidem Ecclesiæ, & consensum ministri nomine Ecclesiæ & Christi baptizantis. *Si enim*, inquit Apostolus Rom. 5. v. 17. *unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.*

Rom. 5.

An Christi gratia minùs efficax esse debuit, quàm peccatum primi parentis? Quomodò ergo scriptum est: *Vbi autem abundavit delictum, superabundavit gratia?* Rom. 5. v. 20.

51. Profectò planè conveniens erat; ut ita institueretur Sacramentum regenerativum, quod ejus efficacia non dependeret à voluntate parentum; quippe in periculo non vacat eam exspectare. Accedit, frequens alioquin incertitudo effectûs. Oportuit autem Sacramentum maximè esse certum, quod maximè est necessarium ad salutem.

Quod patet ex praxi Ecclesiæ non rebaptizantis sic baptizatos.

Hinc Ecclesia numquàm rebaptizat parvulos contra voluntatem parentum Gentilium baptizatos; imò dum potest, eos à parentibus abstrahit, & postquam adoleverint, ad fidem fideique Christianæ ac Ecclesiæ præcepta servanda compellit: ergo judicat se per talem Baptismum, jus in istos parvulos acquisivisse; adeoque esse validè baptizatos.

Quando igitur D. Aug. videtur alicubi requirere consensum parentum, loquitur de licito, vel ad meliùs esse, eo modo quo exigit fidem; cum tamen certum sit ex eodem Doctore parvulos infidelium validè baptizari, imò licitè accedente eorum consensu.

52. Sed contra Primò; ille Baptismus est parentibus injuriosus. Esto, equidem validus, & per quem Ecclesia, quæ non est particeps injuriæ, acquirit jus in baptizatum; velut nubens alteri, quem induxit per dolum, non versantem circa substantiam contractûs, acquirit in eum jus matrimoniale; & sicut venditio vi aut metu extorta est valida, si omnia substantialia adsint, argumento L. ult. Cod. de his quæ vi, ibi: *Venditiones, donationes* &c. *quæ per potentiam extorta sunt præcipimus infirmari.*

Licèt id fieret cum injuria parentum.

Sicuti valet venditio injuriosa.

Et de contractu bonæ fidei, dolo accidentali inito, sic statuit lex *Si dolo.* Cod. de rescind. vend. *Si dolo adversarij deceptum venditionem prædij te fecisse animadverterit præses, sciens contrarium esse dolum bonæ fidei, quæ in huiusmodi contractibus maximè exigitur, rescindi venditionem iubebit.*

Negotiaris pecuniâ alienâ contra Domini voluntatem, quis dubitat actionem esse injuriosam? Et tamen fructus industriæ ad te pertinent, & non ad Dominum. Utque maneamus in exemplo Baptismi: baptizat aliquis parvulum hominis fidelis cum injuria Parochi, an propterea Baptismus erit invalidus? An ideo talis Baptismus non generabit Ecclesiæ jus in illum parvulum hominis fidelis? Prorsus generabit; quippe actio non est intrinsecè & formaliter injuriosa, id est, quatenus generativa hujus juris, sed extrinsecè tantùm; quia opposita juri, quod Parochus habet ad parvulum Ecclesiæ adscribendum.

Et Baptismus collatus invito parocho,

Ex quo generatur Ecclesiæ jus in parvulum baptizatum.

Quemadmodum qui venatur in sylva aliena contra justam Domini prohibitionem, licèt peccet contra justitiam; tamen acquirit dominium ferarum, titulo primò occupantis, quæ nullius sunt; qui titulus in se formaliter & intrinsecè justus est, quamvis extrinsecè hîc & nunc propter prohibitionem, usus illius sit injustus; sic etiam Baptismus ex se titulus est, & medium ordinatum à Deo ad acquirendum jus in talem hominem, licèt propter prohibitionem externam interdum contingat quempiam injustè baptizare.

53. Hinc non placet quod quidam Auctor docet: Ecclesiam non posse cogere ad observantiam Christianitatis eos, quos terroribus contra justitiam coëgit privatus quispiam ad suscipiendum Baptismum, si nulla accesserit promissio. Non placet, inquam, nam justè vel injustè compulsi fuerint, susceperunt equidem characterem Christianitatis indelebilem, ratione cujus Ecclesia innocens prætendit jus, & *oportet* (verba sunt Innoc. III. c. *Maiores* de Baptismo) *ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur. & fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.*

Sic et posse cogere ad observantiam Christianitatis sic baptizatos.

Innoc. III.

Idem assero de illo, qui per injuriam adactus fuit, ut se permitteret inscribi cathalogo militum, posse videlicet Principem, qui injuriæ non fuit particeps, justè talem cogere, ut permaneat in statu militari, quoadusque officio Judicis contractus, alioquin validus, rescindatur, aut declaretur à principio fuisse invalidus.

Contra Secundò; ad Baptismum adulti requiritur ejus consensus: ergo ad Baptismum parvuli consensus parentum. 54.

Respondeo negando consequentiam, vel distinguendo antecedens: ad Baptismum adulti requiritur ejus consensus ex parte Sacramenti, nego; ex parte subjecti, ut sit capax medij ordinati ad salutem, concedo. Statuit siquidem Deus nullum hominem rationis compotem justificare nisi volentem. *Sine voluntate tua* (verba sunt D. Aug. ser.

Adultus baptizandus debet consentire. S. August.

ser. 15. de verbis Apostoli c. 11.) *non erit in te iustitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest nisi per voluntatem tuam.* Et infra: *Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.*

Non item parvulus.

De parvulo autem, qui impotens est propriæ voluntatis, quid ait? de verb. Apostoli ser. 14. *Ad verba*, inquit, *aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Christum, fit interrogatio, respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, iacente, & flendo quodammodo ut subveniatur orante, respondetur, & valet.*

Nequidem per parentes.

A quo respondetur? A parentibus, inquies. Quid si parentes non adsint? Ab offerentibus. Quid si nullus offerat sed solus minister baptizet? Rectè intelligitur respondere *tota mater Ecclesia, quæ in sanctis est*; quia, teste eodem S. Doctore Epistolâ 23. *tota omnes, tota singulos parit*, per voluntatem ministri, suo & Christi nomine baptizantis. Valet itaque Baptismus parvulorum quorumcumque parentum, ipsis quantumcumque invitis & contradicentibus, si adsit legitima materia, forma & intentio ministri.

Idem dic de perpetuò amentibus.

Porrò de amentibus & furiosis, qui tales à nativitate fuerunt, *idem iudicium faciendum est*, ait Paulus V. in Rituali Rom. tit. de baptizandis adultis, *quod de infantibus: atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt*, de consensu scilicet eorum, quorum interest. Qui autem illi sint ad hoc ut Baptismus, alioquin validus, etiam liceat, hic controvertitur.

55. Qui etiam licitè baptizantur

Sanè non requiri consensum parentum, qui sunt mancipia Christianorum, ut habet secunda pars conclusionis, ab omnibus admittitur. Et patet Primò ex communi praxi, quâ proles Turcarum & Maurorum, qui iusto bello abducuntur in servitutem Christianorum, baptizantur contra voluntatem parentum. Secundò, quia Dominus iustè posset filios illos vendere, & à parentum abstrahere potestate; partus quippe sequitur ventrem. Et ipsi ergo sunt servi titulo nativitatis, id est, servi nascuntur.

De consensu dominorum quibus subiiciuntur.

Quapropter Dominus non tantùm per Baptismum potest illos subiicere iurisdictioni Ecclesiæ, sed etiam per se loquendo tenetur, iuxta dicta præcedenti conclusione; succedit siquidem in ius paternum; adeoque contrahit obligationem in defectum parentum eiusmodi parvulis providendi, potissimùm de necessariis ad salutem. Quamvis, ne nimis gravetur parvulis educandis (nam ad evitandum periculum apostasiæ à parentibus abstrahendi, & in fide Catholica instruendi forent) aut certè ne infideles frustrati spe recuperandi proles suas, magis sæviant in Christianos, per accidens sæpe excusetur; per consequens Baptismo non adhibito, licitè permittat eos redimi.

Pro ultima parte Conclusionis notandum, præter subiectionem servilem de qua modò egimus, aliam esse subiectionem civilem seu politicam, quæ oritur ex habitatione, aut quasi habitatione, sive, ut vocant, domicilio, aut quasi domicilio in tali loco. Contingit autem frequenter infideles quosdam habitare in terris subditis Principibus Christianis, ratione cuius habitationis subiiciuntur temporali imperio istorum Principum, eodem modo quo alii fideles ibidem habentes domicilium. Interim maior eorum pars penitus libera est ab omni subiectione sive imperio Dominorum seu Principum fidelium: & de horum parvulis præcipuè quæritur inter Doctores Catholicos, utrùm licitè baptizentur invitis parentibus? 56.

57. Vel de consensu saltem alterutrius parentis. Tolet. IV.

Dico, *invitis parentibus*; quia dum alter consentit, resistit alter, standum est pro bono prolis, adeoque licet eam baptizare, ut habet conclusio. Colligitur ex Toletano IV. can. 62. *Iudæi, qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt Christiani efficiantur. Quòd si admoniti noluerint, separentur. Filii autem qui ex talibus nati existunt eidem atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris, Christianam religionem sequantur, non iudaïcam superstitionem.*

Greg. IX.

Ratio est, quia uterque parens habet ius; ergo potiùs danda proles ei, qui in salutem educabit, quàm illi, qui in perniciem. Ita respondit Gregor. IX. Argentin. Episcopo, & refertur c. ult. de Conversione infidelium. ibi: *Cùm autem filius in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitæ insidientur illius: & pueri post triennium apud patrem non suspectum ali debeant & morari, materq; pueri, si cum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem; in favorem maxime fidei Christianæ: Respondemus patri (ad fidem converso) eumdem puerum assignandum.*

Imò solius avi.

Imò Gregorius XIII. ut refert Valentia qu. 3. puncto 3. censuit baptizandum esse puerum, cuius pater mortuus erat, invitâ

matre,

matre, eò quòd avus fidelis, qui loco patris defuncti curam habebat nepotis, peteret illum baptizari.

Sed quid si uterque resistat? Sed quid si uterque resistat? Respondeo

CONCLUSIO VI.

Per Baptismum parvulorum nulla fit injuria parentibus infidelibus penitus contradicentibus.

58. Non fit injuria parentibus contradicentibus per talem Baptismum; *Vasquez.* ITa docet Vasq. disp. 155. c. 2. n. 13. & c. 3. n. 23. Rationem dat, quia baptizare præcisè, non est extrahere parvulum à patria potestate, & parentes privare jure paterno in filios; sed emendare in parvulis parentum errorem: sicuti instruere filium adultum adhuc sub patria potestate in vera fide, non adversatur huic patriæ potestati; sed est emendare id, in quo pater errat, & supplere veram curam filij, quam non habet, ut debet.

59. Sicuti sine injuria baptizatur adultus parentibus invitis, Confirmatur Primò; quia absque injustitia filius postquam pervenit ad usum rationis petit, & suscipit Baptismum contra voluntatem parentum, imò ab eis fugere potest, quin & tenetur, si aliter nequeat vivere in religione Christiana; ergo per Baptismum non læditur jus paternum; etenim per usum rationis non eximitur à patria potestate in ordine ad alios actus non concernentes veram fidem & cultum Dei; ut manifestum est in contractibus, qui invalidi sunt, nisi fuerint de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus.

60. Et parvulus irrecuperabiliter separatus; Confirmatur Secundò: quia si parvulus per injuriam separetur à parentibus sine spe reversionis, admittunt plerique licitè eum baptizari, & tamen per injustam separationem non amittitur patria potestas, neque omne jus quod ex ea oritur. Quemadmodùm ex hoc quòd res mea per injuriam sit mihi ablata, non sequitur quòd sine injustitia possit ab altero malâ fide distrahi, tametsi recuperatio ejus sit mihi impossibilis propter potentiam ejus, qui illam detinet.

61. Confirmatur Tertiò; quia teneor jure divino corripere proximum, etiam non emancipatum, non solùm contra voluntatem parentum, sed etiam propriam: ergo Baptismus parvuli non est parentibus injuriosus, utpotè qui sit illi magis necessarius, quàm correptio fraterna adulto; licèt enim parentes non teneantur jure divino parvulum baptizare nisi in articulo mortis, ut dictum est conclusione 4. tamen etiam non habent jus Baptismum impediendi extra hunc articulum; ita quòd si infans primo die haberet usum rationis, quamvìs nulla omnino esset necessitas, licitè peteret Baptismum, & administraretur contradicentibus parentibus. Cùm non habeant jus impediendi Baptismum extra mortis articulum,

Cùm igitur ipsa infantilis ætas sit quasi moralis aliqua necessitas propter periculum inopinatæ ac prææmaturæ mortis (nam animadversum est magnam partem parvulorum mori ante usum rationis) cur non rationabiliter præsumo, pueros velle, & petere ab unoquoque Baptismum; committere, inquam, unicuique defensionem vitæ suæ spiritualis, sicuti, quando est periculum vitæ corporalis, censentur unicuique committere defensionem vitæ suæ corporalis? Accedit probabilissimum esse parentes infideles, qui jam impedire volunt Baptismum, neque in articulo mortis fore administraturos. Et parvuli sint in aliqua morali necessitate, Cui potest subveniri,

Dices; ergo etiam unusquisque poterit parvulum à parentibus abstrahere, sicut potest defendere vitam ipsius corporalem cum occisione invasoris. 62.

Respondeo pro tempore Baptismi, si abstractio est necessaria, concedendo totum; pro tempore subsequenti Baptismum, nego consequentiam; nam quamdiu est in minori ætate salvus erit, si contingat ipsum mori; postquàm autem pervenerit ad adultam ætatem, & ratione uti cœperit, jam est sui juris, ut recedat à parentibus, & ab Ecclesia separari potest, cum ratione Baptismi jam habeat jus in illum. Etiam cum abstractione concomitante Baptismum,

Per fidem ergo & Baptismum non diminuitur jus quod habent parentes in filios; alioquin parentes fideles essent pejoris conditionis, quàm infideles, quandoquidem illorum filij possint licitè baptizari ipsis invitis, & ab Ecclesia ab illis abstrahi; sed impletur præceptum divinum, quod quidem pro tunc parvulos non obligat in ratione præcepti, sed in ratione medij necessarij ad salutem; obligabit autem ut primùm pervenerint ad usum rationis. 63. Ne pejoris sint conditionis parentes fideles quàm infideles:

Unde nec ipsis aliqua fit injuria, licèt per Baptismum constituantur suo tempore universæ legis Christi servandæ debitores, adeoque separari possint ab Ecclesia, imò seipsos separare debeant à parentibus, ac pœnis ecclesiasticis & civilibus ad hoc compelli: equidem jure divino ad hæc tenentur, si non proximè, saltem remotè; quia obligantur ad Baptismum.

Sed contra; jus divinum Baptismi non est notum lumine naturæ. Respondeo; 64. neque

neque in articulo mortis: nihilominus tunc prævalere juri parentum, sive jus accipiatur pro præcepto, sive pro facultate & concessione, quis non videat? Quid enim? Nonne ratio naturalis aut Deus præcipit, ut parentes negent, vel impediant Baptismum filij sui, aut concedit ut in illo articulo impedire justè possint, si velint? Quin imò mandavit Deus unicuique de proximo suo: quantò magìs parentibus de filijs, ut in extrema necessitate ipsis provideant de medijs necessarijs ad salutem? Ideo jure divino parentes debent filium suum baptizare, aut facere ut baptizetur, si in tali periculo versetur.

Qui ergo ipsis scientibus, invitis tamen & nolentibus, puerum eorum baptizat, nullam eis irrogat injuriam, siquidem nullum jus eorum lædit, & illi contra rationem inviti sunt; cùm jure divino teneantur filium suum baptizare per se vel per alium; esto hîc & nunc illud jus divinum ignorent. Sufficit profectò quòd eo proposito & cognito, deberent parentes illud amplecti: & aliunde possent cognoscere si aures prædicationi accommodarent.

Unde omnes sunt contra rationem invitij

Quare si ministro Baptismi ob hanc rationem bellum inferre vellent, ex parte ipsorum injustum esset ex objecto; quamquam ex ignorantia invincibili excusari possent à peccato. Igitur neque tunc dabitur bellum utrimque justum, nisi formaliter: etenim ignorantia invincibilis, licèt excuset à peccato, ut jam jam dixi, equidem non dat parentibus infidelibus majorem auctoritatem, quàm aliàs haberent si legem fidei agnoscerent. Quis autem adeo desipit, ut dicere audeat, jus naturale parentum, quod habent in filios, repugnare legi fidei, legi charitatis & pietatis?

Etiam supposita ignorantia invincibili legis fidei

Petes, an ergo cuilibet liceat baptizare parvulos infidelium extra periculum mortis, parentibus invitis? Pro responsione erit

CONCLUSIO VII.

Per se loquendo extra articulum mortis licitè baptizantur pueri infidelium contra voluntatem parentum, saltem accedente consensu Principis.

65. De hac conclusione ita discurrit Doctor Subtilis 4. dist. 4. quæst. 9. n. 1. *De parvulis Iudæorum, & infidelium an sint invitis parentibus baptizandi; dicitur quòd non: quia aut redderentur parentibus, & tunc baptizatio eorum esset in contumeliam fidei Christianæ, quia post nutrirentur à parentibus in errore parentum: aut non redderentur, & tunc fieret iniuria; quia dum sunt parvuli, ius habent parentes in eos.*

Unde per se loquendo tales parvuli licitè baptizantur, Scotus.

Hæc erat ratio Richardi in 4. dist. 4. a. 3. q. 3. quam Vasq. disp. 155. n. 16. existimat efficacem. Scotus autem quid?

Sed hæc ratio, inquit, *licèt fortè* (ergo non asserit absolutè) *concludat de quacumque persona privata, quòd non posset parvulos à talibus auferre, nec iustè*, id est, licitè, *baptizare; non videtur tamen concludere de Principe* (fideli, vel infideli perinde est) *cui in regimine Reipublicæ tales sunt subditi.*

Saltem accedente principis voluntate,

Probat: *Nam in parvulo Deus habet maius ius dominij, quàm parentes: universaliter enim in potestatibus ordinatis, potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem, sicut docet Aug. de verbis Domini homiliâ 6.* Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed quid si illud jubeat, quod non debeas facere? Hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem *maiorem, & declarat in exemplo de Curatore & Proconsule, de Proconsule & Imperatore, de Imperatore & Deo: ergo si quis habet regere Rempublicam, magìs debet quantùm in se est cogere unumquemque subdi Domino superiori, quàm inferiori; imò superiori contempto inferiori, quando inferior in tali dominio resistit superiori?*

Cui obediendum, si justa præcipiat:

Sicut ergo Imperator deberet sententiare aliquem obedire debere Proconsuli, contempto præcepto Curatoris, id est, inferioris Proconsule, si contradiceret Proconsuli: ita etiam si essent sub eodem dominio ordinata, scilicet quòd aliquis esset servus Titij, & Titius Petri: magìs deberet Imperator cogere servum servire Petro, quia superior est Titio, quàm Titio, si Titius vellet uti servo illo contra dominium Petri. Ergo maximè debet Princeps zelare pro dominio servando supremi Domini, scilicet Dei, & per consequens non solùm licet, sed debet Princeps auferre parvulos à dominio parentum, volentium eos educare contra cultum Dei, qui est supremus & honestissimus Dominus, & debet eos applicare cultui divino.

Justa autem esset talis voluntas

His ita disputatis pro utraque parte, subjungit Doctor suam opinionem n. 2. hisce verbis: *Dico ergo breviter, quòd si Princeps hoc faceret cum cautela bona, scilicet nè parentes prius cognoscentes hoc futurum, occiderent pueros suos, & quòd baptizatos faceret religiosè educari: bene fieret.* 66.

Maximè si hoc faceret cum cautela bona,

Idem habet in Reportatis editionis Coloniensis eâdem distinctione q. 4 ibi: *Dico ad qua-*

ad quaestionem quòd privatæ personæ non licet (supple, fortè) *tamen Regi bene liceret, vel Principi, & esset sibi meritorium, si posset vitari maius malum, scilicet nè ipsi hac de causa interficerent filios, vel si dimitterentur menaicantes, & tunc redirent ad legem pristinam. Si tamen Princeps posset cavere utrumque malum, quod & pueri illi nutrirentur bonis Ecclesiæ, esset sibi valdè meritorium & fortè si minæ ipsis inferrentur, citò omnes converterentur.* Ita Scotus qui proinde meritò citatur pro nostra conclusione.

Praecavendo ne interficiantur innocentes.

Et ne adulti redeant, ad pristinam legem;

Vasquez.

Fundamentum est, inquit Vasq. suprà c. 1. n. 3. quia si pater alicujus aut vellet ipsum occidere, aut in periculo mortis, in quo esset, nollet liberare, Princeps posset contra voluntatem ipsius ei subvenire, atque ad hunc finem, si opus esset, cum injuria patris ejusmodi filium de potestate ipsius eripere. Imò verò quoties videt filium à patre pravis moribus instrui, & pessimè educari, idem efficere potest; siquidem ad Principem spectat, abusum patriæ potestatis in filios corrigere & emendare.

Spectat enim ad principem abusus patriæ potestatis corrigere.

Cum igitur filij infidelium in manifesto periculo infidelitatis versentur, & in originali sint peccato, & parentes nolint illis subvenire, imò abutentes patriâ potestate, peccato & morte infidelitatis ipsos velint occidere; consequitur posse eos à Principe supremo invitis ipsorum parentibus baptizari. Ita Vasq. pro sententia Scoti.

67. Sed antequam disputo de veritate ac sufficientia hujus fundamenti; adverto Doctorem Subtilem hujusmodi verbis non expressisse rationem suæ doctrinæ: verùm istis præcitatis: *Nam in parvulo Deus habet maius ius dominij quàm parentes* &c. Ubi non allegat jus defensionis innocentis, quod cuilibet personæ privatæ competit; sed dumtaxat potestatem ministerialem Principis defendendi jus Dei, cujus in terris agit ministrum, contra abutentes suo subordinato jure in contrarium; unde tota ratio reducitur ad abusum patriæ potestatis contra dominium, quod habet Deus in parvulos ut baptizentur, & ei serviant.

Et jus Dei illæsum conservare.

Et licèt Deus non præceperit parentibus applicationem Baptismi ex stricta justitia; hoc ipso tamen quò Baptismum instituit medium necessarium parvulis ad salutem, concessit ipsis jus accipiendi Baptismum; à quo proinde sine injustitia nequeunt violenter impediri; adeo ut parentes, etsi non peccent contra justitiam non procurando parvulis Baptismum, sed solummodò contra pietatem aut charitatem; secùs tamen positivè impediendo ministrum à Baptismi collatione.

Qui mandavit unicuique de proximo suo.

Quæris unde hoc sciam? Unicuique Deus mandavit de proximo suo, ita ut quamvis non tenear corripere proximum meum nisi ex charitate, peccet tamen contra justitiam, qui me impedit violenter ab illa correptione. Vis itaque vel fraus, quâ parentes impediunt susceptionem Baptismi, etiamsi non esset injuriosa parvulis; est tamen vera injuria mei, qui paratus sum, & jus habeo parvulum baptizandi.

Cui juri contravenit, qui impedit ministrum ne baptizet.

68. Ex quo patet, quàm infundatè quidam recentiores Theologi apud Vasq. n. 91. respondeant ad fundamentum, ut perperam putant, Scoti: Licere quidem cuicumque jure naturæ defendere innocentes, quando injusta vis ipsis infertur in rebus debitis jure naturæ, eò quòd defensio locum habeat solùm contra fraudem & vim manifestè repugnantem naturali legi justitiæ: parentes autem infideles nullam parvulis suis vim, & injustitiam inferre, & ita neque injuriam propriè eis irrogare, neque abuti patriâ potestate contra debitum justitiæ ordinem; sed solùm contra legem fidei, & contra pietatem non lumine naturæ, sed fidei tantummodo notam.

Non lædendo parvulos in se,

Futilis certè responsio, & nullius momenti, ut mirum sit Vasquesium illam probasse. Nam, præterquam quòd Scotus non tribuat potestatem abstrahendi parvulos à parentibus cuicumque, sed soli Principi, ad quod sufficeret peccatum contra pietatem aut fidem, ut statim ostendam, arbitror me digito monstrasse, etiam fieri veram injuriam parvulis in ministris, non per simplicem negationem Baptismi, sed per violentum impedimentum contra jus, quod parvulus à Deo accepit suscipiendi Baptismum semper, & à quocumque non legitimè impedito.

Sed in suis ministris

Quidquid sit de privata persona, ad quam non spectat gubernatio Reipublicæ, aut procuratio boni communis, saltem, ut benè advertit Vasq. n. 93. Principi & Magistratui convenit emendare ac impedire abusum patriæ potestatis erga filium & hac de causa, si opus fuerit, filium à patre separare, etiamsi nullum damnum contra justitiam, sed tantùm contra pietatem ac charitatem in pravis moribus patiatur, vel quia imitatione patris dilapidet bona sua, vel quia alijs pravis moribus exemplo illius imbuatur. 69.

Quam injuriam potest princeps impedire

Herculè nemo sanæ mentis negare potest, quin Princeps sit minister Dei & vindex in iram eis, qui malum agunt. Et quod majus malum infidelitate? An fortè impietas bona? An laudabile proximo subtrahere eleemosynam corporalem in gravi,

Tamquam Dei minister.

gravi, vel extrema necessitate corporis? Et quis dicet bonum esse, negligere necessitatem spiritualem? Si hæc mala sunt, sicut revera sunt, licèt non contra justitiam; quid prohibet Principem ea vindicare, impedire & emendare?

70. Responsio Vasquez. Respondes cum Vasquesio n. 94. quià Christus solùm reliquit potestatem Principibus, ut abusum patriæ potestatis contra exteriorem, & civilem Reipublicæ gubernationem emendarent & punirent: quamdiu autem pater filij sui mores, qui pro hac gubernatione exteriori & pace Reipublicæ necessarij judicantur, non corrumpit, non dicitur abuti hâc patriâ potestate, ut eâ privari debeat, etiamsi filium suum non permittat baptizari; ut posteà in adulta ætate infidelitatis suæ sectam ipsum doceat: quia cùm Christus reliquerit integram libertatem suscipiendi Baptismum, & fidem suam amplectendi; neque voluerit lædi in aliquo patriam potestatem, quamdiu pater eâ non abuteretur contra pacem exteriorem & gubernationem illam civilem Reip. consequitur planè, nulli Principi sæculari licere, hunc abusum patris erga filium in Baptismo & fide Christiana emendare, & hâc occasione filium à patria potestate abstrahere. Hæc Vasquez.

71. Reprobatur. Sed displicent; quià fides & Baptismus sunt media necessaria ad salutem. Hinc Christus Ecclesiæ suæ concessit jus particulare prædicandi Euangelium & baptizandi. Matth. ult. v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Et Marci ult. v. 15. *Euntes in universum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ergo etiam jus expugnandi armis eos, qui illius prædicationem impediunt; unusquisque enim habet jus tuendi se, & defendendi ab injuria.

Matth. ult. Mar. ult. Ecclesia habet jus particulare prædicandi Euangelium & baptizandi.

Nec obstat quòd Ecclesia non habeat jus compellendi ad auditionem, vel susceptionem fidei; distincta etenim sunt prædicare, audire & suscipere; potuit ergò Christus dare potestatem loquendi, & tamen negare jus coactivum ad audiendum, vel suscipiendum; sic quippe Episcopus dans alicui potestatem concionandi, non cogit alios ad audiendum, nec concionatori dat potestatem cogendi; esto etiam præciperet prædicationem; sed tantùm concedit jus cogendi alios, ne prædicationem impediant.

72. Si autem à me quæritur, ad quid ergo deserviat potestas prædicandi? Respondeo, ut qui volunt audiant, neque justè possint impediri ab auditione, ad quam ex præcepto divino obligantur; unusquisque enim obligatur auscultare doctrinam necessariam ad salutem: verumtamen aliud est quempiam ad hoc vel illud faciendum obligari, aliud posse cogi; siquidem quilibet tenetur observare legem naturæ, non tamen Ecclesia jus habet cogendi infideles ad ejus observantiam.

Cujus executionem nequidem infideles impedire possunt.

Ratio est; quia nullibi legitur Ecclesiæ concessa talis à Christo potestas respectu infidelium. Dico, *infidelium*; quià baptizatos potest compellere, utpote sibi subditos per Baptismum, tum ad fidem veram amplectendam, tum ad observantiam legis naturæ, aliorumque divinorum præceptorum.

Et siquidem Vasq. hanc solummodò prætendat libertatem suscipiendi Baptismû, & fidem amplectendi, hoc est, infideles non posse cogi ab Ecclesia, cui non subjiciuntur, verum loquitur; sed nihil ad propositum; nam conclusio nostra, aut sententia Scoti, quam impugnat, non intelligit Principem Ecclesiasticum; sed sæcularem, cujus potestati infideles politicè subjiciuntur; & ratione hujus subjectionis arbitramur Principem illum infideles per se loquendo posse cogere, non solùm ad audiendam fidem; sed etiam, seclusâ lege Ecclesiasticâ, ad suscipiendam.

Licèt ab Ecclesia cogi nequeant ad fidem amplectendum;

Bene tamen à Principe sæculari per se loquendo.

Est doctrina Scoti 4. dist. 4. q. 9. n. 2. ibi: *Imò, quod plus est, crederem religiosè fieri, si ipsi parentes cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum Baptismum, & ad conservandum postea susceptum.* Ac occurrens tacitè cuidam objectioni, addit: *Quia esto quòd ipsi non essent verè fideles in animo: tamen minus malum esset eis, non posse impunè legem suam illicitam servare, quàm posse eam liberè servare. Item filij eorum si bene educarentur in tertia & quarta progenie, essent verè fideles.* Ergo in sententia Scoti, Christus non reliquit integram libertatem suscipiendi Baptismum, & veram fidem amplectendi, ut Vasq. in sua responsione videtur supponere. 73. Scotus.

Sanè si sententia Doctoris Subtilis vera est, perspicuè palam fit, Principem sæcularem per se loquendo contra voluntatem parentum infidelium politicè sibi subjectorum, parvulos eorum posse baptizare, & ab illis abstrahere, ubi id necesse foret ad parvulorum educationem in fide Catholica. Sed cum plerique contrarium doceant, fortè ex malo intellectu, ut sæpiùs assolet doctrinæ Scoticæ, operæpretium duxi paucis illam explicare, probare ac confirmare.

Pro intellectu itaque supponitur, quòd Ecclesia Principibus Christianis justè prohibeat, ne pœnis, saltem gravioribus, compellant 74.

Ex lege Ecclesiæ Principes

Christiani illicitè cogunt infideles ad Baptismum; pellant infideles ad Baptismum suscipiendum, c. *Sicut Iudei.* De Judæis & Saracenis, ibi: *Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Iudæos ad Baptismum venire compellat.* Rationem subjungit: *Quippe Christi fidem habere non creditur* (saltem ordinariè) *qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

Tolet. IV. Idem ex Tolet. IV. c. 56. refertur c. *de Iudæis.* dist. 45. *De Iudæis autem precipit Sancta Synodus neminem deinceps ad credendum vim inferri..... Sicut enim homo proprij arbitrij voluntate, serpenti obediens perijt, sic vocante se gratiâ Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur, ergo non vi, sed liberi arbitrij facultate ut convertantur suadendi sunt, non penitùs impellendi.*

75. Quod non fuit semper illicitum, Nota ly *deinceps*, quo Concil. significat, non semper id fuisse illicitum, & consequenter non esse illicitum ex natura rei, sive ex jure naturali & divino. Unde ibidem subdit: *Qui autem iam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti* &c.

Ergo, inquit Scot. supra n. 3. *in hoc approbat eum tamquam Principem religiosum*, non ob ipsius egregiam fidem, & alia facta pietatis, de quibus ibi nulla fit mentio; sed, *quia infideles coëgit ad fidem.*

Regin. Unde igitur colligit Regius de Actibus supernaturalibus disput. 18. dub. 14. n. 242. religiosissimum illum Regem, uti & Imperatores, qui leges severissimas ediderunt in Manichæos & Samaritanos, qui erant verè Pagani; unde, inquam, colligit, illos Principes indiscreto zelo aliquid plus quàm justè poterant sibi sumpsisse? Nonne ab omnibus laudatur factum Ferdinandi Hispaniarum Regis, qui ante 100. circiter annos compulit Judæos & Mauros excedere Hispaniâ, nisi converterentur? (Ut colligitur ex factis laudabilibus multorum Principum,)

76. Quod autem communiter respondetur, infideles fuisse punitos, non ob infidelitatem, sed ob alia scelera; idem videtur, ac si quis diceret, legem latam in fures, non esse latam propter furta, sed propter alia scelera, quibus solent fures etiam esse imbuti; ideoque ridiculum est quòd solùm indirectè illis legibus cogantur infideles.

Statuentium gravissimas pœnas pro ijs, qui nolunt fidem suscipere. Nec video quare potiùs indirectè liceat, quàm directè, si revera per talia gravamina, exilia, confiscationes bonorum, specialia tributa &c. intendatur conversio infidelium; nam licèt talia media aliàs essent licita, fierent equidem illicita, dum per ea talis finis intenditur, si revera jure divino prohibitum sit aliquem ad fidem compellere.

77. Profectò si hæc coactio foret jure naturali & divino illicita, non propter aliud, quàm fictam susceptionem Baptismi; atqui illa potest abesse; ergo &c. Minor constat in eo, qui non statim admittitur, sed paulatim levibus terroribus & pœnis ad illum disponitur. *Meliùs est quidem* (utor verbis D. August. Epistola 50.) *quis dubitaverit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœna timore vel dolore compelli? Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit* (*quod experimentis probavimus & probamus*) *priùs timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opere sectari.* (Hæc igitur coactio non est illicita, Iure naturali vel divino, S. August.)

Exemplum sit in Apostolo Paulo. *Ubi est* (inquit S. Doctor) *quod isti, hæretici, clamare consueverunt, liberum esse credere, vel non credere. Cui vim Christus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum: Agnoscant in eo prius Christum cogentem, & postea docentem; priùs ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quò modo ille, qui pœna corporis ad Euangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laboravit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foràs misit timorem.*

Quamvis ergo per se & proximè coactio, præsertim gravis, nata sit tantùm inducere ad actum externum, per accidens tamen & remotè etiam provocat internum consensum, sicut frequenter experimur nos plura aggredi ex timore, quæ postea ex amore continuantur. (Cùm ab illa soleat sæpe abesse fictio,)

Accedit quòd meritò eadem fictio timeatur, si quispiam justo metu mortis, privationis officij, impositionis tributi &c. petat Baptismum, & tamen admittitur ab Ecclesia, & secundùm communem sententiam hæc coactio indirecta, ut vocant, est licita. 78.

Igitur quemadmodùm licet assistere Matrimonio, imò contrahere Matrimonium cum fure v. g. qui justo metu mortis compellitur, quamvis fortè internus consensus desit; & sicuti potest Confessarius absolvere pœnitentem, qui fuit hæreticus, & cogitur ad fidem, ita etiam infideli coacto ad fidem licitum est administrare Sacramentum Baptismi, priùs tamen debitâ diligentiâ adhibitâ ad consensum internum cognoscendum.

Si dicas hæretico esse credendum in Sacramento Confessionis, nec facilè administrãdum. Respondeo non minùs infideli in Baptismate. Est quidem aliqua disparitas, quòd hæreticus, qui compellitur ad Confessionem, etiamsi malè confiteatur, & absolutionem 79. Respondetur cuidam objectioni.

solutionem non recipiat, inde non possit incurrere aliquod damnum propter sigillum hujus Sacramenti, quo obligatur Sacerdos nullo casu revelare audita in confessione, etiam sacrilega.

Sed numquid propterea credere debeo hæretico, qui à vera religione apostatavit, non servans fidem domino suo, pejor factus Gentili, qui numquam Christianam doctrinam audivit; fidere, inquam, debeo hæretico petenti absolutionem, cujus invaliditatem parum curat, & fidere non potero homini infideli postulanti Baptismum? Confidam planè postquam maturè investigavero ejus animum, nisi deprehendero manifestum signum fictionis.

Infidelis penitus invitus invalidè baptizatur.

Equidem si non obstante coactione omnino renuat, & penitus maneat invitus, certum est non debere, nec posse baptizari, aut postmodùm ratione Baptismi cogi ad observantiam legis Christianæ. Ita significatur c. *Maiores* de Baptismo, ibi: *Verùm id est religioni Christianæ contrarium; ut semper invitus, & penitus contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Attamen quòd non omnis coactio repugnet valori Sacramenti, ibidem docet Pontifex, prout videri potest disp. præced. conclus. 1. & 2. (Innoc. III.)

80. Rogas; cur ergo Ecclesia tam generaliter prohibeat illam violentam compulsionem? Respondeo; quia rarò evenit casus, in quo consultum sit Principes sæculares uti in toto rigore hâc potestate ob plurima incommoda, quæ inde orirentur; experientia quippe docuit indiscretè ad fidem compulsos, non verè fuisse conversos, sed simulatè; imò gravius odium contra fidem suscepisse, hancque simulationem & odium ingenerasse posteris, quæ per apertam apostasiam suo tempore manifestata fuerunt; hoc siquidem est ingenium hominis, ut summè oderit ea, ad quæ nimio rigore compellitur.

Ob multa incommoda est violenta coactio generaliter inhibita.

Si tamen non omninò violenter compellerentur, meritò sperari posset, quod Scotus supra dicit, quòd etiamsi coactio parùm fructûs factura sit in ijs, qui modò coguntur, bene tamen in posteris. Quia ergo sæpe difficile valde est rectè judicare de circumstantijs occurrentibus, ideo expediens fuit tam generalis prohibitio, maximè cùm in casu necessitatis lex humana non obliget, & pateat plerumque recursus ad Legislatorem; qui justa ex causa in lege sua licitè dispensat.

81. Hinc etiam Christus tradens modum annuntiandi Euangelium, non dixit: percutite, occidite &c. eos, qui nolunt vos audire, aut doctrinæ Euangelicæ credere: sed Matth. 10. v. 7. *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate &c. Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*; per quam utique significatur potestas punitiva seu coactiva, ut explicat Ambrosius lib. 4. in Luc. c. 10.

Et à Christo proscripta. Matth. 10. S. Ambros.

Unde subjungitur v. 14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris.* Et concludit Christus his verbis: v. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Opposita prædicantium humilitas & mansuetudo.

Hic certè modus prædicandi legem gratiæ in humilitate, & mansuetudine Prædicatorum, & sola efficacia verbi divini atque signorum, necessarius fuit in principio, ut manifestaretur virtus Dei, cui Euangelium innititur; & quia illa methodus de per se est convenientior. Non tamen ideo infertur aliam viam esse illicitam, aut non posse esse convenientem, imò & commodiorem, ex occasione temporis & personæ.

Nec refert quòd in Scriptura expresè non permittatur coactio; nam neque prohibetur, sicut nec de hæreticis quoad hoc quidquam habetur expresè. Dico, *expresè*; quippe Lucæ 14. v. 23. dicitur: *Exi in vias & sepes: & compelle intrare.* Ubi ad litteram sermo est de infidelibus non baptizatis secundùm D. Gregor. Homiliâ 36. in Euang. & de vera coactione secundùm D. August. Epistolâ 48. ad Vincent. ibi: *Putas neminem debere cogi ad iustitiam, cùm legas Patrem familias dixisse servis: Quoscumque inveneritis, cogite intrare?* 82.

Nullibi tamen inhibita coactio saltem expresè; imo implicitè videtur permissa. Luc. 14. S. August.

Confirmat exemplo Apostoli. *Cùm*, inquit, *legas etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum, nisi fortè chariorem putas hominibus esse pecuniam, vel quamlibet possessionem, quàm lucem istam, quæ oculis carpitur. Hanc ille cælesti prostratus lumine subitò amissam non recuperavit, nisi cùm sanctæ incorporaretur Ecclesiæ. Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur?*

Confirmatur exemplo Apostoli.

Intelligit quidem August. per eos, qui compellendi sunt, solos hæreticos; attamen cùm exemplum hoc Pauli, & illa sententia Euangelij magis pertineant ad non baptizatos, & rationes August. communes sint hæreticis, & non baptizatis,

fatendum est, etiam ex mente hujus Sancti Doctoris, infideles adigi posse ad fidem, privatione utique bonorum temporalium, ac alijs levioribus pœnis; nullibi siquidem distinguit inter hæreticos, & alios infideles, tametsi solùm faciat mentionem hæreticorum.

83. Huc usque expendimus sententiam Doctoris nostri Subtilis, quam sequitur Gabriel eâdem quæstione ultimâ art. 3. & probabilem judicat Lorca 2. 2. ad q. 10. art. 8. disp. 36. ubi latè eam propugnat, quamvis sentiat oppositum. Non est autem mens Scoti, qualemcumque coactionem, in quibuscumque circumstantijs jure divino esse permissam, sed moderatam, ubi, & quando recta ratio dictat eam vergere non in destructionem fidei, sed in ædificationem, non in odium, sed potiùs in amorem, nisi aliter per Ecclesiam fuerit dispositum.

Gabriel.

Lorca.

Scotus putat coactionem permissam, esse debere moderatam.

Quam sententiam sic explicatam, probo hâc ratione: Princeps sæcularis potest subditum adigere ad omne id, ad quod tenetur jure divino naturali, cujus est executor ex officio; atqui suppositâ prædicatione, sive sufficienti propositione fidei, lumen naturæ dictat religionem Christianam esse credibilem, & cæteris sectis præferendam; ergo nolentem eam amplecti, potest, imò debet cogere, nisi aliquid obstet. Siquidem potestas Principis sæcularis non ita est politica, quin se etiam extendat ad negotium Religionis, quamquam dependenter ab Ecclesia, cujus est declarare, quænam sint veritates fidei, & tùm Principis est cogere infideles, id est, non baptizatos sibi subditos; nam Ecclesia cogit solos baptizatos.

84. Confirmatur; quia si Christus in Ecclesia sua non instituisset ordinem Hierarchicum, id est, unum supremum Caput, aliosque Prælatos ei subordinatos, nec instituisset ullam aliam gubernandi formam, jure naturæ quælibet Respublica Christiana haberet supremam potestatem, etiam quoad ea, quæ concernunt Religionem, utpote necessaria ad bonum regimen ac communem pacem atque concordiam subditorum, ut experientiâ patet. Ergo si potestatem suam totam, totaliter sine ulla restrictione transtulisset in aliquem Principem, hic non modò foret supremus in ijs, quæ concernunt regimen politicum; verùm etiam in ijs, quæ concernunt regimen spirituale; potissimùm cùm omnibus commune sit dirigi posse sive à se, sive ab alijs, quibus hanc potestatem dederunt, in actionibus necessarijs ad vitam æternam.

Ex quo ulteriùs infero; Principes sæculares quoad subditos infideles, in quos Ecclesia nullam habet potestatem, juxtà Trident. sess. 14. cap. 2. ibi: *Cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*, in ipsos, inquam, habere supremam potestatem in negotio Religionis, adeoque posse eos prohiberé à falsa Religione, & ad veram adigere, quæ, utpote severè vetans scelera contrà legem naturæ, etiam non parum utilis est ad laicam politiam, majorem scilicet pacem & concordiam exteriorem. 85.

Trident.

Adeoque Princeps sæcularis poterit infideles sic cogere in negotio religionis.

Nescio ergo quo fundamento Vasq. supra in sua responsione supponat, patrem non abuti suâ potestate contrà pacem exteriorem & gubernationem civilem, docendo filium sectam suæ infidelitatis; nulla quippe secta reperitur, quæ non erret circa præcepta naturæ. Si ergo Princeps sæcularis (fidelis sit, vel infidelis, nihil refert) quia minister Dei est, & à Republica accepit potestatem ad omnia, quæ sunt pro utilitate boni communis: si, inquam, potest punire peccata contra legem naturæ, qualia sunt idololatria, magia, blasphemiæ, perjuria, usura, adulterium & similia, quæ non modicùm perturbant pacem & tranquillitatem Reipublicæ, quo jure, aut ratione negabimus ei potestatem extirpandi infidelitatem, ex qua profluunt illa peccata, destruendi templa Idolorum &c.? 86.

Cum quælibet secta erret circa aliquo naturæ præcepta,

Quorum violatio summè nocet bono communi,

Ac proinde, cùm absque Religione subditi nequeant remanere, quidni possit cogere infideles, tamquam ab omni alia potestate sublimiori exemptos, ad unam & veram fidem, quæ magistra est omnium virtutum, summopere conducentium ad internam & externam quietem communitatis? Enimvero sicut nihil adeo perturbat Rempublicam, quàm diversitas Religionum, ut patuit in Hollandia tempore induciarum cum Rege Catholico sub Serenissimis Principibus Alberto, & Isabella; ita nihil magis efficit, & conservat concordiam & unitatem animorum, quàm una, & vera Religio.

Ut etiam Religionum diversitas.

Et sane quid repugnat ex natura rei, communitatem aliquam Principi suo dare potestatem, ut singulos subditos cogat ad verum cultum Dei, quiscumque is demum fuerit? Et unde constat primitùs non fuisse concessam potestatem supremam Principibus cum hac illimitatione? Nonne apud Gentiles Romanos & Græcos in more positum fuit, ut Princeps imperaret populo, etiam in negotio Religionis? Quid dicam, quòd hodie in Anglia, & alibi apud hæreti- 87.

Imò non repugnat ex natura rei quod communitas talem potestatem in Principes transferat.

hæreticos hæc potestas Principibus Reipublicæ collata sit? Quod licèt impiè factum; quippe in præjudicium Catholicæ fidei, & potestatis Petro à Christo datæ; tamen probabiliter ostendit, seclusâ Hierarchiâ à Christo institutâ, Principibus supremis competiturum regimen in causa Religionis.

Imò in lege naturæ Principi erat concessa talis vis coactiva;

Unde in lege naturæ Princeps populi, suppositâ fide unius Dei, poterat subditos compellere ad verum illius cultum, ita dictante lumine naturali. Et existimabimus in lege nova ita esse obscuratum, aut potius exstinctum lumen naturale, ut ampliùs non dictet Principem temporalem qui solus est minister Dei respectu istorum infidelium, posse illos cogere ad Religionem Christianam, quam ipsa ratio naturalis ostendit præ cæteris esse eligendam?

Cur ergo neganda in lege nova?

Non video rationem dubitandi seclusis inconvenientijs, de quibus supra: nam propter melius bonum tolerari possunt, & sæpe debent aliquorum superstitiosi ritus, non solùm judaïci, sed etiam legi naturæ contrarij.

88. Si dixeris inconveniens est, quòd quis in aliqua re habeat potestatem coactivam separatam à judicativa seu præceptiva. Respondeo Principes civiles, respectu infidelium, quibus alius nemo præcipit, habent potestatem præceptivam etiam in materia fidei; saltem possunt ipsis imperare in alia materia, ac proinde absolutè hîc non separantur potestas coactiva & directiva; licèt equidem talis separatio non sit impossibilis aut incongrua; imò defacto reperitur in Magistratu civili, qui potest directè Clericis præcipere in materia morali communi; minimè eos cogere. Et ipse Princeps sæcularis, nonne, secundùm communiorem & veriorem sententiam, obligatur directè, & immediatè propriâ lege quoad vim directivam; secus coactivam?

Neque ideo separabitur potestas coactiva à directiva.

Licèt talis separatio non sit impossibilis aut incongrua:

Imò actu reperitur in Principe sæculari qui præcipit Clericis in materia morali communi, quos tamen non potest cogere,

Omitto, quòd ad instantiam Ecclesiæ Princeps sæcularis ita coërceat hæreticos & compellat, ut tamen nihil ipsis possit præcipere in causa Religionis; sed si quæ oritur controversia in materia juris naturalis vel divini, Pontificis seu Ecclesiæ est definire quid licitum & illicitum, ac corrigere etiam ipsas sententiàs Principum sæcularium, ut docetur in Tract. de Legibus. Positâ autem determinatione Ecclesiæ, Superioris Ecclesiastici est cogere baptizatos vel per se vel per Superiorem civilem tamquam defensorem Ecclesiæ, & mandatorum ejus executorem; porrò compellere infideles seu non baptizatos ad solum spectat Principem sæcularem, tamquàm unicum in terris ministrum Dei, & vindicem illis, qui malum agunt.

Et ad instantiam Ecclesiæ cogit hæreticos, quibus tamen in causa religionis nihil potest præcipere.

Ex quo colligo Primò, quare non possit cogere infideles sibi non subjectos; quia videlicet illis non est minister Dei & vindex. Non est enim potestas nisi à Deo, qui talem non dedit hominibus; sed unicuique Principi concessit regere suam Rempublicam, & non alienam. 89,

Quare Princeps sæcularis non possit cogere infideles sibi non subjectos,

Colligo Secundò, quare similiter non habeat potestatem definiendi res fidei; quia videlicet à Deo illa auctoritas commissa est Ecclesiæ, etiam quoad infideles; quandoquidem illa definitio non sit actus jurisdictionis; sed dumtaxat doctrinæ: dictum autem est Apostolis, & non Principibus temporalibus Matth. ultimo v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes &c.*

Aut definire res fidei.

Matth. ult.

Sic explicata, probata ac confirmata sententia Doctoris Subtilis apparet sanè probabilissima, & evincit manifestissimè nostram conclusionem. Quia tamen opposita communior est, gratis concesso, quòd parentes non possint cogi ad fidem suscipiendam; dico nihilominùs, Principem posse abstrahere filios, quos contra bonum commune volunt instruere & educare in sua infidelitate; quippe abutuntur patriâ potestate, etiam contra pacem exteriorem & gubernationem civilem, ut mox ostendimus. 90.

Ex dictis ostenditur Scoti sententia probabilissima,

Esto parentes non possint cogi ad fidem suscipiendam,

Habet quidem pater jus ad educationem parvuli; sed non contra jus Dei & parvuli, ac in destructionem Reipublicæ seu contra bonum commune; quod Princeps tenetur ex officio defendere ac procurare. Sicuti ergo subditis potest eripere alias res temporales, quibus sciuntur abusuri contra tranquillitatem & pacem communitatis; ita etiam filios.

Possunt tamen abstrahi proles invitis parentibus.

Confirmatur; quia potest abstrahere parvulos fidelium: porrò per fidem non accipit Princeps politicus aliquod jus particulare in fidelem, quod antea non habebat. 91.

Contra; Ecclesia tunc habet jus; illud autem tenetur defendere. Respondeo in nostro casu Deum habere jus; similiter parvulum; nec non Rempublicam, quod magis debet tueri.

Nec satisfacit responsio aliquorum dicentium, jus Dei & parvuli non cadere sub lumen naturæ, adeoque non spectare ad Principem politicum: nam similiter sub lumen naturæ non cadit fidem Catholicam esse prædicandam, templa esse erigenda, Matrimonium ratum dissolvi professione Religionis approbatæ, & similia; & tamen tenentur Principes Christiani illa jura

Licèt jus Dei & parvuli non cadat sub lumen naturæ.

defendere contra infideles, & quoscumque impedire volentes.

92. Confirmatur Secundò; quia servitus politica non magis præjudicare debet patriæ potestati, quàm præceptum divinum naturale; sed ratione prioris potest Superior separare parvulos; ergo etiam ratione posterioris.

93. *Confirmatur à simili.*

Confirmatur Tertiò; quia Princeps potest defendere jus parvuli, quod habet ad hæreditatem, ad alimenta necessaria pro vita corporali contra parentes; ergo etiam jus, quod habet ad hæreditatem æternam, ad alimenta necessaria (id est, ad Baptismum, & fidem) pro vita spirituali, quod majus est. Neque exspectanda est extrema necessitas, cùm Principes etiam in probabilibus necessitatibus debeant suis subditis providere, similiter parentes filijs.

94. *Non semper voluntas Patris censetur voluntas Filij:*

Contra; voluntas patris censetur voluntas filij, cùm propriam nondum habeat. Respondeo rationabilis, concedo; irrationabilis, nego. Alioquin si pater dilapidaret hæreditatem filij, non posset Princeps eum privare potestate paternâ; certè hæc potestas potiùs cedere debet in favorem, quàm præjudicium filiorum.

Imò sæpe licitè resistunt voluntati parentum, Luc. 14. S. Gregor.

Hinc si parentes impediunt salutem prolium; ipsæ proles possunt, & debent sibi providere, etiam contra voluntatem parentum; juxtà illud Christi salvatoris apud Euang. Lucam cap. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem* &c. *Quos* scilicet, ut explicat Gregor. homiliâ 37. in Euang. *adversarios in via Dei patitur.*

Princeps ergo non poterit coërcere parentes, si filios in malis moribus contrà jus naturale instruunt? Absit. Numquid privat parentes jure, quod habent in bona sua, si sint prodigi, assignans prolibus tutorem? Cur igitur & ipse instar tutoris non possit se ingerere ob defectum parentum, qui parvulum negligunt? Enimverò si parvulus possit baptizari de consensu tutoris, in locum patris defuncti subrogati, invitâ matre; cur non utroque parente invito de consensu Principis, qui est tutor supremus? Quippe jus supremum regiminis non minùs juri duorum, quàm unius in hac causa videtur posse prævalere.

Maximè accedente consensu Principis tamquam supremi tutoris;

Quamvìs igitur parentes habeant jus in proles suas, non tamen in omnibus circumstantijs, sed ut debitè eo utantur: quemadmodum Rex habet jus altum in bona temporalia subditorum, non tamen ut tyrannicè eo utatur; sed tunc solùm, quando illa bona particularia necessaria sunt pro conservatione boni communis.

Ex dictis credo satis ab omnibus intelligi, quarè in conclusione dixerim: *Saltem de consensu Principis*; ipsius quippe est, & 95.
non cujuslibet privatæ personæ filios à parentibus abstrahere; quæ tamen abstractio videtur necessaria, ne cum magna Sacramenti irreverentia & Religionis injuria, moraliter certò postquam adoleverint à fide apostatent, ad quam equidem ratione Baptismi suscepti obligantur.

Non enim sufficit cujuslibet privatæ personæ authoritas.

Hinc si privatus quispiam sciret nullum hujusmodi subesse periculum, vel quia parvulus jam separatus est à parentibus justè, vel injustè, moraliter certò numquam restituendus; vel quia videt se posse adultum manu tenere in vera fide sine injuria parentum, non video cur in illis circumstantijs non liceat eum baptizare, nisi fortè ex tali Baptismo oriretur maximum odium parentum in Christianos, & eorum legem; adeoque difficilior, aut moraliter impossibilis eorum conversio ad veram fidem, occisio ipsorum parvulorum, vel similia inconvenientia, quæ etiam ipsi Principi prohiberent talem Baptismum.

Nisi quibusdam positis circumstantijs.

Et secluss inconvenientijs.

Propter quod dixi in conclusione: *Per se loquendo.* Neque Scotus aliud docuit, ut 96.
patet ex verbis ejus citatis in principio conclusionis. Et quoniam hæc inconvenientia regulariter absunt in articulo mortis, ideo communiter unicuique licitum est tunc baptizare parvulum invitis ejus parentibus, præsertim cùm ipsi tali casu ex jure divino obligentur parvulo procurare Baptismum, tamquam omnino necessarium ad evitandam mortem sempiternam.

Quæ regulariter in mortis articulo absunt.

Porrò per parentes hic veniunt intelli- 97.
gendi etiam tutores, qui in locum illorum succedunt, ac per consequens in jura ac obligationes: per parvulos autem intellige, qui nondum utuntur ratione; nam si habeant usum rationis, & petant Baptismum, dandus est contradicentibus quibuscumque; sunt enim in hoc sui juris juxtà DD. communiter.

Quinam intelligantur nomine parentum;

Si de usu rationis dubitetur; inclinandum esse in favorem fidei censet Sotus: differendum usque dum de usu rationis constet docent Henriquez, Regius, & alij; est siquidem periculum in festinando, nullum (ut supponitur) in differendo.

Quinam nomine parvulorum. Sotus. Henriquez. Regius.

Sed id verum crediderim cum Dicastillone disp. 2. n. 77. si necdum sit septennium completum: nam si completum sit, stat præsumptio juris pro usu rationis, nisi apertè constet contrarium, juxtà Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 16. n. 10. ubi dicit ideo jus præscribere septennium ad valorem

Dicastillo. Septennio completo præsumitur pro usu rationis. Sanchez.

valorem sponsalium, ut præsumatur rationis usus; quippe in dubio ubi contrarium non apparet inspicimus annorum numerum, aliàs frustra jus annos præscripsisset.

98. Quæritur num irrogetur Sacramento irreverentia,
Pro complemento hujus controversiæ inquiro, an verè sit contra reverentiam Sacramenti, quòd parvuli infidelium baptizentur, & apud eos relinquantur, quando commodè non possunt abstrahi.

Per Baptismum parvulorum parentum infidelium, supposito quòd abstrahi nequeant?
Respondeo difficulter ex ratione ostendi posse, quòd non prævaleat charitas proximi. Quid si enim in infantia parvulus moriatur? Nonne baptizatus salvus erit, qui autem non fuerit baptizatus condemnabitur? Et verò magna pars parvulorum nonne moritur ante usum rationis? Immo (inquit quidam recens Auctor) ferè usque duas tertias partes, ut animadversum esse testatur Joannes Poncius dispur. 42. n. 37.

Joan. Poncius.
Legi Poncium loco citato, ubi sic ait: *At videri tamen posset, quòd etiam id ipsum (puta conferre Baptismum filijs infidelium relictis sub educatione parentum in vitorum) liceret; quia nihil videtur impedire, nisi quòd postea apostatarent à fide; hac enim ratione communiter negatur id licere: aut quòd Baptismus redderetur illis inutilis; sed cùm apostosia illa non esset ipsis culpabilis, quandoquidem ex educatione parentum putarent infidelitatem esse meliorem, quàm veram fidem, & se non esse obligatos ad profitendam fidem Baptismi, collati illis invitis parentibus & sine consensu proprio, non apparet, quomodo periculum, aut certitudo moralis illius impedire posset, quo minùs Baptismus concederetur ipsis.*

Quantum ad secundum de inutilitate Baptismi, quandoquidem, licèt redderetur inutilis per apostasiam; tamen quia valde deserviret ipsis si morerentur, ut facilè contingere posset antequam pervenirent ad usum rationis, non esset inutile ipsis, sed utilissimum, quòd ministraretur ipsis; & videretur, quòd posset licitè ministrari ipsis in ordine ad illam utilitatem, non obstante, quod etiam contingere posset, quòd non afferret illam; quia scilicet non morerentur antè apostasiam. Huc usque Poncius. Ergo testatur animadversum esse fere usque duas tertias partes parvulorum mori ante usum rationis: negatur consequentia.

Videtur quòd non.
Sufficit magna pars, ut exinde probabilitas mortis præmaturæ conjuncta periculo æternæ damnationis (suppono quippe quòd in articulo mortis non erit opportunitas Baptismi) satis videatur abstergere irreverentiam fortè inferendam Sacramento per apostasiam in adulta ætate secuturam.

Confirmatur; quia si esset parvulus in præsenti periculo mortis posset, & deberet baptizari; & tamen ex constitutis in tali periculo plures convalescunt. Deinde apostasia ista ut supra bene advertit Poncius posset esse non peccaminosa formaliter, saltem ad tempus (& interim ex hac vita decedentes salvarentur) aut saltem non magis culpabilis (cùm supponantur in infidelitate pari modo educandi) quàm si baptizati non fuissent. 99. Quod variè ostenditur.

Tum ex Baptismi utilitatibus.
Accedant variæ Baptismi utilitates, quòd scilicet intuitu illius multæ conferantur gratiæ actuales, quibus faciliùs perveniant ad rectam fidem, quam in susceptione Baptismi professi sunt; quòd liberentur à multis dæmonum insidijs; quòd specialiter protegantur ab Angelis, &, quod præcipuum est, Baptismus parvulo in præsenti dat gratiam per quam ex injusto fiat justus & ex inimico amicus Dei, eumque tot annis facit in tali statu perseverare. Videlicet quòd faciat parvulum Deo gratum &c.

Quòd autem relabatur; quid inde? Numquid etiam certo relapsuro, imò defecturo à fide Catholica, tamen in præsenti ritè disposito, confertur Sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c.?

Dices fidelis habet jus ad illa Sacramenta eo ipso, quò accedit cum legitima dispositione. Respondeo etiam parvulum cujuscumque parentis habere jus ad Baptismum hoc ipso, quò est medium necessarium ad ipsius salutem, quod non tollitur per malam educationem seu infidelitatem secuturam ex ignorantia invincibili, magis, quàm jus ad alia Sacramenta per voluntariam apostasiam. 100. Objectio. Solvitur.

Sed instas; apostasia directè censetur repugnare Sacramento Baptismatis, quod est Sacramentum fidei; secùs Pœnitentiæ, quæ est secunda post naufragium tabula, omnibus & solis post Baptismum lapsis necessaria, sæpius iteranda pro occurrentia diversorum peccatorum, quæ omnia æqualiter respicit, ita ut apostasia non plùs ipsi contrarietur, quàm quodlibet aliud mortale peccatum. Similiter alia Sacramenta cùm principaliter sint instituta ad augmentum dumtaxat gratiæ habitualis, unum peccatum mortale non magis ipsis repugnat, quàm aliud; sed omnia æqualiter, in quantùm sunt causa demeritoria gratiæ præhabitæ. 101. Apostasia non magis directè repugnat Baptismo quàm Pœnitentiæ.

Respondeo, verba tantùm sunt. Anne hoc titulo apostata committit speciale peccatum? Quis Doctorum hoc expressit? Nonne

Nonne de omnibus, qui peccant post Baptismum susceptum, scriptum est in Concilio Tridentino sess. 6. c. 14. *Qui gratiam Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti?* Et rursùm sess. 14. c. 8. *Qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint?* Quis propterea docet ex Baptismo quodlibet peccatum mortale contrahere specialem malitiam? Aut quis ideo negabit Baptismum adulto, quia moraliter certus est de relapsu in fornicationem, adulterium, aut simile peccatum?

Ut ex Tridentino satis ostenditur.

102. Atque ut directiùs opponeretur infidelitas Baptismo, quàm alia delicta; numquid ex illa oppositione tanta oritur irreverentia & indignitas, ut prævaleat æternæ saluti, quam fortassis parvulus per Baptismum consequetur?

Neque ex ipsa oppositione oritur tanta irreverentia & indignitas ut prævaleat æternæ saluti.

Diana.

Satis probabiliter (inquit Diana parte 3. Tract. 4. Resolutione 7.) docet Layman Theol. mor. lib. 5. c. 6. n. 12. baptizari posse proles hæreticorum, etsi probabiliter sub cura parentum hæresi inficiendas; Quia (inquit) periculum perversionis non est adeo propinquum aut certum, cùm fieri possit, ut infantes ante usum rationis moriantur, & per Baptismum salventur: observatum enim alicubi esse intellexi tertiam partem hominum qui in hanc lucem eduntur ante completi septennij ætatem decedere. Tum quia plerumque spes non parva est, ut hæreticorum liberi aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentiùs recipient, si sciant à Catholico Sacerdote se baptizatos fuisse.

Patet in prolibus Hæreticorum, quæ secundùm Layman licitè baptizantur.

Addi etiam potest, tametsi à parentibus, & ministris suis hæreticis falsa dogmata edoceantur; interdum ignorantiâ difficulter vincibili laborare, & pertinaces hæreticos non esse, ut proinde tales donum fidei Baptismalis retineant, & salvari possint, si de peccatis post Baptismum commissis verâ contritione doleant. Hæc Layman de prolibus hæreticorum.

Tametsi probabiliter sub cura parentum Hæresi inficiendæ.

Et quamvis de prolibus aliorum infidelium non sit omnino eadem ratio (nam ut ait Layman supra, hæretici Christi nomen & sacra Christiana non detestantur, ut alij infideles; neque filios suos per incantationes &c. dæmonijs devovent, sicuti pagani solent) equidem similis, ut patet ex dictis. Quæ utique similitudo sufficit ut quilibet nobiscum dicere possit; fortè nec earum Baptismo præjudicatur reverentiæ debitæ Sacramento, maximè cum susceptio non fuerit illis voluntaria, ut idcirco desertio eis cedere debeat in speciale sacrilegium; saltem non sic, quin ministri videantur probabiliter hoc non debere attendere.

Idem ergo dicendum de prolibus aliorum infidelium.

Hinc Navarrus Cons. lib. 3. de Bapt. Cons. 5. Infidelium (inquit) filij usu rationis carentes, quos parentes, penes quos sunt remansuri, ob id petunt baptizari, ut sic ab infirmitate liberentur; baptizandi sunt. Et tamen etiam in his periculum apostasiæ.

Navarrus.

Quidquid sit de veritate rei, fateor DD. communiter sentire oppositum; Scotum excipio, qui licèt 4. dist. 4. q. 9. n. 1. referat communem sententiam ex Ric. 4. dist. 4. a. 3. q. 3. verumtamen n. 2. ubi suam proponit opinionem, loquitur præcisivè, asserens dumtaxat Principem posse baptizare parvulos infidelium subditorum ipsis invitis; si faciat baptizatos religiosè educari, ad quod sine dubio tenetur, si commodè potest. 103.

Nihilominus DD. communiter tenent oppositum.

An autem non possit baptizare, quando videt religiosam educationem esse moraliter impossibilem, neque negat, neque affirmat Doctor Subtilis ibi, aut alibi, ut proinde libera maneat electio in ipsius schola hujus, vel oppositæ partis. Eligo autem sententiam minùs communem, quia magis favorabilis saluti animarum, quæ in pluribus alijs casibus efficit, ut quod aliàs esset irreverentia Sacramenti, jam potiùs censeri debeat reverentia, aut saltem non irreverentia; tum etiam quia pro sententia communi non video quid efficaciter possit objici.

Scoto excepto.

Dices; ex nostra opinione sequitur posse baptizari proles infidelium à quacumque persona privata sine consensu Principis. 104.

Objectio

Respondeo concedendo totum, dummodo saltem consentiat Ecclesia; sine cujus ordinatione, aut licentia non est privatorum ei filios per Baptismum aggregare; præterquam in extrema necessitate, quando consensus est præsumptus, imò debitus, & ipso lumine naturæ expressus.

Solvitur.

Hactenùs de Baptismo parvulorum, nunc pauca occurrunt dicenda de necessitate Baptismatis adultorum. Suppono autem ex dictis, Baptismum in re, vel voto esse adultis medium necessarium ad salutem extra casum Martyrij; quamvis & in ipso Martyrio adultorum (si ita velimus loqui) includatur votum aliquod Baptismi, id est, attritio supernaturalis, quæ proponit servare omnia mandata divina, adeoque suscipere Baptismum, si afforet possibilitas, ita ut neglecto Baptismo, per Martyrium adultus non salvaretur.

Baptismus est adultis medium necessarium ad salutem

Extra casum Martyrij.

Hoc itaque supposito tamquam re indubitatâ

bitata, dubitatur ab aliquibus Primò an sufficiat adultis Baptismus in voto? Secundò, an, & pro quo tempore obligentur adulti præcepto divino positivo ad realem Baptismum? Pro responsione ad primam dubitationem erit

CONCLUSIO VIII.

Adultis sufficit ad justificationem, adeoque ad salutem, Baptismus in voto, id est, perfecta contritio, vel amor Dei super omnia.

105. Sufficit Baptismus in voto. Trident. PRima pars satis colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. c. 4. ibi: *Quæ quidem translatio*, hoc est, justificatio, *post Euangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.* Ergo à contrario sensu, fieri potest per lavacrum regenerationis, aut ejus votum.

Profectò si contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur, ut docet idem Concil. sess. 14. c. 4. Quidni etiam justificet hominem adultum ante realem susceptionem Baptismi? Enimvero teste eodem Concilio, eâdem sessione c. 2. in fine: *Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ relapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

106. Confirmatur ex diversis Scripturis. Ezech. 33. Confirmatur ex diversis Scripturis, quæ contritioni, & amori Dei super omnia simpliciter tribuunt vim justificandi. Ezechiël. 33. v. 12. *Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impij non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

Quæ sit portò illa conversio significat Dominus apud eumdem Prophetam cap. 18. v. 21. dicens: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vitâ vivet & non morietur.* Consonat Christus Matth. 4. v. 17. *Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et Luc. 15. v. 7. *Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.*

(Item 18. Contritioni & amori tribuentibus vim justificandi. Matth. 4. Luc. 15.)

Ad lacrymas autem Mariæ Magdalenæ quid? *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. v. 47. *Si quis enim diligit me*, ait Joannis 14. vers. 23. *sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* (Item 7. Joan. 14.)

107. Sed cùm hæc certa sint, non parva tamen est difficultas, an hæ scripturæ intelligendæ sint de quacumque contritione, aut amore Dei super omnia, an solùm de illa, quæ merito suo adæquet demeritum culpæ: quam controversiam remitto ad proprium locum, ubi multis adductis rationibus, & auctoritatibus ostendam non requiri, ad contritionem aut amorem justificativum extra Sacramentum, determinatam aliquam intensionem vel durationem. (Licèt merito suo non adæquent demeritum culpæ.)

Hîc contenti erimus explicatione unius & alterius loci D. August. qui adversarijs maximè videntur favere. Primus locus desumitur ex lib. 4. de Baptismo cap. 21. in medio: *Sicut autem bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum regnum cælorum, sic malo baptizato vera conversio.* Secundum locum reperio tract. 13. in Joannem circa medium. ibi: *Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.* (Contra hoc opponitur D. Augustinus.)

108. Sed ut à postremo exordiar, explicationem ejus peto ex antecedentibus & consequentibus. Quærit August. hoc loco: *Quare baptizabat Ioannes?* Respondet: *Quia oportebat ut Dominus baptizaretur.* Interrogat rursum: *Et quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Quia*, inquit, *multi contempturi erant Baptismum, eò quòd iam maiore gratiâ præditi viderentur*, quàm viderant alios fideles. Ac paucis interjectis: *Ad hoc autem viam præbuit Dominus noster Iesus Christus, sicut audistis fratres ne quis arrogans eò quòd habeat abundantiam alicuius gratiæ* (puta: *ille prudentiam, ille doctrinam, ille castitatem, ille fortitudinem patientiæ*, ut præmiserat) *dedignaretur baptizari Baptismo Domini: quantumcumque enim Catechumenus proficiat* (id est, videatur sibi profecisse in hujusmodi gratijs) *adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat &c.* (Explicatur.)

109. Vidistis solutionem? Contemptum Baptismi arguit D. Aug. non omissionem ex justa causa, aut invincibili ignorantia. Contemptum, inquam, arguit: & quis potest dicere quòd injustè? Herculè nemo docet, vel umquam docuit, Catechumenum quamdiu Baptismum contemnit, aut negligit, à sarcina iniquitatis suæ posse liberari, id est, justificari; quoniam justificatio, ut jam jam diximus ex Trident. fieri non potest sine lavacro regenerationis, aut ejus voto. (Baptismi votum non stat cum ejus contemptu.)

Anne contemptus Baptismi, ejus votum? Absit ut dicamus eum amare Deum super omnia, aut ex tali amore dolere de peccatis, qui negligit, aut contemnit præceptum divinum graviter obligans omnes adultos, etiam alioquin justos, ad suscipiendum Sacramentum Baptismatis. Neque enim simul consistunt, aut in una sede, id est, animâ, morantur dilectio Dei super omnia, detestatio peccati cum proposito de cætero non peccandi, & actuale peccatum mortale.

Sicuti nec amor Dei super omnia cum actuali peccato.

110. Adde per sarcinam iniquitatis non malè à quibusdam intelligi pœnas temporales peccatis remissis debitas, quæ rarissimè per Baptismum in voto ex toto remittuntur. Unde subdit S. Doctor: *Quomodo non caruit populus Israël populo Ægyptiorum, nisi cùm venisset ad mare rubrum; sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi pervenerit*, in quo tota pœna temporalis dimittitur, quæ meritò *pressura* appellatur, privans animam Dei visione ac fruitione.

S. August.

111. Prima interpretatio apparet verior, & menti D. August. conformior, & non obscurè deducitur, etiam ex primo loco supra allegato pro contraria sententia, quem proinde eodem modo intelligimus. Etenim, ut omittam, similitudinem semper claudicare; adeoque bono Catechumeno ita Baptismum necessarium esse necessitate præcepti, sicut conversio necessaria est necessitate medij malo baptizato; certissimum est mihi, & omnibus esse debet, Sanctissimum Præsulem illis verbis neutiquam voluisse negare, hominem Deo posse reconciliari, antequam Sacramentum Baptismi actu suscipiat; & per consequens glorificari, juxtà illud Apostoli (quod non potuit ignorare) Roman. 8. vers. 30. *Quos iustificavit, illos & glorificavit.* Si tamen in illa justitia decesserint. Et verò quid obstat quò minùs homo in justitia accepta ante Baptismum possit decedere?

Rom. 8.

Introspiciamus penitiùs verba Doctoris Sancti, & omnes mirabimur quorumdam cæcitatem, qui freti ejus auctoritate, ausi fuerunt asserere: Charitatem perfectam & sinceram, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus posse esse sine remissione peccatorum. Item per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto Sacramenti conjunctam non remitti crimen extra casum necessitatis, aut Martyrij sine actuali susceptione Sacramentorum.

Charitas perfecta & sincera non est sine remissione peccatorum.

112. Sic autem discurrit D. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 21. *Illud sanè quod de Catechumenis obyciebatur Cypriano*, quòd in martyrio deprehensi, & pro nomine Christi occisi, etiam sine Baptismo coronarentur; *quid ad rem pertineat non satis intelligo, nisi quia fortè dicebant multò magis hæreticos cum Baptismo Christi posse ad regnum eius admitti, quò Catechumeni admitterentur, cùm ipse dixerit:* Nisi quis renatus fuerit &c. *Quæ in re nec ego dubito Catechumenum Catholicum diviná charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus Catholica bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus*; utique quia ille filius Dei adoptivus, at hæres vitæ æternæ per gratiam sanctificantem, hic autem filius diaboli, & hæres æternæ damnationis per peccatum mortale.

Etiam antequam suscipiantur Sacramenta. Constat ex doctrina Augustini.

Nec ideo tamen (pergit D. August.) *Sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ille iam imbutus est, facimus iniuriam, aut Catechumenum Sacramento Baptismi præferendum putamus, cùm aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremq́ue cognoscimus. Melior enim Centurio Cornelius nondùm baptizatus, Simone baptizato: iste enim* (nota) *& ante Baptismum sancto Spiritu repletus est, ille & post Baptismum immundo spiritu repletus est. Verumtamen Cornelius si etiam Spiritu sancto iam accepto* per Baptismum in voto, hoc est, per contritionem perfectam, aut amorem Dei super omnia, *baptizari* realiter *noluisset* post notitiam præcepti, *contempti tanti Sacramenti reus fieret.*

Patet exemplo Cornelij.

Et infra: *Sicut ergo non debemus improbare iustitiam hominis, quæ prius esse capit, quàm coniungeretur Ecclesiæ, sicut esse cæperat iustitia Cornelij priusquam ipse esset in plebe Christiana, quæ neque si improbaretur, dixisset ei Angelus*, Acceptæ sunt eleëmosynæ tuæ, & exauditæ sunt orationes tuæ: *neque si sufficeret ad capessendum regnum cœlorum, ut ad Petrum mitteret, moneretur.*

Ubi non hoc putandum est voluisse D. Aug. Cornelium justum, si in illa justitia decessisset, fuisse damnandum, sed cùm fides Christi explicita, similiter Baptismus, necessaria essent, non solùm ad salutem, sed etiam ad justitiam, necessitate præcepti; ne fortè cum tempore vincibiliter ignoraret, & ex illa ignorantia contemneret fidem Christi, ac Baptismum, atque ita justitiam, ac gloriam perderet, necessarium erat, ut ad eum ædificandum, hoc est, instruendum in mysterijs fidei, quæ ante adventum Christi non fuerant necessariò, nequidem necessitate præcepti, credenda, mitteretur architectus Apostolus Petrus.

Qui debebat instrui in ijs, quæ erant necessaria ex præcepto.

Hanc

113. S. August. Hanc esse mentem D. August. colligo insuper ex his, quæ habet ibidem c. 22. ibi: *Quantùm itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus:* Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; *in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* (Rom. 10. v. 10.)

Nam multò magis in Cornelio & amicis eius, quàm in latrone (cum Christo crucifixo) *posset videri superfluum ut aquâ etiam tingerentur, in quibus tam donum Spiritûs sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cùm linguis loquerentur, enumerat; Baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat auctoritas*, baptizandi scilicet eos, quos ante Baptismum constat accepisse Spiritum sanctum per Baptismum Flaminis. *Usque adeo nemo debet in quolibet provectu interioris hominis, si forte ante Baptismum* Fluminis *usque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur; sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur,* dans fidei, spei & charitatis augmentum, sicut scriptum est: *Qui justus est justificetur adhuc.* Apoc. ult. v. 11.

Et inquirens rationem, ob quam Joanni fuerit attributum munus baptizandi, inquit: *Vt Dominus ipse qui dederat, cùm servi Baptismum non sprevisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum Baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissimè declararet. Videbat enim tamquam peritissimus medicus salutis æternæ, quorumdam non defuturum tumorem, qui cum intellectu veritatis, & probabilibus moribus ita profecissent, ut multis baptizatis vitâ, atque doctrina se præponere minimè dubitarent, supervacaneum sibi esse crederent baptizari, quando ad illum mentis habitum se pervenisse crederent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conantur.*

Quis ergo credat August. negasse omnibus Catechumenis ante realem susceptionem Baptismi Fluminis gratiam justificantem? Sanè Cornelium fuisse justum non posset clariùs docere, quàm docuit c. 24. illis verbis: *Veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet, justificatus est Abraham*, utique internâ Spiritûs sancti gratiâ, *sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti priusquam baptizaretur ditatus est.* (Licèt antequam baptizaretur fuerit justificatus:)

Et paucis interpositis: *Sicut ergo in Abraham præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei, ita in C. præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.*

Porrò ex his omnibus sic concludit c. 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut & alterum desit, quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi, & Baptismus quidem potest inesse ubi conversio cordis defuerit, Conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur.* 114.

Atque hoc solùm voluit, quando supra c. 22. dixit, conversionem cordis justificare, *cùm ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit;* non quasi perfecta Dei dilectio super omnia, aut contritio charitate perfecta extra necessitatem non justificet; sed quoniam illa haberi non potest; ubi adest contemptus Sacramenti necessarij ex jure divino positivo; quod verissimum est. (Qua justificatio haberi non potest contempto Baptismo.)

Necessarij, dico, *ex iure divino positivo:* Quæris unde id sciam? Jam edissero.

CONCLUSIO IX.

Adulti sufficienter instructi, si desit justa causa, jure divino Baptismi susceptionem diu differre prohibentur; convenit equidem duo Baptismi solemnis tempora, etsi multi adhuc restent menses, exspectari.

Dari aliquod præceptum Baptismi divinum positivum generaliter obligans omnes adultos qualitercumque ante Baptismũ justificatos, diximus in fine præcedentis sectionis, & ad minùs probant hæ Scripturæ Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Matth. ult. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. Mar. ult. v. 15 *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium* 115. (Cujus præceptum obligat omnes adultos etiam ante justificatos. Joan. 3. Matth. ult. Mar. ult.)

 omni

Christiani illicitè cogunt infideles ad Baptismum; pellant infideles ad Baptismum suscipiendum, c. *Sicut Iudaei.* De Judaeis & Saracenis, ibi: *Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Iudaeos ad Baptismum venire compellat.* Rationem subjungit: *Quippe Christi fidem habere non creditur* (saltem ordinariè) *qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

Tolet. IV. Idem ex Tolet. IV. c. 56. refertur c. *de Iudaeis.* dist. 45. *De Iudaeis autem praecipit Sancta Synodus neminem deinceps ad credendum vim inferri..... Sicut enim homo proprij arbitrij voluntate, serpenti obediens perijt, sic vocante se gratiâ Dei, propriae mentis conversatione homo quisque credendo salvatur, ergo non vi, sed liberi arbitrij facultate ut convertantur suadendi sunt, non penitùs impellendi.*

75. Quod non fuit semper illicitum, Nota ly *deinceps*, quo Concil. significat, non semper id fuisse illicitum, & consequenter non esse illicitum ex natura rei, sive ex jure naturali & divino. Unde ibidem subdit: *Qui autem iam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti &c.*

Ergo, inquit Scot. supra n. 3. *in hoc approbat eum tamquam Principem religiosum*, non ob ipsius egregiam fidem, & alia facta pietatis, de quibus ibi nulla fit mentio; sed, *quia infideles coëgit ad fidem.*

Regius. Unde igitur colligit Regius de Actibus supernaturalibus disput. 18. dub. 14. n. 242. religiosissimum illum Regem, utì & Imperatores, qui leges severissimas ediderunt in Manichaeos & Samaritanos, qui erant verè Pagani; unde, inquam, colligit, illos Principes indiscreto zelo aliquid plus quàm justè poterant sibi sumpsisse? Nonne ab omnibus laudatur factum Ferdinandi Hispaniarum Regis, qui ante 100. circiter annos compulit Judaeos & Mauros excedere Hispaniâ, nisi converterentur? (Ut colligitur ex factis laudabilibus multorum Principum,)

76. Quod autem communiter respondetur, infideles fuisse punitos, non ob infidelitatem, sed ob alia scelera; idem videtur, ac si quis diceret, legem latam in fures, non esse latam propter furta, sed propter alia scelera, quibus solent fures etiam esse imbuti; ideoque ridiculum est quòd solùm indirectè illis legibus cogantur infideles.

Statuentium gravissimas poenas pro iis, qui nolunt fidem suscipere. Nec video quare potiùs indirectè liceat, quàm directè, si revera per talia gravamina, exilia, confiscationes bonorum, specialia tributa &c. intendatur conversio infidelium; nam licèt talia media aliàs essent licita, fierent equidem illicita, dum per ea talis finis intenditur, si revera jure divino prohibitum sit aliquem ad fidem compellere.

77. Profectò si haec coactio foret jure naturali & divino illicita, non propter aliud, quàm fictam susceptionem Baptismi; atqui illa potest abesse; ergo &c. Minor constat in eo, qui non statim admittitur, sed paulatim levibus terroribus & poenis ad illum disponitur. *Meliùs est quidem* (utor verbis D. August. Epistola 50.) *quis dubitaverit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm poenae timore vel dolore compelli? Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit* (*quod experimentis probavimus & probamus*) *priùs timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opere sectari.* (Haec igitur coactio non est illicita, Jure naturali vel divino, S. August.)

Exemplum sit in Apostolo Paulo. *Ubi est* (inquit S. Doctor) *quod isti, haeretici, clamare consueverunt, liberum esse credere, vel non credere. Cui vim Christus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum: Agnoscant in eo prius Christum cogentem, & postea docentem; priùs ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quo modo ille, qui poena corporis ad Euangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laboravit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foràs misit timorem.*

Quamvis ergo per se & proximè coactio, praesertim gravis, nata sit tantùm inducere ad actum externum, per accidens tamen & remotè etiam provocat internum consensum, sicut frequenter experimur nos plura aggredi ex timore, quae postea ex amore continuantur. (Cùm ab illa soleat saepe abesse fictio,)

Accedit quòd meritò eadem fictio timeatur, si quispiam justo metu mortis, privationis officij, impositionis tributi &c. petat Baptismum, & tamen admittitur ab Ecclesia, & secundùm communem sententiam haec coactio indirecta, ut vocant, est licita. 78.

Igitur quemadmodùm licet assistere Matrimonio, imò contrahere Matrimonium cum fure v. g. qui justo metu mortis compellitur, quamvis fortè internus consensus desit; & sicuti potest Confessarius absolvere poenitentem, qui fuit haereticus, & cogitur ad fidem, ita etiam infideli coacto ad fidem licitum est administrare Sacramentum Baptismi; priùs tamen debitâ diligentiâ adhibitâ ad consensum internum cognoscendum.

Si dicas haeretico esse credendum in Sacramento Confessionis, nec facilè administrâdum. Respondeo non minùs infideli in Baptismate. Est quidem aliqua disparitas, quòd haereticus, qui compellitur ad Confessionem, etiamsi malè confiteatur, & absolutionem 79. Respondetur cuidam objectioni.

solutionem non recipiat, inde non possit incurrere aliquod damnum propter sigillum hujus Sacramenti, quo obligatur Sacerdos nullo casu revelare audita in confessione, etiam sacrilega.

Sed numquid propterea credere debeo hæretico, qui à vera religione apostatavit, non servans fidem domino suo, pejor factus Gentili, qui numquam Christianam doctrinam audivit; fidere, inquam, debeo hæretico petenti absolutionem, cujus invaliditatem parum curat, & fidere non potero homini infideli postulanti Baptismum? Confidam planè postquam maturè investigavero ejus animum, nisi deprehendero manifestum signum fictionis.

Infidelis penitus invitus invalidè baptizatur.

Equidem si non obstante coactione omnino renuat, & penitus maneat invitus, certum est non debere, nec posse baptizari, aut postmodùm ratione Baptismi cogi ad observantiam legis Christianæ. Ita significatur c. *Maiores* de Baptismo, ibi: *Verùm id est religioni Christianæ contrarium; ut semper invitus, & penitus contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Attamen quòd non omnis coactio repugnet valori Sacramenti, ibidem docet Pontifex, prout videri potest disp. præced. conclus. 1. & 2. Innoc. III.

80. Rogas; cur ergo Ecclesia tam generaliter prohibeat illam violentam compulsionem? Respondeo; quia rarò evenit casus, in quo consultum sit Principes sæculares uti in toto rigore hâc potestate ob plurima incommoda, quæ inde orirentur; experientia quippe docuit indiscretè ad fidem compulsos, non verè fuisse conversos, sed simulatè; imò gravius odium contra fidem suscepisse, hancque simulationem & odium ingenerasse posteris, quæ per apertam apostasiam suo tempore manifestata fuerunt; hoc siquidem est ingenium hominis, ut summè oderit ea, ad quæ nimio rigore compellitur.

Ob multa incommoda est violenta coactio generaliter inhibita.

Si tamen non omninò violenter compellerentur, meritò sperari posset, quod Scotus supra dicit, quòd etiamsi coactio parùm fructûs factura sit in ijs, qui modò coguntur, bene tamen in posteris. Quia ergo sæpe difficile valde est rectè judicare de circumstantijs occurrentibus, ideo expediens fuit tam generalis prohibitio; maximè cùm in casu necessitatis lex humana non obliget, & pateat plerumque recursus ad Legislatorem; qui justa ex causa in lege sua licitè dispensat.

81. Hinc etiam Christus tradens modum annuntiandi Euangelium, non dixit: percutite, occidite &c. eos, qui nolunt vos audire, aut doctrinæ Euangelicæ credere: sed Matth. 10. v. 7. *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate &c. Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* per quam utique significatur potestas punitiva seu coactiva, ut explicat Ambrosius lib. 4. in Luc. c. 10.

Et à Christo proscripta. Matth. 10. S. Ambros.

Unde subjungitur v. 14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris.* Et concludit Christus his verbis: v. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Hic certè modus prædicandi legem gratiæ in humilitate, & mansuetudine Prædicatorum, & sola efficacia verbi divini atque signorum, necessarius fuit in principio, ut manifestaretur virtus Dei, cui Euangelium innititur; & quia illa methodus de per se est convenientior. Non tamen ideo infertur aliam viam esse illicitam, aut non posse esse convenientem, imò & commodiorem, ex occasione temporis & personæ.

Opposita prædicantium humilitas & mansuetudo.

Nec refert quòd in Scriptura expresè non permittatur coactio; nam neque prohibetur, sicut nec de hæreticis quoad hoc quidquam habetur expresè. Dico, *expresè*; quippe Lucæ 14. v. 23. dicitur: *Exi in vias & sepes: & compelle intrare.* Ubi ad litteram sermo est de infidelibus non baptizatis secundùm D. Gregor. Homiliâ 36. in Euang. & de vera coactione secundùm D. August. Epistolâ 48. ad Vincent. ibi: *Putas neminem debere cogi ad justitiam, cùm legas Patrem familias dixisse servis: Quoscumque inveneritis, cogite intrare?* 82.

Nullibi tamen inhibita coactio saltem expresè; imo implicitè videtur permissa. Luc. 14. S. August.

Confirmat exemplo Apostoli. *Cùm,* inquit, *legas etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum, nisi fortè chariorem putas hominibus esse pecuniam, vel quamlibet possessionem, quàm lucem istam, quæ oculis carpitur. Hanc ille cælesti prostratus lumine subitò amissam non recuperavit, nisi cùm sanctæ incorporaretur Ecclesiæ. Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur?*

Confirmatur exemplo Apostoli.

Intelligit quidem August. per eos, qui compellendi sunt, solos hæreticos; attamen cùm exemplum hoc Pauli, & illa sententia Euangelij magis pertineant ad non baptizatos, & rationes August. communes sint hæreticis, & non baptizatis,

fatendum est, etiam ex mente hujus Sancti Doctoris, infideles adigi posse ad fidem, privatione utique bonorum temporalium, ac alijs levioribus pœnis; nullibi siquidem distinguit inter hæreticos, & alios infideles, tametsi solùm faciat mentionem hæreticorum.

83. Huc usque expendimus sententiam Doctoris nostri Subtilis, quam sequitur Gabriël eâdem quæstione ultimâ art. 3. & probabilem judicat Lorca 2. 2. ad q. 10. art. 8. disp. 36. ubi latè eam propugnat, quamvìs sentiat oppositum. Non est autem mens Scoti, qualemcumque coactionem, in quibuscumque circumstantijs jure divino esse permissam, sed moderatam, ubi, & quando recta ratio dictat eam vergere non in destructionem fidei, sed in ædificationem, non in odium, sed potiùs in amorem, nisi aliter per Ecclesiam fuerit dispositum.

Gabriel.

Lorca.

Scotus putat coactionem permissam, esse debere moderatam,

Quam sententiam sic explicatam, probo hâc ratione: Princeps sæcularis potest subditum adigere ad omne id, ad quod tenetur jure divino naturali, cujus est executor ex officio; atqui suppositâ prædicatione, sive sufficienti propositione fidei, lumen naturæ dictat religionem Christianam esse credibilem, & cæteris sectis præferendam; ergo nolentem eam amplecti, potest, imò debet cogere, nisi aliquid obstet. Siquidem potestas Principis sæcularis non ita est politica, quin se etiam extendat ad negotium Religionis, quamquam dependenter ab Ecclesia, cujus est declarare, quænam sint veritates fidei, & tùm Principis est cogere infideles, id est, non baptizatos sibi subditos; nam Ecclesia cogit solos baptizatos.

84. Confirmatur; quia si Christus in Ecclesia sua non instituisset ordinem Hierarchicum, id est, unum supremum Caput, aliosque Prælatos ei subordinatos, nec instituisset ullam aliam gubernandi formam, jure naturæ quælibet Respublica Christiana haberet supremam potestatem, etiam quoad ea, quæ concernunt Religionem, utpote necessaria ad bonum regimen ac communem pacem atque concordiam subditorum, ut experientiâ patet. Ergo si potestatem suam totam, totaliter sine ulla restrictione transtulisset in aliquem Principem, hic non modò foret supremus in ijs, quæ concernunt regimen politicum; verùm etiam in ijs, quæ concernunt regimen spirituale; potissimùm cùm omnibus commune sit dirigi posse sive à se, sive ab alijs, quibus hanc potestatem dederunt, in actionibus necessarijs ad vitam æternam.

Ex quo ulteriùs infero; Principes sæculares quoad subditos infideles, in quos Ecclesia nullam habet potestatem, juxtà Trident. sess. 14. cap. 2. ibi: *Cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*, in ipsos, inquam, habere supremam potestatem in negotio Religionis, adeoque posse eos prohiberé à falsa Religione, & ad veram adigere, quæ, utpote severè vetans scelera contrà legem naturæ, etiam non parum utilis est ad laicam politiam, majorem scilicet pacem & concordiam exteriorem. 85.

Tridem.

Adeoque Princeps sæcularis poterit infideles sic cogere in negotio religionis,

Nescio ergo quo fundamento Vasq. supra in sua responsione supponat, patrem non abuti suâ potestate contrà pacem exteriorem & gubernationem civilem, docendo filium sectam suæ infidelitatis; nulla quippe secta reperitur, quæ non erret circa præcepta naturæ. Si ergo Princeps sæcularis (fidelis sit, vel infidelis, nihil refert) quia minister Dei est, & à Republica accepit potestatem ad omnia, quæ sunt pro utilitate boni communis: si, inquam, potest punire peccata contra legem naturæ, qualia sunt idololatria, magia, blasphemiæ, perjuria, usura, adulterium & similia, quæ non modicùm perturbant pacem & tranquillitatem Reipublicæ, quo jure, aut ratione negabimus ei potestatem extirpandi infidelitatem, ex qua profluunt illa peccata, destruendi templa Idolorum &c.? 86.

Cum quælibet secta erret circà aliqua naturæ præcepta,

Quorum violatio summè nocet bono communi;

Ac proinde, cùm absque Religione subditi nequeant remanere, quidni possit cogere infideles, tamquam ab omni alia potestate sublimiori exemptos, ad unam & veram fidem, quæ magistra est omnium virtutum, summopere conducentium ad internam & externam quietem communitatis? Enimvero sicut nihil adeo perturbat Rempublicam, quàm diversitas Religionum, ut patuit in Hollandia tempore induciarum cum Rege Catholico sub Serenissimis Principibus Alberto, & Isabella; ita nihil magìs efficit, & conservat concordiam & unitatem animorum, quàm una, & vera Religio.

Ut etiam Religionum diversitas.

Et sanè quid repugnat ex natura rei, communitatem aliquam Principi suo dare potestatem, ut singulos subditos cogat ad verum cultum Dei, quiscumque is demum fuerit? Et unde constat primitùs non fuisse concessam potestatem supremam Principibus cum hac illimitatione? Nonne apud Gentiles Romanos & Græcos in more positum fuit, ut Princeps imperaret populo, etiam in negotio Religionis? Quid dicam, quòd hodie in Anglia, & alibi apud hæreti- 87.

Imò non repugnat ex natura rei quod communitas talem potestatem in Principes transferat.

hæreticos hæc potestas Principibus Reipublicæ collata sit? Quod licèt impiè factum; quippe in præjudicium Catholicæ fidei, & potestatis Petro à Christo datæ; tamen probabiliter ostendit, seclusâ Hierarchiâ à Christo institutâ, Principibus supremis competiturum regimen in causa Religionis.

Imò in lege naturæ Principi erat concessa talis vis coactiva;

Unde in lege naturæ Princeps populi, suppositâ fide unius Dei, poterat subditos compellere ad verum illius cultum, ita dictante lumine naturali. Et existimabimus in lege nova ita esse obscuratum, aut potius exstinctum lumen naturale, ut ampliùs non dictet Principem temporalem qui solus est minister Dei respectu istorum infidelium, posse illos cogere ad Religionem Christianam, quam ipsa ratio naturalis ostendit præ cæteris esse eligendam? Non video rationem dubitandi seclusis inconvenientijs, de quibus supra: nam propter melius bonum tolerari possunt, & sæpe debent aliquorum superstitiosi ritus, non solùm judaïci, sed etiam legi naturæ contrarij.

Cur ergo neganda in lege nova?

88. Si dixeris inconveniens est, quòd quis in aliqua re habeat potestatem coactivam separatam à judicativa seu præceptiva. Respondeo Principes civiles, respectu infidelium, quibus alius nemo præcipit, habent potestatem præceptivam etiam in materia fidei; saltem possunt ipsis imperare in alia materia, ac proinde absolutè hîc non separantur potestas coactiva & directiva; licèt equidem talis separatio non sit impossibilis aut incongrua; imò defacto reperitur in Magistratu civili, qui potest directè Clericis præcipere in materia morali communi; minimè eos cogere. Et ipse Princeps sæcularis, nonne, secundùm communiorem & veriorem sententiam, obligatur directè, & immediatè propriâ lege quoad vim directivam; secus coactivam?

Neque ideo separabitur potestas coactiva à directiva.

Licèt talis separatio non sit impossibilis aut incongrua:

Imò defacto reperitur in Principe sæculari qui præcipit Clericis in materia morali communi, quos tamen non potest cogere.

Omitto, quòd ad instantiam Ecclesiæ Princeps sæcularis ita coërceat hæreticos & compellat, ut tamen nihil ipsis possit præcipere in causa Religionis; sed si quæ oritur controversia in materia juris naturalis vel divini, Pontificis seu Ecclesiæ est definire quid licitum & illicitum, ac corrigere etiam ipsas sententias Principum sæcularium, ut docetur in Tract. de Legibus. Positâ autem determinatione Ecclesiæ, Superioris Ecclesiastici est cogere baptizatos vel per se vel per Superiorem civilem tamquam defensorem Ecclesiæ, & mandatorum ejus executorem; porrò compellere infideles seu non baptizatos ad solum spectat Principem sæcularem, tamquàm unicum in terris ministrum Dei, & vindicem illis, qui malum agunt.

Et ad instantiam Ecclesiæ cogit hæreticos, quibus tamen in causa religionis nihil potest præcipere.

Ex quo colligo Primò, quare non possit cogere infideles sibi non subjectos; quia videlicet illis non est minister Dei & vindex. Non est enim potestas nisi à Deo, qui talem non dedit hominibus; sed unicuique Principi concessit regere suam Rempublicam, & non alienam. 89.

Quare Princeps sæcularis non possit cogere infideles sibi non subjectos,

Colligo Secundò, quare similiter non habeat potestatem definiendi res fidei; quia videlicet à Deo illa auctoritas commissa est Ecclesiæ, etiam quoad infideles; quandoquidem illa definitio non sit actus jurisdictionis; sed duntaxat doctrinæ: dictum autem est Apostolis, & non Principibus temporalibus Matth. ultimo v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes* &c.

Aut definire res fidei.

Matth. ult.

Sic explicata, probata ac confirmata sententia Doctoris Subtilis apparet sanè probabilissima, & evincit manifestissimè nostram conclusionem. Quia tamen opposita communior est, gratis concesso, quòd parentes non possint cogi ad fidem suscipiendam; dico nihilominùs, Principem posse abstrahere filios, quos contra bonum commune volunt instruere & educare in sua infidelitate; quippe abutuntur patriâ potestate, etiam contra pacem exteriorem & gubernationem civilem, ut mox ostendimus. 90.

Ex dictis ostenditur Scoti sententia probabilissima,

Esto parentes non possint cogi ad fidem suscipiendam,

Habet quidem pater jus ad educationem parvuli; sed non contra jus Dei & parvuli, ac in destructionem Reipublicæ seu contra bonum commune, quod Princeps tenetur ex officio defendere ac procurare. Sicuti ergo subditis potest eripere alias res temporales, quibus sciuntur abusuri contra tranquillitatem & pacem communitatis; ita etiam filios.

Possunt tamen abstrahi proles invitis parentibus.

Confirmatur; quia potest abstrahere parvulos fidelium: porrò per fidem non accipit Princeps politicus aliquod jus particulare in fidelem, quod antea non habebat. 91.

Contra; Ecclesia tunc habet jus; illud autem tenetur defendere. Respondeo in nostro casu Deum habere jus; similiter parvulum; nec non Rempublicam, quod magìs debet tueri.

Nec satisfacit responsio aliquorum dicentium, jus Dei & parvuli non cadere sub lumen naturæ, adeoque non spectare ad Principem politicum: nam similiter sub lumen naturæ non cadit fidem Catholicam esse prædicandam, templa esse erigenda, Matrimonium ratum dissolvi professione Religionis approbatæ, & similia; & tamen tenentur Principes Christiani illa jura defendere

Licèt jus Dei & parvuli non cadat sub lumen naturæ.

defendere contra infideles, & quoscumque impedire volentes.

92. Confirmatur Secundò; quia servitus politica non magis præjudicare debet patriæ potestati, quàm præceptum divinum naturale; sed ratione prioris potest Superior separare parvulos; ergo etiam ratione posterioris.

93. *Confirmatur à simili.* Confirmatur Tertiò; quia Princeps potest defendere jus parvuli, quod habet ad hæreditatem, ad alimenta necessaria pro vita corporali contra parentes; ergo etiam jus, quod habet ad hæreditatem æternam, ad alimenta necessaria (id est, ad Baptismum, & fidem) pro vita spirituali, quod majus est. Neque exspectanda est extrema necessitas, cùm Principes etiam in probabilibus necessitatibus debeant suis subditis providere, similiter parentes filijs.

94. *Non semper voluntas Patris censetur voluntas Filij.* Contra; voluntas patris censetur voluntas filij, cùm propriam nondum habeat. Respondeo rationabilis, concedo; irrationabilis, nego. Alioquin si pater dilapidaret hæreditatem filij, non posset Princeps eum privare potestate paternâ; certè hæc potestas potiùs cedere debet in favorem, quàm præjudicium filiorum.

Imò sæpe licitè resistunt voluntati parentum, Luc. 14. S. Greg. Hinc si parentes impediunt salutem prolium; ipsæ proles possunt, & debent sibi providere, etiam contra voluntatem parentum; juxtà illud Christi salvatoris apud Euang. Lucam cap. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem* &c. *Quos* scilicet, ut explicat Gregor. homiliâ 37. in Euang. *adversarios in via Dei patitur.*

94. Princeps ergo non poterit coërcere parentes, si filios in malis moribus contrà jus naturale instruunt? Absit. Numquid privat parentes jure, quod habent in bona sua, si sint prodigi, assignans prolibus tutorem? Cur igitur & ipse instar tutoris non possit se ingerere ob defectum parentum, qui parvulum negligunt? *Maximè accedente consensu Principis tamquam supremi tutoris.* Enimvero si parvulus possit baptizari de consensu tutoris, in locum patris defuncti subrogati, invitâ matre; cur non utroque parente invito de consensu Principis, qui est tutor supremus? Quippe jus supremum regiminis non minùs juri duorum, quàm unius in hac causa videtur posse prævalere.

Quamvìs igitur parentes habeant jus in proles suas, non tamen in omnibus circumstantijs, sed ut debitè eo utantur: quemadmodum Rex habet jus altum in bona temporalia subditorum, non tamen ut tyrannicè eo utatur; sed tunc solùm, quando illa bona particularia necessaria sunt pro conservatione boni communis.

Ex dictis credo satìs ab omnibus intelligi, quarè in conclusione dixerim: *Saltem de consensu Principis*; ipsius quippe est, & non cujuslibet privatæ personæ filios à parentibus abstrahere; quæ tamen abstractio videtur necessaria, ne cum magna Sacramenti irreverentia & Religionis injuria, moraliter certò postquam adoleverint à fide apostatent, ad quam equidem ratione Baptismi suscepti obligantur. 95. *Non enim sufficit cujuslibet privatæ personæ authoritas.*

Hinc si privatus quispiam sciret nullum hujusmodi subesse periculum, vel quia parvulus jam separatus est à parentibus justè, vel injustè, moraliter certò numquam restituendus; vel quia videt se posse adultum manu tenere in vera fide sine injuria parentum, non video cur in illis circumstantijs non liceat eum baptizare, nisi fortè ex tali Baptismo oriretur maximum odium parentum in Christianos, & eorum legem; adeoque difficilior, aut moraliter impossibilis eorum conversio ad veram fidem, occisio ipsorum parvulorum, vel similia inconvenientia, quæ etiam ipsi Principi prohiberent talem Baptismum. *Nisi quibusdam positis circumstantijs. Et seclusis inconvenientijs.*

Propter quod dixi in conclusione: *Per se loquendo.* Neque Scotus aliud docuit, ut patet ex verbis ejus citatis in principio conclusionis. Et quoniam hæc inconvenientia regulariter absunt in articulo mortis, ideo communiter unicuique licitum est tunc baptizare parvulum invitis ejus parentibus, præsertim cùm ipsi tali casu ex jure divino obligentur parvulo procurare Baptismum, tamquam omnino necessarium ad evitandam mortem sempiternam. 96. *Quæ regulariter in mortis articulo absunt.*

Porrò per parentes hic veniunt intelligendi etiam tutores, qui in locum illorum succedunt, ac per consequens in jura ac obligationes: per parvulos autem intellige, qui nondum utuntur ratione; nam si habeant usum rationis, & petant Baptismum, dandus est contradicentibus quibuscumque; sunt enim in hoc sui juris juxtà DD. communiter. 97. *Quinam intelligantur nomine parentum.*

Si de usu rationis dubitetur; inclinandum esse in favorem fidei censet Sotus: differendum usque dum de usu rationis constet docent Henriquez, Regius, & alij; est siquidem periculum in festinando, nullum (ut supponitur) in differendo. *Quinam nomine parvulorum. Sotus. Henriquez. Regius.*

Sed id verum crediderim cum Dicastillone disp. 2. n. 77. si necdum sit septennium completum: nam si completum sit, stat præsumptio juris pro usu rationis, nisi apertè constet contrarium, juxtà Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 16. n. 10. ubi dicit ideo jus præscribere septennium ad valorem *Dicastillo. Septennio completo præsumitur pro usu rationis. Sanchez.*

valorem sponsalium, ut præsumatur rationis usus; quippe in dubio ubi contrarium non apparet inspicimus annorum numerum, aliàs frustra jus annos præscripsisset.

98. Quæritur num irrogetur Sacramento irreverentia.

Pro complemento hujus controversiæ inquiro, an verè sit contra reverentiam Sacramenti, quòd parvuli infidelium baptizentur, & apud eos relinquantur, quando commodè non possunt abstrahi.

Per Baptismum parvulorum parentum infidelium, supposito quòd abstrahi nequeat?

Respondeo difficulter ex ratione ostendi posse, quòd non prævaleat charitas proximi. Quid si enim in infantia parvulus moriatur? Nonne baptizatus salvus erit, qui autem non fuerit baptizatus condemnabitur? Et verò magna pars parvulorum nonne moritur ante usum rationis? Immo (inquit quidam recens Auctor) ferè usque duas tertias partes, ut animadversum esse testatur Joannes Poncius disput. 42. n. 37.

Joan. Poncius.

Legi Poncium loco citato, ubi sic ait: At videri tamen posset, quòd etiam id ipsum (puta conferre Baptismum filijs infidelium relictis sub educatione parentum invitorum) liceret; quia nihil videtur impedire, nisi quòd postea apostatarent à fide; hac enim ratione communiter negatur id licere: aut quòd Baptismus redderetur illis inutilis; sed cùm apostasia illa non esset ipsis culpabilis, quandoquidem ex educatione parentum putarent infidelitatem esse meliorem, quàm veram fidem, & se non esse obligatos ad profitendam fidem Baptismi, collati illis invitis parentibus & sine consensu proprio, non apparet, quomodo periculum, aut certitudo moralis illius impedire posset, quo minùs Baptismus concederetur ipsis.

Quantum ad secundum de inutilitate Baptismi, quandoquidem, licèt redderetur inutilis per apostasiam, tamen quia valde deserviret ipsis si morerentur, ut facilè contingere posset antequam pervenirent ad usum rationis, non esset inutile ipsis, sed utilissimum, quòd ministraretur ipsis; & videretur, quòd posset licitè ministrari ipsis in ordine ad illam utilitatem, non obstante, quod etiam contingere posset, quòd non afferret illam; quia scilicet non morerentur ante apostasiam. Huc usque Poncius. Ergo testatur animadversum esse fere usque duas tertias partes parvulorum mori ante usum rationis: negatur consequentia.

Videtur quòd non.

Sufficit magna pars, ut exinde probabilitas mortis prætmaturæ conjuncta periculo æternæ damnationis (suppono quippe quòd in articulo mortis non erit opportunitas Baptismi) satis videatur abstergere irreverentiam fortè inferendam Sacramento per apostasiam in adulta ætate secuturam.

Confirmatur; quia si esset parvulus in præsenti periculo mortis posset, & deberet baptizari; & tamen ex constitutis in tali periculo plures convalescunt. Deinde apostasia ista ut supra bene advertit Poncius posset esse non peccaminosa formaliter, saltem ad tempus (& interim ex hac vita decedentes salvarentur) aut saltem non magis culpabilis (cùm supponantur in infidelitate pari modo educandi) quàm si baptizati non fuissent. 99.

Quod variè ostenditur.

Accedant variæ Baptismi utilitates, quòd scilicet intuitu illius multæ conferantur gratiæ actuales, quibus faciliùs perveniant ad rectam fidem, quam in susceptione Baptismi professi sunt; quòd liberentur à multis dæmonum insidijs; quòd specialiter protegantur ab Angelis, &, quod præcipuum est, Baptismus parvulo in præsenti dat gratiam per quam ex injusto fiat justus & ex inimico amicus Dei, eumque tot annis facit in tali statu perseverare.

Tum ex Baptismi utilitatibus.

Videlicet quòd faciat parvulum Deo gratum &c.

Quòd autem relabatur; quid inde? Numquid etiam certo relapsuro, imò defecturo à fide Catholica, tamen in præsenti ritè disposito, confertur Sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c.?

Dices fidelis habet jus ad illa Sacramenta eo ipso, quò accedit cum legitima dispositione. Respondeo etiam parvulum cujuscumque parentis habere jus ad Baptismum hoc ipso, quò est medium necessarium ad ipsius salutem, quod non tollitur per malam educationem seu infidelitatem secuturam ex ignorantia invincibili, magis, quàm jus ad alia Sacramenta per voluntariam apostasiam. 100.

Objectio.

Solvitur.

Sed instas; apostasia directè censetur repugnare Sacramento Baptismatis, quod est Sacramentum fidei; secùs Pœnitentiæ, quæ est secunda post naufragium tabula, omnibus & solis post Baptismum lapsis necessaria, sæpius iteranda pro occurrentia diversorum peccatorum, quæ omnia æqualiter respicit, ita ut apostasia non plùs ipsi contrarietur, quàm quodlibet aliud mortale peccatum. Similiter alia Sacramenta cùm principaliter sint instituta ad augmentum dumtaxat gratiæ habitualis, unum peccatum mortale non magis ipsis repugnat, quàm aliud; sed omnia æqualiter, in quantùm sunt causa demeritoria gratiæ præhabitæ. 101.

Apostasia non magis directè repugnat Baptismo quàm Pœnitentiæ.

Respondeo, verba tantùm sunt. Anne hoc titulo apostata committit speciale peccatum? Quis Doctorum hoc expressit? Nonne

Ut ex Tridentino satis ostenditur.

Nonne de omnibus, qui peccant post Baptismum susceptum, scriptum est in Concilio Tridentino sess. 6. c. 14. *Qui gratiâ Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti?* Et rursùm sess. 14. c. 8. *Qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint?* Quis propterea docet ex Baptismo quodlibet peccatum mortale contrahere specialem malitiam? Aut quis ideo negabit Baptismum adulto, quia moraliter certus est de relapsu in fornicationem, adulterium, aut simile peccatum?

102. Neque ex ipsa oppositione oritur tanta irreverentia & indignitas ut prævaleat æternæ saluti. *Diana.*

Atque ut directiùs opponeretur infidelitas Baptismo, quàm alia delicta; numquid ex illa oppositione tanta oritur irreverentia & indignitas, ut prævaleat æternæ saluti, quam fortassis parvulus per Baptismum consequetur?

Patet in prolibus hæreticorum, qui secundùm Layman licitè baptizantur.

Satis probabiliter (inquit Diana parte 3. Tract. 4. Resolutione 7.) docet Layman Theol. mor. lib. 5. c. 6. n. 12. baptizari posse proles hæreticorum, etsi probabiliter sub cura parentum hæresi inficiendas; Quia (inquit) periculum perversionis non est adeo propinquum aut certum, cùm fieri possit, ut infantes ante usum rationis moriantur, & per Baptismum salventur: observatum enim alicubi esse intellexi tertiam partem hominum qui in hanc lucem eduntur ante completi septennij ætatem decedere. Tum quia plerumque spes non parva est, ut hæreticorum liberi aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentiùs recipient, si sciant à Catholico Sacerdote se baptizatos fuisse.

Tametsi probabiliter sub cura parentum hæresi inficiendæ.

Addi etiam potest, tametsi à parentibus, & ministris suis hæreticis falsa dogmata edoceantur; interdum ignorantiâ difficulter vincibili laborare, & pertinaces hæreticos non esse, ut proinde tales donum fidei Baptismalis retineant, & salvari possint, si de peccatis post Baptismum commissis verâ contritione doleant. Hæc Layman de prolibus hæreticorum.

Idem ergo dicendum de prolibus aliorum infidelium.

Et quamvìs de prolibus aliorum infidelium non sit omnino eadem ratio (nam ut ait Layman supra, hæretici Christi nomen & sacra Christiana non detestantur, ut alij infideles; neque filios suos per incantationes &c. dæmonijs devovent, sicuti pagani solent) equidem similis, ut patet ex dictis. Quæ utique similitudo sufficit ut quilibet nobiscum dicere possit; fortè nec earum Baptismo præjudicatur reverentiæ debitæ Sacramento, maximè cum susceptio non fuerit illis voluntaria, ut idcirco desertio eis cedere debeat in speciale sacrilegium; saltem non sic, quin ministri videantur probabiliter hoc non debere attendere.

Navarrus.

Hinc Navarrus Cons. lib. 3. de Bapt. Cons. 5. Infidelium (inquit) filij usu rationis carentes, quos parentes, penes quos sunt remansuri, ob id petunt baptizari, ut sic ab infirmitate liberentur; baptizandi sunt. Et tamen etiam in his periculum apostasiæ.

103. Nihilominus DD. communiter tenent oppositum.

Quidquid sit de veritate rei, fateor DD. communiter sentire oppositum; Scotum excipio, qui licèt 4. dist. 4. q. 9. n. 1. referat communem sententiam ex Ric. 4. dist. 4. a. 3. q. 3. verumtamen n. 2. ubi suam proponit opinionem loquitur præcisivè, asserens dumtaxat Principem posse baptizare parvulos infidelium subditorum ipsis invitis; si faciat baptizatos religiosè educari, ad quod sine dubio tenetur, si commodè potest.

Scotô excepto.

An autem non possit baptizare, quando videt religiosam educationem esse moraliter impossibilem; neque negat, neque affirmat Doctor Subtilis ibi, aut alibi, ut proinde libera maneat electio in ipsius schola hujus, vel oppositæ partis. Eligo autem sententiam minùs communem, quia magis favorabilis saluti animarum, quæ in pluribus alijs casibus efficit, ut quod aliàs esset irreverentia Sacramenti, jam potiùs censeri debeat reverentia, aut saltem non irreverentia; tum etiam quia pro sententia communi non video quid efficaciter possit objici.

104. Objectio.

Dices; ex nostra opinione sequitur posse baptizari proles infidelium à quacumque persona privata sine consensu Principis.

Solvitur.

Respondeo concedendo totum, dummodo saltem consentiat Ecclesia; sine cujus ordinatione, aut licentia non est privatorum ei filios per Baptismum aggregare; præterquam in extrema necessitate, quando consensus est præsumptus, imò debitus, & ipso lumine naturæ expressus.

Baptismus est adultis medium necessarium ad salutem

Hactenùs de Baptismo parvulorum, nunc pauca occurrunt dicenda de necessitate Baptismatis adultorum. Suppono autem ex dictis, Baptismum in re, vel voto esse adultis medium necessarium ad salutem extra casum Martyrij; quamvìs & in ipso Martyrio adultorum (si ita velimus loqui) includatur votum aliquod Baptismi, id est, attritio supernaturalis, quæ proponit servare omnia mandata divina, adeoque suscipere Baptismum, si adforet possibilitas, ita ut neglecto Baptismo, per Martyrium adultus non salvaretur.

Extra casum Martyrij.

Hoc itaque supposito tamquam re indubitatâ

bitata, dubitatur ab aliquibus Primò an sufficiat adultis Baptismus in voto? Secundò, an, & pro quo tempore obligentur adulti præcepto divino positivo ad realem Baptismum? Pro responsione ad primam dubitationem erit

CONCLUSIO VIII.

Adultis sufficit ad justificationem, adeoque ad salutem, Baptismus in voto, id est, perfecta contritio, vel amor Dei super omnia.

105. Sufficit Baptismus in voto. Trident. PRima pars satis colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. c. 4. ibi: *Quæ quidem translatio*, hoc est, justificatio, *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Ergo à contrario sensu, fieri potest per lavacrum regenerationis, aut ejus votum.

Profectò si contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur, ut docet idem Concil. sess. 14. c. 4. Quidni etiam justificet hominem adultum ante realem susceptionem Baptismi? Enimvero teste eodem Concilio, eâdem sessione c. 2. in fine: *Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ relapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

106. Confirmatur ex diversis Scripturis. Ezech. 33. Confirmatur ex diversis Scripturis, quæ contritioni, & amori Dei super omnia simpliciter tribuunt vim justificandi. Ezechiël. 33. v. 12. *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impij non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

Quæ sit portò illa conversio significat Dominus apud eumdem Prophetam cap. 18. v. 21. dicens: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vitâ vivet & non morietur.* Consonat Christus Matth. 4. v. 17. *Exinde capit Jesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et Luc. 15. v. 7. *Dico vobis quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.*

(Margin: Item 18. Contritioni & amori tribuentibus vim justificandi. Matth. 4. Luc. 15.)

Ad lacrymas autem Mariæ Magdalenæ quid? *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. v. 47. *Si quis enim diligit me*, ait Joannis 14. vers. 23. *sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

(Margin: Item 7. Joan. 14.)

107. Sed cùm hæc certa sint, non parva tamen est difficultas, an hæ scripturæ intelligendæ sint de quacumque contritione, aut amore Dei super omnia, an solùm de illa, quæ merito suo adæquet demeritum culpæ: quam controversiam remitto ad proprium locum, ubi multis adductis rationibus, & auctoritatibus ostendam non requiri, ad contritionem aut amorem justificativum extra Sacramentum, determinatam aliquam intensionem vel durationem.

(Margin: Licèt merito suo non adæquent demeritum culpæ.)

Hic contenti erimus explicatione unius & alterius loci D. August. qui adversarijs maximè videntur favere. Primus locus desumitur ex lib. 4. de Baptismo cap. 21. in medio: *Sicut autem bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum regnum cælorum, sic malo baptizato vera conversio.* Secundum locum reperio tract. 13. in Joannem circa medium. ibi: *Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.*

(Margin: Contra hoc opponitur D. Augustinus.)

108. Explicatur. Sed ut à postremo exordiar, explicationem ejus peto ex antecedentibus & consequentibus. Quærit August. hoc loco: *Quare baptizabat Joannes?* Respondet: *Quia oportebat ut Dominus baptizaretur.* Interrogat rursum: *Et quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Quia*, inquit, *multi contempturi erant Baptismum, eò quòd jam majore gratiâ præditi viderentur, quàm viderant alios fideles.* Ac paucis interjectis: *Ad hoc autem viam præbuit Dominus noster Jesus Christus, sicut audistis fratres ne quis arrogans eò quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ* (puta: *ille prudentiam, ille doctrinam, ille castitatem, ille fortitudinem patientiæ*, ut præmiserat) *dedignaretur baptizari Baptismo Domini: quantumcumque enim Catechumenus proficiat* (id est, videatur sibi profecisse in hujusmodi gratijs) *adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat* &c.

109. Vidistis solutionem? Contemptum Baptismi arguit D. Aug. non omissionem ex justa causa, aut invincibili ignorantia. Contemptum, inquam, arguit: & quis potest dicere quòd injustè? Herculè nemo docet, vel umquam docuit, Catechumenum quamdiu Baptismum contemnit, aut negligit, à sarcina iniquitatis suæ posse liberari, id est, justificari; quoniam justificatio, ut jam jam diximus ex Trident. fieri non potest sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.

(Margin: Baptismi votum non stat cum ejus contemptu.)

Anne contemptus Baptismi, ejus votum? Absit ut dicamus eum amare Deum super omnia, aut ex tali amore dolere de peccatis, qui negligit, aut contemnit præceptum divinum graviter obligans omnes adultos, etiam alioquin justos, ad suscipiendum Sacramentum Baptismatis. Neque enim simul consistunt, aut in una sede, id est, animâ, morantur dilectio Dei super omnia, detestatio peccati cum proposito de cætero non peccandi, & actuale peccatum mortale.

Sicuti nec amor Dei super omnia cum actuali peccato.

110. Adde per sarcinam iniquitatis non malè à quibusdam intelligi pœnas temporales peccatis remissis debitas, quæ rarissimè per Baptismum in voto ex toto remittuntur. Unde subdit S. Doctor: *Quomodo non caruit populus Israël populo Ægyptiorum, nisi cùm venisset ad mare rubrum; sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi pervenerit*, in quo tota pœna temporalis dimittitur, quæ meritò *pressura* appellatur, privans animam Dei visione ac fruitione.

S. August.

111. Prima interpretatio apparet verior, & menti D. August. conformior, & non obscurè deducitur, etiam ex primo loco supra allegato pro contraria sententia, quem proinde eodem modo intelligimus. Etenim, ut omittam, similitudinem semper claudicare; adeoque bono Catechumeno ita Baptismum necessarium esse necessitate præcepti, sicut conversio necessaria est necessitate medij malo baptizato, certissimum est mihi, & omnibus esse debet, Sanctissimum Præsulem illis verbis neutiquam voluisse negare, hominem Deo posse reconciliari, antequam Sacramentum Baptismi actu suscipiat; & per consequens glorificari, juxtà illud Apostoli (quod non potuit ignorare) Roman. 8. vers. 30. *Quos justificavit, illos & glorificavit*. Si tamen in illa justitia decesserint. Et verò quid obstat quò minùs homo in justitia accepta ante Baptismum possit decedere?

Rom. 8.

Introspiciamus penitiùs verba Doctoris Sancti, & omnes mirabimur quorumdam cæcitatem, qui freti ejus auctoritate, ausi fuerunt asserere: Charitatem perfectam & sinceram, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus posse esse sine remissione peccatorum. Item per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto Sacramenti conjunctam non remitti crimen extra casum necessitatis, aut Martyrij sine actuali susceptione Sacramentorum.

Charitas perfecta & sincera non est sine remissione peccatorum.

112. Sic autem discurrit D. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 21. *Illud sanè quod de Catechumenis objiciebatur Cypriano, quòd in martyrio deprehensi, & pro nomine Christi occisi, etiam sine Baptismo coronarentur, quid ad rem pertineat non satis intelligo, nisi quia fortè dicebant multò magis hæreticos cum Baptismo Christi posse ad regnum eius admitti, quò Catechumeni admitterentur, cùm ipse dixerit*: Nisi quis renatus fuerit &c. *Qua in re nec ego dubito Catechumenum Catholicum divinâ charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus Catholica bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus*; utique quia ille filius Dei adoptivus, at hæres vitæ æternæ per gratiam sanctificantem, hic autem filius diaboli, & hæres æternæ damnationis per peccatum mortale.

Etiam antequam suscipiantur Sacramenta. Constat ex doctrina Augustini.

Nec ideo tamen (pergit D. August.) *Sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ille iam imbutus est, facimus iniuriam, aut Catechumenum Sacramento Baptismi præferendum putamus, cùm aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremq́; cognoscimus. Melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus, Simone baptizato: iste enim* (nota) *& ante Baptismum sancto Spiritu repletus est, ille & post Baptismum immundo spiritu repletus est. Verumtamen Cornelius si etiam Spiritu sancto iam accepto* per Baptismum in voto, hoc est, per contritionem perfectam, aut amorem Dei super omnia, *baptizari* realiter *noluisset* post notitiam præcepti, *contempti tanti Sacramenti reus fieret*.

Patet exemplo Cornelij.

Et infra: *Sicut ergo non debemus improbare iustitiam hominis, quæ prius esse cæpit, quàm coniungeretur Ecclesiæ, sicut esse cæperat iustitia Cornelij priusquam ipse esset in plebe Christiana, quæ neque si improbaretur, dixisset ei Angelus*, Acceptæ sunt eleëmosynæ tuæ, & exauditæ sunt orationes tuæ: *neque si sufficeret ad capessendum regnum cælorum, ut ad Petrum mitteret, moneretur*.

Ubi non hoc putandum est voluisse D. Aug. Cornelium justum, si in illa justitia decessisset, fuisse damnandum, sed cùm fides Christi explicita, similiter Baptismus, necessaria essent, non solùm ad salutem, sed etiam ad justitiam, necessitate præcepti; ne fortè cum tempore vincibiliter ignoraret, & ex illa ignorantia contemneret fidem Christi, ac Baptismum, atque ita justitiam, ac gloriam perderet, necessarium erat, ut ad eum ædificandum, hoc est, instruendum in mysterijs fidei, quæ ante adventum Christi non fuerant necessariò, nequidem necessitate præcepti, credenda, mitteretur architectus Apostolus Petrus.

Qui debebat instrui in ijs, quæ erant necessaria ex præcepto.

Hanc

113. *S. August.* Hanc esse mentem D. August. colligo insuper ex his, quæ habet ibidem c. 22. ibi: *Quantùm itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus*: *Rom. 10. v. 10.* Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; *in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.*

Nam multò magis in Cornelio & amicis eius, quàm in latrone (cum Christo crucifixo) *posset videri superfluum ut aquâ etiam tingerentur, in quibus iam donum Spiritûs sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cùm linguis loquerentur, enumerat; Baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat auctoritas*, baptizandi scilicet eos, quos ante Baptismum constat accepisse Spiritum sanctum per Baptismum Flaminis. *Usque adeo nemo debet in quolibet provectu interioris hominis, si fortè ante Baptismum* Fluminis *usque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum; quod ministrorum opere corporaliter adhibetur; sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur*, dans fidei, spei & charitatis augmentum, sicut scriptum est: *Qui iustus est iustificetur adhuc.* Apoc. ult. v. 11.

Et inquirens rationem, ob quam Joanni fuerit attributum munus baptizandi, inquit: *Ut Dominus ipse qui dederat, cùm servi Baptismum non sprevisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum Baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissimè declararet. Videbat enim tamquam peritissimus medicus salutis aeternæ, quorumdam non defuturum tumorem, qui cùm intellectu veritatis, & probabilibus moribus ita profecissent, ut multis baptizatis vitâ, atque doctrina se praeponere minimè dubitarent, supervacaneum sibi esse crederent baptizari, quando ad illum mentis habitum se pervenisse crederent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur.*

Quis ergo credat August. negasse omnibus Catechumenis ante realem susceptionem Baptismi Fluminis gratiam justificantem? Sanè Cornelium fuisse justum non posset clariùs docere, quàm docuit c. 24. illis verbis: *Veraciter conijcere possumus, quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet, iustificatus est Abraham*, utique internâ Spiritûs sancti gratiâ, *sicut Cornelius etiam dono Spiritûs sancti priusquam baptizaretur ditatus est.*

Licèt antequam baptizaretur fuerit justificatus.

Et paucis interpositis: *Sicut ergo in Abraham praecessit fidei iustitia, & accessit circumcisio signaculum iustitiæ fidei, ita in Cornelio praecessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritûs sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.*

Porrò ex his omnibus sic concludit c. 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut & alterum desit, quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto; quod non ex voluntate defuisset. Cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi, & Baptismus quidem potest inesse ubi conversio cordis defuerit, Conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur.* 114.

Atque hoc solùm voluit, quando supra c. 22. dixit, conversionem cordis justificare, *cùm ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit*; non quasi perfecta Dei dilectio super omnia, aut contritio charitate perfecta extra necessitatem non justificet; sed quoniam illa haberi non potest; ubi adest contemptus Sacramenti necessarij ex jure divino positivo; quod verissimum est.

Quæ justificatio haberi non potest contempto Baptismo.

Necessarij, dico, *ex iure divino positivo.* Quaeris unde id sciam? Jam edissero.

CONCLUSIO IX.

Adulti sufficienter instructi, si desit justa causa, jure divino Baptismi susceptionem diu differre prohibentur; convenit equidem duo Baptismi solemnis tempora, etsi multi adhuc restent menses, exspectari.

Dari aliquod praeceptum Baptismi divinum positivum generaliter obligans omnes adultos qualitercumque ante Baptismũ justificatos, diximus in fine praecedentis sectionis, & ad minùs probant hæ Scripturæ Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Matth. ult. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. Mar. ult. v. 15 *Euntes in mundum universum praedicate Euangelium omni* 115.

Cujus praeceptum obligat omnes adultos etiam ante justificatos.

Joan. 3. *Matth. ult.* *Mar. ult.*

omni creaturæ. Additur v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Objectio solvitur. Nec obstat quòd non dicatur, *vel baptizatus fuerit*; tùm quia hoc satis exprimitur in verbis Christi Joannis 3. *Non potest introire in regnum Dei*: tùm maximè, quia voluit Christus in illo loco significare longè diversam esse necessitatem fidei, & Baptismatis; quippe sine reali actu fidei supernaturalis impossibile est adultum placere Deo; possibile autem absque Baptismo realiter suscepto, ut mox ostendimus, per Baptismum in voto.

Replica solvitur. Sed, inquis, quidni etiam sufficiat fides in voto? Respondeo nullus datur actus supernaturalis in quo fides virtualiter continetur, cùm ipsa sit primus actus & fundamentum cæterorum, juxtà illud Trident. sess. 6. c. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Sed de necessitate fidei in proprio tractatu.

116. Ostenditur præceptum Baptismi primò ex particulari potestate data Apostolis. Certè frustrà daretur Apostolis particularis potestas prædicandi Euangelium, & baptizandi, si illi qui præcepti capaces sunt non tenerentur fidem, vel Baptismum suscipere. Quis dubitat Apostolos Actorum 2. & 3. baptizasse eos, qui priùs per Circumcisionem, aut aliud remedium erant justificati? Quare, nisi quia obligabantur ad Christianismum & ingressum Ecclesiæ, cujus janua est Baptismus; quemadmodùm Circumcisio janua erat veteris legis, obligans etiam adultos alio remedio regeneratos?

Secundò ex Scriptura Joan. 3. Et cui quæso primò omnium legitur Christus necessitatem Baptismi aperuisse? Nonne Nicodemo Principi Judæorum? Quibus verbis? *Amen amen dico tibi*, Joannis 3. v. 3. *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Indubiè renatus erat Nicodemus per Sacramentum Circumcisionis, vel aliud remedium legis naturæ, & tamen à Christo audivit, nisi denuo renasceretur per Baptismum post Euangelium promulgatum non visurum se regnum Dei.

117. Joan. 20. Nescis quòd ex illis verbis Joannis 20. v. 22. & 23. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, quibus Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, universa Ecclesia semper intellexerit integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere? Sed cur hoc? Quia qui habet potestatem ligandi peccatorem & excludendi à regno cælorum, liquet profectò quòd sit Judex necessarius; utpote qui per negationem veniæ relinquit peccatorem exclusum.

Et ideo dicitur Confessarius accepisse claves cæli; quando enim alicui dantur claves domus clausæ, recursus ad ipsum fit medium necessarium, ut aliquis domum illam ingrediatur. Ergo similiter cum scriptum sit: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei: non potest introire in regnum Dei*, liquet profectò ministerium Baptismi esse necessarium vel ad deletionem peccati originalis, quod occludit ingressum cæli, etiam parvulis, vel certè ad evitandum peccatum mortale actuale, quod adultis, etiam præviè à peccato originali liberatis, mortem animæ adfert præsentem & sempiternam.

Hanc veritatem Catholicam quam videtur Trident. definivisse sess. 7. de Sacramento Baptismi can. 5. *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit:* hanc, inquam, necessitatem antè Concil. expressis verbis tradidit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 6. n. 2. *Respondeo dicendum quòd post Baptismum promulgatum per modum præcepti, quilibet qualitercumque justificatus, qui non implevit illud præceptum, cum quo Deus non dispensavit specialiter, ut non teneretur ad illud, tenetur ad Baptismum affectu, & pro loco & tempore effectu, si manet viator nobiscum, quousque potest commode recipere in effectu.* 118. Ostenditur tertio ex Tridentino. Quod antea etiam tenuit D. Subtilis;

Ratio fundamentalis est: *Quia lex universaliter promulgata omnes obligat (universaliter dico illam promulgari, in cujus promulgatione non est aliqua acceptio personæ, sive cujuscumque exceptio personæ, vel circumscriptio circumstantiæ) tale fuit præceptum de Baptismo suscipiendo.* Rationes congruentiæ Quia lex universaliter promulgata omnes obligat.

Prima; *Quia congruum fuit omnes de lege Christiana habere unum signum, in quo convenirent inter se, & distinguerentur ab alijs.... maximè illud signum, per quod ingrederentur observantiam hujus legis: per ejus enim susceptionem adscribuntur illi legi, & dicuntur de familia Christi.* 119. Et ob varias congruentias.

Secunda; *Quia quilibet viator tenetur esse membrum Ecclesiæ militantis; non tantùm in scientia divina, sed etiam quantùm ad notitiam aliorum membrorum, quantùm in se est: quia tenetur cum alijs membris communicare in his, quæ pertinent ad observantiam legis, & eos non scandalizare. Si autem non acciperet Sacramentum, per quod fit membrum Ecclesiæ secundum judicium Ecclesiæ, non esset aptus ad communionem cum alijs membris in multis actibus pertinentibus ad Ecclesiam*, (puta, in susceptione

gione cæterorum Sacramentorum) *scandalizaret etiam active alia membra, quæ haberent occasionem judicandi ipsum contemnere communitatem.*

Tertia; *Quia qui potest ex actu facili magnam gratiam acquirere, si negligat illum actum, videtur gratiam contemnere, vel saltem eam non ita appretiari, quantùm est appretiabilis: sed ille qui non est baptizatus, quantumcumque aliter sit iustificatus, per actum facilem, scilicet per susceptionem Baptismi, potest magnam gratiam acquirere; quia quantumcumque perfecto de lege communi accedenti ad Baptismum, augetur gratia: ergo si negligat videtur contemnere gratiam, & dat alijs occasionem sic judicandi.*

120. Cui præcepto satisfecerunt D. Virgo & Apostoli.

Objicit sibi Primò: quia non legitur de Apostolis, nec de B. Virgine, quòd fuerint baptizati. Respondet n. 3. probabile esse quòd Apostoli fuerint baptizati: *Quia Christus*, inquit, *fecit eos sacerdotes, conferens eis in cœna potestatem conficiendi corpus Christi dicens*, Quotiescumque *&c. Et conferens eis post resurrectionem potestatem absolvendi Ioannis* 20. Quorum remiseritis *&c. Contulit eis etiam officium baptizandi solenniter Matth. ult.* Euntes baptizate *&c. Ordo autem Sacerdotij supponit Baptismum, saltem de congruo, Extra. de Presb. non baptizato. c. Veniens.*

Inn. III.

Cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum.

Ubi Innoc. III. decernit juxta decreta Concilij apud Compendium celebrati, Presbyterum non baptizatum esse reordinandum post Baptismum ritè susceptum, *cùm*, ut præmittitur, *Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum*, &, *ubi fundamentum non est, superædificari non potest.* Sic, inquam, decernit non obstante quòd aliquibus contrarium videretur propter hanc rationem:

Non sic operum salutiferorum.

Nam cùm quis non solùm per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi (invisibile) *& qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum præter quod aliud poni non potest quod est Christus Iesus: superædificare posse videtur, sicut salutifera opera sic & qualibet Ecclesiastica Sacramenta.* Quæ ratio facilè solvitur attentâ visibilitate Ecclesiæ Christi, ad quam indubiè requiritur visibilitas membrorum per externam professionem fidei, quæ fit in Baptismo.

Porrò cætera Sacramenta specialiter à Christo instituta sunt, ut renatis fonte Baptismatis, una sit pietas externa actionum, quibus à cæteris fidelibus seu infidelibus distinguantur. Unde definitur Ecclesia: Cœtus hominum Christianæ fidei professione in Baptismate, & cæterorum Sacramentorum participatione, sub uno legitimo Pastore coadunatorum. At verò opera salutifera, sicuti ante Ecclesiam Christi communia erant, & proderant quibuscumque fidelibus justis, ita eamdem utilitatem retinent post ejus institutionem.

Cæterùm, Baptismum Apostolorum probabiliter docuit D. Aug. Epist. 108. vide sect. 1. hujus disp. conclus. 1. ubi habes ejus verba. Euthymius in c. 3. Ioannis sic inquit: *Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, & Virginem Mariam baptizavit: Petrus verò reliquos Apostolos.* 121. Baptismum Apostolorum docuerunt Patres, S. August. Euthymius.

Hanc traditionem Nicephorus Calixtus lib. 2. Hist. c. 3. alijs verbis proponit dicens: *Divinus Evodius, & ipse Apostolorum successor fuit, in Commentarijs suis, præcipuè autem in Epistola, quam* Lumen *inscripsit, hæc quoque posuit: Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit; Petrus porrò Andream, & filios Zebedæi; ij deinceps reliquos Apostolos* &c. Sed non sunt convenientia testimonia eorum, quoniam quod unum asserit, alterum negat. Nicephorus Calixtus.

Ut ut sit, potuit Christus per specialem dispensationem velle illos assumere sine Baptismo in familiam suam, & constituere Principes suæ Ecclesiæ; sicut etiam eos confirmavit per visibilem descensum Spiritûs sancti in linguis igneis. An autem dispensaverit non legitur.

Scotus supra ait: *Nec videtur necessitas quòd Christus cum Apostolis in hoc dispensaverit: quia nulla videtur ratio dispensandi, nec aliqua necessitas, vel utilitas consecuta; cùm nec ipsi essent gratiores Deo per hoc quòd non baptizati; nec fuissent efficaciores Doctores in Ecclesia. Imò videtur quòd minùs efficaces, quia minùs valet Magister moralis, qui non vult opere complere, quod docet, secundùm Gregorium. Christus etiam in seipso voluit Baptismum suscipere, saltem Ioannis, antequam legem Baptismi alijs imponeret, quia Actor. 1. dicitur; Cæpit Iesus facere, & docere.* Scotus.

Magìs dubitat Doctor an non dispensaverit Christus cum B. Virgine. *Consimiliter*, inquit, *supponendum est de B. Virgine*, quòd fuerit Baptizata: *nisi fortè ipsa sit excepta ab illa lege, & de ea fuisset ratio dispensandi: quia fortè habuit in conceptione filij sui illam plenitudinem gratiæ, ad quam Deus disposuit eam pervenire.*

Objicit Secundò; baptizatus Baptismo Sanguinis non tenetur ad Baptismum Fluminis; ergo nec baptizatus Baptismo Flaminis. 122. Ab hac obligatione non liberatur baptizatus Baptismo sanguinis.

Respondet n. 4. negando antecedens, *Suppo-*

Si postea est nobiscum viator..... hoc autem quod supponitur est bene possibile, sicut de quibusdam legitur, quòd sunt facti bis confessores, quia sustinuerunt bis pœnas pro fide, propter quas tamen non sunt mortui, Deo per miraculum mortem impediente. *Si autem Baptismus Sanguinis sit completus* ultimo extrinseco complemento, *quia sic baptizatus moritur, & non remanet nobiscum viator, non est obligatus ad præceptum viatoris: Sacramenta autem non habent locum nisi pro statu viæ.*

123. Neque frustra suscipit antea justificatus.

Objicit Tertiò; nullus tenetur recipere Sacramentum frustra, quia in operibus Dei nihil est frustra; sed Baptismus à justificato frustra accipitur, cùm non habeat effectum, qui est ablutio animæ à peccato; jam enim priùs est ablutus.

Respondet supra negando Minorem: *Quia gratia ibi augetur, nisi pervenerit ad terminum: & si forte priùs pervenerit, additur ibi meritum obediendo præcepto divino: nec etiam est frustra post plenitudinem gratiæ, si quis eam haberet, addere opera meritoria*, juxta illud Christi Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*

124. Objicit Quartò & ultimò: Injuria est Sacramento, facere quantùm in se est, quòd ipsum sit signum falsum; sed talis suscipiens facit hoc; quia caret tunc signato; quia tunc non dat gratiam; ergo &c.

Neque ipsum falsificat Sacramentum.

Respondet supra negando Minorem: *Quia vel ibi confertur gratia aliqua, & tunc est signum practicum verum: vel nulla, si iam priùs erat gratia perfecta, & tunc est signum verum practicum, non respectu eius quod est gratia in fieri, sed in esse*; hoc est, ut loquitur 4. dist. 1. q. 6. n. 12. *Quia gratiam significaret vel tunc fieri, vel priùs datam tunc inesse.*

125. Sed instat: *Saltem non habet secum significatum, scilicet ablutionem à peccato.*

Respondet; *Quòd illa ablutio significatur, vel tunc in fieri, vel tamquam quæ nunc insit, vel tamquam infienda quantùm est ex parte Sacramenti, si scilicet aliquid inesset, à quo anima esset abluenda.* Igitur ex mente Doctoris Subtilis verificatur forma Baptismatis in eo, qui non habet, nec umquam habuit peccatum originale, aut actuale.

Cùm verificetur forma in eo qui numquam habuit originale peccatum.

Confirmatur ex Baptismo adulti peccatoris valido, sed informi, qui non significat remissionem in facto, vel in fieri alicujus peccati; nam caret effectu gratiæ, per quam solam ex præsenti Dei ordinatione remittitur peccatum.

Sicuti verificatur in homine ficto vel hæretico.

Si ergo forma Baptismi vera est in homine ficto, aut hæretico, quamvis pro nunc sit incapax gratiæ, & per consequens remissionis peccatorum, quæ est principalis ejus effectus; quantò magis verificabitur in eo, qui capax est gratiæ, vel certè incapax, quia pervenit ad terminum, & nullum habuit peccatum, vel si habuit jam remissum est, atque ideo pro nunc incapax remissionis peccatorum; capax tamen omnium aliorum effectuum, ratione quorum vera est significatio formæ Baptismatis in hæretico, aut ficto?

Atque hac ratione B. Virgo, quæ caruit peccato originali, & libera fuit ab omni actuali, per Baptismum accepisset characterem animæ impressum; nec non, secundùm multorum opinionem, gratiam, etiam habitualem; incorporata fuisset Ecclesiæ visibili; adimplevisset præceptum; ac denique reddita fuisset capax aliorum Sacramentorum. 126.

Et de facto verificata fuit in V. Maria.

Profectò si absolvitur forma à conferenda gratia, absolvitur etiam à connotatione, ac significatione peccati, quod solùm connotat in quantùm illud remittit actu per collationem gratiæ, quæ sola, ut dixi, habet annexam remissionem peccati, ejusque connotationem per modum termini à quo. Atqui certum est Baptismum non semper practicè significare saltem primam gratiam, ut patet in justificatis per Baptismum in voto; ergo &c.

Si autem à me quæritur quæ sit ergo essentialis significatio formæ Baptismatis? Respondeo duplicem habere significationem, unam speculativam ex institutione humana, quâ refertur ad ablutionem corporis, quæ in unoquoque habet locum, & nullatenùs respicit peccatum esse, aut fuisse, vel remissionem ejus in effectu, aut virtute; cùm ad alios fines, puta voluptatis, munditiei, aut salutis corporalis frequens sit usus balneorum. 127.

Essentialis significatio formæ baptismatis est duplex;

Una speculativa ex institutione humana;

Altera significatio est practica ex divina institutione, quâ instar signi sacramentalis quantùm est ex parte sua confert gratiam remissivam peccati, adeoque remissionem peccati omnibus non ponentibus obicem, id est, subjecto capaci; gratiam, inquam, ejusdem speciei physicæ cum illa, quæ confertur per Sacramentum Eucharistiæ; sicut ergo hæc non connotat peccatum esse, vel fuisse in communicante, ita nec illa in eo, qui baptizatur.

Altera practica ex institutione divina.

Baptismus quidem institutus est principaliter in remissionem peccatorum, secundùm illud Symboli & Concilij Constantinopolitani: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*; sed non totaliter, quia præter gratiam sanctificantem, per quam remittit peccata, si quæ invenit subjecto non

In ordine ad remissionem peccatorum; Constantinop.

Sed non totaliter, quia alios habet effectus.

non remissa, insuper animæ imprimit characterem indelebilem, quo fit membrum Ecclesiæ visibilis, capax cæterorum Sacramentorum.

128. Joannes in quo Baptizabat? Nonne in aqua in pœnitentiam? *Ego*, inquit apud Matth. c. 3. v. 11. *Baptizo vos in aqua in pœnitentiam.* Et circumcisio quid significabat? Signum, inquies, erat fœderis inter Deum & hominem, & professio Judaïsmi, & nota distinctiva Judæorum ab alijs Gentibus.

Matth. 3.

Anne hoc solùm? Nonne & remedium fuit peccati originalis? Quid dicit Scriptura Gen. 17. v. 14. *Masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Quare? *Quia pactum meum in Adamo irritum fecit.* Vide disp. 1. sect. 2. concl. 6. *Vides*, inquit D. Ambrosius lib. 2. in c. 2. Lucæ circa medium, *omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri; nam & Circumcisio purgationem significat delictorum.*

Genes. 17.

S. Ambr.

Equidem, *Quem nemo potest*, verba sunt D. Bern. ser. 1. de Circumc. Domini in principio, *arguere de peccato* (Christum intelligit) *ipse peccati remedium, & verecundum pariter, & austerum sine ulla necessitate suscepit.* Et infra: *Qui peccatum non fecit non dedignatus est se peccatorem reputari.* Ergo Circumcisio signum erat peccati: consimiliter Baptismus Joannis.

S. Bernard.

Circumcisio non fuit signum falsum in Christo.

An propterea signa falsa in Christo? Quis credat? Non habuerunt quidem, nec habere poterant hanc significationem in Christo, sed alias. *Circumcisio*, inquit Bern. supra, *veritatem probat susceptæ humanitatis*, confirmat legem à Christo datam, ostendit Christum esse de genere Abraham, cui promissus est, ut Judæi non haberent excusationem.

Si itaque Christus potuit circumcidi, potuit baptizari Baptismate Joannis: quidni B. Virgo, quamvis sine peccato originali concepta, & ab omni peccato actuali libera, in veritate potuit baptizari Baptismo Christi? Sensus igitur formæ sacramentalis est: *Ego te corporaliter abluo, & confero tibi quantum est ex parte Dei & Sacramenti gratiam remissivam peccatorum, & actualiter remittentem, si peccata insint, & legitimè sis dispositus.*

Cur ergo Baptismus signum falsum in B. V.?

129. Dices: ergo malè Concil. Milev. & ex illo Trident. colligunt ex forma Baptismi peccatum originale parvulorum. Hæc sunt verba Milevitani c. 2. *Item placuit ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit.*

Rectè nihilominùs ex forma Baptismi colligitur originale peccatum, Milevit.

Hunc Canonem transcripsit Concil. Trident. paucis additis sess. 5. in decreto de peccato originali §. 4. & tamen secundùm jam dicta forma Baptismatis potest intelligi vera, etsi parvuli nihil ex Adam traherent originalis peccati.

Respondent aliqui per formam Patres illius Concilij non intellexisse formam essentialem, sed ceremonias Ecclesiæ, videlicet exorcismum; & alia quæ solent præmitti Baptismo solemni. Vide dicta disp. 1. sect. 3. conclus. 1. & illa non sunt adhibita in Baptismo B. Virginis, neque præmitterentur Baptismo eorum, de quibus certò constaret jam esse justificatos; de facto autem semper adhibentur in Baptismate parvulorum, quia sine speciali revelatione sciri non potest quemquam eorum esse justificatum per extraordinariam Dei providentiam; adultorum quoque justificatio regulariter est incerta, propter incertitudinem perfectæ contritionis, aut amoris Dei super omnia.

Per formam non solùm intelligendo totum ritum accidentalem,

Sed contra ex D. Aug. lib. 2. de peccato originali c. 40. ubi sic ait: *Denique ipsa Ecclesiæ Sacramenta, quæ tam prisca traditionis auctoritate concelebrat, ut ea isti* (Pelagiani) *quamvis in parvulis existiment simulatoriè potiùs, quàm veraciter fieri, non tamen audeant aperta improbatione respuere. Ipsa, inquam, sancta Ecclesia Sacramenta satis indicant parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur sese renuntiare respondent.* Ecce apertè distinguit formam Baptismatis in remissionem peccatorum ab exorcismis, & alijs ceremonijs, quæ solent præmitti Baptismo solemni. Quapropter 130.

S. August.

Respondeo Secundò; Concilia loqui non solùm de toto ritu accidentali, sed etiam de ipso Sacramento, seu forma essentiali Baptismi; cujus significatio sacramentalis & practica ex subjecta materia foret falsa, nisi per eam in parvulis fieret remissio peccati originalis. 131.

Sed etiam formam essentialem Baptismi

Explico, & expendo rationem illius decreti, quam ibidem Concil. Milevitanum subjungit in hæc verba: *Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus* Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita

Ut colligitur ex Concilio Milevitano.

& ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt, *nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Et Trident.

Addit Concil. Trident. *Nisi enim quis renatus fuerit* &c. Igitur fundamentum totius canonis petitur ex Scriptura, Traditione Ecclesiæ, forma baptizandi & necessitate Baptismi.

132. Supponit autem utrumque Concilium ex Apostolo Rom. 5. accedente Traditione sive communi intellectu Ecclesiæ, omnes homines concipi, & nasci in peccato originali, nisi per privilegium quispiam eximatur, ut piè creditur de B. Virgine, quam propterea in fine excipit Trident. ab illo decreto dicens: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem* &c. Loquitur ergo non de quibuscumque parvulis, sed de infectis peccato originali.

Quæ supponunt omnes secluso privilegio nasci in peccato originali.

133. Supponit Secundò, parvulos non habere peccatum actuale, aut habere posse; quià non habent usum sui arbitrij sive in bonum, sive in malum; ac proinde non posse justificari per Baptismum in voto, hoc est, per actum contritionis aut amoris. Unde fit consequens eos veraciter baptizari in remissionem peccati originalis, contra errorem Cælestij, qui admittebat parvulos baptizari in remissionem peccatorum; non originalis, quod negabat; sed actualis per propriam voluntatem commissi.

Item parvulos habere non posse actuale peccatum;

Cujus oppositum docuit Cælestius

Enimvero cùm ex Traditione Apostolica, & ipso ritu Ecclesiæ, fortè etiam ex ipsis verbis formæ tunc consuetis, atque Pelagianis (quos ibi Concil. damnat) optimè notis & probatis, constaret parvulos baptizari in remissionem peccatorum, haud dubium quin in remissionem solius originalis.

Et sanè quòd Pelagiani concesserint Baptismum conferri parvulis in remissionem peccatorum ad oculum demonstratur ex ipsis Concilijs; anathema enim dicunt illis, qui vel negant parvulos baptizandos (à quo ipsi longè aberant, ut statim patebit) aut docent in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati; quæ erat ipsissima Pelagianorum sententia; quod sic ostendo.

134. Ipse Cælestius in libello Romæ edito (ut refert D. Aug. lib. 2. de Gratia Christi & peccato originali c. 5. & 6.) *Infantes,* inquit, *debere baptizari in remissionem peccatorum, secundùm regulam universalis Ecclesiæ & secundùm Euangelij sententiam confitemur.* Sed *non idcirco ut peccatum ex traduce firmare videamur*; verùm *ne diversa Baptismatis genera facere videamur*; quia (ut intelligit Petavius l. de Pelag. hæresi c. 6.) baptizantur eodem Baptismo, quo alij in peccata lapsi, seu Baptismo ex se idoneo ad peccata remittenda.

Admittens parvulos debere baptizari,

Accedant verba D. August. supra c. 17. *Nam neque parvulis negant* (Pelagius & Cælestius) *Baptismi Sacramentum, neque absque redemptione Christi aliquibus cælorum regna promittunt.*

Cum Pelagio,

Sed quomodo redemptio, si nulla omnino culpa aut debitum? Sequentia verba lego apud D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 34. *Fatentur* (Pelagiani) *etiam in parvulis per Baptismum remissionem fieri peccatorum. Nec mirum, non enim redemptio alio modo posset intelligi. Non tamen originaliter, inquiunt, sed in vita iam propria posteaquam nati sunt, peccatum habere ceperunt.* Et infra:

Et Pelagianis; S. August.

Sed in remissionem peccatorum actualium

Proinde isti posteriores intuendo Scripturas, & auctoritatem totius Ecclesiæ, & formam ipsius Sacramenti, bene viderunt per Baptismum in parvulis peccatorum fieri remissionem, sed ut originale esset, quidquid illud in eis est, vel nolunt dicere, vel videre non possunt. Illi autem priores in ipsa natura humana, quæ ab omnibus ut consideretur in promptu est, bene viderunt quòd facilè fuit ætatem illam in sua iam vita propria nihil peccati potuisse contrahere, sed ne peccatum originale fateantur, nullum esse omnino peccatum in parvulis dicunt. Ideoque absolutè negant parvulis Baptismum, ne scilicet in eis forma essentialis Baptismatis in remissionem peccatorum falsa intelligatur.

Hanc duplicem hæresim damnat Concil. Milevitanum, cui D. August. interfuit, similiter Concil. Trident. Unde non fuit intentio istorum Conciliorum ex veritate essentialis formæ Baptismatis efficaciter concludere peccatum originale in unoquoque subjecto hujus Sacramenti; sed ex veritate formæ in remissionem peccatorum, inferre peccatum originale in parvulis, extraordinario medio non justificatis. Virgo autem Beata, etsi verè fuerit baptizata eâdem formâ, quâ jam parvuli, tamen non in remissionem peccatorum, utì illi.

Quod damnatur à Concil. Milevit.

Arguis rursùm; Beata Virgo non fuit capax pœnitentiæ; ergo neque Sacramenti regenerationis. Consequentia probatur; quia Sacramentum pœnitentiæ non magis respicit peccatum actuale post Baptismum commis- 135.

Beata Virgo etsi capax Baptismi, non tamen pœnitentiæ.

commissum, quàm Baptismus peccatum originale, aut actuale anteà commissum.

Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem: nam ut docet Trident. sess. 14. c. 3. *Quasi materia Sacramenti* Pœnitentiæ *sunt ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio.* Porrò contritio est dolor animi & detestatio de peccato commisso; quod proinde est materia circa quam. At verò materia Baptismi non est peccatum originale vel actuale; sed aqua & ablutio corporis, quæ constant nullum dicere ordinem essentialem ad aliquod peccatum; adeoque veraciter ablui potest corpus, cujus anima nullo umquam tempore obnoxia fuit peccato; dolere autem non potest quispiam de peccato, aut confiteri peccatum, aut pro peccato satisfacere; & per consequens nec absolutionem à peccato accipere, qui semper ab omni culpa extitit immunis.

Hujus enim quasi materia sunt actus pœnitentis [illegible].

Necessariò supponendis peccatis.

Non ergo ideo Pœnitentia dicit ordinem ad peccatum præteritum, quia instituta est contra peccatum, hoc enim etiam convenit Baptismo; sed ex modo speciali suæ institutionis, ratione cujus respicit peccatum, ut materiam, circa quam perficitur ordo judicialis sive judicium, ad cujus normam instituta est, & exercetur potestas ligandi atque solvendi; ideoque requirit peccatum esse, vel fuisse, de quo per se cognoscit: Baptismus autem respicit peccatum tantùm ut terminum à quo, si inest; adeoque ex conditione subjecti, non ex conditione materiæ aut formæ.

Circa quod perficitur ordo judicialis.

Baptismus respicit peccatum ut terminum à quo, si inest subjecto.

136. Quæ cùm ita sint, sequitur adultum quantumcumque justificatum; in periculo mortis constitutum, teneri absque dilatione suscipere Baptismum: quippe cùm semel in vita debeat eum recipere, & per illum in Ecclesiam militantem introire, vel tunc saltem obligatur ad ejus susceptionem.

Ad illum suscipiendum obligatur [illegible].

Porrò extra periculum mortis, quandoquidem non sit jure divino certum aliquod tempus præfixum, sicut erat Circumcisioni octavus dies, DD. (quorum sensus multum momenti habet in legis divinæ interpretatione) unanimiter statuunt primum tempus opportunum post sufficientem instructionem, nisi adsit rationabilis causa differendi.

Enimverò cùm quilibet obligetur aliquando per susceptionem Baptismi ingredi Ecclesiam Christi, & fieri membrum ejus visibile, vel tunc obligatur, cùm nulla sit ratio cur potiùs alio tempore intermedio; vel non nisi in articulo mortis, quod absonum apparet, & contrarium menti instituentis. Siquidem status hujus vitæ est status Ecclesiæ militantis. Quòd si omnes differre possent Baptismum usque ad mortem, certè vix ulla esset Ecclesia militans.

Pro prima opportunitate extra mortis periculum.

Bene dixit D. Chrysost. in Epistolam ad Heb. homilià 13. ad c. 7. & refertur de consec. dist. 4. c. 128. *Quando quis propterea peccat, ut sanctum Baptisma in novissima sua expiratione suscipiat, fortassis non adipiscitur. Et credite mihi: non terrens vos dico, quod dicturus sum. Multos novi, qui hoc passi sunt, qui spe Baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacui. Deus enim propter hoc Baptisma tribuit, ut solvat peccata, non ut addat. Si verò quis ad hoc utitur Baptismate, ut ampliora delinquat, ipsum fit negligentiæ causa.*

S. Chrysost.

Profectò non sufficit in Ecclesia mori, sed oportet in ea vivere: ideo namque Christus instituit Ecclesiæ Pastores, à quibus homines in Ecclesia regerentur, & dedit eis Sacramenta iterabilia, quibus continuò pascerentur: ac proinde fine suo frustrarentur tam Baptismus ipse, quàm cætera Sacramenta, quorum non baptizatus est incapax, & per Baptismum fit capax.

Ne Baptismus, aliaque Sacramenta fine suo frustrentur.

Itáque (& est ratio à priori) videtur ita à Christo institutum hoc Sacramentum, ut cùm primum commodè potest suscipi, id est, quando nulla est ratio differendi, suscipiatur; cùm non solùm in remissionem peccatorum (uti Pœnitentia & contritio, quæ non obligant ad statim) sit institutum; sed etiam ut quisque fidem Catholicam profiteatur; ob quod in ipsa forma invocatio SS. Trinitatis continetur. 137.

Quare sicuti ex præcepto fidei tenetur quisque credere quàm primùm mysteria fidei satis ipsi sunt proposita; sic & eamdem debet exteriùs profiteri in hoc Sacramento, quo recipitur ad cœtum à Christo fundatum, ut subditus sit ejus capiti, & capax cæterorum Sacramentorum. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Roman. 10. vers. 10.

Baptismus enim est quædam externa fidei professio.

Rom. 10.

Cum hac tamen differentia, quòd sæpe possit ad aliquod tempus differri illa externa confessio, quæ fit per Sacramentum Baptismi, propter varia impedimenta occurrentia, de quibus statim; fides autem interna semper obliget hoc ipso quò adeò perfectè motiva credibilitatis sunt proposita homini, ut non maneat ampliùs aliquid rationabiliter desiderandum, hoc est, quando evidentia credibi- 138.

Quæ sæpe potest ad aliquod tempus differri.

Licèt fides interna statim obliget propositis credibilitatis motivis.

credibilitatis determinat hominem ad judicandum se peccaturum, si hic & nunc dubitet de existentia revelationis.

Ratio in promptu est, tum quia prima veritas hoc instar homagij ac primitiarum seu primi tributi exigit; tum quia fides est cultus & reverentia, quæ debetur auctoritati divinæ aliquid nobis proponenti & testificanti, sicuti debetur cultus ac reverentia Regi nobis occurrenti. Vel sic: quia moraliter loquendo, quando in homine priùs incredulo nulla ampliùs subest ratio dubitandi, fieri non potest ut talis merè negativè se habeat; sed, cùm semper maneat proposita divina auctoritas revelans, illicò non credens, censetur id facere ex aliqua positiva discredentia, aut certè hæsitatione seu dubitatione circa objecta fidei, vel eorum veritatem, quod indubiè repugnat præcepto fidei, quo obligamur non dubitare, minùs discredere articulo à prima veritate revelato, & proposito cum evidentia credibilitatis.

Utpote cultus debitus auctoritati divinæ;

Cæteroquin si quis merè negativè se haberet, cogitans hoc modo: *Ego volo elicere actum fidei, quando tempus præcepti determinatè aderit, necdum tamen volo isti eliciendo incumbere, etsi nolim discredere, aut etiam dubitare*; si, inquam, talis aliquis esset, non satis apparet, quare graviter obligaretur ad eliciendum actum fidei quàm primùm physicè loquendo; sicut homo perveniens ad usum rationis, non debet primo instanti, quo ei divina bonitas proponitur, elicere actum amoris, sed omnino sufficit, quòd saltem non nimis diu differat. Idem ergo sufficit in præsenti.

Nisi quis se habeat merè negativè:

Quod fieri posse quidam asserit,

139. Responderi posset ex Lugone de Pœnitentia disp. 7. sect. 11. n. 233. negando consequentiam. Differentiam colligit ex ipsa conditione cultûs & reverentiæ, cujus præceptum affirmativum (de illo enim loquimur; nam negativum proculdubio obligat pro semper) tum maximè videtur obligare, quando occurrit, aut loquitur nobis ille, qui coli debet, ipsaque dilatio cultûs, irreverentia quædam est. Porrò cultus fidei tunc potissimum debetur, quando loquitur aliquis nobis, cui fidem oportet adhibere; pro illo quippe instanti fidem exigit, cùm omnis locutio tendat ad hoc, ut eadem fiat mens & sensus utriusque. Amor autem non magis positivè debetur, quando præsens occurrit, qui amari debet, quàm dum est absens. Sic filius, si patri venienti non assurgat, aut eidem aliquid asseveranti non credat, facit contra reverentiam patri debitam, quæ pro eo maximè tempore obligat: si tamen patrem non amat positivè, quando ei præsens adest, non facit contra debitum amandi, si eum tempore debito diligat; neque enim amandi tempus illud magis est quàm aliud, sicut colendi.

Contradicente Lugone,

Ex eo quòd fides intersa sit quidam cultus:

Sed, ut verum fatear, hæc non probant, nisi amorem diutiùs posse differri, quàm fidem; hanc autem in ipso instanti physico, quo objectum est sufficienter credibile, debere elici minimè evincunt. Nam gratis concesso, fidem esse quemdam cultum, & non potiùs actum virtutis à religione, cæterisque distinctæ, cujus honestas est adhærere Deo super omnia per intellectum; sicuti honestas amoris divini est adhærere Deo super omnia per voluntatem; illo, inquam, admisso, unde constat me debere quàm primùm physicè Regi occurrenti exhibere cultum v. g. genuflexionem, aut depositionem pilei? Quare non sufficiat, quòd statim moraliter assurgam, aut genuflectam, aut pileum deponam? 140.

Sed hoc non satis probat,

Certè nemo circumstantium parvulam moram irreverentiam interpretatur, & existimabimus Deum tam rigidum exactorem cultûs sui, ut quamlibet minimam physicam dilationem actûs fidei, hominis alioquin parati ad credendum, reputet positivam sui inhonorationem?

Cùm ste cultus cum dilatione physica.

Confirmatur à simili; qui vovet religionem ingredi sine determinatione temporis, nequaquàm tenetur quàm primùm physicè explere votum, licèt scriptum sit Deuteron. 23. vers. 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et Eccle. 5. vers. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Sed sufficit adimpletio statim moraliter loquendo, id est, pro prima opportunitate; illaque requiritur, eò quòd vi voti istius totam vitam suam, & vitæ tempus offerat & consecret ad illum statum. 141.

Confirmatur à simili.

Deuter. 23.

Eccle. 5.

Ergo similiter præceptum divinum assumendi Religionem Christianam, obligat quàm primùm, id est, ejus adimpletio diu sine justa causa differri non potest; tum quia Deus exigit, ut totum tempus vitæ nostræ ipsi offeramus & consecremus ad statum Christianitatis; tum propter multa bona, quæ susceptionem Baptismi consequuntur, ut sunt fructuosa receptio aliorum Sacramentorum, participatio jurium Ecclesiæ, & translatio hominis à statu damnationis ad statum filiorum Dei ac æternæ salutis, quæ alioquin propter periculum subitaneæ mortis, ut ex Sancto Chrysost. supra audivimus, sæpissimè evacuantur.

Nec obstat quòd præceptum confessionis 142.

Ratio quare Pœnitentia potius possit differri quam Baptismus. sionis non obliget statim post peccatum, siquidem confessio non est spiritualis regeneratio, neque fundamentum Christianæ Religionis, minùs janua Ecclesiæ, sicuti Baptismus; sed solùm præcipitur ex sua institutione in remissionem peccatorum; quæ quidem necessaria est ad salutem; sed sufficienter haberi potest per Pœnitentiam virtutem; quamvis nec hæc statim obliget post peccatum commissum, ut proprio loco videbimus, adstipulante communi praxi & sensu fidelium; quæ tamen in præsenti confirmant nostram conclusionem; mirantur siquidem & plerumque scandalizantur fideles, si videant quempiam sine justa causa diutiùs differre Baptismum.

143. *Quælibet irrationabilis dilatio Baptismi non est mortalis.* Dico, *diutiùs*, quia quæcumque parva dilatio, etiam sine rationabili causa, non semper est peccatum mortale, sicuti nec dilatio adimpletionis voti, aut satisfactionis Sacramentalis. Quando autem dilatio censeatur notabilis, pendet à prudenti judicio spectatis causis occurrentibus; quæ si rationabiles sint, nullum erit peccatum (ut satìs probat communis sensus, & praxis fidelium timoratorum, nec non unanimis consensus Theologorum) aliquanto diutiùs juxta illarum exigentiam differre.

Quælibet rationabilis nullum est peccatum. Qua in re potuerunt aliqui viri insignes (inter cæteros referuntur SS. Sebastianus, Martinus, Nazianzenus, Ambrosius) ex bona fide excusari; sive quia necdum se satìs dignos novâ istâ vitâ sentiebant; sive quia dispositiones rerum temporalium, aliáve impedimenta (etsi illa non sciamus) vel occultus aliquis affectus eos pro tunc retardabat, quamvis ex tunc insignes, & postea sancti fuerint; sive etiam quia dicta obligatio accelerandi Baptismum eos latebat, aut certè non satis apprehendebatur, sive quia dilatio non erat in re ipsa tam notabilis. *Ut constat exemplo Sanctorum.*

144. *Olim differebatur usque ad certa tempora:* Si dixeris olim poterat differri Baptismus, etiam satis instructorum, imò debebat extra periculum vitæ, usque ad tempus Paschæ aut Pentecostes: Respondent aliqui jam cessante hâc lege, id non licere.

Sed non credo: quippe *decet Baptismum adultorum*, inquit Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Baptismo adultorum, *ex Apostolico instituto in Sabbato sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari*; quod etsi non obliget ampliùs, cur tamen non sit licitum, imò consultum servare? *Rit. Rom.*

Quod & modò licitum & consultum, Unde subjungit Rituale: *Quare, si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit.* Quæ est ultima pars conclusionis.

Ut autem ostendat non esse strictam obligationem continuò addit: *Verùm si circa aut post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægre ferant suum Baptisma in longum tempus differri, & ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citiùs baptizari possunt.* *Licèt non præceptum.*

Ubi clarè supponit posse differri, & esse consultum, si non ægrè ferant, nec ita festinent, esto sint satis instructi, juxtà regulam generalem, quam præmiserat: *Decet* &c. à qua generali regula facit exceptionem, permittens non differri, si *ægrè ferant* &c.

145. *Ex quo patet talem dilationem esse rationabilem;* Igitur dilatio ista ex mente Pontificis, vel non est nimia per se loquendo; vel saltem, quod veriùs existimo, fulcitur rationabili causa; tum ut fit conformitas cum instituto Apostolico, tum ob rationem temporis specialiter ad hoc mysterium accommodati, scilicet passionis ac resurrectionis Christi, atque missionis Spiritûs sancti per abundantiam gratiarum in Pentecoste; tum ob majorem solemnitatem.

Alioquin sicut illi, qui dicunt præceptum pœnitentiæ, aut amoris Dei non obligare solùm in articulo mortis; sed etiam aliquoties in vita, sic ut non possit nimium differri; docent tamen tempus illud non consistere in indivisibili; sed posse differri per unum, duos aut tres annos: sic fortè dici posset, præceptum Baptismi obligare, ut non nimiùm differatur, equidem non fore nimium, etsi per duos aut tres annos differatur. *Imò fortè longiorem,*

Nec video quid efficaciter objici possit præter communem sensum & praxim fidelium, qui minùs solliciti esse solent pro pœnitentia aut amore Dei, quàm pro Baptismo. Omitto aliquibus parùm probabile videri, pœnitentiam, aut amorem Dei non obligare ex jure divino intra duos aut tres annos, de quo alibi. *Nisi obstaret praxis & sensus fidelium.*

146. *Objectio,* Dices; moraliter impossibile est hominem post Baptismum non peccare; ergo consultiùs est differre Baptismum usque in finem vitæ, ad recipiendam plenam omnium peccatorum remissionem quoad culpam & pœnam.

Responsio, Respondeo; hanc utilitatem, accedente incertitudine, nullam debere reputari in consideratione illius, quæ sequitur ex susceptione Baptismi, ut consideranti facilè patebit ex dictis, potissimum cùm & ipse Baptismus conferat gratiam habitualem & actualem ad imposterùm peccata vitanda.

 Impono

147. Impono finem huic Sectioni, & dico, quòd omnis & solus homo viator non baptizatus, qui corporaliter potest ablui, potest, & debet baptizari, nisi de quibusdam aliter ex speciali Dei providentia fuerit ordinatum. Unde neque Angeli neque homines in termino constituti, aut creaturæ inferiores baptizari possunt, minùs debent. Similiter Satyri, aut geniti ex femina & bruto non sunt baptizandi: uti nec fœtus extinctus, aut nondùm animatus animâ rationali.

Quinam possint & debeant baptizari.

Porrò de monstris observetur Rit. Rom. tit. de Sacramento Baptismi. §. de Baptizandis parvulis ibi: *Monstrum quod humanam speciem non præ se ferat baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione*: Si tu es homo, ego te baptizo *&c.* *Illud verò, de quo dubium est, unave aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda & animæ, hominesq́; distincti, & eo casu singuli seorsim sunt baptizandi, unicuique dicendo*: Ego te baptizo *&c.* *Si verò periculum mortis immineat, tempusq́; non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo*: Ego vos baptizo &c.

An inter illos computandum sit monstrum. Rit. Rom.

Quando verò non est certum in monstro esse duas personas, vel quia duo capita, & duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primùm unus absolutè baptizari, & postea alter sub conditione hoc modo: Si non es baptizatus ego te baptizo &c.

Et hactenus de materia & forma Baptismi, de causis subjectiva & finali; quid superest nisi causa efficiens? de hac igitur erit

SECTIO QUINTA.

De Ministro Baptismi.

1. Baptismus ministratur vel solemniter cum ceremonijs ab Ecclesia præscriptis, vel privatim sine illis; vel validè tantùm, vel validè juxta ac licitè. Nec dubitandum quin plures homines possint esse ministri Baptismi privati, quàm solemnis, Baptismi validi tantùm, quàm validi juxta ac liciti. Si autem à me quæritur, quis sit minister Baptismi privati, citiùs Respondeo:

CONCLUSIO I.

Quilibet homo viator ratione utens validè semper, & in necessitate licitè ministrat Baptismum privatum, servato tamen ordine.

2. Est indubitata post decretum Eugenij in Concilio Florentino, ubi de ministro Baptismi sic inquit Pontifex: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus; sed etiam laicus, & mulier, imò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.* In qua definitione enumerantur omnes illi, de quibus potest esse aliqua dubitatio, & aliquando fuit.

Quis sit minister Baptismi resolvitur ex Concilio Florentino.

Nec obstat quòd loquatur in casu necessitatis; quia agit de Baptismo licito. Porrò generaliter Baptismum à quocumque collatũ, sive in necessitate, sive extra valere, decernitur in Cõcilio Lateranensi sub Innoc. III. & refertur. c. *Firmiter* de summa Trinitate ibi: *Sacramentum verò Baptismi..... tam parvulis quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum*, id est, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, *proficit ad salutem.*

Et ex Concilio Lateranensi.

Et in particulari de hæreticis idipsum definit Trident. sess. 7. de Baptismo can. 4. bis verbis: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma; anathema sit.* Ubi nulla fit mentio necessitatis. 3.

Idem statuit de Judæo Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum c. 104. & refertur de Consec. dist. 4. c. 24. *A quodam*, inquit, *Iudæo nescitis, utrùm Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de ijs sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus baptizati sunt..... constat eos non esse denuò baptizandos.* Quis autem nesciat rarò occurrere casum necessitatis? Quomodo

Item ex Nicolao I. ad consulta Bulgarorum.

modo ergo *multos*, nisi extra necessitatem?

Nota ly, *Si in nomine Sanctæ Trinitatis*; nam de illis, qui à Paganis baptizantur non servatâ formâ Ecclesiæ, pronuntiat Gregor. II. in Epistola ultima ad Bonifacium Episcopum, & habetur eâdem dist. c. 52 *Quos à paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuò baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.*

4. Et ex Joanne Papa VIII. Quid dicam de laicis fidelibus? *Nam hoc baptizandi opus* (scribit Joannes Papa VIII. Anselmo Lemovicinæ Ecclesiæ Episcopo, & refertur c. 7. 30. q. 1.) *laicis fidelibus iuxtà canonicam auctoritatem, si necesse fuerit facere, liberè conceditur. Liberè*, inquam, id est, licitè, sive inculpabiliter; siquidem immediatè præcedit: *Quapropter & nos tantæ auctoritatis iussione præcipuè freti, dicimus omittendum esse, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit.*

Item ex Concilio Elibertino. Similem constitutionem reperio in Concilio provinciali Elibertino (in Hispania sub Marcello I. vel, ut alij, circa Sylvestri Papæ primi, & Nicæni Concilij tempora celebrato) ubi c. 38. sic lego: *Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum* &c. Non autem, ut quidam: *Non nisi Lavacrum regenerationis habens potest in necessitate infirmitatis baptizare.*

5. Quamvis nec isthæc verba, esto haberentur, adversarentur communi doctrinæ; quod enim determinat certum est, videlicet, Fidelem, non nisi Lavacrum regenerationis habens, id est, tantummodò baptizatum, etiam laicum, licitè in necessitate baptizare; an autem idem liceat non baptizato, ibi non negat; sed ad summum docet, non baptizato præferendum esse baptizatum. Colligo quaidem sentit de bigamo, qui tamen potest validè baptizare præsente Christiano non bigamo, imò licitè, seclusâ ordinatione istius particularis Concilij, hactenus ab Ecclesia universali haudquaquam recepti.

Et Urbano Pontifice. Pari modo loquendi utitur Urbanus Pontifex scribens Vitali presbytero Brixiensi, & habetur 30. q. 3. c. 4. *Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum: ut & Baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Nonne propterea asserit extra necessitatem non esse Baptismum? Minimè; sed respondet ad casum necessitatis sibi propositum.

6. Non obstat Carthag. IV. Quod ergo dicitur in Carthag. IV. c. 100. *Mulier baptizare non præsumat*: intellige extra necessitatem aut in necessitate solemniter; quam potestatem Marcionistæ hæretici mulieribus concedebant. Colligo quia c. 99. dicitur: *Mulier, quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere non præsumat.*

Ex praxi Ecclesiæ constat non requiri ordinem sacrum ad baptizandum. Profectò neque ad validum, neque ad licitum Baptismum requiri Ordinem sacrum, satis probat praxis primitivæ Ecclesiæ, in qua, ut notat D. Ambrosius in cap. 4. ad Ephesios, Apostoli soliti erant fratribus non ordinatis committere Baptismum, quando ipsi per se non poterant illud munus exercere.

Sic Ananias adhuc laicus baptizavit Paulum Act. 9. v. 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamma, & baptizatus est.* Act. 9. Et Apostoli antequam essent ordinati baptizabant, Joannis 4. vers. 2. *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* Joan. 4. Approbatus quoque fuit Baptismus Athanasij pueri ab Ecclesia Alexandrina, ut diximus disput. præced. sect. 7. concl. 3.

7. Ratio à priori voluntas Christi. Denique ita hodie tota Ecclesia intelligit præceptum Christi, cujus proinde voluntas est ratio à priori. Congruentia autem necessitas Baptismi; ob quam etiam institutus est in materia maximè obvia.

Cujus testis est D. August. Hujus porrò communis intellectus in testium catalogo non infimas tenet D. August. l. 2. contra Parmenianum cap 13. ibi: *Quamquam etsi laicus aliquâ pereuntis dederit* (Baptisma) *necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dandum esse addidicit; nescio an piè quisquam dixerit esse repetendum. Nullâ enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est* (adeoque grave peccatum) *si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est* (si non adhibuerit sufficientem diligentiam in quærendo ministrum ordinarium) *sed etsi nullâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.*

Et Isidorus. Accedat testimonium Isidori, quod refertur de Consec. dist. 4. c. 23. *Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat; sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licèt paganus sit, qui baptizat.*

Ex quo patet quomodo intelligendum sit, quod illi sententiæ præmittitur ab eodem Auctore, & refertur 1. q. 1. c. 59. *Si per ignorantiam ordinatur, antequam baptizatur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse ulteriùs non ordinetur. Romanus Pontifex* &c. Videtur (inquit Gratianus ibi) in priori parte vel proponi quæstio, vel falsa alicujus opinio recitari, cui deinde in posteriori parte opponatur vera.

In re clara non est quòd diutiùs immoremur. 8.

Consonat Scotus. remur docet eam apertissimis verbis Scotus 4. dist. 6. q. 1. n. 2. *Respondeo*, inquit, *cùm oporteat baptizantem abluere baptizatum, quod est activè facere corpus eius contingi ab aqua, & hoc vel per motionem corporis ad aquam, utpotè immergendo; vel per motionem aquæ ad corpus eius, puta perfundendo, vel aspergendo: necessaria requiritur in baptizante virtus motiva, quâ potest aliquo istorum modorum activè abluere alium. Cùm etiam oporteat ministrum proferre verba, in quibus est forma, necesse est ipsum posse loqui. Cùm etiam requiratur intentio in ministro..... necesse est ipsum habere usum rationis. Simpliciter ergo nullum suppositum naturæ intellectualis excluditur à posse baptizare, nisi propter aliquem istorum trium defectuum, vel propter plures, vel omnes simul.*

Concludit: *Cùm ergo non Sacerdotes multi possint habere, & habeant hæc tria, sequitur quòd simpliciter possint baptizare.* Possint, inquam, baptizare validè semper, licitè in necessitate. Quippe necessitas non mutat essentiam, ut communiter docent Theologi. Unde Pastores in ordine ad valorem Baptismatis, dati ab obstetricibus, non sunt solliciti indagare, an fuerit vera necessitas; sed an fuerint usæ formâ consuetâ Ecclesiæ.

9. Objicitur contra conclusionem. Sed contra: non sequitur; Quilibet Sacerdos potest validè absolvere in articulo mortis à quibuscumque peccatis; ergo etiam extra illam necessitatem. Ergo similiter non valet hæc consequentia; Quilibet validè baptizat in necessitate, ergo etiam extra necessitatem.

Objectio solvitur. Respondeo negando consequentiam. Prima disparitas sit, voluntas instituentis, quæ tamen non ita probat bonitatem consequentiæ, quàm bene veritatem consequentis. Secunda disparitas erit, quòd ad validam absolutionem, utpotè actum judicialem, requiratur jurisdictio, quæ non conceditur immediatè à Deo, sed ab Ecclesia, non legitur autem Ecclesiam dedisse jurisdictionem omnibus Sacerdotibus extra articulum mortis.

Allegando disparitatem inter ministrum pœnitentiæ & Baptismi, Trident. Porrò *Baptismi ministrum iudicem esse non oportere*, docet Trident. sess. 14. c. 2. Intellige illius, qui baptizatur, ut colligitur ex ratione adjuncta: *Cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus.* Nam alioquin ad licitum Baptismum extra necessitatem requiritur aliqua jurisdictio, sive aliquod jus, aut in parentes, aut certè in ipsum locum Baptismatis, ut patet consideranti.

Cùm igitur Baptismus non sit propriè actus judicialis, non apparet ex quo capite oriretur ejus invaliditas extra casum necessitatis, si alia necessaria adhibeantur; & per consequens ex quo habetur quòd possit quilibet in illo baptizare, etiam habetur quòd possit validè extra illum casum, nisi diceretur Christum ita restrictè instituisse. Sed unde id constat? Imò contrarium luculenter probant quæ huc usque diximus.

Planè non conveniebat, quòd dubitaretur de valore Baptismi initerabilis propter hanc, vel illam necessitatem; idque ob quàm plurima inconvenientia, quæ sequuntur ex invaliditate hujus Sacramenti: at verò Sacramentum Pœnitentiæ, cùm sit iterabile, si quod fortè dubium oriatur circa periculum mortis, & consequenter circa valorem absolutionis, repetatur, rursusque eadem peccata subjiciantur clavibus Ecclesiæ, vel certè alia, quibuscum hæc indirectè absolvantur. Unde particulare est absolutioni sacramentali, quòd non semper qui est minister illius validus in necessitate, etiam sit minister validus extra necessitatem, quemadmodum aliorum Sacramentorum, Deo ita volente & instituente. 10. A etiam inter ipsa Sacramenta.

Dices; solis Episcopis in persona Apostolorum dictum est Matth. ultimo v. 19. *Euntes docete* &c. ergo cæteri non sunt validi ministri. 11. Objectio secunda ex Matth. ult.

Respondeo dissimulato antecedente (nam dici posset Apostolos tunc repræsentasse universalem Ecclesiam; adeoque cuilibet datam potestatem, qui ut minister Ecclesiæ vellet hoc ministerium exercere) negando consequentiam; illo siquidem loco non videtur Christus dedisse Apostolis simplicem potestatem baptizandi, quam ante passionem, ut supra dixi, dum necdum essent Episcopi aut Sacerdotes, exercebant, & habebant, sed ijs jam Episcopis dedit particulare mandatum, & simul jus primarium publicè & solemniter prædicandi Euangelium, ac baptizandi, & in Ecclesiam admittendi. Solutio Prima; Quòd Apostoli repræsentarint totam Ecclesiam. Solutio Secunda; Quòd ipsis tunc datum fuerit jus primarium baptizandi.

Quod sanè jus, quamvìs etiam secundariò competat omnibus Sacerdotibus, quibus in Apostolis, qui & ipsi Sacerdotes erant, ibidem Christus loquebatur; at minimè cæteris fidelibus, potissimùm laicis, ac mulieribus, quibus non competit ex officio publicè docere in Ecclesia, & solemniter baptizare, utpote præcipua pars muneris Ecclesiastici. Quo tamen non obstante, sicuti in necessitate unusquisque potest & debet proximum suum docere; ita pariter potest & debet baptizare. Laici enim, maximè mulieres non baptizant ex officio;

Exemplum Aquilæ Judæi & Priscillæ uxoris ejus, qui Act. 18. v. 26. privatim instruxe- 12. Act. 18.

instruxerunt quemdam Judæum nomine Apollinem, qui magno zelo prædicabat Christum, sciens tantùm Baptisma Joannis. *Hic cœpit*, inquit Scriptura, *fiducialiter agere in Synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila assumpserunt eum domi suæ, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.* Poterant ergo & illi, si necessitas postulasset, ipsum & alios baptizare privatim, sicuti docebant.

Possunt tamen privatim & in necessitate. Tertull.

Possunt & illud de facto viri & mulieres. *Quod* enim *ex æquo*, inquit Tertull. lib. de Baptismo c. 16. *ab omnibus* privatim *accipitur*, *ex æquo ab omnibus* privatim *dari potest*; & quod ex æquo ab omnibus publicè & solemniter, non accipitur, nec ab omnibus ex æquo publicè & solemniter dari potest. *Ex æquo*, inquam, ut quemadmodùm à quolibet validè accipitur in necessitate, ita etiam validè ministretur; & sicuti à quolibet non licitè accipitur, ita quoque illicitè detur.

1. Cor. 14.

Quocirca signanter additur in conclusione: *Servato tamen ordine*, juxta illud Apostoli 1. Cor. 14. v. ultimo, *Omnia honestè & secundum ordinem fiant.*

13.
Rit. Rom.

Quæris, quis sit iste ordo? Responsionem peto ex Rituali Rom. Tit. de Baptismo §. de Ministro Baptismi, ibi: *Quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate à quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico, sive laico, etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive Catholico, sive hæretico, sive viro, sive fœmina, servatâ tamen formâ, & intentione Ecclesiæ.* Ecce doctrina hactenùs tradita.

Servato ordine debito.

Sequitur ordo: *Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, & vir fœminæ; nisi pudoris gratiâ deceat fœminam potius quàm virum baptizare infantem non omninò editum, vel nisi meliùs fœmina sciret formam, & modum baptizandi.* Addo, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato. Ita communiter omnes; licèt sit aliqua dissensio inter Doctores circa obligationem hujus ordinis. Breviter dico:

CONCLUSIO II.

Proprius Sacerdos cæteris sub gravi obligatione est præferendus. Similiter omnes Sacerdotes Diaconis, hi inferioribus, inter quos inversio ordinis plerumque solùm est venialis.

14.
Ratio 1. partis; quia proprius Sacerdos habet speciale jus baptizandi.

PRimæ parti omnes subscribunt, idque propter hanc rationem; quia proprius Sacerdos habet speciale officium seu jurisdictionem hunc in particulari baptizandi; ergo qui illo præsente, & non renuente baptizat, usurpat secundùm D. Aug. munus alienum in materia gravi.

Dico, *Et non renuente*; quia, ut istud semel generaliter notemus, qui non vult, vel non scit baptizare, habetur in hoc ordine pro absente.

15.
Etiam privatim;

Si respondeas, jus Parochi non se extendere ad Baptismum privatum, sed solemnem dumtaxat. Contra; absque ulla limitatione aut distinctione ab Ecclesia conceditur ipsi potestas administrandi Sacramenta, Confirmatione & Ordine exceptis; vel ostendatur ubi jus istud sit restrictum.

Adeoque ipsum impediens injustè, graviter peccat contra justitiam;

Cùm ergo baptizandus non minùs in necessitate, quàm extra, eo modo quo potest, v.g. ratione domicilij, subjiciatur curæ Pastoris illius territorij, ita ut Pastor non succurrens in necessitate per Baptismum privatum, peccet contra officium, adeoque contra justitiam; liquet profectò eum, qui vi vel fraude Parochum impedit ab executione sui officij graviter delinquere contra justitiam, usurpando jus sive officium alienum contra rationabilem proprij Sacerdotis voluntatem: maximè cùm tali casu nulla sit vera necessitas, quæ utique consurgit ex penuria ministri ordinarij & periculo hominis baptizandi.

16.
Non sic baptizans coram alio sacerdote, ut quidam docent;

Secunda pars conclusionis est magìs communis contra Valentiam in 3. partem disp. 4. quæst. 2. puncto 1. & Joannem Suarez in Enchir. casuum conscientiæ l. 5. v. Baptismus, §. *In necessitate*, citatos à Diana parte 3. tract. 4. resol. 4. qui docent laicum baptizantem præsente Sacerdote non proprio, secluso contemptu, peccare tantùm venialiter; idque quia talis Sacerdos non præjudicatur propriè in jure suo, sed potius in quadam decentia, eò quòd per Ordinem acceperit specialem potestatem baptizandi, & specialem ad hoc gratiam.

Et idem, argumento à majori, dici potest de Diacono contra 3. partem nostræ assertionis. Quod etiam docuit Franciscus Suarez 3. parte tomo 3. disp. 31. sect. 4. (sibiipsi contrarius disp. 23. sect 2. in fine ubi sic ait: adeò ut probabile sit inversionem hujus ordinis in his inferioribus personis,

Multò minùs coram Diacono.

sonis, inter se non esse peccatum mortale secluso contemptu, cùm tamen respectu Diaconi, non sit dubium quin res sit gravis) & plures alij; quia Diaconus in rigore loquendo non est minister ex officio; per consequens non videtur ei fieri grave præjudicium.

Oppositum est probabile.

Quæ sanè non carent suâ probabilitate, eorumque Auctores difficulter possumus convincere, nisi recurramus ad commune judicium, quod in similibus casibus, ubi gravitas peccati pendet à gravitate materiæ, plurimum habet ponderis.

Maximè quoad præjudicium Sacerdotis.

17. Et quidem quod attinet ad præjudicium Sacerdotis, æstimatur illud communiter grave; quia quamvis non habeat propriè dictum jus (loquor de illo qui non est proprius Parochus) ex officio tamen & ordinatione sua, ut statim videbimus, competit ipsi baptizare, tamquam ad id per se, & ex directa intentione institutus à Christo.

Unde non est eadem ratio de hac conditione ministri, & de alijs conditionibus accidentalibus ab Ecclesia institutis: hæc quippe magìs necessaria est, & ex ipsa institutione manat; & magìs spectat ad reverentiam Sacramenti; nam cùm sit sacrum ministerium, per se requirit ministrum consecratum. Ita Franc. Suarez supra, ubi tenet nobiscum, inversionem ordinis in præjudicium Sacerdotis esse mortalem.

Qui ad hoc specialiter ordinatur.

Eadem est ratio de Diacono;

Cumque similis ratio militet in Diacono, qui & ipse specialiter ordinatus est ad baptizandum, etsi minùs principaliter, recedimus in hac parte à prædicto Auctore, qui ait disp. 31. sect. 4. §. *Unde tertiò addendum est*. Verisimilius videri, etiam respectu Diaconi non esse peccatum mortale illi præferre alium inferiorem, & laicum; recedimus, inquam, ab hac sententia, & dicimus verisimiliùs videri, esse peccatum mortale, præferre Diacono alium inferiorem & laicum; quoniam invertitur institutiò per se (licèt secundariò) à Christo intenta, ac proinde quodammodo usurpatur jus alienum, teste ipso Suario disp. 23. sect. 2. in fine; ut omittam irreverentiam, quæ fit Sacramento, magìs utique in hoc negotio pensanda, ut vult idem Auctor, quàm jus ipsius Sacerdotis, aut Diaconi.

Non sic de Diacono inferioribus.

Ex his facilè colligitur ratio ultimæ partis, quia cùm alij ministri inferiores Diacono, non sint specialiter ad id muneris à Deo instituti; neque ipsis grave sit præjudicium, neque Sacramento notabilis irreverentia, si posterior priori præferatur.

Cæterùm Vasq. disp. 147. c. 5. n. 33. contra communem sententiam audacter pronuntiat: Aut nulla in hac re, id est, inversione ordinis, culpa esse potest, aut si ulla est, ea venialis esse nequit. Fundatur satis infundatè: Aut enim, ait n. 34. dicendum est ordinem illum nullo jure præscriptum esse, aut si semel concedamus, jure aliquo fore servandum, dicendum est transgressionem illius non levem, sed gravem culpam esse, nempe administrare Sacramentum contra præceptum. Porrò non jure humano, sed divino ordinem illum præscriptum fuisse, indubitatum debet esse: nam cùm jus divinum ob necessitatem extremam concedat, ut baptizent ij, quibus aliàs baptizare non licebat, procul dubio id ita concedit, ut qui minùs ineptus est, magìs inepto præferatur. 18.

Contradicente Vasquez, sed absque sufficienti fundamento.

Addit; Ex opposita sententia sequeretur, infidelem non baptizatum in præsentia Diaconi, aut alterius baptizati, absque gravi peccato baptizare, & Catechumenum se illi potiùs, quàm baptizato, subjicere posse; quod aliqui secuti oppositam sententiam cum Soto libenter concedunt, mihi tamen res videtur absona. Ita Vasq.

Sed ut à postremo exordiar, negamus id sequi ex nostra sententia; nam imprimis, ut jam jam dictum est, Diaconus sub mortali est præferendus cæteris inferioribus, ob specialem videlicet ejus consecrationem ad illud ministerium. Quod attinet alium inferiorem baptizatum, multi sunt, qui docent mortale peccatum esse, si sine aliqua urgenti causa (sic quippe intelligitur conclusio) infidelis, hæreticus vel etiam excommunicatus, alijs præsentibus baptizet. 19.

Ut patet ex responsione ad secundum fundamentum.

De excommunicato patet; quia, ut dictum est alibi, excommunicato graviter prohibetur administratio Sacramentorum extra necessitatem, qualis hic nulla est; cùm alij adsint, ut supponitur, qui possint æquè commodè baptizare. Eadem est ratio de hæretico, qui & ipse excommunicatus est.

Porrò de infideli sive non baptizato non est ita certum, neque contrarium posset apertè convinci esse falsum: videtur tamen valdè difficile, præsertim si idem sit infidelis, & non baptizatus. Apparet siquidem multis gravis irreverentia in Sacramentum committi, si hujusmodi in ejus collatione sine ulla ratione præferatur fideli baptizato. Et hinc signanter addidi in conclusione ly *Plerumque*. Sanè qui consequentiam Vasq. concederet, facilè negaret absurditatem consequentis.

Nunc

20. Ad responsione ad primum. Nunc ad primum respondeo: esto sit lex divina, & materia secundùm se gravis, est tamen levis spectato motivo legis: cùm præferentia in cæteris ministris inferioribus Diacono non fundetur in jure aliquo ministri aut particulari ordinatione; ac proinde inversio ordinis alicui tantùm decentiæ repugnet. Veluti etsi gratitudo postulet beneficium notabile conferri alicui; equidem si non fiat, quia tantùm committitur aliqua indecentia sine læsione juris, non est ingratitudo semper peccatum mortale.

Idem exemplificare possumus generaliter in omni lege; nam ad æstimandam materiæ ipsius quantitatem non oportet considerare materiam nudè secundùm se, sed maximè attendi debet communis hominum instinctus, ac præsertim consensus DD. tum finis legis, & proportio materiæ ad eum finem.

21. Ad æstimandam materiæ quantitatem attendi debet primo communis hominũ instinctus ac præsertim consensus Doctorum. Primum patet; quia ut communiter dicitur; *Vox populi, vox Dei*, id est, per communem consensum populi, & potissimùm illorum, qui ex professione sua tenentur cæteros instruere de gravitate & levitate peccatorum, censetur Deus & Ecclesia voluntatem suam graviter vel leviter obligandi indicare; præsertim cùm lex naturalis scripta sit in cordibus hominum, & lumen naturale dictet quid hîc & nunc agendum sit. Deinde non possumus in dubijs hoc tempore habere certiorem notitiam, quàm per consensum populi & DD. cùm Deus ampliùs per seipsum vel Prophetas non faciat novas revelationes. Ne ergo semper maneamus dubij de gravitate vel levitate materiæ sive peccati, optimum est sequi commune judicium prudentum.

Et ita præceptum jejunij, & similia obligant sub mortali; quia communis Ecclesiæ & fidelium sensus sic intelligit illa præcepta. Cùm ergo in præsenti communis Ecclesiæ & fidelium sensus sit, aliquam inversionem hujus ordinis esse mortalem, aliam solùm venialem, propter judicium solius Vasq. nihil mutabitur in re, aut saltem mutari debet in conscientia operantis.

22. Deinde finis legis, & proportio materiæ ad eam finem. Quòd etiam finis legis sive materiæ debeat venire in considerationem gravitatis aut levitatis, ostendo; quia intentio Legislatoris, quæ necessariò respicit aliquem finem, est anima ipsius legis; adeoque secundùm gravitatem ipsius judicanda est gravitas præcepti, consequenter etiam gravitas materiæ; quippe materiale sequitur formale, & non è contra. Unde sicuti nulla est obligatio etiam ad gravissimam materiam, nisi accedat præceptum, & præceptum non subsistat sine justo fine legis, ita neque materia gravis censenda est in ordine ad istum finem, sive prout substat legi, nisi sit gravis finis legis, ad quem multum conducat illa materia sive materiale legis.

Eadem materia potest esse respectivè gravis & levis. Ex quo communiter inferunt DD. eamdem materiam respectu diversarum legum posse esse gravem & levem, v. g. auditio missæ est materia gravis respectu legis Ecclesiastici, quia multùm adjuvat profectum spiritualem uniuscujusque audientis, qui est finis istius legis. Idem esset si in aliqua Religione talis auditio singulis diebus præciperetur. At verò censetur materia levis, si præcipiatur per legem civilem tamquam medium ad bonam gubernationem Reipub. utpote parùm conducens ad illum finem. Ita inter Cæteros docet Vasq. 1. 2. disp. 158. c. 6. n. 60. *Vasquez.*

Nulla est repugnantia in eo quòd ordo ministrorum Baptismi, respectu unius sit formaliter gravis, & respectu alterius formaliter levis. Cur ergo itidem fieri nequeat, ut ordo ministrorum Baptismi à Christo præceptus in Sacerdote & Diacono sit materia gravis tam materialiter, quàm formaliter; in inferioribus materialiter quidem gravis, formaliter autem levis? Certè nulla ostenditur repugnantia, aut incongruitas; imo è converso communis sensus DD. & fidelium, ut mox diximus, judicat id esse valde congruum & rationabile attento fine istius præcepti, qui est reverentia debita Sacramento.

Si dixeris, non placet hæc responsio; dic ergo obligationem ordinis inter ministros inferiores Diacono, haudquaquam provenire ex lege divina; sed ex ritu Ecclesiæ leviter in re levi obligante, juxta præscriptum Ritualis Rom. in fine præced. conclus. allegatum, & receptam hodie consuetudinem. Alioquin Sacerdotem jure divino esse præferendum Diacono, & verosimilius Diaconum Subdiacono, alijsque inferioribus, declaro sequenti conclusione, quæ sic se habet. 23. Potest dici quòd obligatio ordinis inter ministros inferiores diacono, tantùm sit juris Ecclesiastici.

CONCLUSIO III.

Solus Sacerdos est minister ordinarius Baptismi. Solus Diaconus minister delegatus. In extrema necessitate præsumitur delegatio.

PRima pars patet ex Florent. in decreto Eugenij ibi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* 24. Probatur 1a pars ex Florentino.

 Ubi,

Ubi, cùm Concilium dogmaticè loquatur, excludit omnes reliquos.

Et Isidoro.

Unde c.19. de consec. dist.4. dicitur ex Isidoro de officijs, lib. 2. c.24. *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, eiusq; mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum*, jure ordinario, & ex officio.

Confirmatur ex communi praxi Ecclesiæ.

Estque communis doctrina SS. Patrum, roborata praxi totius Ecclesiæ, à qua optimè discimus voluntatem Christi, quæ est ratio à priori.

Congruentiam assignat Scotus.

Congruentiam assignat Doctor Subtilis 4. dist. 6. q.1. n. 3. ibi: *Tandem dico, quòd licèt secundùm prædicta quodlibet suppositum habens tres prædictas conditiones possit baptizare, etiam cum hoc congruit solum hominem viatorem baptizare; congruum tamen est inter viatores solum Sacerdotem baptizare, & soli Sacerdoti congruit ex officio*, intellige, jure ordinario.

Cuius est ratio; quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis: receptio autem alicuius in collegium pertinet ad Præsidentem, & habentem auctoritatem in collegio: & ideo quantò aliquis haberet maiorem auctoritatem in Ecclesia, tantò magis pertineret ad eum recipere & introducere in Ecclesiam, & per consequens baptizare. Vnde magis competeret Episcopo, quàm simplici Sacerdoti, si sufficere possent Episcopi: sed propter paucitatem Episcoporum, & pluralitatem baptizandorum, regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus.

25. Cui concordat Tertullianus.

Atque hoc est, quod dixit Tertull. lib. de Baptismo c. 17. *Dandi quidem* (scilicet Baptismum) *habet ius summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem.* Hoc est, Episcopo competit jus primarium, seu potiùs jurisdictio primaria baptizandi; Pontifici quidem Romano tamquam capiti universalis Ecclesiæ jure divino immediatè, à quo ulteriùs jure humano ordinario (ut communiùs docetur in tract. de Legibus) derivatur in Episcopos. Ab his autem communicatur Pastoribus respectivè ad suas Parochias, alijsque Sacerdotibus, juxta suæ commissionis amplitudinem.

Attribuens jurisdictionem primariam baptizandi Episcopis.

Quæ jurisdictio est etiam alijs Sacerdotibus necessaria,

Hanc jurisdictionem esse necessariam, etiam Sacerdotibus, ad licitè baptizandum extra necessitatem, probat honor Ecclesiæ, id est, ordo hierarchicus, sive regimen Ecclesiæ, quod maximè perturbaretur, si cuilibet Sacerdoti permitteretur per Sacramentum Baptismi subjicere unumquemque jurisdictioni Ecclesiæ, & reddere participem jurium, & privilegiorum communitatis Ecclesiasticæ.

Ne turbetur ordo Ecclesiæ.

Nonne videmus in Republica civili Præsidentium tantummodò esse, admittere aliquem ad jura civitatis? Quantò magis in Republica Ecclesiastica, in qua major debet esse unitas & subordinatio, non cujuslibet erit quemlibet admittere ad jura Ecclesiæ?

26. Dubitatur cui subsint adulti non baptizati.

Si autem dubitas, cui subsint adulti non baptizati, Respondeo illi, qui in loco, in quo commorantur, potest licitè Baptismum ministrare; non quòd ex præcepto Ecclesiæ teneantur ab illo petere; sed quia ex jure naturæ præcipitur illis non petere ab eo, qui non potest licitè dare. Ergo in terris infidelium subsunt ijs, qui legitimè mittuntur pro eorum conversione, & Sacramentorum administratione; quia hi soli possunt licitè dare.

Resolvitur dubium.

Et licèt parvuli propriè non subdantur præcepto ratione sui, tamen bene in parentibus. Insuper alijs fidelibus directè præcipitur, ne quis illorum, præter Pastorem, eos baptizet. Paganus autem peccat, quia præfert se Sacerdoti, contra jus divinum.

27. Secundùm hæc intellige, quod Scotus supra dixit in fine: *Regulariter conceditur potestas baptizandi omnibus Sacerdotibus*; non quòd velit passim omnes Sacerdotes licitè ex officio solemniter baptizare; sed quòd ex vi ordinationis suæ sint immediatè capaces, quibus ab Episcopis committatur ordinaria administratio Baptismi solemnis, id est, quibus concedatur ordinaria jurisdictio. Quam capacitatem nulli habent præter Sacerdotes.

Quomodo intelligendi qui solis Episcopis tribuunt baptizandi facultatem.

Et in hoc sensu veniunt explicandi, qui solis Episcopis videntur tribuere potestatem baptizandi, alijs autem Sacerdotibus tantummodo ex commissione eorum, ut videlicet Episcopis per se competat tam potestas Ordinis, quàm jurisdictionis; similiter & Pastoribus, eo ipso quo Pastores sunt; cæteris autem quamvis conveniat potestas Ordinis jure divino, tamen ad singula Baptismata communicari debet potestas jurisdictionis talis qualis ab ordinarijs Superioribus; breviter, Episcopi & Pastores sunt ministri ordinarij, reliqui delegati.

28. An sit differentia, & quæ inter Diaconum & simplicem Sacerdotem in ordine ad hoc ministerium.

Inferes; ergo non est differentia inter Diaconum & simplicem Sacerdotem in ordine ad hoc ministerium. Probatur consequentia; quia, ut habet sequens pars conclusionis, de qua incipio tractare, etiam Diaconus potest esse delegatus, id est, ministrare solemniter sive in necessitate sive extra necessitatẽ ex commissione proprij Sacerdotis.

Resolvitur quòd Sacerdotibus competat potestas ordinaria; Diaconis non nisi delegata.

Respondeo nihilominùs negando consequentiam. Ad probationem dico, suppositâ ejus veritate, adhuc differentiam esse, quòd simplici Sacerdoti possit competere potestas ordinaria, Diacono non nisi delegata, ut satis probatur ex cap. *Constat*, supra citato ex Isi-

Colligitur ex cap. Constat dist. 4.

ex Isidoro de consec. dist. 4. quod hîc totum recito: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum: eiusq; mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero: nisi, his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. Quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur.*

Et Gelasio Papa.

Adde constitutionem Gelasij Papæ (sic est in plerisque manuscriptis, & apud Burch. & Ivonem, nam in impressis erat Pelagius) in Epistola ad Episcopos per Lucaniam c. 9. & 10. & refertur dist. 93. c. 13. *Diaconos*, inquit, *propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum, quippiam tentare permittimus. Nihil eorum suo ministerio penitùs applicare, quæ primis Ordinibus propriè decrevit antiquitas. Absque Episcopo, vel Presbytero* (id est, *præter auctoritatem eius*, inquit Glossa ibi) *baptizare non audeant, nisi, prædictis fortasse Ordinibus longiùs constitutis, necessitas extrema compellat. Quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.* In quibus Canonibus

29\. Nota ly *Solis Sacerdotibus*, & ly, *Quæ primis Ordinibus propriè decrevit antiquitas.* Qui sint autem illi primi Ordines, satis significat Pontifex quando subdit. *Absque Episcopo, vel Presbytero.* Igitur omnibus Episcopis & Presbyteris, juxta mentem Gelasij, convenit ex vi Ordinationis primaria potestas baptizandi, atque ipsis solis conceditur potestas ordinaria jurisdictionis: Diaconis autem non nisi delegata. Cùm enim non habeant potestatem ordinariam in corpus Christi verum, neque ut conficiant illud, neque ut ministrent; planè conveniens erat, quòd etiam non haberent potestatem ordinariam in corpus Christi mysticum.

Diaconus consecratur ut sit minister Episcoporum & Sacerdotum in Sacramentorum administratione; Pontificale Romanum.

Interim licèt non consecrentur ut sint Pastores Ecclesiæ; equidem ut sint ministri Episcoporum & Sacerdotum in Sacramentorum administratione. Unde Diaconis præ alijs inferioribus Clericis in ordinatione sua dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare*, utique solemniter ex rationabili consensu eorum, quorum interest; alioquin nihil speciale ipsis concederetur, *& prædicare*, publicè in Ecclesia proponendo fidelibus verbum Dei.

Tertull.

Ideoque Tertull. agens de ministro Baptismi lib. de Baptismo c. 17. annumerat Diaconum Presbytero dicens: *Dandi quidem* (Baptismum) *habet ius summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi.* Similiter Hieron. contra Luciferianos. *Inde*, inquit, *venit ut sine chrismate, & Episcopi iussione neque Presbyteri, neque Diaconi ius habeant baptizandi*, Diaconi delegatum, Presbyteri ordinarium.

Hieron.

Et ideo plus potest in administratione Baptismi, quàm Subdiaconus.

Ergo plus aliquid potest Diaconus in administratione Baptismi, quàm Subdiaconus, aut alius inferior Clericus; atqui hic potest in extrema necessitate, ut vidimus Conclusione præcedenti, baptizare sine solemnitate; ergo ille extra ultimam necessitatem; non absque Episcopo, vel Presbytero; ergo saltem ex ejus commissione, sive delegatione; non privatim; quia citra necessitatem Ecclesia non permittit Baptismum privatum, sed pro majori decentia requirit solemnitates consuetas; ergo solemniter.

Puta baptizare solemniter ex commissione Episcopi vel Sacerdotis.

30\. *Hæc commissio debet esse rationabilis.*

Cæterùm caveant Episcopus & Presbyter, ne cum præjudicio ministri principalis, & aliquali injuria Sacramenti, committant hoc ministerium sine rationabili causa Diacono, qui tantùm est minister secundarius. Commissio ergo sit rationabilis. Et amabo quæ ista?

Quæ sit rationabilis commissio.

Respondeo, omnis illa, quæ fulcitur tali ratione, sive causâ, per quam Sacerdos legitimè excusatur à ministratione per seipsum; ut si sint pauci Sacerdotes, & plures baptizandi; si propter infirmitatem non sine magno periculo possit munus suum exercere; si actionibus magis necessarijs ita occupetur, v. g. prædicatione verbi Dei, audiendis confessionibus &c. ut plures satis parati accedentes, cum incommodo diu Baptismum debeant differre.

Ita Apostoli in primitiva Ecclesia, ut prædicationi novæ legis vacarent, videntur commisisse Baptismum Diaconis: ex qua commissione Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum Act. 8. v. 38. vix tamen hoc tempore, & in his locis id est in usu ob multitudinem Presbyterorum. Non ergo exspectanda est extrema necessitas. *Act. 8.*

31\. *In extrema necessitate commissio non debet esse expressa.*

Sed numquid in hac licet absque commissione expressa? Ultima pars conclusionis affirmat: cùm enim solemnitas Baptismi sit juris Ecclesiastici ubi & quando commodè potest adhiberi, & Diaconus aliquando solemniter baptizet ex ordinatione Ecclesiæ; scilicet quando id expressè ipsi delegatur à Sacerdote, non video quid obstet, quò minùs in extrema necessitate, in qua ad licitè baptizandum neutiquam requiritur specialis commissio proprij Sacerdotis, quin, inquam, in tali casu rationabiliter præsumi possit generalis licentia Ecclesiæ seu Pontificis solemniter baptizandi; Licet ergo Diacono in extrema necessitate solemniter baptizare.

Potest ex cõmissione Papæ Sub-

Numquid etiam Subdiacono, aut laico? Negat communis praxis, & Doctorum

 sensus,

diaconus solemniter baptizare.

sensus; esto alioquin id possent etiam extra necessitatem ex speciali commissione Papæ, cujus est dispensare in jure Ecclesiastico, quô introducta est ista solemnitas, & illis prohibita.

Id de facto non est ipsi permissum.

Sed quare, inquis, non præsumitur rationabiliter commissio Papæ in casu necessitatis? Respondeo; quia nusquam in jure permittitur talibus Baptismus solemnis extra necessitatem, neque ullibi legitur Pontificem illum commisisse.

32. Dices; Diacono non aliud permittitur in ultima necessitate, nisi quod laicis plerumque conceditur; atqui, secundùm jam dicta, laicis non permittitur Baptismus solemnis; ergo nec Diacono. Major constat ex cap. *Constat.* & cap. *Diaconos.* supra allegatis.

Non est eadem de Diaconis ratio;

Respondeo istos Canones sic commodè intelligi posse, ut sensus sit: Absque expressa licentia Episcopi, vel Presbyteri non audeant Diaconi solemniter baptizare, nisi, prædictis fortassis ordinibus longiùs constitutis, necessitas extrema compellat. Quod & laicis Christianis facere (quoad substantiam, non quoad modum solemnitatis) plerumque conceditur. Plerumque, inquam, non quòd non semper, quando necessitas urget; sed quia illa non semper, sed plerumque, id est, frequenter (ut sæpe Pontifices termino isto utuntur) occurrit; vel quia laicis Christianis non semper id conceditur, sed tantùm in defectum Clericorum majorum Ordinum.

Atque, ut illi Canones non agerent de solemnitate Baptismi, sed solùm de substantia, equidem existimo Diaconum posse solemniter baptizare, sicut extra necessitatem de licentia expressa proprij Sacerdotis, ita in necessitate de licentia præsumpta. Moveor auctoritatibus supra allegatis ex Pontificali Romano, Tertul. & Hieronymo.

33. Adeoque baptizans solemniter non fit irregularis;

Si inferas: Ergo Diaconus solemniter baptizans non incurrit irregularitatem. Optima illatio! pro cujus majori explicatione proponitur quæstio generalis: An qui invertit ordinem supra præscriptum, baptizando ubi & quando de jure ipsi non competit, incurrat irregularitatem?

c. 1. de Cler. non ordin.

Ratio dubitandi sumitur ex c. 1. de Clerico non ordinato ministrante, quod est sequentis tenoris: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur.* Quod videtur intelligendum de quocumque non ordinato baptizante, quando ei non licet.

34. Nihilominus dicendum Primò cum Suario hîc disp. 31. sect. 4. & alijs ab ipso citatis, textum illum intelligi debere de Baptismo solemni. Glossa ibi verb. *Si quis baptizaverit.* *Intellige*, inquit, *ac si esset ordinatus, & ei liceret ex officio.* Suarez.

Sicut ille, qui exercet actum ordinis cùm non sit ordinatus,

Colligitur ex titulo, & intentione Legislatoris; punitur quippe irregularitate, qui exercet actum Ordinis, cùm non sit ordinatus; sed Baptismus privatim collatus non est actus Ordinis; cùm non solùm semper valeat, sed etiam unicuique non ordinato in necessitate liceat: ergo &c.

Laicus itaque conferens Baptismum privatim, præsente etiam Sacerdote, non propriè peccat exercendo actum Ordinis, quem non habet; sed quia utitur extra necessitatem facultate, sibi solùm concessa in necessitate.

Unde similiter peccaret simplex Sacerdos sic baptizans in præsentia Parochi; Et tamen quis dixerit ipsum exercere actum Ordinis, quem non habet? Ex quo etiam sequitur talem Sacerdotem non fieri irregularem, etsi ita baptizaret solemniter, injustè usurpando munus alterius.

Dicendum Secundò quemcumque Clericum non Sacerdotem, aut Diaconum ministrantem Baptismum cum solemnitatibus consuetis sive in, sive extra casum necessitatis, vi juris allegati fieri irregularem; quia videlicet exercet actum Ordinis, quem non habet. Quin immo Suarez supra extendit hanc pœnam etiam ad Diaconum sic ministrantem propriâ auctoritate; neque excipit casum necessitatis: quia, inquit, nulla est necessitas, quæ cogat ad Baptismum solemnem. 35.

Ut si clerici Diacono inferiores baptizent solemniter,

Aut Diaconus propriâ auctoritate.

Verumenimverò oppositum haud caret probabilitate; & quidem in extrema necessitate, cùm, secundùm communiorem sententiam, non peccet Diaconus ministrando solemniter, quoniam id facit ex tacita, ut diximus, commissione Ecclesiæ, quo jure incurret irregularitatem? Liquet sanè jus præcitatum esse pœnale, adeoque præsupponere culpam, idque mortalem, juxta communiorem doctrinam in materia de censuris, propter gravitatem pœnæ, ut sit proportio inter culpam & pœnam.

Oppositum est etiam probabile, maximè si baptizet in necessitate.

Propter temeritatem, inquit lex, *abjiciatur.* Quis autem judicat temerarium sequi sententiam probabilem? Aut quæ temeritas in ministerio probabiliter licito? Fateor per Baptismum privatum sufficienter subveniri cuicumque necessitati. Sed quid tum? Equidem potuit Ecclesia velle, & censetur prudenter voluisse Baptismum solemnem, quando commodè potest haberi.

Majorem

36. *Si extra necessitatem,* Majorem verisimilitudinem habet sententia Suarij in Diacono Baptizante solemniter extra necessitatem sine commissione expressa, aut tacita; cùm certum sit, ipsum tunc mortaliter delinquere. Sed an solùm usurpando jus alienum, an verò etiam exercendo Ordinem, quem non habet, dubium relinquitur; & ideo dubia irregularitas. *Adhuc dubia est irregularitas.*

Sicut superius diximus ex Pontificali Romano *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare*; si ergo non exercet actum Ordinis, quem non habet, ministrando ad altare; cur potius baptizando exercebit? Scio Diaconum principaliter ordinari ad ministerium altaris; unde & illud sine cujuspiam consensu aut commissione licitè exercet; sed dico minùs principaliter sive secundariò etiam consecrari ad solemniter baptizandum, sicuti ad prædicandum.

Concludo: quandoquidem lex irregularitatis, de qua hîc disputamus, sit pœnalis; leges autem pœnales regulariter odiosæ, adeoque restringendæ juxta Reg. 15. de Reg. Juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, posset alicui non improbabiliter videri, Diaconum minimè ligari lege illâ, etsi solemniter baptizet absque licentia rationabili Sacerdotis; jus enim loquitur de non ordinato, puta nec primariò, nec secundariò ad talem actum; negatio quippe utpotè malignantis naturæ, ut loquuntur Philosophi, tollit totum, præsertim in odiosis. *Maximè cùm lex pœnalis qualis est lex irregularitatis sit restringenda.*

37. *Contrarium equidem fundatur in communi sensu.* Equidem contrarium est communis sententia, à qua non facilè in praxi recedendum. Fundatur; quia licèt Diaconus ordinatus sit minùs principaliter ad baptizandum, tamen cum subordinatione ad licentiam sive commissionem ministri ordinarij; adeoque sine illa baptizans, exercet actum Ordinis, quem non habet; quippe non ordinatur, ut per se baptizet; sed potiùs ut sit aptus seu idoneus minister, cui committatur verbi divini prædicatio, atque solemnis Baptismi ob rationabilem causam administratio.

38. *Laicus solemniter baptizans probabiliter non est irregularis.* Dico tertiò multi probabiliter docent, laicum solemniter baptizantem non fieri irregularem, eò quòd in jure non reperiatur hæc irregularitas laicis imposita (quod tamen requiritur c. 18. de Sent. excommun. in 6. ibi: *Licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit*) quippe caput supra citatum 1. de Cler. non ord. minist. juxta Titulum suum satis verificatur in Clerico. *c. 18. de Sen. excom. in 6.*

Auctores pro hac sententia vide apud Suarium supra disp. 31. sect. 4. Ubi contrarium docet esse probabiliùs, eò quòd verba textûs sint generalia: *Si quis*, inquit Pontifex, *baptizaverit non ordinatus*. Constat autem laicum non esse ordinatum. *Suarez.* *Verius est oppositum,*

39. Nec refert quòd de Rubrica Tituli dicebatur; quippe multi eruditi viri adnotarunt in aliquibus codicibus in illo Titulo non legi, *de Clericò non ordinato*; sed simpliciter, *de non ordinato*; & nunc, inquit Suarez supra, ita legitur in septem manuscriptis codicibus Gregorianis.

Accedit Decretalem illam longè esse antiquiorem Rubricâ illius Tituli, ut proinde per illam Textus non debeat restringi. Aliud fortè est de Rubricis juris civilis, quæ supponuntur esse eorumdem Imperatorum seu Jureconsultorum, quorum sunt ipsæ leges; Tituli autem Decretalium sunt Gratiani, vel aliorum; unde non habent tantam auctoritatem. *Cùm Rubrica textui debeat accommodari,* *Maximè in Decretalibus,*

Et sanè mirandum foret jus magìs velle punire Clericum, qui propter aliquem Ordinem minùs alienus est ab hoc officio, quàm laicum, qui omnino caret Ordine. Nisi fortè propterea sit, quòd illi sæpiùs in hoc delinquant; quod etiam potuit esse ratio, quare compilatores Decretalium præfixerint Titulum, *de Clerico non ordinato*.

Quæ cùm ita sint planè arbitror laicum, qui sic baptizasset, non teneri se tamquam irregularem gerere; ad minùs enim dubium est, an factum ipsius illâ lege comprehendatur; adeoque dubitatur, an existat jus infligens irregularitatem pro tali Baptismo. Porrò in dubio facti (excipio homicidium) non judicatur aliquis irregularis, minùs in dubio juris. Cùm ergo laicus in casu proposito non tantùm dubitet, an verè incurrerit irregularitatem, sed etiam probabiliter possit judicare in foro conscientiæ se eam non incurrisse; quis prudens, & obligabit illum in foro externo secluso scandalo? 40. *Manet nihilominus dubium an factum talis laici dictâ lege comprehendatur;* *Adeoque dubium an incurrerit irregularitatem.*

Sed hæc sufficiant de qualitate personæ ministrantis: de quantitate autem quæritur: An unus minister possit simul plures baptizare, aut plures ministri unum? Ad primam partem responsio erit

CONCLUSIO IV.

Potest unus minister simul plures baptizare applicando omnibus simul materiam & dicendo:

dicendo: *Ego vos baptizo* &c. validè semper, licitè non nisi in necessitate.

41. Potest unus simul plures baptizare, validè semper; Scotus.

ITa docet Scotus 4. dist. 6. q. 2. n. 6. *De tertio*, inquit, *membro divisionis, conceditur quòd iste plures simul aspergens, vel fundens, & simul proferens formam in plurali, dicendo;* Ego vos baptizo: *baptizat simul omnes: tamen peccat mortaliter: quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia, nisi fortè esset tanta necessitas, quòd immineret mors omnium: & si quando singulos baptizaret sigillatim, aliquis eorum foret mortuus antequam alios baptizasset.* Ubi requirit extremam necessitatem, id est, probabile periculum mortis alicujus sine Baptismo, nisi jam baptizaretur.

Hæc est communis Theologorum sententia, quæ probatur à simili in alijs Sacramentis: sic enim validè, & licitè in periculo naufragij unus plures simul absolvit à peccatis, dicendo, *Ego vos absolvo.* Similiter unus plures simul ordinat, dicendo; *Accipite potestatem offerendi* &c. *Accipite Spiritum sanctum* &c. Quidni & plures simul possit baptizare? Certè nec ratio nec auctoritas contrarium evincunt.

Itaque quemadmodum in Absolutione v. g. forma virtualiter est multiplex propter particulam, *vos*, quæ æquivalet particulis, *te*, &, *te*, ita etiam in Baptismate: & sicuti non licet passim plures absolvere simul, sed tantummodo in necessitate; ita quoque illicitum est propter consuetudinem, & communem praxim Ecclesiæ in contrarium, plures simul baptizare extra necessitatem; illicitum, inquam, saltem venialiter; probabiliter etiam mortaliter, ut supra docet Scotus, & rursum insinuat verbis statim citandis.

Illicitè extra necessitatem.

42. An mortaliter vel venialiter, disputatur. Dicastillo.

Equidem Dicast. disp. 1. n. 138. probabiliùs judicat non esse mortale. Citat Vivaldum, Henr. Valent. & Reginaldum, nullo alio fundamento allegato. Verùmtamen cùm sit res gravis & illicita, quidni graviter illicita? Sed adversarij facilè negarent, & deberent negare gravitatem rei.

Intèrim malumus sequi judicium nostri Doctoris, qui etiam dubitat, an necessitas à mortali excuset, inquiens: *An autem casus necessitatis, qui positus est de pluribus statim morituris, excusaret ministrum utentem illâ formâ*, Baptizo vos; *à peccato mortali; dubium est.* Loquitur de suo tempore; nam modò post editum Rituale Romanum à Paulo V. indubitatum est excusare.

Scotus.

In necessitate licitè. De quo suo tempore dubitavit Scotus. Rit. Rom.

Hæc sunt verba Rit. Tit. de Sacramento Baptismi §. de baptizandis parvulis: *Quam tamen formam* (Ego vos baptizo) *in ijs solùm* (loquitur de Baptismo monstri, quod est duplex persona, imminente periculo mortis) *& in alijs similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur ut singuli separatim baptizentur; aliàs numquam licet adhibere.*

Modò est indubitatum.

Et hoc videtur rationabile: *Quia*, subnectit Scot. supra, *ex quo in potestate Ecclesiæ fuit determinare istam formam ad illa verba*, Baptizo te ..... *non videtur, quòd ipsa voluerit aliquem ita præcisè ad illam formam arctare, ut per hoc alicui præcluderetur via salutis. Nunc autem in casu prædicto, alicui eorum præcluditur salus, si non posset aliquis sine peccato mortali uti ista formâ*, Baptizo vos. *Nam si in quocumque casu esset peccatum mortale, nullus deberet eos sic baptizare: nullus enim debet salutem alterius procurare, peccando in se mortaliter.*

Scotus.

43. Imò ex dispensatione Ecclesiæ potest sufficere minor necessitas.

Ex quibus verbis colligo etiam minorem necessitatem posse sufficere, si Ecclesia velit. Sanè in partibus infidelium, ubi aliquando nescio quot millia uno die baptizantur, non apparet credibile, quòd super singulos eorum proferatur integra & specialis forma Baptismi.

Probatur ex facto Apostolorum Act. 2.

Et quis improbaverit, si dixerimus ita baptizasse Apostolos Act. 2. v. 31. circiter tria millia hominum? Videntur hoc supponere DD. quando asserunt Apostolos tinxisse tantam multitudinem per aspersionem. Alioquin si supra singulos particularem formam pronuntiassent, æquè commodè per infusionem baptizassent. Quidquid sit de facto, possibilitas est ostensa.

Hæc de prima parte quæstionis, ad secundam Respondeo:

CONCLUSIO V.

Plures unum validè possent baptizare; equidem vix umquam licitè baptizant.

44. Aliqua præmittuntur ex Scoto pro clariori intellectu conclusionis.

PRobationi ad majorem claritatem præmitto cum Doctore Subtili suprà n. 2. *Plures baptizare, potest intelligi vel eumdem suscipientem, vel plures suscipientes: & utrumque adhuc subdistinguitur, quia si eumdem, vel uterque totum facit, vel unus abluit, & verba alius profert, puta unus mutus est & tantùm abluit: alter mancus est, & verba profert. Secundum etiam membrum subdistinguitur, quia si baptizat plures, vel manifestè distinctos, vel immanifestè, ut in monstro, de quo dubitatur si est una persona, vel duæ.*

De

De tertio & quarto membro hîc non agimus; vel enim loquitur Doctor de Baptismo activo plurium, similiter & passivo plurium, hoc est, quærit an plures ministri possint baptizare plures distinctos homines; & resolutio affirmativa est extra controversiam; vel quærit, an unus plures simul possit aspergere, & proferendo formam baptizare, & ad illam quæstionem jam respondimus conclus. præced.

44 De monstro quomodo debeat, & possit baptizari diximus in fine præcedentis sectionis ex Rit. Rom. quod videtur suam doctrinam desumpsisse ex Scoto supra n. 7. Quapropter verba ipsius lubens hîc exscribo: *Dico*, inquit, *quòd si tempus haberi potest ad discernendum, an monstrum sit simpliciter una persona, vel duæ; de hoc debet haberi diligens inquisitio antequam baptizetur.*

Qualiter debeat baptizari monstrum de quo dubitatur an sit una persona, an duæ resolvitur ex Scoto.

Sed unde? *Vel ex partibus*, inquit, *corporis, puta si sint duo capita, vel duæ spinæ dorsi: vel principale indicium de cordibus; sed illud non potest esse faciliter evidens, dum vivit. Sed nec signum de duobus capitibus esset omnino certum: quia possibile esset aliquam cellulam in matrice esse perforatam per totum, præterquam in parte superiori, & tunc concurrerent partes seminis cadentes in diversis incastraturis matricis, pro tota parte inferiori, & tunc distinguerentur in parte suprema, & ibi formarentur duo capita, cùm tamen reliqua materia non sufficeret, nisi pro formatione unius personæ.*

Breviter evidentissimum signum distinguendi est per actum intellectûs & voluntatis. Si enim sunt duæ animæ, non est necessarium unam scire quidquid scit alia, & velle quidquid vult alia: tamen raro, vel numquam accidit, quòd sint duæ animæ, quin sint duo capita, vel duæ partes principales capitis, licèt non è converso. Et si quo modo possit deprehendi diversitas intellectuum in intelligendo, puta quòd per aliquod signum deprehenderetur idem sciri, & nesciri: vel posset deprehendi diversitas voluntatum, puta quòd esset ibi velle, & nolle de eodem, absque dubitatione tenendum esset, quòd essent ibi duæ animæ.

Evidentissimum signum distinguendi est per actus intellectûs & voluntatis.

Ut si deprehendatur per aliquod signum quòd idem sciatur & nesciatur, idem velit & nolit.

Sed istud non potest indicari, nisi de monstro adulto, quale ponitur fuisse in Francia habens duo capita, quorum unum expressit nolle de eo, de quo aliud expressit velle. Unum enim voluit continere, & sobriè vivere, & aliud lascivire, & epulari: & cùm unum per os suum excederet, reliquum clamabat se gravari. His præmissis de signis unius vel duplicis personæ in monstro, hanc statuit Doctor resolutionem.

De tali monstro dico; quòd si certitudo potest haberi, & sint partes, de quibus patet quòd pertinent ad distinctas personas, separatim perfundi deberet ista pars, & illa, cum iteratione forma in singulari super utrumque. Si autem certitudo haberi non possit, baptizandus est saltem in illis partibus, quæ principaliter pertinent ad unum, cum forma in singulari: & secundo abluendæ sunt aliæ partes, quæ non videntur principaliter pertinere ad illum primum, & hoc cum forma, quæ servanda est in illis, de quibus est dubium, quæ ponitur extra de Baptismo & ejus effectu cap. de quibus. Sed de monstro satis.

Venio ad primum membrum divisionis, de quo loquitur præsens conclusio, quam probo, & sic discurro: vel uterque baptizans facit totum, vel unus applicat materiam, & alter profert formam. Elige quod placet. 45

Probatur conclusio principalis.

Eligo, inquis, secundum; & quid obstat quò minùs validè hujusmodi ministri baptizent? Si dixeris; quia forma esset falsa; hæc quippe significat eumdem esse qui abluit, & qui profert formam.

In casu quo unus materiam applicat alter formam profert.

Contra; quod fit per aliquem tamquam instrumentum, moraliter censetur fieri per causam principalem? patet in judice, qui furem suspendere dicitur, quamvis non nisi mediatè id faciat per lictorem tamquam instrumentum; sic etiam Dominus dicitur dare eleëmosynam per famulum, occidere &c. Quidni etiam dicatur abluere? Atque hoc fundamento putant nonnulli hujusmodi Baptismum valere.

Accedit quòd forma Græcorum hoc non importet, sed simpliciter ablutionem. Denique sensus formæ Latinorum videtur esse: *Ego confero tibi Sacramentum Baptismi.*

Equidem invaliditas est certa, & constanter asseritur ab omnibus Doctoribus uno aut altero excepto. *Dico*, inquit Doctor supra n. 5. *quòd utroque seorsim aliquid faciente, & neutro totum simul sic abluente & proferente verba, nihil fit. Nec est alia ratio nisi institutio Dei, qui sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum ministrum in collatione integra Sacramenti.* 46.

Primò ex institutione Christi Scotus.

Unum, inquam, non tantùm moraliter, sed etiam physicè. Potuisset quidem Christus instituere hoc Sacramentum in ablutione physica, moraliter procedente à ministro proferente formam; sed requisivisse physicum processum, docet communis sensus, & praxis Ecclesiæ, & apprehensio omnium fidelium, qui semper censuerunt rebaptizandum hæreticum, si ministro è cathedra proferente formam, alter inferiùs profuderit aquam.

Requirentis ablutionem physicè procedere a ministro proferente formam.

Probat Secundò Scotus ex verbis formæ: *Hoc*, inquit, *etiam apparet accipiendo istam formam, quâ nos utimur: nam per verba illa,* 47.

Probatur secundò ex verbis formæ Scotus.

illa, proferens ea, significat se abluere: non autem debet oratio esse falsa, quæ est forma Sacramentorum verorum.

Et ad replicam supra positam ex forma Græcorum, respondet: *Consimiliter etiam debet intelligi verbum Græcorum dicentium, Baptizetur &c. quia non est tantùm deprecatio, sed etiam quædam efficax optatio; ut sit sensus; Per istum actum meum circa istum baptizetur ille.* Oportet sanè ut sit idem sensus utriusque formæ, & potiùs ex forma nostra colligenda est voluntas & institutio Christi.

Tam Latinæ, quam Græcæ.

48. Neque verum est formam Latinorum significare; *Ego confero tibi Sacramentum Baptismi*; sic enim significaretur, quòd forma conferret seipsam, cùm hæc sit pars Sacramenti; siquidem per formam partialiter confertur seu conficitur Sacramentum. Significatur itaque ablutio materialis, quæ cum verbis, quæ proferuntur, constituit unum & verum Sacramentum.

Quid quæso est necessarium quòd minister in actu signato, ut vocant, significet se conferre verum Sacramentum, aut effectum Sacramenti? Nonne satìs est quòd actu conferat ponendo materiam & formam? Ita quippè in actu exercito, ut loquuntur, significat se conferre Sacramentum; ut proindè non debeat hoc per formam exprimere.

Adde illam significationem valde esse impropriam, cùm tamen nulla sit necessitas improprij intellectûs; sed verba commodè possint intelligi prout sonant, id est, ut significent ablutionem corporalem, quæ per ipsum exercetur ministrum. Ipsum, inquam, qui formam profert exercetur, non moraliter, ut dixi, sed physicè secundùm communem sensum, & praxim: alioquin unde considerando ista verba, non video clarè quòd ista oratio esset falsa.

Cujus verba significant ablutionem corporalem ut à proferente procedentem physicè.

49. Unde quia aliqualiter dubium esse potest, an valeat talis Baptismus, posset in necessitate adhiberi; quæ tamen vix occurrere potest: nam mutulus posset facilè abluere sumendo ore aquam, & inde illam effundendo, deinde statim subjungendo formam; vel formâ inchoatâ, *Ego te baptizo*, aquam ore sumendo & effundendo, deinde formam prosequendo, *In nomine Patris* &c. (nisi quòd subinde iste modus nesciatur, aut non incidat) adeoque Deus non debuit ad hunc casum attendere in institutione sui Sacramenti.

Posset tamen propter dubium in necessitate taliter dari baptismus,

Quæ vix nata est occurrere.

Aliàs dicamus posse conferri hoc Sacramentum etiam per nutus, & alia signa sine verbis propriè dictis; nam pluries potest contingere, ut unus solùm adsit, qui est mutus, quàm ut duo sint præsentes, quorum unus sit mutus, & alter mancus. Admittamus in necessitate sufficere arenam, aut alium quemcumque liquorem præter aquam, quæ hactenùs sunt inaudita; aut si quispiam aliquid istorum docuerit, ab omnibus exploditur, & habetur paradoxum.

Perinde autem est ad valorem, aut invaliditatem, sive plures illi ministri utantur formâ communi exprimendo personam ministri in singulari per ly, *Ego*, sive in plurali per ly, *Nos te baptizamus* &c. quia semper significatur ablutio physicè procedere, saltem partialiter, ab utroque, quod in casu constat esse falsum; quia procedit totaliter ab uno solo.

Sed dicet aliquis; esto non valeat Baptismus quando unus abluit, & alter profert verba; eligo primum, & inquiro, quare saltem non sit validus Baptismus quando uterque totum facit? 50.

Haud video quin uterque validè baptizet, sive uno, sive duplici Baptismate, de quo dissero conclus. sequenti. Videtur esse Scoti suprà n. 2. ibi: *De primo dico quòd ille est baptizatus: quia non est verisimile quòd unus faciens annullet factum alterius: sed si tantùm unus eorum faceret, quod facit, factum esset: ergo nihil minus quod facit, factum est, alio similiter faciente.*

Quæritur an non valeat baptismus quando uterque totum facit, Scotus.

Nota ly *Similiter*, quod sic intelligo; si uterque in eodem instanti physico simul absolvant materiam, & formam; cùm enim hoc Sacramentum sit initerabile, qui priùs absolverit materiam & formam, hic solus confecerit verum Sacramentum, posterior namque rebaptizat; constat autem rebaptismum sive rebaptizationem esse invalidam.

Simul absolvendo in eodem instanti physico materiã & formam.

Ex quo facilè ostenditur veritas posterioris partis conclusionis; siquidem prout communiter ministratur hoc Sacramentum, vix haberi potest, ut duo illi ministri physicè simul absolvant, adeòque uterque exponit se periculo faciendi Sacramentum ex sua parte invalidum. Omitto quòd sit contra communem Ecclesiæ praxim, etiam tunc, quando non esset periculum alicujus Sacrilegij. 51.

Quod non est natum fieri.

Adeoque taliter ministrando peccatur.

Si dixeris, necessitas non habet legem, fateor; sed & illa rarissima est. Equidem si occurreret, non videretur illicitum sic baptizare, præsertim quando certus, aut valdè probabilis esset valor utriusque Baptismi.

Nisi occurreret necessitas, tunc enim liceret.

Quidni etiam quando sciretur unius Baptismum fore invalidum? Exemplum sit: aliquis moritur, & ministratur ei Baptismus cum tanta tarditate, ut credatur Baptismus

Licèt sciretur unius Baptismus fore invalidus.

Baptismus non perficiendus ipso vivente: cur sit illicitum prævenire, tametsi supponam Baptismum inceptum invalidandum? Illa quippe invaliditas non debet mihi imputari verè baptizanti, sed alteri, qui deberet desistere ab actione incœpta, quando videt me jam absolvisse: si autem nesciat, neque hoc ipsi commodè indicare possim, non committitur nisi peccatum materiale, quod non teneor cum tanto incommodo proximi impedire. Sed hic casus est metaphysicus: & tota controversia hujus conclusionis magis speculativa quàm practica; quam propterea paucis judico expediendā.

52. Et quidem quæ hactenus dicta sunt satis certa & communia videntur; nisi quòd aliquis dubitet, & non improbabile judicet utrumque Baptismum valere, etsi unus ante alium physicè compleatur, dummodò utriusque ablutio moraliter simul absolvatur, & similiter forma.

Dubitatur an valeat Baptismus dummodo utriusque ablutio & forma simul moraliter absolvatur.

Confirmat ex praxi Ecclesiæ in simili; recèns quippe creati Sacerdotes Romæ, & ubi ritus Pontificalis Romani per omnia servantur, solent cum Episcopo proferre verba consecrationis, qui indubiè verè consecrant, & tamen certum est quòd non possint omnes physicè simul absolvere; ergo in tali casu censentur moraliter simul absolvere: & hoc sufficere probatur; quia alioquin qui posteriùs absolvunt, committerent sacrilegium, & essent irregulares conantes consecrare hostiam priùs consecratam; ergo à simili &c.

53. Sed ubi legerit omnes illos Sacerdotes indubiè consecrare, licèt simul physicè non absolvant, nescio; hoc unum scio varias de hac re esse sententias, quas commodiùs referemus in materia de Eucharistia, ubi de ejus ministro. Clarum est paucissimos in illam transiisse opinionem, ut putent omnes omnino consecrationes valere; unde etiam in multis Episcopatibus ille ritus non observatur, & ubi permittitur ad hoc maximè allaboratur, & monentur omnes, ut physicè simul quantùm possibile est absolvant.

Similiter an recens creati sacerdotes consecrent licet simul cum Episcopo physicè non absolvant.

Hic ergo Auctor supponit tamquam certum, & cognitum quod æquè dubium, & incognitum est, atque illud ad quod probandum adfertur; imò aliqui ex invaliditate Baptismi, probant invaliditatem consecrationis.

Aliud est de absolutione sacramentali.

Aliud est de absolutione sacramentali, quę cùm sit iterabilis super eadem peccata, suppositâ duplici eorum confessione, sicuti pluries successivè potest quis ab eodem absolvi validè, & licitè, ita etiam certò valet à pluribus simul physicè, aut moraliter impensi, de quo plura proprio loco.

Cæterùm quòd in præsenti valeat uterque Baptismus, quando physicè simul completur, breviter probatur; quia uterque baptizans ponit integram materiam & formam cum intentione conferendi Sacramentum per modum causæ totalis. 54.

Quando omnia simul physicè absolvuntur certò valet uterque Baptismus.

Dico, *Per modum causæ totalis*; quia sicuti requirit Christus ut unus & idem minister applicet materiam, & proferat formam; ita etiam ut habeat intentionem totalem; aliàs quippe non erit unus minister in collatione integra Sacramenti.

Collatus ab utroque per modum causæ totalis.

Undè communiter docetur in materia de Pœnitentia, plures eumdem absolventes, invalidè uti hâc formâ: *Nos te absolvimus*; si solùm intendant partialiter absolvere. Probatur; quia moraliter loquendo semper Sacramentum exponitur periculo nullitatis; deberent enim præcisè simul pronuntiare ultimam syllabam, qui est casus metaphysicus, ad quem non videtur Christus dedisse potestatem. Ergo à simili.

Video responderi posse negando consequentiam: & disparitas est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter, & totaliter, seu potiùs ultimò necessariò compleatur per verba absolutionis, quæ perdifficile est simul à duobus proferri, & compleri in eodē instanti physico; at verò verba Baptismatis possunt præcedere applicationem materiæ, quę est ablutio corporalis; hęc autem eadem numero potest procedere à pluribus simul, videlicet ex eodem vase aquam effundentibus, aut baptizandum aquę immergentibus. 55.

Quòd itaque generaliter ad hoc Sacramentum non possint validè concurrere plures ministri per modum causarum partialium, vel uno applicante materiam, altero formam proferente, vel utroque abluente, & uno proferente unam partem formæ, altero aliam; vel denique per intentionem partialem, sive dependentem à comministro, seu partiali ipsius intentione, optimè probatur ratione supra ex Scoto allegatâ: *Quia sicut Christus voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum ministrum in collatione integra Sacramenti.*

Causalitas enim partialis invalidat Sacramentum.

Illa autem voluntas potissimùm colligitur ex communi sensu, & praxi Ecclesiæ. Exemplum etiam facti non habemus, aliudvé fundamentum, quo credi possit aliter esse institutum, quantumvis institui potuisset. Et certè nulla potest occasio, aut utilitas occurrere partialium illarum intentionum.

Ex institutione divina.

Si objicias: in Pœnitentiæ Sacramento unus ponit materiam, alter formam; assigno disparitatem quòd in Baptismo materia sit actio ipsius ministri. Similiter in Extrema Unctione, Confirmatione, & Ordine; in 56.

 Pœniten-

Pœnitentia autem quasi materia sunt actus pœnitentis; quamvis & hic sit unicus minister, quia pœnitens non dicitur sibiipsi ministrare Sacramentum; sed solus Confessarius proferens verba Absolutionis.

Restat dubium utrùm in his casibus sit unus Baptismus? Respondeo:

CONCLUSIO VI.

In utroque casu, sive quando unus plures, sive quando plures unum validè baptizant, sunt plura Baptismata.

57. Cùm unus plures baptizat sunt plura baptismata; Scot.

IN primo casu conclusio est communis, quam ut veriorem docet Scot. 4. dist. 6. q. 2. n. 6. ibi: *Sed hîc est dubium, utrùm tunc sit unus Baptismus? Videtur quòd non: quia plures sunt baptizati, & per consequens plures baptizationes passivæ, & ita plures actiones & plures Baptismi. Sed oppositum videtur, quia non est nisi unica forma: nam verba sunt tantum semel prolata. Posset tamen magis concedi, quòd sunt plures Baptismi, tenendo illud, quod dictum est, quòd Sacramentum Baptismi est baptizatio passiva.*

58. Et tunc (prosequitur) *ad argumentum dicendum, quòd non oportet ad plurificationem alicuius, omnia, quæ sunt in illo, plurificari: sed sufficit aliquod eorum plurificari, ad hoc quòd totum plurificetur; & illa etiam forma non est simpliciter una, quia ly vos, includit in se singulare pluries geminatum.*

Ex qua solutione colligo perinde esse ad veritatem conclusionis, sive Sacramentum Baptismi sit baptizatio passiva, sive activa, sive utraque simul. Certum enim est semper aliquid eorum, quæ sunt in Baptismo, plurificari, scilicet ablutionem passivam, quæ necessariò reperitur in Baptismo, si non tamquam pars ejus essentialis, saltem ut essentiale connotatum, ratione cujus ablutio activa virtualiter potest dici multiplex.

Sive Baptismi Sacramentum sit baptizatio passiva sive activa, sive utraque simul.

Sicuti ergo, secundùm Scotum, satis est formam virtualiter multiplicari; pari quoque ratione sufficiens erit virtualis multiplicitas materiæ, non solùm ad multiplicationem Sacramentorum materialium; sed etiam formalium, hoc est, ut Baptismus pluribus ab uno collatus in singulis distinctum habeat effectum. Itaque in primo casu plura inveniuntur Baptismata, etiam formalia, id est, plures gratiæ baptismales.

59. An idem sit dicendum

An etiam in secundo casu? Pro parte affirmativa facit argumentum Scoti supra n. 2. ibi: *Non potest idem esse à duabus causis totalibus: unus autem abluens & proferens verba est causa totalis in baptizando, & hoc illâ causalitate, quæ competit ministro; ergo non potest idem Baptismus esse ab alio, qui sit idem causator in eodem ordine.* Majorem probat; *Quia nihil causat, quo non existente, nihil minus est effectus.*

cùm plures unù validè baptizant.

Arguitur ex Scoto pro parte affirmativa.

Præterea, inquit, *si agens, & forma, quâ agit, sunt aliud & aliud, & forma inducta erit alia.... Sed hic est aliud & aliud agens, sicut ministro competit agere; & alia & alia forma, quâ agit; quia alia & alia intentio in isto & in illo: ergo simpliciter alia baptizandi actio: sed cuilibet actioni respondet sua passio: ergo sunt ibi plures baptizationes passivæ, & per consequens plures Baptismi.*

Confirmatur à simili; quia plures unum & eumdem sacramentaliter absolventes, conficiunt multiplex Sacramentum, etiam formaliter, hoc est, secundùm effectum; ergo &c.

Et confirmatur à simili in absolutione.

Teneo Primò, duplex confici Sacramentum Baptismi, id est, multiplex signum Sacramentale completum & perfectū intrinsecè & essentialiter; idque sive tota significatio sacramētalis statuatur in ipsa ablutione, ad quam se habeat forma ut conditio, sive partialiter essentialiter etiam in ipsa forma. 60.

Resolvitur 1. confici duplex signum sacramentale,

Hanc esse mentem Doctoris Subtilis putat Hiquæus in suo commentario ad locum citatum n. 12. Quippe cùm objecisset sibi Scotus contra unitatem Sacramenti: *Uterque minister est causa totalis respectu prolationis verborum, & sic quantum ad unam partem effectûs exterioris, qui est Sacramentum, erunt duæ causæ totales, & hoc est impossibile, ita de parte effectûs, sicut de toto.*

Ut putat Hiquæus secundùm mentem Scoti.

Respondet n. 3. *Difficile est quin alterius verba superfluant, ita quòd non sint per se pars unius Sacramenti: quia ponere duo eiusdem rationis esse partes unius, quod simpliciter esset perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur superfluum. Quæ autem superfluant, & cuius proferentis, difficile est assignare; quia quâ ratione illa, & ista, & ita utraque, vel neutra; quia uterque æquè complete, & consimili intentione profert. Responsionem quære.*

Quibus verbis putat Vasq. Doctorem nostrum probare unitatem Sacramenti; sed errat; nam hâc ratione utitur ad probandum diversa esse Sacramenta, quod & ipsa ratio manifestè concludit quantùm ad vim consequentiæ formalis; & quia non statim incidit Scoto responsio: *Responsionem*, inquit, *quære*, id est, quærat responsionem, cui placet sententia asserens tali casu non plura, sed unum confici Sacramentum: unum, inquam, materialiter, sive unum signum Sacramentale aptum causare gratiam in sub- 61.

A quo aberravit Vasquez,

in subjecto disposito, quamvis hic & nunc non causet.

Siquidem & in eo fallitur Vasq. quòd existimet Scotum loqui de Sacramento quasi in actu secundo, & respectivè ad effectum causatum in suscipiente. Causam erroris dedit hæc additio (quæ immediatè subnectitur verbis supra citatis) *Dici potest*, inquit quidam, *quòd baptizatio hujus, vel illius valet, scilicet cujus baptizationem Deus acceptavit. Cujus verò determinatè, nobis penitùs incertum est, solus novit Deus, & cui voluerit revelare*: quam additionem Vasq. non discrevit à textu, fortè quia in antiquis exemplaribus eodem charactere impressa.

Sumptâ errandi occasione ex verbis Scoto ab alio authore infertis:

Et quamvis essent verba textûs, non probant unum Baptismum nisi formaliter seu moraliter, id est, quoad effectum, vel etiam, si placet, materialiter, seu quoad esse Sacramenti; non ut Vasq. imaginatur, quasi ex actione utriusque ministri unum aliquod exurgat signum sacramentale; sed quia unius actio superfluit, sicuti secundus Baptismus successivè applicatus.

Quæ licèt Doctoris essent necdum contra conclusionem probarent.

62\. Uti nec ratio à Vasquez allegata.

Rejicit autem Vasq. disp. 148. c. 2. n. 10. rationem supra positam ex Scoto: Nam ex eo, inquit, quòd aliquid comparatione Sacramenti ita se habeat, ut sine illo rectè constare possit, non sequitur ad constitutionem ipsius Sacramenti non concurrere. Nam si quis confiteatur peccata antea confessa & absoluta, nemo negabit confessionem horum peccatorum, simul cum alijs anteà non absolutis, concurrere ad constitutionem Sacramenti; cùm tamen sine illa Sacramentum alioquin rectè constare possit. Ergo unus Baptismus cum altero potest concurrere ad constitutionem integri Sacramenti, quamvis ambo seorsim sufficerent.

Quæ refellitur.

Respondeo negando consequentiam; ratio disparitatis est facilis; constat quippe peccata non esse materiam proximam, & ex qua Sacramenti pœnitentiæ, sed remotam, & circa quam. Quin licèt tot essent confessiones, quot sunt peccata, forma tamen, id est, absolutio, in qua sola, juxta doctrinam Scoti, consistit essentialiter Sacramentum, unica est, ideò & unicum Sacramentum. Porrò in præsenti secunda ablutio, & forma correspondens est fundamentum proximum & ultimò constitutivum novæ significationis, nullum dicens ordinem ad aliam materiam vel formam; æqualiter enim significant utraque materia & forma, ac si seorsim ponerentur.

Assignatâ disparitate inter Sacramentum Pœnitentiæ & Baptismi.

63\. Immo quamvis duo ministri simul abluerent, equidem forma uniuscujusque caderet super partem tantùm ablutionis, illam scilicet quę est ab hoc vel illo proferente; quippe forma significat ablutionem ut egredientem ab eo, qui illam pronuntiat; adeoque significatum materiale utriusque est diversum numero, si non physicè; quia potest esse una physica numero ablutio, saltem moraliter, hoc est, in quantùm est signum Sacramentale.

Cæteroquin qui ex duobus seriùs finiret, non poneret signum sacramentale falsum; cùm ipsius forma aut materia non sit signum distinctum in contraria sententia, & signum antea positum, cujus est pars, sit verum. Breviter ergo ratio conclusionis est; quia in utroque casu est duplex materia, & duplex forma saltem virtualiter, per consequens duplex significatio sacramentalis, adeoque duplex Sacramentum.

Teneo Secundò, duplicem illum Baptismum eumdem causare effectum. De charactere constat, quia idem subjectum unius solùm characteris est capax. De gratia supponunt potiùs, quàm probant DD. Ratio aliqualis est; quia Baptismus non est institutus ad augmentum sui effectûs; sed ad semel spiritualiter regenerandum; sicuti Confirmatio ad designandum militem Christianum, & ordinatio ad constituendum Ecclesiæ ministrum; & ideo sunt Sacramenta initerabilia. 64. Resolvitur 2. duplicem illum Baptismum causare eumdem effectum.

Aliud est de duplici Sacramento Pœnitentiæ, cùm enim Pœnitentia instituta sit per modum judicij, sicut judicium est multiplicabile super eisdem peccatis, ita & absolutio sacramentalis; & quemadmodum secunda absolutio successiva confert distinctam gratiam, ita nulla est ratio diversum effectum negandi absolutioni simultaneæ. De quo plura in materia de Pœnitentia. Aliud dicendum de duplici Sacramento Pœnitentiæ.

Equidem adhuc manet duplex argumentum Scoti supra. Primum: *Non potest idem esse à duabus causis totalibus* &c. Respondet Doctor n. 3. *Concedo illam maiorem de causa inducente formam effectivè*, hoc est, de causa physica; *hic autem inducit formam*, hoc est, physicè causat gratiam, *Deus, non minister*, neque Sacramentum, ut ostendimus disp. præced. sect. 4. conclus. 2. 65. Contra antedicta argumentum primum Scoti. Responsio ejusdem.

Replicat Doctor: *Saltem formam Baptismi, ut est Sacramentum*, id est, prolationem verborum & ablutionem, *inducit minister, & sic sunt duæ causæ, & utraque totalis*. Replica contra responsionem.

Respondet: *Si uterque abluat, neuter in abluendo est causa totalis: & hoc sive ablutio fiat immergendo (tunc enim ambo movent corpus immersi uno motu causato à virtute motiva amborū: & licèt alter posset illum motum causare, tamen quando simul movent, neuter utitur totâ suâ virtute motivâ, quâ posset eâ uti, sicut apparet, quando duo portāt unum pondus, quod alter solus posset portare)* Responsio ad replicam.

portare) sive fiat perfundendo, vel aspergendo, licet uterque madefaciat aquâ à se perfusâ, vel aspersâ; neuter tamen madefacit totâ illâ madefactione, quæ est per aspersionem amborum.

Quæ non satisfacit. Vidit Doctor hanc responsionem non satisfacere, & ideo subjungit: *Sed adhuc videtur stare difficultas; quia uterque est causa totalis respectu prolationis verborum* &c. Adde utrumque esse causam totalem non quidem totius madefactionis; sed sufficientis ad verum & integrum Sacramentum Baptismatis. Eapropter in fine istius numer. 3. ait. *Responsionem quære.* Quæsivi, & judicet æquus lector an invenerim.

66. Subjungitur alia ipsius auctoris. Dico ergo utrumque ministrum esse causam totalem physicam prolationis verborum, ablutionis quoque si diversa numero ab utroque egrediatur; & idcirco duplicem esse Baptismum materialiter, id est, duplex signum totale ablutionis corporis & animæ, adeoque & duplex causa totalis moralis, ejusdem tamen gratiæ; nil enim repugnat Deum moveri ad conferendam unicam gratiam ab utroque Sacramento, quamvis ab altero solo sufficienter moveretur ad eumdem effectum.

Duplex Baptismus potest esse causativus ejusdem gratiæ.

Et esto moveatur Deus totaliter ab uno Sacramento tantùm, aut etiam partialiter ab utroque, parùm interest quid dicatur; totum enim pendet ab arbitrio Dei, de quo nobis non satis constat. Sanè si partialiter moveretur ab utroque, jam argumentum Scoti, desumptum ex ordine ad effectum, per se corruit. Similiter si ab uno solo.

67. Neque hinc sequitur vel neutrum, vel alterum saltem non esse verum Sacramentum; quippe ad rationem veri Sacramenti totalis, & distincti à quocumque alio, non requiritur, ut actu causet totum effectum gratiæ, vel ejus partem; sed sufficit ut natum sit causare se solo gratiam justificantem, quam significat, nisi inveniat impedimentum.

Quam etsi unus actu non causaret æquidem foret Sacramentum.

Unde significatio sacramentalis non coincidit cum Sacramenti causatione seu influxu: siquidem veritas ejus practica non pendet ab effectu posito, sed è contra: quippe veritas sicut & significatio denotant solùm posse & efficaciam quantùm est ex parte Dei & Sacramenti, quam efficaciam habet uterque ille Baptismus, id est, utraque prolatio formæ cum proportionata ablutione sive simul ponatur, sive seorsim.

Sacramenti enim significatio non coincidit cum ejusdem causatione.

68. Ut ostenditur in extrema Unctione. Confirmatur à simili in Extrema Unctione, quæ est verum signum Sacramentale, quamvìs propter indispositionem infirmi nullum omnino effectum, nec jam, nec postea causet in anima suscipientis. Quòd ergo in casu proposito illa duo signa sacramentalia in actu secundo concurrant ad eumdem effectum, sive tamquam causæ totales, sive partiales; vel etiam quòd alterum nullo modo concurrat, minimè facit, ut vel non sint signum sacramentale, vel ut in esse unius signi efficacis communicent, nisi aliquo modo se habeant ut partes; quod equidem Adversarij negant, & meritò.

Enimverò sæpe contingit, ut plures res numero distinctæ, vel etiam specie physicâ, idem omnino significent; sic vox græca & latina, quæ sunt signa materialiter diversa, habent tamen idem significatum. Pari modo eadem res potest significari per verba, per nutus, per alia signa realiter distincta. Et in proposito Circumcisio, in sententia magìs communi, & Baptismus, idem partialiter significabant; videlicet deletionem peccati originalis, & tamen erant signa diversa & Sacramenta, etiam quoad hunc effectum. Igitur ex unitate significati seu effectûs non rectè desumitur unitas Sacramenti physicè loquendo. Unde et unitate significati

Nihilominùs talis non deberet dici bis valdè baptizatus, sed semel duplici Baptismo: sicuti simul accipiens duo vulnera, non dicitur bis vulnerari, sed semel duplici vulnere. Non rectè desumitur unitas Sacramenti physicè loquendo.

Dico, *physicè loquendo*; quia moraliter tantùm est unum Sacramentum, seu sacrum signum, & unus Baptismus; tum ratione ejusdem subjecti, tum ratione ejusdem principalis agentis, in cujus virtute ministri operantur; tum maximè, imò, ut veriùs loquar, solùm (nam si duo priora sufficerent ad unitatem moralem omnia Sacramenta eidem collata essent unicum moraliter, quomodo nemo loquitur) ratione ejusdem numero effectûs significati, & producti: totum siquidem illud signum ab utroque adhibitum non plus, aut aliud significat, vel efficit, quàm si esset unica ablutio, & unica forma posita. 69. Moraliter est unum tantùm Sacramentum.

Ratione ejusdem effectûs numero per tale signum producti.

Quemadmodùm plures consecrãtes eamdem hostiam non plus significant, vel efficiunt, quàm si unus solus verba consecrationis pronuntiaret; sive singuli dicantur causa totalis (quod non repugnat) sive tantùm partialis, si prius repugnet, aut foret inconveniens. Sicque conciliari possunt DD. quorum aliqui volunt in secundo casu conclusionis esse unicum Sacramentum, alíqui esse duplex. Et sic discordes inter se DD. conciliantur.

Doctor Subtilis neutram partem assertivè docuit; sed proposuit rationes dubitandi, & reliquit insolutas. Unde ad secundum argumentum; *Si agens, & forma quâ agit, sunt aliud & aliud, & forma inducta erit alia; ..... sed hic est aliud & aliud agens, sicut* 70. Doctor Subtilis neutrum assertivè docuit.

sicut ministro competit agere, & alia & alia forma, quâ agit, quia alia & alia intentio in isto, & in illo; ergo simpliciter alia baptizandi actio. Sed cuilibet actioni correspondet sua passio; ergo sunt ibi plures baptizationes passivæ, & per consequens plures Baptismi.

Ad illud, inquam, respondet n. 4. *De actione si ponatur in passo, vel in agente dubium est. Si in passo, non est plures realiter, nisi passiones sint plures; nec passiones sunt plures, quando forma recepta in passo, una est. Et hoc tenendo, neganda esset illa propositio maior, quæ accipitur à Commentatore. Si autem actio ponatur in agente, sive absolutum, sive respectus ad passum; tunc potest concedi maior: sed tunc illa est falsa; diversis actionibus correspondent diversæ passiones Quocumque ergo modo dicatur de actione, non ponitur plures esse passivas baptizationes, sed unicam.*

Ex quo infert, *quòd Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quàm activa; quia plurificatâ baptizatione activa non plurificatur passiva, nec Baptismus, quia passiva est una.*

Ut autem ostendat se id non absolutè docere, sed relinquere disputationi suorum discipulorum, statim subdit: *Istud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus propriè suscipit Sacramentum: suscipit autem propriè ablutionem passivam & non activam, nisi dicatur idem realiter.*

71. Ecce quomodo Doctor omnia relinquat incerta, & insoluta, nolens quidpiam determinare, quod posset alterutri parti præjudicare: communiùs tamen citatur pro sententia D. Thomæ 3. parte q. 67. art. 6. in corp. ibi: *Et uterque quantùm est in se baptizaret*, scilicet physicè. *Nec traderent aliud, & aliud Sacramentum*, morale, *sed Christus, qui est unus, interiùs baptizans* per infusionem gratiæ justificantis, & abluentis peccatum originale, *unum Sacramentum per utrumque conferret*, unicam eamdemque gratiam physicè efficiendo; quæ est Scoti, nostra ac verissima doctrina, à qua transeo ad aliam non minùs veram atque communem, expressam in c. *debitum*. 4. de Baptismo & ejus effectu.

Sed omnia reliquit incerta & insoluta.

D. Thom.

CONCLUSIO VII.

Oportet baptizantem esse personaliter distinctum à baptizato ad hoc ut Baptismus valeat.

72. ITa Innoc. III. Metensi Episcopo, & refertur cap. *debitum*. 4. de Baptismo & ejus effectu: *Sanè intimasti, quòd quidam Iudæus in mortis articulo constitutus, cùm inter Iudæos tantum existeret, in aquam seipsum immersit, dicendo:* Ego baptizo me in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, amen. *Respondemus, quòd cum inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis:* Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, *memoratus Iudæus est denuò ab alio baptizandus* (ergo non solùm illicitè, sed etiam invalidè antea fuerat à seipso baptizatus) *ut ostendatur, quòd alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat.*

Probatur conclusio

ex Innoc. III. c. Debitum. de Baptis.

Ad quod, inquit Scot. 4. dist. 6. q. 4. n. 2. *adducitur à Pontifice figura, authoritas, & ratio congrua. Figura est; quia Christus ad hoc signandum, non à se, sed à Ioanne baptizari voluit. Auctoritas colligitur ex verbis Domini dicentis Apostolis:* Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij &c. *Vbi discipulos exprimit in secunda persona, & baptizatos in tertia. Ratio, quæ innuitur ibi, est ista, quia in Baptismo celebratur illa spiritualis generatio, de qua veritas ait:* Oportet vos nasci denuò. *Sicut ergo in carnali generatione alius est, qui gignit, & alius, qui gignitur: ita & in sacramentali generatione alius debet esse, qui spiritualiter generat, & alius qui spiritualiter generatur.*

Scotus.

Matth. 28.

Joan. 3.

Hæc sit congruentia facti; nam, si spectemus potentiam Christi instituentis, non dubium, quin uti potuisset proprio ministerio hominis ad seipsum spiritualiter regenerandum. Porrò non ita voluisse ab initio Ecclesia intellexit. Voluntas ergo Christi est ratio à priori, quæ satis clarè exprimitur in forma Baptismi, quâ Ecclesia latina semper usa fuit. Et quamvis forma Græcorum hanc distinctionem non ita explicitè significet, tamen sic debet explicari, ut sit æquivalens formæ Latinorum, quæ est regula fidei potius quàm forma Græcorum, qui à vera, Catholica & Romana Ecclesia recesserunt. 73.

Ratio à priori est voluntas Christi.

Planè conveniens erat, ut quemadmodùm in politijs humanis nullus à seipso adscribitur certæ civitati, aut familiæ; sed ab aliquo illius civitatis, vel familiæ, cujus ambit incorporationem; ita quoque nullus incorporaretur Ecclesiæ per seipsum, sed per alterum, paganum licèt, aut infidelem, qui etsi non sit de Ecclesia per fidem & characterem, est tamen per auctoritatem & intentionem, quâ vult facere, quod facit Ecclesia.

Assignatur insuper cōvenientia.

Ex quo non difficulter respondetur ad id, quod sibi objicit Scotus supra n. 1. 74.

Rejicitur similitudo.

 Quia

Quia Sacerdos, inquit, *potest sibiipsi dare Eucharistiam*, ergo etiam Sacramentum Baptismi.

Ex Christi voluntate instituentis Eucharistiam

Disparitatem quis non videat? Nam ex continua praxi Ecclesiæ nil certius est, quàm voluntatem Christi fuisse, ut seipsum Sacerdos in Missa communicaret: quòd autem seipsum baptizaret, quis umquam legit, Ecclesia approbante, in ea practicatum fuisse? Deinde Eucharistia instituta fuit per modum cibi & potûs, sive per modum nutritionis spiritualis: jam autem experientia convincit, hominem sibiipsi applicare cibum & potum naturalem, quibus corporaliter nutriatur.

Per modum cibi & potûs.

Scotus.

Sed quid ad hanc objectionem Doctor Subtilis? Respondet n. 3. *Dico quòd susceptio Eucharistiæ non est Sacramentum ..... sed est comestio, seu perceptio sacramentalis: Baptismus autem est Sacramentum.*

Et si arguas, Sacerdos saltem ministrat sibi Sacramentum Eucharistiæ: ergo pari ratione potest illud. Respondeo, ministrare illud Sacramentum non est Sacramentum, quia Sacramentum illud non consistit in usu; sed ministrare Sacramentum Baptismi est ipsum Sacramentum.

Et tamquam quoddam permanens distinctum ab usu Sacramenti.

Et ratio diversitatis est, quia Sacramentum Baptismi consistit in usu essentialiter, & non in aqua..... Eucharistia autem est quoddam permanens distinctum ab usu Sacramenti: quamvis ergo aliquis posset esse in usu Sacramenti permanentis minister, & suscipiens illum usum: non tamen potest hoc in Sacramento, quod essentialiter consistit in usu; ut manifestum est in cæteris Sacramentis.

75. Cùmque eorum aliqua sint iterabilia, ut Pœnitentia, Extrema Unctio & Matrimonium; alia autem, ut Confirmatio & Ordo initerabilia, ut suis locis dicetur; quæritur hîc an Baptismus prioribus, an verò posterioribus debeat adnumerari, hoc est, utrùm Baptismus possit iterari, sive utrùm minister licitè ac validè possit baptizare antea baptizatum?

Pro resolutione notandum Baptismum priorem, vel esse certò validum, vel solùm probabiliter, aut sub dubio. Si primum, hæc conclusio tenetur ab omnibus pro infallibili.

CONCLUSIO VIII.

Non licet iterare Baptismum: & etiamsi iteretur de facto non habet effectum.

76. Baptismus certò validus invalidè & illicitè iteratur. Scotus.

Sunt verba Doctoris Subtilis 4. dist. 6. q. 7. n. 2. *Et hoc*, inquit, *dicunt auctoritates Sanctorum*. Sufficiat auctoritas D. Aug. quam allegat Doctor n. 1. ex Epistola 203. ad Maximinum, & refertur dist. 4. de Consec. c. 108. *Rebaptizare hæreticum hominem qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptizare autem Catholicum immanissimum scelus est.*

Constat ex auctoritatibus Sanctorum,

Eodem modo loquuntur alij Patres, & observat universalis praxis Ecclesiæ. Quidni observaret, quod in Concil. Florentino fuit definitum? Eug. IV. in decreto Unionis §. *Hæc omnia Sacramenta.* sic inquit: *Inter hæc Sacramenta tria sunt Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur.*

Ex definitione Florentini.

Consonat Concil. Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima..... unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Tridentini.

Hujus veritatis Catholicæ *ratio* à priori, inquit Scot. n. 3. *est institutio divina, cujus non est aliqua causa prior, nisi voluntas ejus.* Nam una ratio, quæ ab aliquibus ponitur, quia Christus semel est mortuus, & Baptismus virtutem habet ex passione Christi, juxta illud Apostoli Rom. 6. v. 3. *In morte ipsius baptizati sumus*, non concludit; *Quia* (inquit Scotus n. 2.) *& Pœnitentia virtutem habet à passione Christi; absolutio enim, vel prima gratia non datur inimico, nisi per meritum mediatoris: & tamen Pœnitentia iteratur.* 77.

Et institutione divina.

Rom. 6.

Scotus.

Aliæ rationes allegatæ solitæ non sunt efficaces.

Alia etiam ratio; quia in Baptismo imprimitur character, qui est indelebilis rejicitur à Doctore ibidem; quia *probat propositum manifestius per immanifestius: à principio enim, ex quo Baptismus fuit institutus, fuit manifestum de eo, quod non licuit eum iterari: quòd autem character imprimatur, non est notum ex prima ejus institutione, nec ex tota scriptura, neque etiam ex multis auctoritatibus Sanctorum.* Vide dicta disp. præced. sect. 4. conclus. 5.

Nec obstat, quòd Scotus hîc solùm loquatur de licito, sicut & auctoritas D. Aug. supra allegata, & pleræque aliæ auctoritates Sanctorum Patrum: enimverò si non est invalidus, cur illicitus? 78.

Ex eo quòd ita universaliter sit illicitus infertur quòd sit invalidus.

Respondes; quia Ecclesia prohibet. Sed inquiro rursùs; cur Ecclesia ita universaliter quoad loca, tempora, personas prohibet, si ex sua institutione recipi potest cum tanto fructu, quò primitùs confertur? Vel si numquàm fructuosus ulli homini quomodocumque disposito, ut quid validus? Certè valor Sacramenti non subsistit sine effectu

effectu in homine disposito. Aut si aliquando utilis; mirum proctectò Ecclesiam numquam in se agnovisse potestatem iteratum Baptismum permittendi.

79. Si autem à me quæritur, unde sciant SS. Patres Christum sic instituisse Baptismum? Dixit Apostolus ad Ephe. 4 v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quô dicto intentum probant Leo Papa Epist. 37. c. 1. & Epistola 79. ad Nicetam c. 7. Ambr. lib. 2. de Pœnitentia c. 2. quamvis non evidenter; nam commodè explicari potest hæc Scriptura de unitate specifica Baptismi, & non de numerica.

Quod non evidenter probatur ex Apostolo ad Ephes. 4. v. 5.

Veluti illam interpretatur D. Aug. de unitate specifica fidei lib. 13. de Trinit. c. 2. in fine ibi: *Ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una; cùm & in ipsis, qui hoc idem volunt sua voluntas sit cuique conspicua, alterius autem lateat, quamvis idem velit.*

S. Aug.

Imò sic explicari debet ad litteram: cum ibi Christianos tamquam filios unius Dei, Sacramento unius Domini aggregatos, in una fide, & fidei symbolo, scilicet Baptismo (quô & renati, & fratres effecti) ad unitatem spiritûs adhortetur, ut patet ex versu 1. 2. & 3. ejusdem capitis, ubi sic ait Apostolus: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.*

Cùm explicari possit de unitate specifica Baptismi,

Ad hoc autem parum refert, si in unoquoque solùm sit unus numero Baptismus, vel plures. Multum autem intererat unitas Baptismi secundùm speciem; ut quemadmodùm ipsi eodem modo baptizabantur, & eodem modo credebant, & in hoc non discrepabant, ita etiam moribus contrarij non essent, sed omnino convenirent.

De eadem unitate specifica intelligi potest quod dicitur in Symbolo: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Uti & explicatur dictum Symboli.

80. Ideo aliter, & meliùs probatur, cum Ambr. supra, & passim veteribus Patribus initerabilitas Baptismi, ex illo ad Heb. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti .... & prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam.* Quod cùm non possit intelligi de renovatione post lapsum per Pœnitentiam, quæ semper utilis est durante vitâ, intelligi debet de renovatione post lapsum per Baptismum, quem vocat Apostolus, sicut & PP. passim *illuminationem*, quia per fidem illuminamur; Baptismus autem est Sacramentum fidei.

Meliùs probatur ex illo ad Heb. 6. v. 4.

81. Sunt tamen qui præferunt expositionem Anselmi, Lyrani, Hugonis, & aliorum intelligentium de illis, qui postquam per fidem illuminati sunt, à fide recesserunt, quos impossibile est, hoc est, valdè difficile renovari ad Pœnitentiam; quippe voluntariè apostatantes à vera fide, sibiipsis præcludunt omnem conversionis viam; cùm fides sit humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.

Qui tamen locus etiam aliam admittit expositionem.

Colligo ex sequentibus; *Terra,* inquit v. 7. *sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos,* infidelitatis, *reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.*

Ut autem ostendat Apostolus se non loqui de omnimoda impossibilitate Pœnitentiæ, continuò subdit: *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti: tametsi ita loquimur:* quasi dicat: spero quòd nihilominùs Deus propter bona vestra opera (*non enim,* inquit ibidem v. 10. *injustus Deus ut obliviscatur operis vestri & dilectionis*) per gratias prævenientes faciet, ut faciatis dignos fructus pœnitentiæ præbendo vires efficacissimas voluntati.

Simili modo loquitur D. Paulus de his apostatis plerumque obduratis c. 10. v. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis* per recessum à fide, *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia;* non quòd omnino impossibilis, sed quia rara & difficilis. Constat siquidem apud omnes Theologos nullam gravitatem, multitudinem, vel iterationem peccatorum impedire absolutè eorum remissionem per Pœnitentiam; licèt alij præ alijs sæpius à Deo ad Pœnitentiam vocentur.

Heb. 10.

Igitur neque locus Apostoli ad Heb. 6. v. 4. quidquam convincit; quamquàm propter auctoritatem Patrùm, veritas conclusionis ex eo probabiliter possit deduci, quasi diceret Paulus: Intermittamus dicere de Pœnitentia ab operibus mortuis, scilicet præcedente Baptismum, & non laboriosâ (de qua præcesserat sermo) quia impossibile est per Pœnitentiam, scilicet talem, renovari, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei;* utique quia Baptismus exprimit mortem Christi.

Unde veritas conclusionis ex illo tantum probabiliter deducitur.

Relinquitur ergo optima probatio ex traditione totius Ecclesiæ, cujus testis est Clemens Romanus lib. 6. constit. c. 15. ibi. *Eodem modo contenti sint uno solo Baptismo, qui in Domini mortem traditur..... Neque impiorum Baptismus recipitur, neque is qui per sanctos administratur, alterô Baptismô debet irritus* 82.

Optimè ex traditione totius Ecclesiæ.

Cujus testis est Clemens Romanus.

irritus effici, ut enim unus est Deus, & unus Christus, & Paracletus unus, sic unus est Baptismus, qui in eius nomine datur.

Et paulò inferiùs: *Verumtamen initiatos Baptismate, iterùm baptizare tentantes, crucifigunt Dominum, iterùm eum interimunt, derident divina, eludunt sancta, insultant spiritui, sanguinem sanctum veluti communem contemnunt, peccant in mittentem, in passum, & in testificantem.*

Concordat Can. 47. Apostolorum.

Concordat can. 47. Apostolorum. *Episcopus*, inquit, *aut presbyter, si eum, qui secundùm veritatem habuerit Baptisma, denuo baptizaverit, aut pollutum ab impijs*, hoc est, baptizatum ab hæreticis non servantibus syncerам formam Baptismatis, *non baptizaverit, deponatur tamquam deridens crucem & mortem Domini.*

Ut quid hoc? Quia Baptismus repræsentat mortem, sepulturam & resurrectionem Christi, teste Apostolo ad Rom. 6. v. 3. 4. & 5. *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*

Rom. 6.

Unde sicuti Christus semel tantùm pro peccatis nostris mortuus est, & semel resurrexit: ita & nos per Baptismum eidem consepulti, & per eumdem resurgentes, non possumus iteratò sepeliri, ne significemus Christum iteratò posse mori, & sepeliri. Atque hæc sit prima congruentia voluntatis instituentis.

83. Congruentes rationes assignat Scotus.

Enimvero *ista institutio est rationabilis*, ait Doctor supra n. 3. *tum ex morbo, contra quem principaliter instituitur (istud remedium enim principaliter instituitur contra originale peccatum, quod non est nisi unicum: nec iterari potest) tum ex fine principali, ad quem est: habet enim plenam remissionem pœnæ & culpæ: si autem posset homo habere frequenter talem remissionem plenam ab utroque, esset magnum incentivum delinquendi. Illud enim quod est institutum in remedium relabentium, utpote Pœnitentia, non est sine magna pœna solvenda pro peccato. Tum tertiò, quia per istud Sacramentum cùm sit principium & ianua, per quam intratur in legem Christianam: adscribitur aliquis familiæ Christi, & fit membrum eius & Ecclesiæ militantis. Licèt autem aliquis ingressus in collegium, si offendat postquam ingressus fuerit, possit reconciliari & collegio & capiti collegij: non tamen frequenter in collegium intrat.*

Adde, quòd semel natus corporaliter, non possit secundò nasci, sed solùm resuscitari. Denique quòd Baptismus imprimat characterem, qui frustra multiplicaretur per plura Baptismata.

Obijcit sibi Scotus n. 1. quia Eucharistia potest iterari, & tamen est Sacramentum excellentissimum: ergo &c. Respondet n. 3. *Quòd illa prolatio verborum, quibus Eucharistia consecratur non est Sacramentum* (intellige, quod principaliter significatur illo nomine, juxta alibi dicta) *sed est consecratio Sacramentalis, & illud non licet bis iterare super eamdem materiam, & si secundo iteraretur, nihil fieret; quia iam priùs factum est; illa etiam perceptio non est Sacramentum ..... Licèt ergo eadem persona posset frequenter communicare, sive recipere Eucharistiam: non tamen super eamdem materiam frequenter possunt proferri verba consecrationis Eucharistiæ; nec sic Eucharistia debet iterari, quòd propriè aliqua materia huius Sacramenti bis suscipiat formam eius.* 84.

Objectio quòd Eucharistia iteretur quæ est Sacramentum excellentissimum. Scotus.

Responsio quòd super eamdem materiam non iterentur verba consecrationis.

Dices 2. potest contingere quòd primus Baptismus non habeat effectum. Respondeo; semper imprimit characterem; confert autem gratiam, vel mox ut recipitur, si subjectum sit debitè dispositum; vel postea per revivisceentiam sublato obice, de qua reviviscentia vide dicta disp. præced. sect. 6. per totam. 85.

Secunda objectio. Solvitur.

Sed cùm hæc satis constent in Ecclesia Catholica; dubitatur equidem de Baptismo reiterando sub conditione, quando prioris valor est incertus, propter incertitudinem materiæ, formæ aut intentionis. Et quidem quando indubitata est materia & forma, præsumitur certa intentio, nisi aliunde de contrario constet. 86.

An & quando iterari possit Baptismus sub conditione.

Dixi, *reiterando sub conditione*; quia cùm *Baptismum iterare* (verba sunt Rit. Rom. tit. De Sacramento Baptismi §. de forma Baptismi) *nullo modo liceat, si quis sub conditione.... sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo:* Si non es baptizatus, ego te baptizo *&c. Hàc tamen conditionali formâ non passim, aut leviter uti licet; sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigatâ, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.* Hinc ponitur: Rit. Rom.

CONCLUSIO IX.

Baptismus nequidem conditionatè est repetendus, dum non suppetit rationabilis timor invaliditatis: qui non adest indiscriminatim eo ipso quòd puer sit baptizatus ab

ab hæretico vel obstetrice; nec abest eo ipso quòd infanti exposito sit affixa scedula.

87. In dubio iterari posse Baptismum probatur ex cap. 2. de Bapt. Inn. III.

IN dubio, hoc est, quando non habetur moralis certitudo validi Baptismi, posse repeti Baptismum sub conditione, expressum habemus c. 2. extra de Baptismo & ejus effectu: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.*

Item ex Conc. Cartag. V.

Et in Concil. Cartag. V. c. 6. *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos*, saltem sub conditione. Ratio adjungitur: *Ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.*

Dicitur, *Sacramentorum*, & non, *Sacramenti*; quia, ut ex alibi dictis liquet, non baptizatus incapax est cæterorum Sacramentorum; quæ perpetua incapacitas, & simul carentia effectûs Baptismatis, facilè excusant ab irreverentia, alioquin per iterationem Sacramento inferenda. Unde adultus verè dubitans, non solùm potest, sed etiam tenetur petere, & Pastores tenentur conferre Baptismum sub conditione, idque ante susceptionem ullius alterius Sacramenti.

88. Dico, *verè dubitans*; quia ut habet prima pars conclusionis non est sub conditione repetendus Baptismus, quando non existit rationabilis timor invaliditatis. Ita communiter sentiunt DD. ex Rituali Rom. immediatè ante conclusionem allegato; & Catech. Rom. parte 2. cap. 2. q. 43. ibi: *Nam ea Baptismi forma* (quæ refertur c. 2. de Baptismo) *ex Alex. Papæ auctoritate in illis tantùm permittitur, de quibus re diligenter perquisitâ dubium relinquitur, an Baptismum ritè susceperint: aliter verò numquam fas est, etiam cum adjunctione* (conditionis) *Baptismum alicui iterum administrare.*

Rit. Romano. & Catechismo Rom. si tamen dubium sit rationabile.

Ne sine necessitate exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

Ratio est manifesta; quia absque necessitate exponitur Sacramentum periculo nullitatis; censetur quippe moraliter absoluta rebaptizatio: nam in ordine ad culpam contrahendam conditio impertinens habetur tamquam non apposita.

Unde Catech. supra dicit: *Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant.* Quod an verum sit, dicemus conclusione sequenti, ubi de pœnis rebaptizantium. Ut ut sit de pœna, certum videtur non minùs peccare eo, qui absolutè rebaptizat, cum animo tamen non baptizandi; quem constat irreverenter tractare Sacramentum.

Sed dicet aliquis, ecquod dubium rationabile? quæ ratio cognoscendi certitudinem, aut incertitudinem Baptismi rite collati? Respondeo certitudinaliter præsumitur baptizatus; adeoque non est rebaptizandus, etiam sub conditione, qui scitur esse natus parentibus Christianis, & aliquamdiu inter Christianos educatus, nisi occurreret probabilis ratio contrarium suspicandi. 89. Quod dubium sit rationabile.

Ita docet Innoc. III. extra de Presbyt. non baptizato c. 3. ibi: *Et certè de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Innoc. III.

Quocirca quod Cartag. V. supra dicit, infantes esse baptizandos, *quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur &c.* intelligendum existimo de parvulis infidelium, vel qui à parentibus per barbaros sunt abstracti. Colligo ex verbis sequentibus: *Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à Barbaris redimunt.* Cartag.

Sed numquid omnes rebaptizandi sub conditione, qui noscuntur ab hæreticis baptizati? Negat secunda pars conclusionis: alioquin quomodo verum erit, quod docet Concil. Arelatense I. c. 8. de Arianis: *Si perviderint Sacerdotes in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus tantùm eis imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum?* Sanè definitum est à Concil. Trident. sess. 7. de hoc Sacramento can. 4. verum esse Baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. 90. Non sufficit quòd puer sit baptizatus ab Hæreticis. Arelatense I. Trident.

Nisi ergo adsit probabilis aliqua suspicio eos in aliquo essentiali errasse, ab eis baptizati minimè sunt rebaptizandi. Ubi autem fundatè præsumitur talis error (sicut aliquando contingit in Anglia (teste Regio q. 66. a. 9. dub. 1. n. 96.) aquâ rosaceâ, vel alio prætioso liquore proles nobilium baptizari, aut solùm vestes aspergi aquâ, ne frigus sit proli molestum; & quibusdam locis prædicantem ex suggestu pronuntiare formam, alio corpus baptizandi aquâ tingente) ibi, inquam, observetur Synodus Mechliniensis celebrata anno 1607. à Paulo V. approbata, quæ tit. 3. de Baptismo cap. 6. ordinat, ut *ab hæreticis baptizati sub conditione rebaptizentur.* Sed debet adesse probabilis aliqua suspicio eum in aliquo essentiali errasse. Et in hoc casu observanda Synodus Mechliniensis.

Quod decretum absolutè & universaliter non concludit (ut bene notat noster Mar- 91.

 chantius

chantius in suis resolutionibus casu 2.) omnes omnino ab hæreticis baptizatos sub conditione esse rebaptizandos, sed tantùm eos, qui ex locis veniunt, in quibus *frequens experientia docet* (utor verbis Synodi) *modernos hæreticos sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem & antiquissimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronuntiante.* Ubi itaque errores illi non cognoscuntur passim irrepsisse, decretum illud non concludit.

Cujus decretum non est universale.

Imò non apparet modò fundatum dubium de Baptismo collato à modernis hæreticis, quorum Synagoga jam est formata: tametsi sit his speciale, quòd quidam illorum putent Baptismum non necessarium, adeoque faciliùs possent esse incurij. Sed & hoc satìs eliditur, quando constat de materia & forma adhibita.

Quare sic resolvit Illust. Dominus Rovenius Vicarius Apostolicus in Hollandia anno 1638. 12. Decemb. sub hac forma verborum: *Baptizati ab hæreticis non facilè de novo baptizentur, nisi constet omnino aliquid substantiale circa illos prætermissum, vel rationabiliter de illo dubitetur.* Licèt quidam aliter, & signanter quædam Pastoralia Belgij, quæ poterant admitti circa initium hæresum, quando omnia erant confusa, atque stupidi ministri intrudebantur.

92. **De Baptismo collato ab obstetricibus idem dicendum.**

Idem videtur dicendum de baptizatis ab obstetricibus; sæpe quippe tam promptæ & expeditæ sunt, ac quidam Sacerdotes; unde saltem debet res inquiri, & si non occurrat specialis ratio dubitandi, abstineatur ab iteratione, esto Pastoralia quædam (signanter Mechliniense impressum anno 1608. c. 9.) indefinitam regulam in contrarium statuant.

Restringenda itaque sunt ista decreta ad casus, in quibus est rationabile dubium; si v. g. re examinatâ appareret obstetricem non promptè callere formam Baptismi, aut ob turbationem sive perplexitatem in facto suo, vel post illud hæsitare: alioquin frequenter haberi potest certitudo moralis, quòd adhibuerint omnia necessaria.

Sanè Athanasius puer erat, qui consodales baptizaverat, & tamē non statim sunt ij rebaptizati sub cōditione, sed res fuit examinata, & facto examine in Baptismo relicti.

Catech. Rom.

Quocirca meritò reprehendit Pastores Catechismus Roman. supra, qui *si infans ad eos deferatur, nihil prorsùs quærendum putant, an is priùs ablutus fuerit; sed statim ei Baptismum tribuunt; quin etiam, quamvis exploratum habeant domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem in Ecclesia, adhibitâ solemni cæremoniâ cum adjunctione* (conditionis) *repetere non dubitant: quod quidem sine sacrilegio facere non possunt.* Ita Catechismus. Ergo quando constat infantem ab obstetrice baptizatum, ad minùs inquirendum erit de ejus valore, & non statim sub conditione rebaptizandus.

Nec repetendus, nisi constet aliquid essentiale fuisse omissum, aut de eo rationabiliter dubitetur.

93. *Rit. Rom.* **Qualiter dubitatur de Baptismo puerorum expositorum nullum habentium signum appositum.**

Quid dicam de pueris expositis, & inventis? Generaliter præscribit Rit. Rom. tit. De Baptismo §. De Baptizandis parvulis: *Infantes expositi & inventi, si re diligenter investigatâ de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* Si v. g. non habeant schedulam, aut aliud signum Baptismi appositum, nec aliunde scitur veritas.

Hoc certum; dubitatur autem, an scriptum appensum collo infantis, quo ille baptizatus significatur sit testimonium per se sufficiens, ut à rebaptizatione excuset? Affirmant multi de expositis inter Catholicos, cùm tale signum soleat adhiberi ex bona conscientia ad vitandam reiterationem Baptismi, nisi aliunde sint indicia dubitandi.

Quòd si sit signum appositum, variant Doctores;

Contrarium docent de expositis inter infideles & Judæos, qui Baptismum execrantur. Similiter si dubitetur quibus sint nati parentibus fidelibus, an infidelibus.

94. **Quidam circa scriptum exigit expressionem multarum circumstantiarum**

Alij negant generaliter sufficere hujusmodi scriptum, ut habet ultima pars conclusionis; sed requirunt insuper expressionem nominis impositi, loci ubi Baptismus datus, & similium circumstantiarum.

Cap. Placuit de Consec. dist. 4.

Probant Primò; quia cap. *Placuit*, 3. de Consec. dist. 4. quod est Concil. Carthag. supra citati, requirit certissimos testes, qui eos baptizatos esse sine dubio testentur. Præterea Rit. Rom. mox allegatum vult, ut rebaptizentur, si non constet de eorum Baptismo.

Rit. Rom.

Quod probant ex Conc. Carthagin. Rit. Romano.

Ubi nota verbum, *constet*, quod significat claram probationem. At schedulam, nec noto sigillo, nec subscriptione firmatam, quæ à quo scripta indicet, firmum aut certissimum testem, aut constans testimonium non esse, nec in ullo foro & tribunali fidem humanam facere, imò & nullo modo probare, docent Romanus cons. 204. n. 3. & Cardinalis Tuschus tomo 7. conclus. 74. n. 25. Ita Quintanadueñas Theol. mor. tom. 1. tract. 1. singul. 9. n. 3. apud Dian. parte 9. tract. 6. resol. 35.

Romanus. *Card. Tuschus.* *Quintanadueñas.* *Diana.*

Et ex Concilio III. Mediolanensi;

Probant Secundò ex Concilio III. Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo tit. de Baptis. infant. ubi sic legitur: *Infans expositus, licèt appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur; si tamen re diligenter perquisitâ, quemadmodùm Catechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse, eâ conditionis formulâ baptizetur:* Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo &c.

Idem

95. Idem statutum esse in Synodo Cameracensi, testatur Marchantius Candel. Sacramen. tract. 2. de Bap. c. 2. q. 4. ubi etiam inclinat in hanc sententiam, dicens quòd licèt illud scriptum aliquam faceret fidem, quòd sit baptizatus talis infans; cùm tamen ignoretur à quo, & quomodò, sive an debitâ formâ, & à persona, quæ sciret Baptismi ritum essentialem, imò contingat talibus casibus quæri tenebras, & ab idiotis mulierculis rem occultè, & cum defectu essentiali peragi, non mirum si dicatur hîc aliquid ambiguitatis remanere, quæ sufficiat ad reiterationem sub conditione, cùm non possint sciri & examinari personæ, quæ Baptismo adfuerunt, vel illum administrarunt, ut sciatur an ritè collatus fuerit. Si enim quando obstetrix baptizavit, volumus ut strictè & diligentèr examinetur, ne error aliquis contigerit, quantò magis timeri potest, ne in similibus casibus muliercula magis ignorans baptizaverit? Hæc Marchantius apud Dian. parte 5. tract. 13. resol. 85. quo nihil clariùs & efficaciùs pro nostra conclusione dici potest.

Idemque statutum esse in Synodo Cameracensi testatur Marchantius.

Qui asserit solo scripto non omnem ambiguitatem auferri;

Dian.

Profectò cùm ignoretur à quo, vel quâ baptizatus sit, an fortè ab ipsa meretrice vel fornicaria, quæ fortè non satis instructa, an ab obstetrice, de cujus (utpote ignotæ) idoneitate non potest per examen cognosci, remanet dubium aliquod prudens, seu suspicio fundata. Non tango auctoritatem 13. Doctorum, qui, teste Quintanadueñas apud Dian. supra, idem docuerunt, & subscripserunt, ac ferè omnes rem ex professo discusserunt.

Et meritò cùm ignoretur à quo vel qua baptizatus sit infans.

Quintanad.

96. Certè non video quid efficaciter contra hanc doctrinam possit objici, nisi fortè communis consensus DD. quem testatur Diana supra esse in contrarium, cui etiam ipse adhæret parte 5. tract. 13. resolut. 85. & in addit. ad primam partem resolut. 6.

Solùm obstare videtur huic doctrinæ communis consensus Doctorum; Diana.

Verùm, salvo meliori judicio, cùm tale testimonium non sit ita certum, ut fidem indubiam faciat, neque judicium Doctorum possit supplere ejus incertitudinem, judico magis inclinandum esse in favorem animæ baptizandi, ne exponatur periculo æternæ damnationis, præsertim cùm ex altera parte examine diligenti præmisso, & conditione oppositâ, non appareat periculum reiterationis Baptismi cum injuria Sacramenti.

Quo non obstante id inclinandum est in favorem animæ baptizandi.

97. De hac rebaptizatione sub conditione ita loquitur Doctor Subtilis 4. d. 4. quæst. 8. *Respondeo aut inveniuntur in eo* (parvulo exposito) *certa signa quòd non baptizatus, sicut mulierculæ consueverunt cum eo apponere sal, sicut cum deportandū ad Baptismum sit: & tunc absque aliqua hæsitatione baptizandus est absolutè. Aut non inveniuntur cum eo talia signa, & adhuc, quòd non potest de eo haberi tale signum per viciniam, nec per testimonium fide digni, quòd sit baptizatus, baptizandus est: tamen tutiùs est uti illâ formâ illius cap. extra de Baptismo & eius effectu*, De quibus dubium.

Scotus.

Et de isto casu loquitur Leo de Consec. dist. 4. De quibus (inquit Leo) nulla extant indicia inter propinquos, & vicinos, quibus baptizati fuisse doceantur: agendum est ut renascantur, ne pereant; in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Ita Scotus.

Interim, quia aliqui putant, appositionem salis non esse signum indubitatum, præscribit Synodus Mechliniensis anni 1609. Tit. 3. c. 3. corrigens Synodum anni 1607. Baptismum tali casu conferendum sub conditione.

Synodus Mechliniensis.

Sed nunc finalis oritur quæstio, utrùm sit aliqua pœna constituta reiterantibus Baptismum? Ad quam respondeo & dico:

CONCLUSIO X.

Rebaptizans scienter & publicè ipso facto incurrit irregularitatem, quæ impedit susceptionem aliorum ordinum, non ita ministerium ante susceptorum. Rebaptizato prohibetur utrumque.

Suppono nullam esse irregularitatem, quæ non sit jure scripto expressa. Cap. *Is qui.* de Sent. excom. in 6. ibi: *Licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit.* Ex quo communiter inferunt DD. non admittendam esse aliquam irregularitatem ob solam DD. auctoritatem testantium de consuetudine. 98.

Nulla est irregularitas, quæ non sit jure scripto expressa.

Licèt enim consuetudo sit altera lex, hoc est, licèt consuetudine lex possit institui; rariùs tamen instituitur, eò quòd vix contingat consuetudinem frequentari animo legis inducendæ, quod tamen est necessarium, ut patet ex tract. de legibus. Adde legem consuetudinariam non vocari jus expressum, imò nequidem simpliciter jus, sed semper cum addito, jus consuetudinarium, sive simpliciter, consuetudo; maximè in odiosis, quæ restringenda sunt intra

natu-

naturalem, & civilem proprietatem verborum, juxta Reg. 15. de Reg. Juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

Adeoque non incurritur propter solam consuetudinem. Cùm ergo irregularitas sit odiosa; quia vel pœna strictè dicta ob propriam & propriè dictam culpam inflicta, vel saltem pœna civilis, sive latè dicta, hoc est, incommodum aliquod, seu privatio boni convenientis ob justam causam constituta; sequitur ly *Iue* in cap. *Is qui*, præcitato, accipiendum esse pro jure scripto; adeoque sine illo neminem incurrere irregularitatem propter solam consuetudinem.

99. Rebaptizans scienter & publicè incurrit irregularitatem. Hoc supposito, satìs difficilis apparet probatio primæ partis conclusionis, quæ tamen communis est, ita ut à nullo hactenùs, quòd sciam, fuerit reprobata. Sed ubi quæso jus scriptum exprimit illam irregularitatem?

Cap. 65. dist. 50. Cap. 10. 1. q. 7. Assignant aliqui cap. 65. *Confirmandum.* d. 50. & cap. 10. *Qui in qualibet.* 1. q. 7. Verùm in illis non agitur de rebaptizante, sed solummodò de rebaptizato: utì etiam Cap. 118. de Consec. dist. 4. c. *Eos quos.* 118. de Consec. dist. 4. quamvìs & in hoc nulla fiat mentio irregularitatis; sed variæ pœnæ imponantur, quæ non sunt in usu, ut diligenti Canonum perscrutatori facilè patebit.

Rejiciuntur jura, ex quibus aliqui hanc irregularitatem probant. Can. 47. Apost. Quod attinet can. 47. Apostolorum, non imponit pœnam ipso facto incurrendam (qualis debet esse irregularitas, quæ non infligitur ab homine, sed à solo jure) sed solùm ait: *Episcopus, aut Presbyter, si eum qui secundùm veritatem habuerit Baptismum, denuo baptizaverit* &c. *deponatur tamquam deridens crucem, & mortem Domini.*

100. Melius probatur ex cap. 2. de Apostatis. Unicè ergo & optimè probatur hæc irregularitas ex c. 2. de Apostatis, ubi Alexander III. interrogatus ab Abbate Sanctæ Genovefæ super crimine Acolythi, qui baptizanti præbuit ministerium, respondet in hunc modum: *Discretioni tuæ præsentibus litteris respondemus, quòd ad superiores ordines promoveri (si publicum est quod proponitur) non valebit: nisi ad Religionem transire voluerit, ut favore Religionis ipsius, circa eum valeat dispensari. Si verò occultum est, promoveri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.*

In textu autem originali Concil. Lateranensis par. 22. c. 1. præmittitur responsioni narratio facti hisce verbis: *Adstitit autem huic sacrilegio adolescens Acolythus frater illius, in quo Baptismus asseritur iteratus, & ministerium exhibuit in respondendo Presbytero baptizanti: & cooperator extitit rei nefandæ* &c.

In quo licèt fiat mentio de Acolytho, Nota, *Rei nefandæ*; ex quo deduco Pontificem non ita respexisse materiale, quod proponebatur, quàm bene speciem facti, quæ in ipso rebaptizante perfectiùs cernitur, tametsi Acolythi meminerit; quia de illo interrogabatur. Certè accidentalis qualitas Acolythi ad irregularitatem minimè pertinebat. Equidem quis ambigat hodie fieri irregularem, quemcumque ministrum rebaptizantis, etsi careat ordine Acolythatûs?

Meritò ergo universalis Ecclesia sub Acolytho semper intellexit principalem ministrum rebaptizationis, argumento à fortiori non in rebus, vel actionibus distinctis; sed in eadem actione, comparando accessorium ad principale. Non enim Pontifex judicavit Acolythum dignum tali pœnâ, præcisè propter cooperationem, ut talis est, nec propter solum ministerium accidentale, sed propter *nefandum ministerium*, quod magìs convenit rebaptizanti, quàm Acolytho; ut proinde hæc interpretatio juris scripti maximè sit consentanea tum rationi, tum verbis Pontificis. 101. Universalis equidem Ecclesia sub illo intellexit principalem ministrum rebaptizationis.

Alioquin si non hoc jure (accedente interpretatione Ecclesiæ, quæ est legislatrix) certè nescio quo alio sufficienter præsens irregularitas exprimatur. Adeoque fatendum est rebaptizantem vel non fieri irregularem, vel incurrere irregularitatem argumento cap. 2. de Apostatis. Adeoque ex hoc jure incurritur irregularitas.

Cumque ibi solùm agatur de promotione ad Ordines superiores, existimo non impediri executionem Ordinum susceptorum. Dignus quidem est rebaptizans majori pœnâ quàm Acolythus, sed, ut diximus, irregularitas non incurritur nisi in jure expressa. Porrò non exprimitur nec hîc, nec alibi irregularitas quoad usum Ordinum susceptorum. Respectu Ordinum suscipiendorum, secus Ordinum susceptorum.

Scotus 4. dist. 6. q. 8. n. 2. sic discurrit de hac pœna: *Loquendo de scientia, vel ignorantia facti, hoc est, ut si ignoretur istum fuisse baptizatum, & nunc iterum baptizari. Dico tunc, quòd, si illo modo scienter est iteratio, tam suscipiens, quàm conferens est irregularis, sicut habetur extra de Apostatis,* Ex litterarum. *Sed differentia est si publicè fiat, vel in occulto, quantùm ad hoc quòd faciliùs dispensetur in una irregularitate, quàm in alia: quia in una, ut privatâ, fortè per Episcopum: in alia non nisi per Papam. Patet ibi: & intelligitur si sit iteratio absolutè. Si enim propter aliquod dubium verisimile, non trufaticè utatur quis circa alium formâ hujus capituli*; de quibus dubium est, *non est irregularis.* Ita Doctor. 102. Scotus.

In quibus verbis docet Primò, scienter rebaptizantem, & rebaptizatum fieri irregulares. Secundò in crimine occulto fortè posse dispensare Episcopum, in publico non nisi Papam.

Primum

Primum assertum quantùm attinet ad rebaptizantem est nostra conclusio, quæ potissimùm probatur ex c. 2. de Apostatis, ut patet ex dictis. Quomodo autem Scotus ex eodem cap. efficaciter probet irregularitatem rebaptizati nescio; ego malim ostendere ex alijs canonibus infra adducendis.

An propter crimen occultum incurratur hæc pœna? Suarez.

Fortassis suo tempore ita caput illud communiter Doctores interpretabantur, prout etiam de crimine occulto, teste Suario disp. 31. sect. 6. dub. 3. ibi: Quocirca rationes factæ revera convincunt, quantùm ex jure colligi potest, non esse impositam hanc irregularitatem rebaptizanti, nisi quando crimen ejus est publicum. An verò propter communem & receptam sententiam, dicendum sit, etiam incurri per crimen occultum, alijs judicandum relinquo: quia in re morali nollem à recepta sententia discrepare, præsertim quia fortasse fieri potest, ut communi usu sit hæc pœna ita introducta, seu lex illa ita declarata. Hæc ille.

Aliqui affirmant.

103. Neque hoc contrariatur supposito nostro (quod idem Auctor tradit de Cens. disp. 40. sect. 4. n. 13.) intelligendum siquidem venit de consuetudine introducente legem, non autem de consuetudine interpretante seu declarante jus scriptum; enimvero tunc non inducitur irregularitas à consuetudine, sed à jure scripto, cujus anima est mens legislatoris, quæ cortici verborum est præferenda, ubi de ea potest constare, juxta Reg. ultimam de Reg. Juris in 6. *Certum est quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

Et verò quid est interpretatio legis? Non aliud sanè quàm verborum explicatio. Quidni igitur dicatur in jure expressum, quod verbis legis comprehendi, explicat legislator (& hæc est authentica interpretatio) aut saltem auctoritas Doctorum? quæ vocatur interpretatio Doctrinalis. Nam & hanc sequi possumus, dummodo probabilis sit. Itaque doctrina Scoti sic explicata non est improbabilis. Interim judico contrariam probabiliorem, quia ut rectè notat idem Doctor supra n. 3. *Vniversaliter pœna canonica non incurritur, nisi à latore Canonis inferatur: ubi ergo non invenitur ex vi verborum inflicta* (sicut hîc probabiliùs non invenitur) *tunc simpliciter est dicendum, quòd nulla est. Non enim verba constitutionum pœnalium sunt amplianda, sed restringenda, iuxta illam Maximam Iuris: Odia restringi, & favores convenit ampliari. de Reg. Iuris in 6.*

Sed probabiliùs negatur. Scotus.

104. Addidi autem in conclusione ly *Scienter*, secutus Doctorem nostrum; quia sicuti ignorantia excusat à censuris, pari ratione etiam excusabit ab irregularitate pœnali, juxta illud Gregorij in registro, & refertur c. 2. de Constit. *Rem quæ culpâ, caret in damnum vocari non convenit.* Cui consonat illud Innoc. III. in Concil. Lateranensi, & habetur extra de Appell. c. 60. *Cessante causâ cessat effectus.*

Greg. Papa. Innoc. III.

Cessante peccato propter ignorantiam juris vel facti cessat irregularitas.

Cùm ergo præsens irregularitas inflicta sit in pœnam formalis peccati reiterationis Baptismi, cessante illo peccato propter ignorantiam, etiam cessat ipsa irregularitas. Ex quo festinè & clarè resolvitur, omnem illam ignorantiam sive juris, sive facti excusare ab hac irregularitate, quæ excusat à culpa morali.

105. **Neque contrarium dixit Scotus.**

Quod equidem non est contrarium doctrinæ Scoti, qui videtur docere solam ignorantiam facti excusare, argumento Reg. juris 13. de Reg. Juris in 6. *Ignorantia facti non iuris excusat.*

Scotus.

Sic inquit Doctor supra n. 1. *Non oportet quòd ignorantia iuris in facto illo, sive in suscipiente, sive in conferente excuset. Aut enim potest intelligi ignorantia iuris divini prohibentis Baptismum iterari; & patet quòd ignorantia talis præcepti non excusat à peccato, nec à pœna infligenda à Deo pro peccato: aut intelligitur ignorantia iuris canonici infligentis pœnam; & nec ista ignorantia excusat, quin pœna illa incurratur.*

Probat: *Quando enim super aliquo, quod est ex iure divino illicitum, additur pœna canonica, ut illud ampliùs evitetur; non est necessarium ad hoc ut incurratur illa pœna, aliqua scientia iuris canonici: sed sufficit quòd teneatur scire præceptum divinum. Sed si illud transgrediatur, incurrit pœnam canonicam, etiamsi nesciat à iure canonico pœnam esse institutam.*

Exemplificat: *Hoc enim modo percutiens clericum, cùm faciat contra præceptum divinum de charitate fraterna, etsi nesciret excommunicationem latam à canone super tali facto: tamen incurreret eam. Et occidens hominem, licèt nesciret canonem punientem homicidam pœnâ irregularitatis; tamen irregularis esset.*

Et eadem, inquit, *est ratio in omnibus istis, quia talis dat operam rei illicitæ, de qua re debet scire, quòd sit illicita: & si nesciat, nullo modo debet illam exequi, quousque consulat peritos, per quos possit scire illam esse illicitam.*

Qui verbis supra citatis non suam mentem sed aliorũ proposuit opinionem.

Occasione horum verborum citatur communiter pro sententia, quæ universaliter docet ignorantiam Canonum non excusare à censuris, neque ignorantiam juris divini à peccato; sed falsò; nam, præterquam quòd Scotus illis verbis præambulis ad resolutionem non explicet suam mentem,

tem, sed aliquorum opinionem, sicuti ordinariè facit in alijs quæstionibus, præmittens n. 1. argumenta pro & contra; unde etiam verba jam citata in Report. q. 7. silentio præterijt; ut hoc, inquam, omittam, certum est Doctorem non loqui nec hîc nec alibi de ignorantia invincibili, sed vincibili & culpabili, quam nullus docet excusare à censuris; idque quia non excusat à peccato.

Vel locutus est de ignorantia culpabili.

106. Hanc esse mentem Scoti clarissimè ostendo ex 4. dist. 13. q. 2. n. 10. ibi: *Ignorantia iuris non excusat* (ab irregularitate inflicta ei, qui attentat consecrare, cùm non sit Sacerdos) *quia tenetur ille qui se exponit ad tantum actum, scire iura, secundùm quæ potest exercere tantum & talem actum, & ideo talis ignorantia iuris* (scilicet vincibilis, cùm teneatur, adeoque possit scire) *non excusat, sed fortè magìs aggravat.* Et verò quis umquam docuit ignorantiam invincibilem magìs aggravare?

Ut ex alijs locis manifestum fit.

Eodem modo loquitur in Report. (Coloniæ impressis) supra n. 30. de irregularitate, quæ contrahitur ex rebaptizatione: *Sed quid de ignorantia? dico quòd ignorantia iuris non excuset, sed aggravat: quia nulli licet se intromittere, qui ignorat quid sit agendum: sed ignorantia facti omnino excusat.*

Subdit exemplum ignorantiæ facti: *Sicut*, inquit, *si vetula baptizaret puerum in domo, & postea portat ad Ecclesiam, ibi nulla est suspicio, quare Sacerdos non debeat conferre Baptismum; quia non potest* (& consequenter non debet) *scire singula, quæ fiunt in domibus parochiæ suæ.*

Quæ est ignorantia facti invincibilis; alioquin, si esset vincibilis, v. g. si aliqua esset suspicio, & ex negligentia ulteriùs non inquireret, certum est apud omnes talem Sacerdotem non fore excusandum ab irregularitate.

107. Cur ergo, inquis, Scotus simpliciter dicit ignorantiam juris non excusare, secùs facti; cùm possit dari ignorantia juris, quæ excuset, & facti, quæ non excuset?

Dixit autem Scotus ignorantiam facti non juris excusare,

Respondeo; quia regulariter ignorantia juris est vincibilis, & facti invincibilis, quamvìs interdum contingat oppositum. Unde regula juris citata fundatur in præsumptione negligentiæ, & Scotus supra supponit ignorantiam esse talem, quæ non excuset à peccato. Cæterùm si ignorantia juris sit inculpata, facti autem culpabilis, dubio procul in omni foro illa excusabit à pœna, hæc minimè; forum tamen externum præsumit communiter contrarium; quia sæpius natum fieri.

Quia hæc regulariter est culpabilis, secus illa.

An autem requiratur ignorantia invincibilis præcepti divini, an verò sufficiat ignorantia pœnæ inflictæ per jus positivum, non est hujus loci disputatio; probabile est invincibilem ignorantiam solius censuræ, à censura excusare; certum est ignorantiam, quæ excusat à peccato, etiam excusare à pœna pro tali peccato constituta.

Probabile est ignorantiam solius censuræ, à censura excusare.

Quemadmodum ergo dari potest ignorantia sive juris, sive facti excusans rebaptizantem ab omni peccato, ita etiam dari poterit, quæ excuset ab irregularitate: specificavit verò illam Scotus supra in primo scripto n. 3. in ignorantia facti, *dummodo*, inquit, *non trufatica vel crassa, sed probabilis sit*; quia sæpiùs contingit ignorantiam facti esse probabilem, quàm ignorantiam juris.

Ex dictis haud difficulter cognoscitur quid sit scienter rebaptizare ad sensum Conclusionis, videlicet rebaptizare cum clara scientia aut ignorantia vincibili (quæ non excusat à peccato mortali) tum facti, id est, prioris Baptismi ritè collati; tum juris, saltem divini prohibentis iterationem Baptismi. 108.

Hinc cognoscitur quinam dicantur scienter rebaptizare.

Dico, *saltem divini*, quia dubitat Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 14. an etiam requiratur scientia ipsius irregularitatis, seu Canonis eam statuentis, & quamvìs ipse videatur affirmare, equidem communis sententia negat. Sed de his alibi fusiùs.

Dixi etiam, *Quæ non excusat à peccato mortali*; quia irregularitas est pœna gravis, improportionata peccato veniali, ac proinde ignorantia, ut supra adhuc insinuavi, quæ excusaret à peccato mortali, esto non excusaret à veniali, equidem excusaret in casu proposito ab irregularitate. Hæc sufficiant impræsentiarum pro explicatione Scoti & nostræ Conclusionis.

Noto tantùm ex verbis Scoti supra 4. d. 6. q. 8. n. 2. non incurrere irregularitatem, qui propter aliquod dubium verisimile rebaptizat sub conditione. Ibi: *Si enim propter aliquod dubium* &c. Utrùm verò incurreret si absque tali dubio *trufaticè*, ut loquitur Doctor, uteretur formâ conditionatâ, relinquitur disputationi. 109.

Qui rebaptizat sub conditione propter verosimile dubium, non fit irregularis.

Affirmat Catech. Rom. parte 2. c. 2. q. 43. ubi agens de illis, qui sub conditione rebaptizant sine aliquo probabili dubio, ait: *Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt: & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant.* In quam sententiam inclinat Scotus, dum excipit dubium verisimile, quamvìs absolutis & expressis verbis illam non astruat.

Quid si fiat tali dubio? Affirmat Catech. Rom.

Contrarium sustinet Suarius disp. 31. sect. 110.

Negat Suarius.

sect. 6. dub. 5. citans Navarrum in sum. cap. 27. n. 246. Ratio ejus est; quia talis Baptismus non est simpliciter rebaptizatio, neque peccatum in ea specie consummatum; deest quippe intentio sive animus verè baptizandi, cùm sciat conditionem nullo modo subsistere; adeoque in illo facto non est imitator hæreticorum, qui ex animo quantùm in ipsis est absolutè & simpliciter rebaptizant; quę sola rebaptizatio videtur hâc pœnâ affici; ita ut etiam qui absolutè rebaptizaret, sine animo tamen interno conficiendi Sacramentum juxta Navar. & Suar. supra dub. 4. non fieret irregularis; quia actus ille in ratione culpæ non est peccatum consummatum rebaptizandi; porrò pœnæ Ecclesiasticæ, quæ imponuntur propter aliqua delicta, simpliciter intelligendæ sunt de delictis perfectis & consummatis in suis speciebus.

111. *Exemplificatur in hæretico externo tantùm, qui nō incurrit pœnas juris.*

Confirmatur; qui exteriùs hæresim profitetur, animo retinens veram fidem, non incurrit pœnas Ecclesiasticas hæreticis constitutas; quia non est hæreticus simpliciter, sed cum addito exteriùs seu fictus. Sic ergo in præsenti, qui sine intentione exteriùs reiterat Baptismum, revera non est rebaptizator, sed fingit se rebaptizatorem: & ideo quamvis in hoc etiam graviter peccet, non tamen propriè illâ culpâ, propter quam irregularitas est imposita; adeoque licèt in foro externo incurrat irregularitatem, cùm Ecclesia non judicet de internis, non tamen coram Deo.

Adeoque nec rebaptizans sub conditione quam novit non subesse.

Jam autem rebaptizans sub conditione, quam novit non subesse, meritò comparatur rebaptizanti absolutè sine animo rebaptizandi. Enimverò licèt illa conditio moraliter habeatur pro non adjecta, quantùm ad hoc, quòd non excuset à culpa temeritatis & sacrilegij, tollit tamen intentionem, & suspendit actum, & consequenter facit ut illa non sit rebaptizatio simpliciter; ac proinde excusat ab irregularitatis pœna, si non in foro externo, saltem in foro Dei.

112. *Objectio prima ex cap. Sicut tuis de Simon.*

Contra 1. Ecclesia non judicat de actibus merè internis, argumento c. *Sicut tuis.* 33. de Simonia. ibi: *Quòd si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus (quæ non judicat de occultis) pœna essent canonicâ feriendi.* Adde Concil Trid sess. 24. de reform. Matrim. c. 1. ibi: *Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit.* Ergo irregularitate punitur sola externa rebaptizatio. *Trident.*

Respondeo admisso antecedente (quamvis non propter jura citata, quæ non loquuntur de actibus merè internis, sed de externis per accidens occultis, ut inspicienti textum clariùs apparebit) negando consequentiam: potuit namque Ecclesia ita moderare pœnas suas, & censetur communiter ita moderasse, ut non velit punire delictum, nisi perfectè consummatum: non consummatur autem hæresis, nisi per actum interiorem; similiter rebaptizatio.

Ecclesia censetur solùm punire delictum perfectè cōsummatum.

113. Neque hoc est punire actum merè internum; sed est mitigare pœnam impositam actui exteriori. Sic Ecclesia sæpe statuit pœnam in eos, qui hoc vel illud fecerint exteriùs præsumptuosè, dolo, fraude, seu alio perverso animo, etiamsi hic animus non prodeat in signum externum.

Cujus rei extant exempla in jure canonico. Clem. 1. de statu Monach.

Extant exempla in Clement. 1. de statu Monachorum §. *Quia verò.* ibi: *Nos eorum in hâc parte reprobis ausibus obviare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi aut Regulares Canonici administrationem aliquam non habentes, ad curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia se conferre præsumant.* Nota quod sequitur: *Quòd si, ut suis Prælatis, aut Monasterijs damnum aliquod inferant ad dictas curias se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto.*

Clem. Multorum. de hæret.

Simile decretum reperitur in Clement. *Multorum.* de hæreticis §. *Verum*, ibi: *Quòd si odij, gratiæ vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra justitiam & conscientiam suam omiserint* (Episcopi & Inquisitores) *contra quemquam procedere ubi fuerit procedendum, super hujusmodi pravitate &c. Episcopus aut superior suspensionis ab officio per triennium, alij verò* (eorum substituti) *excommunicationis sententias eo ipso incurrant.* Ubi Ecclesiá punit actum exteriorem non quemcumque, sed manantem à tali actu interiori, & non alium.

Quia ergo rebaptizatio simpliciter dicta significat actum exteriorem procedentem ex intentione dandi Sacramentum Baptismi homini jam baptizato, ideo quando actus exterior non procedit ab illa intentione, est insufficiens ad irregularitatem inducendam.

114. *Secunda objectio, quòd rebaptizatio consummatur in actu exteriori.*

Contra 2. rebaptizatio, quemadmodùm homicidium, perfectè consummatur in actu exteriori; ergo sicuti homicida injustus fit irregularis quocumque animo occidat, ita etiam rebaptizator quocumque animo rebaptizet.

Antecedens probatur; quia rebaptizatio, quæ punitur irregularitate, non est collatio veri Sacramenti (constat quippe secundum Baptismum esse invalidum) sed ficti; ergo impertinens est intentio conficiendi verum Sacramentum; imò impossibilis in eo, qui scit ejus nullitatem; intentio

tio

tio autem faciendi actum externum, quem facit Ecclesia, semper adest, quotiescumque homini baptizato confertur secundus Baptismus juxta formam Ecclesiæ consuetam, hoc est, in illis circumstantijs in quibus adstantes apprehendunt verum Baptismum ex vero animo baptizandi. Equidem non pendet ab intentione rebaptizantis, ut ipse sit, vel non sit rebaptizator, id est, conferens secundum Baptismum invalidum, si verè velit actum illum exercere, cùm ad rebaptismum nihil aliud requiratur, quàm seria actio externa.

Secus hæresi.

Aliud est de hæresi merè externa, quæ non denominat hominem verè hæreticum, puta, quia non denominat verum infidelem; quippe infidelitas propriè non est actus aliquis externus significativus interni erroris; sed est ipse error internus positivè excludens actum fidei supernaturalem; unde ut formaliter mala residet in voluntate; ut verò mala denominativè in intellectu, id est, dissensus intellectûs, uti non est formaliter liber, ita nec formaliter malus, per consequens formalis malitia illius dissensûs non est in intellectu, sed in voluntate: equidem ipse dissensus ab actu voluntatis malo denominatur malus, adeoque malitia infidelitatis denominativè est in intellectu: quamvis non implicet totam malitiam esse in voluntate, ut docetur in tract. de Fide.

Cujus formalis malitia in sola voluntate reperitur.

115. Et sanè hæresis quid aliud est, quàm error pertinax circa articulum fidei sufficienter propositum in homine, qui se Christianum esse profitetur? Quid ergo mirum, si non incurrat pœnas hæreticorum, qui nullo errore interiùs imbuitur; sed omnibus articulis fidei firmissimè assentitur, licèt ex metu vel ob aliam causam exteriùs errorem profiteatur? Anne simile aliquid invenitur in rebaptizatione?

Respondes cum Suario supra dub. 4. pœna rebaptizationis imposita est in odium hæreticorum introducentium rebaptizationes, qui autem sine intentione operatur, non facit animo hæretico, nec propriè convenit cum hæreticis in actione sua, ut ab ejus intentione procedit.

Responsio Suarij, quòd pœna rebaptizationis imposita sit in odium hæreticorum.

116. Sed hoc alij negant.

Sed contra c. 2. de Apostatis, ex quo colligitur hæc irregularitas, non loquitur de hæreticis rebaptizantibus, sed de Acolytho, qui ex intentione salutis fraternæ adstitit baptizanti fratrem suum infirmum ut sanaretur; ibi: *Quidam ægritudine longâ confectus insano sortilegarum mulierum credens consilio, ut sanaretur per iterationem fecit injuriam Baptismatis Sacramento:* Et infra. *Quia tua nos duxit prudentia consulendos qualiter puniro debeat Acolythus; quem minor ætas, & intentio fraterna salutis excusare videtur.*

Cap. 2 de Apostatis.

Respondeo, quandoquidem rebaptizatio ista facta fuerit ex consilio mulierum sortilegarum, verisimile sit rebaptizantem ejusdem farinæ hominem fuisse, qui animo utique hæretico seu sortilego illud ministerium præstitit; quamvis Acolythus & rebaptizatus pro fine extrinseco habuerint sanitatem; interim consentientes facto & consilio sortilegorum hominum, eorumdem intentionis participes extiterunt.

Ad quorum argumentũ respondetur.

Cui hæc solutio non placet, quærat meliorem; vel contra Suarium, & Navarrum doceat cum Catech. Rom. etiam conditionatè rebaptizantem, ubi certò constat de priori Baptismo, fieri irregularem. Similiter absolutè rebaptizantem sine animo interno rebaptizandi, hoc est, conficiendi verum Sacramentum, quem nemo potest habere, cui persuasum est secundum Baptismum esse invalidum, nisi fortè sufficiat, quòd velit facere quantum in se est. 117.

Alioquin non debere omnino convenire in animo cum hæretico, dummodo conveniat in facto ipso, hoc est, velit conferre Sacramentum Baptismi homini jam baptizato, tametsi id culpabiliter ignoret, docet ibidem Suarez dub. 6. in solutione objectionis: nam licèt hæc irregularitas posita sit in odium hæreticorum, non tamen est imposita solis hæreticis, sed omnibus imitantibus hæreticos in absoluta rebaptizatione.

Quæris an ipso facto incurratur, hoc est, nullâ exspectatâ sententiâ judicis sive declaratoriâ criminis, sive condemnatoriâ ad pœnam? Conclusio affirmat; cùm proprium sit irregularitati, non ab homine, sed à solo jure infligi. Et ideo in præcitato cap. 2. de Apost. absolutè respondet Pontifex, quòd is qui sic deliquit *ad superiores ordines promoveri non valebit.* 118.

An ad incurrendam hanc irregularitatem requiratur sententia Judicis.

Ubi non dicit post sententiam latam, neque requirit ut à superiore privetur eâ potestate; sed ipsemet per illam legem declarat ipsum esse dignum privatione, & actu privat, & inhabilem seu impeditum reddit. Atque hoc est irregularitatem imponere ipso facto incurrendam. Quin admisso, quòd ex solis verbis haud sufficienter id deduceretur; attamen communis interpretatio, usus & materia certum faciunt.

Hactenùs de pœna rebaptizantis, ordo doctrinæ postulat, ut breviter quidpiam dicamus de pœna rebaptizati, scilicet irregularitate, quæ non tantùm, ut habet ultima pars conclusionis, impedit susceptionem altiorum ordinum, sed etiam ministerium ante susceptorum. 119.

Rebaptizatus similiter fit irregularis.

Illam decernit Felix III. Epist. 1. c. 5. & refertur

Felix III.

refertur 1. q. 7. c. 10. *Qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere. Quibus satis esse debet, quòd in Catholicorum numero sunt recepti. Quoniam de suo ordine & communione videbitur ferre judicium, quisquis hoc violaverit institutum; vel qui non removerit eum, quem ex ejus cœtu ad ministerium Clericale obrepsisse cognoverit.* Ergo non tantùm prohibetur susceptio Ordinum, sed etiam executio Ordinum susceptorum. Alioquin quomodo non permittitur accedere ad militiam Ecclesiasticam? Aut quomodo removetur à ministerio clericali?

Etiam quoad ordinum susceptorum executionem.

Nec obstat, quòd canon ille expresè tantùm loquatur de baptizatis & rebaptizatis extra Ecclesiam; quia usus & communis interpretatio intelligit de omnibus rebaptizatis; idque quia omnes illi ita se gerunt, ac si essent extra Ecclesiam. Unde in Concil. Cartag. V. c. 11. & refertur dist. 50. c. 65. absolutè dicitur: *Neque unquam permittendum, ut rebaptizati ad clericatûs gradum promoveantur.*

Cartag. Sive rebaptizentur intra sive extra Ecclesiam.

120\. Porrò intelligenda est hæc pœna sicut præcedens, ut solùm afficiat rebaptizationem ex scientia, absolutam, & cum intentione iterum suscipiendi Baptismum. Ratio eadem est.

Ex certa scientia & absolutè.

Itaque qui metu mortis permitteret se rebaptizari sine animo suscipiendi Baptismum, non incurreret irregularitatem. Similiter, qui vi cogeretur. Patet, quia non peccat; pœna autem hæc nequaquam incurritur sine peccato, & quidem mortali. Quocirca neque pueri primò baptizati, aut rebaptizati ab hæreticis fiunt irregulares, quemadmodum enim incapaces sunt peccati, ita etiam irregularitatis propter peccatum inflictæ.

Cum interno animo & peccato.

121\. De parvulis primò baptizatis ita decernitur in Concilio Africano c. 14. & refertur 1. q. 4. c. 3. *Placuit de infantibus, qui ab hæreticis baptizantur; ne quod non suo fecerunt judicio, cùm ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, quò minùs promoveantur sacri altaris ministri.*

Concilium Africanum.

Et cap. sequenti ex eodem Concil. c. 24. statuitur in hunc modum: *Qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt, nondùm scire valentes erroris eorum interitum, & posteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnitâ veritate falsitatem eorum abhorrentes ad Ecclesiam Dei Catholicam per universum mundum diffusam, ordine antiquo per manùs impositionem recepti sunt, tales ad suscipiendum munus clericatûs non debet impedire nomen erroris.*

Unde parvuli rebaptizati hanc pœnam non incurrunt.

Per quæ jura explicatur caput citatum: *Qui in qualibet ætate*, scilicet adultâ, in quo jam homo possit uti ratione; qui usus propterea requiritur, ut homo sit capax culpæ; quippe hæc irregularitas etiam respectu rebaptizati imposita est in pœnam, & non ob aliquam specialem indecentiam aut significationem. Ex quo generaliter sequitur omnem illam ignorantiam excusare rebaptizatum ab hac pœna, quæ excusat à peccato mortali, ut supra dixi de rebaptizante.

Contrarium videtur probari per illud de consec. dist. 4. c. 117. *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere: nisi quòd secundùm canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas cogat. Patet*, inquit Scotus 4. dist. 6. q. 8. n. 2. *quòd illud capitulum loquitur de ignorantia facti*, cùm quis ignorat id, quod factum est, puta se esse validè baptizatum; *si enim esset de ignorantia juris*, cùm quis ignorat quod à jure constitutum est, v. g. iteratam susceptionem Baptismi jure divino & humano esse prohibitam, *oporteret pœnitere*; quia regulariter est vincibilis; quamvis absolutè non sit impossibile hoc jus divinum, magìs humanum esse ab aliquo invincibiliter ignoratum; quia non est adeò per se notum, ut nullus, quantumvis rusticus aut idiota possit illud ignorare, maximè, quia posset aliquis decipi ab uno vel pluribus viris doctis & fide dignis, saltem secundùm communem existimationem. 122.

Ignorantem incurrere hanc pœnam videtur probari ex cap. 117. dist. 4. de Consec. Scotus.

Pergit Doctor: *Nec illud, quod subditur*, Nisi magna necessitas, *tollit, quin talis sit irregularis, illud enim additur propter hoc quòd in tali necessitate dispensandum esset cum eo. Istò modo dicerent Canonistæ.*

Sed quid Theologi? *Non videtur*, inquit Scotus, *majoris esse ponderis secundùm rationem de baptizato, quàm baptizante: quia secundò baptizans, ignorans illum esse baptizatum priùs, non est irregularis. Non enim tenetur quicumque Sacerdos facere strictam inquisitionem, an vetula baptizavit parvulum in domo. Nunc autem non magìs videtur ille puniendus, qui secundò baptizatur & ignoranter, quàm qui secundò baptizat, imò minùs; quia ille videtur quærere salutem suam, ne sit in dubio.*

Quid igitur ad caput: *Qui bis ignoranter? Nullus*, ait Doctor, *potest infligere irregularitatem toti Ecclesiæ, nisi Caput totius Ecclesiæ: illud autem caput, sicut intitulatur, accipitur ex pœnitentiali Theodori, qui fuit Episcopus Cantuariæ: ergo in quantùm est hujus Auctoris, nullum robur habet infligendi pœnam irregularitatis. Ergo oportet dicere, quòd quodcumque capitulum incorporatum in corpore Decretorum à Gratiano, confirmatum sit à Papa, vel multa capitula ibi posita non ligant totam Ecclesiam.* 123.

Respondetur illud non habere aliquod robur, eò quòd sit alicujus particularis auctoris.

 Unde

Cujus constitutionem Papam cõfirmasse non est manifestum.

Vnde autem possit doceri, quòd omnia illa capitula ibi compilata Papa confirmat, non est manifestum. Nec etiam eo modo, quo est manifestum de omnibus capitulis positis in Decretalibus, ibi enim in proœmio Gregor. IX. scribens Doctoribus in iure Canonico mandat, quòd contenti sint in scholis & in iudicijs hâc compilatione. Et Bonifacius VIII. in proœmio 6. libri mandat, quòd de constitutionibus editis à tempore Gregor. IX. usque ad tempus suum, illa sola habeant robur, quæ ibi inserta sunt. Ita Doctor,

124. Qui ibidem ad objectionem, quæ formari posset ex his binis verbis textûs, *secundùm Canones*, scilicet Pontificios, Respondet: *Hoc deberet Glossator apponere, quia hæc glossa est necessaria; sed nulla ponitur ostendendo ubi sit Canon super hoc editus.*

Et arguens Canonistas glossatores addit: *Et hic, sicut in multis locis apparet inutilis occupatio glossatorum in iure canonico, qui multiplicant concordantias, & auctoritates ad unum vocabulum, & postea in fine nihil ad propositum; & alibi ubi est verbum maximi ponderis, à quo dependet sententia totius capituli transeunt sicco pede.*

Tandemque concludens inquit: *Posset ergo dici quantùm occurrit quòd ignorantia facti* (addo ego, & juris, *dummodo non trusatica vel crassa, sed probabilis*, id est, invincibilis, *sit, totaliter excusat conferentem à pœna illa, & suscipientem. Vniversaliter enim pœna canonica non incurritur, nisi à latore Canonis inferatur; ubi ergo non invenitur vi verborum inflicta, tunc simpliciter est dicendum quòd nulla est.*

Unde concludit Scotus ignorantiam facti etiam suscipientem excusare.

Et hæc quidem de pœnis reiterantium Baptismatis substantiam; pro reiterantibus autem solas ceremonias, seu ritus accidentales, nullam lego in jure pœnam constitutam: licèt enim Acolythus non concurrat proximè ministrando aliquid substantiale, tamen quia ministrat baptizanti, ad totam illam actionem cooperari censetur, sicut cooperatur Sacrificio, qui Sacerdoti offerenti ministrat.

Pro reiterantibus solas Baptismi ceremonias non legitur pœna constituta.

Superest ut paucis explicemus principaliores, & magis controversas ceremonias ab Ecclesia adhiberi solitas in administratione hujus Sacramenti.

SECTIO SEXTA.

De Ceremonijs Baptismi.

1. Concilium Tridentinum sess. 7. de Sacramentis in genere, contra hæreticos nostri temporis (qui more suo quod ignorant blasphemant, irridentes ceremonias ab Ecclesia adhiberi solitas in Baptismo & alijs Sacramentis tamquam vanas & superstitiosas) hunc expressit Canonem 13. *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.*

Trident. Illæ ceremoniæ non possunt per quẽcumque Ecclesiæ pastorem immutari.

Nota, *Per quemcumque*, quo insinuat, sicuti per universalem Ecclesiam, cujus caput est Pontifex, instituti sunt; ita ab eadem pro loco & tempore mutari posse. *Declarat* namque eadem Synodus sess. 21. cap. 2. *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire iudicaret.*

Sed solum ab Ecclesia.

Probat ex Apostolo: *Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, cum ait, Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Confirmatque ejus exemplo dicens: *Atque ipsum quidem hâc potestate usum esse, satis constat, cùm in multis alijs, tum in hoc ipso Sacramento* (agit de Eucharistia) *cùm ordinatis nonnullis circa eius usum, Cætera, inquit, cum venero disponam.*

1.Cor.4.v.1.

Quæ est dispensatio mysteriorum Dei.

1. Cor. 11. v. ult.

S. August.

Unde D. Aug. loquẽs de ritu Eucharistico Epist. 118. c. 6. ait: *Et ideo non præcepit Christus, quo deinceps ordine sumeretur* Eucharistia, an post, an ante alios cibos, *ut Apostolus, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locũ.*

2. Quærant nunc hæretici ubi Scriptura præscripserit hujusmodi ceremonias, & facilè quisque respondebit, ubi Apostolos, & eorum successores constituit dispensatores mysteriorum, hoc est, Sacramentorum Dei; quippe ministri & dispensatoris est res Domini sui cum omni reverentia & utilitate distribuere. Quis autem adeò insanit, ut dicere audeat ceremonias sacramentales nec venerationi Sacramentorum, nec utilitati suscipientium expedire?

Reclamantibus Hæreticis,

Nonne Deus sua Sacrificia & alia Sacra in antiqua lege præcepit fieri certis ritibus & ceremonijs? lege Exodi cap. 12. 29. & 30. nec non Leviticum per totum, & inficiari non poteris.

Quid dicam de Christo novæ legis institutore?

Qui satis ex Scriptura redarguuntur.

tutore? An non elevando oculos, agendo gratias, accipiendo in manibus panem, benedicendo, Luc. 9. multiplicavit 5. panes & duos pisces, satians ex eis 5. millia hominum, & Luc. 22. instituit Sacramentum Eucharistiæ? Matth. 26. & Luc. 22. oravit genibus flexis, procidit in terram. Joan. 20. insufflavit in Apostolos, Luc. 24. elevatis manibus ipsis benedixit. Nisi itaque ceremoniæ divino cultui, Sacramentis & Sacrificijs convenirent ad majorem eorum solemnitatem ac splendorem, non ita curiosè Deus illas antiquitùs præcepisset, nec Christus exemplo suo confirmasset.

3. *Et ex varijs utilitatibus ceremoniarum, ut puta excitandi fideles ad pietatem & reverentiam.*

De utilitate ceremoniarum, aliorumque sacramentalium quis dubitet? Nam, prætérquam quòd omnia habeant naturalem quamdam vim per modum objecti excitandi fideles, qui eorum institutionem & consecrationem norunt, ad quamdam pietatem & reverentiam; cùm hoc sit naturale omni rei piæ, etiam imaginibus, & alijs quæ ingerunt cognitionem rerum divinarum; insuper exorcismi specialem habent virtutem fugandi & compescendi dæmones.

Fugandi & compescendi dæmones.

Primò quatenùs continent signum crucis, invocationem nominis Jesu, comminationem divinæ vindictæ, & similia dæmoni odiosa. Secundò ratione precum Ecclesiæ, quæ apud Deum plurimùm valent. Tertiò ratione potestatis, quam Christus Ecclesiæ specialiter dedit supra omnem virtutem inimici Mar. 16. & Luc. 10. non habent tamen hunc effectum infallibiliter, sed dæmoni subinde permittitur magìs & diutiùs resistere ob causas nobis ignotas.

Impetrandi gratias prævenientes.

Præterea pleræque ceremoniæ per modum impetrationis conferunt suo tempore gratias prævenientes, seu pios motus, quibus homo disponatur ad remissionem peccatorum, & exercitium virtutum. Patet ex orationibus Ecclesiæ, quibus ceremoniæ illæ aut sacramentalia consecrantur, vel suscipientibus applicantur. Illæ quippe orationes, cùm sint ab Ecclesia institutæ, & nomine Ecclesiæ Deo offerantur, indubiè apud Deum sunt efficacissimæ.

Dixi, *per modum impetrationis*; quia sine fundamento dicitur hujusmodi effectus causari à sacramentalibus ex opere operato, cùm sint instituta ab Ecclesia, quæ sicut non potest Sacramenta instituere, sic nec signis sacramentalibus effectum quemcumque divinitùs causandum infallibiliter annectere. Dubitas? Experientiam consule, & citiùs omne dubium evanescet.

4. Cùm itaque ceremoniæ sacræ & convenientes sint & utiles, nec non antiquissimæ ab ipsis Apostolis, aut eorum immediatis successoribus institutæ, ut videre est apud Bellarm. lib. 1. de Baptismo c. 25. & sequentibus, præclarè, ut semper, dixit D. August. supra cap. 5. *Similiter etiam si quid horum* (ceremonialium) *tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est.* Ne illi ergo sint insolentissimi insani, qui ceremonias baptismales, toto orbe ab Ecclesia frequentatas, tamquam vanas & superstitiosas derident & rejiciunt.

Ostenditur ceremoniarum antiquitas. Bellarm. S. August.

Quamvìs & ipse Calvinus præscribat, ut parvulus deferatur ad Ecclesiam die dominico, vel quando est concio, ut deferentes interrogentur, an spondeant se illum in fide & moribus instructuros cùm adoleverint, ut imponatur nomen baptizando, ut forma pronuntietur linguâ patriâ, ut Symbolum, oratio dominica & aliæ preces recitentur. Lutherani addunt abrenuntiationem sathanæ & pomparum ejus; imò Lutherus voluit formari signum crucis in fronte & pectore baptizati.

Quas etiam Hæretici adhibeant.

In quo quæso Scripturæ loco ista legerunt? Fateantur ergo se vanos esse & superstitiosos; vel consentiant in vera Dei Ecclesia relictam esse potestatem hujusmodi ritus ordinandi & præcipiendi ad majorem decorem ac reverentiam Sacramenti, utilitatemque suscipientium.

Facto sic confitendo esse relictam potestatem ceremonias instituendi.

5. Porrò Ecclesiam hâc potestate usam fuisse circa Sacramentum Bapsismi, varias ceremonias ordinando, & præcipiendo in solemni ejus administratione, tam præcedentes, quàm concomitantes, & ipsum Baptismum subsequentes, clamant omnia Pastoralia & Ritualia, ad quæ lectorem remitto, quia pleræque nullam habent specialem difficultatem, quæ mereatur hîc adnotari. Videantur Suar. Vasq. & alij auctores, qui latiùs illas ceremonias explicant.

Qua usa est Ecclesia circa Baptismum.

Dixi, *pleræque*, quia de nonnullis concomitantibus Baptismum aliqua est dissentio inter DD. Catholicos. Et primò quidem de loco, in quo Baptismus debet administrari, pro quo erit

CONCLUSIO I.

Proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia.

6. Etsi primi Christiani solerent in quibuslibet fluminibus & aquis baptizari, prout occasio se offerebat, ut patet

Act. 2. 8. 10. & 16. equidem ubi ceremoniæ Ecclesiasticæ potuerunt ad meliorem ordinem redigi; cœpit Ecclesia ob reverentiam tanti Sacramenti certa quædam loca, deputare, in quibus Baptismus administraretur, idque jam sub Apostolorum tempora.

Deputando certa loca in quibus ministratetur; S. Dionysius.

Nam vasis sacri seu fontis ad Baptismum specialiter deputati meminit Dionysius Apostolorum æqualis c. 2. Eccles. Hierarch. ubi illum appellat *Matrem adoptionis*, ex qua scilicet spiritualiter homines per Baptismum regenerantur. Locum verò in quo erat fons Baptismi alij veteres appellant *Baptisterium*. Unde Concil. Antis. can. 14. *Non licet in Baptisterio corpora sepelire.*

Con. Antis.

Cæterùm fons in quo proximè fit Baptismus, debet esse lapideus, vel si non possit haberi, saltem sit aliud vas, quod maneat ad hoc specialiter in Ecclesia, neque alijs usibus deserviat. Patet ex c. 106. de Consec. dist. 4 desumptum ex Concil. Ilerdensi, seu Meldensi, ubi sic dicitur: *Omnis Presbyter qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat; quod extra Ecclesiam non deportetur.*

Meldens.

7. Quibus omnibus maturè consideratis ita statuit Clemens V. in Concil. Vienensi (& refertur Clementinâ unicâ de Baptismo) *Præsenti prohibemus edicto ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut alijs privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos ..... audeat baptizare.*

Viennens.

Consonat Rit. Rom. Tit. de Baptismo § de loco & tempore administrandi Baptismum, ibi: *Proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certè Baptisterium prope Ecclesiam.* Quod ultimum addit, quia antiquitùs erant Baptisteria à templis distincta; modò autem in ipsis Ecclesijs certus aliquis locus designatur, in quo collocatur fons baptismalis decenter ornatus, & cancellis circumseptus, serâ & clave munitus, deserviens solemni ministerio hujus Sacramenti.

Rit. Rom.

8. Nisi aliter fieri urgeat necessitas.

Verùm quia, ut communiter dicitur, necessitas nullam habet legem, urgente necessitate, quemadmodùm sine cæteris solemnitatibus, ita etiam ubique baptizare nihil impedit Clement. supra ibi: *Aut talis necessitas emerserit propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi.* Excipit etiam filios Regum, & Principum ibi: *Nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint.*

Viennens.

Vel sint filij Regum aut Principum.

Consimiliter loquitur Rit. supra, ibi: *Itaque, necessitate exceptâ, in privatis locis nemo baptizari debet: nisi fortè sint Regum aut magnorũ Principum filij, id ipsis ita deposcentibus.* Limitat: *dummodo id fiat in eorum capellis seu oratorijs, & in aqua baptismali de more benedicta.*

Hæc certa; controvertitur autem quinam veniant nomine liberorum Regum & Principum. Respondeo filios, & nepotes descendentes ex filijs masculis Regum, & supremorum Principum, qui nulli alteri subjecti sunt; seu non sunt alterius vasalli. Glossa V. *Regum*, ibi: *Et ex hoc puto quòd principatus hic sumatur pro notabili potentatu meritò comparando Regia dignitati*; ut Ducatus Venetiarum, Ducatus Florentinus, Ducatus Mutinensis, & similes. Credo etiam intelligi posse Principes Imperij, qui verè sunt supremi, etsi agnoscant Cæsarem. 9.

Quinam sub isto nomine comprehendantur.

Zypæus tom. 2. lib. 3. tit. de Baptismo responsione prima n. 2. putat nomine magni Principis, non tantùm supremos, & his ferè proximos, sed & titulos eminentes posse intelligi. Quintanaduẽnas in Theol. mor. to. 1. tract. 1. singul. 21. n. 3. ampliat ad omnes Duces, Marchiones, Comites, Magnates Hispaniæ, Oratores Regum, & similes; cùm beneficium Principis latè interpretandum sit.

Zypæus. Quintanaduenas.

Equidem non ultra proprietatem verborum: quapropter Dianæ parte 9. tract. 6. resol. 38. non placet sententia Zypæi & Quintanad. Interim favet ei Rit. Rom. quoad omnes illos, qui in proprietate verborum vocari possunt magni Principes. Sed qui isti? Supremi, & si qui alij à tota nobilitate pro talibus agnoscuntur. Sanè qui hîc vasalli sunt, alibi sæpè sunt supremi.

Porrò quale peccatum sit, excepto casu necessitatis, baptizare homines privatos extra Ecclesiam, satis colligitur ex ultima parte Clementinæ præmemoratæ, quæ sic habet: *Qui autẽ secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quòd alij attẽtare similia non præsumant.* 10.

Extra casum necessitatis baptizare extra Ecclesiam

Ideo Castro Palao tom. 4. tract. 19. disp. unicâ. puncto 12. n. 16. docet grave esse peccatum; quod videtur judicium commune; neque enim propter levem culpam baptizans subjiceretur pœnæ arbitrariæ sui Episcopi, & tali quidem, quæ alios nata sit arcere seu deterrere à simili ministerio.

Est mortale peccatum juxta Castro Palao;

Sed numquid rebaptizandi sunt in Ecclesia, qui in domo privata licitè, sive illicitè Baptismum susceperunt? Certum est Baptismum extra Ecclesiam valere, si essentialia adsint, id est, materia, forma & intentio. Nefas ergo sit rebaptizare. 11.

Valet tamen Baptismus privatim collatus,

Quòd si propter necessitatem, vel ex malitia omissæ fuerint ceremoniæ, postea adhibeantur (etiam exorcismus, tamen immutatus, seu accommodatus jam baptizato, utì & quædam

Sed repetendæ sunt ceremoniæ omissæ,

quædam orationes) etsi omittens citra contemptum non peccaret mortaliter, ut docet Possevinus de officio Curati c. 6. n. 23. apud Dian. parte 5. tract. 3. resol. 6. Quod an verum sit judicent prudentes.

Meo judicio (salvô meliori) cùm ceremoniæ Baptismi sint nimis multæ, & valde notabiles, vel nulla est obligatio eas supplendi, vel est obligatio gravis; sicuti vel nulla est obligatio primitus eas adhibendi, vel est obligatio gravis.

12. Quòd autem sit obligatio aliqua supplendi videtur colligi primo ex jure communi cap. 1. de Sacram. non iterandis, ubi Pontifex Innoc. III. interrogatus an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerat ad Ordinem Subdiaconatûs assumptus. Et si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus: Respondet, *Quòd in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.*

Forte etiam sub gravi obligatione.

Cap. 1. de Sacram. non iterandis.

Rit. Rom.

Colligitur 2. ex Rit. Rom. Tit De Baptismo. §. Ordo supplendi omissa. ubi sic legos: *Cùm urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, sive parvulus, sive adultus sacris precibus ac ceremonijs prætermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, & cessaverit periculum, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemq; ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est.*

Idem tradit eodem Tit. §. De baptizandis parvulis, ibi: *Consueta ceremoniæ ritusq; suppleantur, omissâ formâ & ablutione.* Et §. de Baptismo adultorum. Agens de hæreticis conversis, & legitimè quoad materiam & formam baptizatis, ait: *Omissa tantùm* (quæ illa, nisi ceremoniæ?) *suppleantur nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.*

Rovenius.

Prout aliquando visum fuit Philippo Rovenio in Constitutione sua ad omnes sibi subjectos in ditionibus Belgij confœderatis directa anno 1638. in qua de hac re loquens ait: *Unctiones verò & reliqua ceremoniæ Ecclesiæ Catholicæ pro discretione Sacerdotum, & devotione suscipientium poterunt suppleri.*

Cæterùm ut quid tertiò idem inculcaret Rituale, si vel nulla, vel levis tantùm esset obligatio? Sanè ritus solitos adhiberi, non posse omitti sine peccato, in principio sectionis docuimus cum Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13. Cùm ergo soleat Ecclesia ritus omissos supplere, etiam illa suppletio, sive ritus supplendi erunt in præcepto, & quidem gravi pro materiæ gravitate.

Cùm ritus adhiberi soliti non possint sine peccato omitti.

Sed relictâ hâc difficultate minùs principali pergo festinanter ad præcipuam hujus sectionis controversiam, quæ meritò movit omnes DD. ut particularem de ea instituerent quæstionem; est autem de Patrinis, eorumque obligationibus. Et quidem primò dubito An in omni Baptismo debeant adhiberi? Pro resolutione

Nota duplicem esse Baptismum, sive dupliciter Baptismum ministrari, videlicet solemniter, id est, cum certis externis ceremonijs ab Ecclesia præscriptis, & privatim, hoc est, sine hujusmodi ceremonijs seu solemnitatibus. Nunc ad dubium propositum Respondeo:

CONCLUSIO II.

In Baptismo solemni adhiberi debet Patrinus; in privato non potest.

Prima pars haud efficaciùs probatur, quàm ex continuo usu & praxi Ecclesiæ ab ipsis temporibus Apostolorum. Testis est Dionysius Eccl. Hierarch. cap. 2. parte 2. ibi: *Quem* (baptizatum) *Sacerdotes mox assignant susceptori suo.* 13.

In baptismo solemni debet adhiberi Patrinus.

S. Dionys.

Et cap. 7. *Divinis*, inquit, *nostris Ducibus* (id est Apostolis) *ad mentem venit, & visum est suscipere infantes secundùm istum sanctum modum, quòd naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pedagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre & salvationis sancta susceptore.* Simili modo loquitur Tertul. lib. de Baptismo c. 18. & alij Patres.

Ratio à priori est voluntas Ecclesiæ. Congruentia accipitur ex verbis Dionysij: quippe sicuti in naturali generatione ad bene esse præter parentes adhibentur nutrices & pædagogi, ita quoquè in Baptismo, qui est regeneratio spiritualis, præter parentes & Pastores conveniens fuit aliquem admittere, qui specialem curam haberet puerum spiritualiter nutriendi ac instruendi. 14.

Sic statuente Ecclesiâ.

Juncta congrua ratione.

Nec obstat, quòd Christus non habuerit in suo Baptismo patrinum, sive suscipientem, aut sponsorem, seu fidejussorem; siquidem non est baptizatus ut regeneraretur sed ut alios regeneraret, neque opus habebat instructore, qui ipse erat omnium Magister.

Si quæras, an hæc obligatio sit sub mortali? Respondeo, pendet à prudenti judicio an sit ritus notabilis, an non; adeoque an 15

Hæc obligatio est gravis.

ejus omissio sit grave an leve peccatum. Meo judicio & plurium aliorum, quos refert Tannerus hîc disp. 4. q. 2. dub. 1. n. 23. ex gravitate obligationis adjunctæ satis colligitur gravitas hujus ceremoniæ.

Unde sæpissime de illa agitur in decretis Conciliorum, & supponitur à Concil. Trident. sess. 24. c. 2. ubi restringit cognationem spiritualem, quæ ex illa oritur, ut infra videbimus; & admonet Parochum,

Trident.

ut, *antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant* &c.

Rit. Rom.

Idem præscribitur in Rit. Rom. Tit. De Baptismo. §. De Patrinis; *Ne plures*, inquit, *quàm liceat, aut indignos, vel ineptos admittat*. Quæ omnia satis superque indicant notabilitatem prædictæ solemnitatis.

16. In Baptismo privato non potest adhiberi Patrinus.

Porrò secunda pars conclusionis vel ex ipso nomine *Baptismi privati* datur intelligi; siquidem Baptismus dicitur privatus, qui ab unoquoque licitè ministratur in necessitate sine solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis. Cùm ergo, secundùm omnes DD. laici & Clerici inferiores Diacono non solùm non debeant, sed nec licitè possint adhibere Catechismum, Exorcismum, & similes ritus, dum in necessitate baptizant, pari ratione dico ego non solùm non debere, sed nequidem licitè posse adhibere Patrinum, seu susceptorem; quia hoc esset Baptismum solemniter administrare, saltem ex parte.

Nec esset Patrinus, etsi teneret animo verè suscipiendi.

Hinc per accidens & impertinens est ad Baptismum privatum, quòd aliquis teneat parvulum baptizandum, & idcirco, etiam à communi plebe, non vocatur Susceptor sive Patrinus; nec vocari deberet, etsi faceret animo verè suscipiendi; quia hoc non pendet ab ipsius voluntate; sed oportet facere ceremoniam requisitam ab Ecclesia ad talem appellationem: Ecclesia autem postulat, ut ille contactus fiat in Baptismo solemni. Unde illa tentio baptizandi in necessitate est magis propter commoditatem & honestatem, quàm propter ceremoniam.

17. Sicut nec ille, qui tenet dum supplentur Ceremoniæ omissæ;

Ex quo rursùm sequitur non esse verum susceptorem aut Patrinum, qui puerum domi baptizatum, postea publicè in Ecclesia tenet, dum supplentur ceremoniæ omissæ; quia tunc non ministratur Baptismus; adeoque non suscipit in Baptismo, quod tamen necessarium est, sed in Catechismo. Similiter qui levat de sacro fonte, quando ex defectu materiæ, formæ, aut intentionis Sacramentum ministratur invalidè.

18. Adeoque

His admissis manifestè sequitur, præfatos Susceptores, si ita placeat eos appellare, nullam contrahere cognationem spiritualem, sive cum baptizato, sive cum ejus parentibus, quod docet Sanchez. de Matrim. lib. 7. disp. 62. n. 14. cum Suario & alijs, quos citat. Patet, quia non sunt veri Susceptores, ut ostendimus.

nullam contrahunt cognationem spiritualem.

Et specialiter id declararunt Cardinales in secundo casu his verbis: *Qui in Ecclesia dumtaxat fuit præsens ei, qui domi fuerat verè baptizatus, sed deinde in Ecclesia servata fuerunt sola solemnitates, nullam cognationem spiritualem cum eo contraxit.* Utique neque Susceptor, neque Parochus, qui adhibuit ceremonias; quia nec ille verus Susceptor, nec hic verus baptizans.

Ut specialiter in secundo casu declararunt Cardinales.

Quis ergo? Ille qui domi verè baptizavit; jus quippe decernit absolutè & generaliter cognationem spiritualem pro omni verè baptizante, eò quòd Baptismus sit aliqua spiritualis regeneratio; non minùs autem spiritualiter regeneratur, qui privatim, quàm qui solemniter tingitur; neque magìs secundùm spiritum renascitur, qui in exteriori tantùm apparentia mergitur, quàm qui nullo modo. Unde sicuti baptizans invalidè non contrahit cognationem cum invalidè baptizato, ita neque Susceptor in tali Baptismo.

Quis ergo contrahit? Ille qui domi verè baptizat.

Sed petes, quæ sit illa ceremonia, ratione cujus aliquis in jure habetur & dicitur verus Susceptor, sive Patrinus? Pro resolutione erit

CONCLUSIO III.

Patrinus in jure dicitur, qui intentione exercendi hanc ceremoniam secundùm quod in Ecclesia Catholica fit, tangit physicè (immediatè, vel medijs vestibus, linteo, aut etiam disco, per se, vel per procuratorem) baptizatum, aut tempore Baptismi, aut statim postquam à Sacerdote levatur de fonte, ubi moris est sic baptizare.

Breviter: in Patrino requiritur voluntas suscipiendi, & tactus physicus proprii per se, vel procuratorem. Prima pars est communis. Fundatur; quia actus agentium non 19.

In Patrino requiritur voluntas suscipiendi cum tactu physico proprio.

non operantur ultra eorum intentionem. Quemadmodùm ergo ad verum contractum requiritur animus contrahendi; ad veram legem voluntas legislatoris subditos obligandi; pari ratione ad contrahendam obligationem veri susceptoris necessarius est & sufficit animus obeundi munus Patrini ab Ecclesia institutum.

Non autem intentio contrahendæ paternitatis spiritualis.

Aliqui apud Zanch. de Matrim. lib. 7. disp. 58. n. 2. ad contrahendam cognationem spiritualem ultra susceptionem exigunt intentionem contrahendæ paternitatis spiritualis. Sed falluntur, quia qui vult principale vult accessorium, quod ex eo sequitur.

20. Quapropter sicuti intendens baptizare, velit nolit, contrahit cognationem, utpote ab Ecclesia annexam independenter à cujusque voluntate, ita etiam volens verum munus Patrini obire, seu efficere quod Susceptores efficiunt, implicitè saltem vult, & ideo contrahit, omnem obligationem illi muneri ab Ecclesia similiter annexam. Igitur etiam impræsentiarùm oritur obligatio ex consensu, & non absque illo.

Sanè non semper exigi explicitum, & directum consensum in ipsam obligationem, convincitur exemplo damni injustè illati, quod obligat ad restitutionem nolentem explicitè & directè obligari. Similiter ex peccato nascitur obligatio pœnitendi in hoc sæculo, vel in futuro satisfaciendi per pœnas purgatorij. Iterum ex actu inducendi alium, ut pro me fidejubeat, nascitur obligatio non solùm satisfaciendi fidejussori, si pro me solvat; sed etiam cavendi, ne pro me solvat. Rursus juramentum cum animo jurandi, licèt sine animo se obligandi (secundùm probabilem multorum opinionem) verè obligat.

Quod multis alijs exemplis ostenditur.

Quidni ergo similiter obliget susceptio cum voluntate suscipiendi, sine voluntate se obligandi? Et ratio est, quia obligatio in prædictis exemplis, sicut & in casu præsenti, non pendet directè & proximè à mea voluntate, sed tantùm remotè & in radice, in alio nempe actu, ad quem illa necessariò, sive ex voluntate Dei, seu jure naturali, sive ex voluntate Ecclesiæ, seu jure Ecclesiastico sequitur.

In quibus obligatio non pendet directè & proximè à voluntate mea.

21. Aliud cernitur in contractibus, Matrimonio, voto & similibus, quorum essentia, vel saltem effectus intrinsecus & quasi formalis est obligatio: unde definitur contractus L. Labeo 19. ff. de Verb. signif. *Vltrò citroq́ obligatio.* Et promissio à Theologis communiter describitur: *Deliberata & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona & possibili.*

Contrarium cernitur in contractibus.

Profectò promittere respectu Dei nihil est aliud, quàm velle se obligare, & absoluta voluntas de præsenti se obligandi Deo, est promissio. Convincitur ergo non velle vovere aut contrahere Matrimonium, qui non vult se obligare. Contrarium apparet in illis actibus, quorum substantiam sequitur obligatio, tamquam effectus resultans ex aliena voluntate.

Stat itaque quempiam velle exercere ceremoniam suscipiendi baptizatum, ab Ecclesia institutam, sine explicita ac directa voluntate se obligandi, qui tamen obligabitur ex voluntate Ecclesiæ, quæ neminem admittit ad id muneris, nisi cum tali onere.

Si inferas: ergo etiam incurrit obligationem, qui solùm materialiter tangit; sicuti contrahit affinitatem, quæ violenter opprimitur, aut in somno vel amentia cognoscitur. 22. Objectio.

Assigno disparitatem; quia affinitas oritur præcisè ex ipsa copula, ut suo loco explicabitur. Porrò quis dixerit ebrium vel amentem tenentem parvulum, esse verum Patrinum, & contrahere obligationem? Itaque sine intentione non ponitur ceremonia, cui ab Ecclesia talis obligatio annectitur. Solutio.

Equidem quòd non sufficiat materialis tactus perspicuum est in illis, qui majoris commoditatis gratiâ parvulum dum baptizatur brachijs gestant, aut supra fontem elevant, susceptoribus veris solùm leviter manum apponentibus. Quia itaque tactus iste fieri potest ob diversos fines, necessaria fuit intentio suscipiendi, quâ constitueretur in esse talis ceremoniæ.

Non sufficit contactus merè materialis.

Et hinc patet quare procurator, de quo statim erit sermo, non contrahat ullam obligationem, quia videlicet non suscipit, sive tangit nomine suo, sed alterius. Hæc pro prima parte conclus.

Sed necessaria fuit intentio suscipiendi.

Secunda pars constat ex verbis, quibus jura explicant munus Patrini, scilicet, *Suscipit, levat, tenet* &c. 30. q. 1. c. 1. ibi: *Proprios filios suscepissent, ex lavacro sancto.* cap. 2. ibi: *Ante Episcopum tenuerit ad Confirmationem.* Cap. 3. ibi: *De sacro fonte levaverit.* Et cap. 7. ibi: *Eumq́, ipse proprijs manibus retinendo suscepisset.* Quæ omnia sonant aliquem contactum physicum, saltem mediatum. Et ita habet praxis Ecclesiæ. 23.

Juncto contactu physico.

30. q. 1. c. 1. 2. 3. 7.

Unde non contrahit obligationem, qui accipit infantem de manibus Susceptoris, neque etiam qui tenet ante Baptismum vel qui adstat solùm tempore Baptismi, quasi accipiens infantem in curam suam.

Saltem mediato.

Neque obstat, quòd baptizandus possit esse

Etiam respectu adulti. esse adultus, qui per se stare potest; quippe illa tentio vel susceptio non est ordinata ab Ecclesia ad sublevandam naturalem ipsius imbecillitatem, sed significandam infantiam & imbecillitatem spiritualem.

24. Non sufficit quoque quòd quispiam respondeat in Catechismo; sed nec hoc requiritur, quia tunc verè nondum baptizatur; ordinariè tamen Susceptores etiam respondent. Ita docet Sanch. de Matrim. lib. 7. c. 56. n. 10. contra plures alios, quos citat, qui putant responsionem, fortè etiam verbis, omnimodè necessariam esse. Verùm jura statim citata nullam mentionem faciunt responsionis; fortassis quia in ipso Baptismo nulla fit interrogatio; sed in Catechismo dumtaxat. *Non est necessaria Patrini responsio.*

Unde jura, quæ ab adversarijs allegantur, & videntur exigere responsionem, intelligenda sunt de Patrino Catechismi; nos autem hîc agimus de Susceptore Baptismi, qui potest esse distinctus, quamvis, ut dixi, regulariter sit idem.

Confirmatur ex Trident. sess. 24. de Matrimon c. 2. Ubi æquiparantur cognationes ortæ ex Baptismo & Confirmatione; perspicuum autem est in hac nulla Patrinorum verba esse necessaria; ergo neque in illa.

25. Ultima particula, videlicet *Per procuratorem*, etiam suos patitur contradictores, inter cæteros Sanchium supra disp. 59. n. 4. hoc præcipuè fundamento, quia jura requirunt actionem personalem: patet ex verbis, quibus utuntur: *Suscipit, accipit, tenet* &c. *Potest quis suscipere per procuratorem contra Sanchez;*

Basil. Pontius. Nostram conclusionem tenet Basilius Pontius de Matr. lib. 7. c. 39. n. 10. & meritò, ut jam ostendo; quia per procuratorem possunt fieri ea, quæ jure non sunt prohibita: Reg. 68. de Reg. Juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Intellige, nisi specialiter prohibeatur. Idem conceditur L. 1. ff. de Procuratoribus §. 2. *Usus autem procuratoris perquam necessarius est; ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri.* Nullo autem jure prohibetur susceptio per procuratorem; quippe tenere, suscipere, & similes actiones, etsi per procuratorem fiant, jure à nobis fieri dicuntur; quemadmodùm dicimur profiteri, jurare, vovere per alium. *Cùm talis susceptio nullo jure prohibeatur,*

26. Respondet Sanch. supra n. 9. id de juramento specialiter esse à jure constitutum propter frequentiam, & necessitatem ad litium expeditionem, & hoc in aliquibus casibus jure expressis, secus in non expressis.

Fateor; sed indè vel hoc saltem probatur, quòd illa, quæ videntur sonare actionem personalem, possint fieri per alium, nisi aliquid obstet: hîc autem nihil obstat, quò minùs ita interpretemur jura superius allegata, quæ dicunt puerum tangi, suscipi &c. ut intelligantur per se, vel per alium. *Et jura agentia de Patrino sic possint intelligi,*

Quin imò consuetudo, quæ est optima legum interpres, permittit Magnatibus & Principibus, sciente, & non contradicente Ecclesiâ, suscipere per procuratorem. Quòd si in istiusmodi casibus Principes non sunt veri susceptores, certè nullus erit, etiam in sententia Sanchij, qui ibidem n. 12. docet probabilius, procuratorem non contrahere cognationem spiritualem. Ergo Baptismata illa destituentur præcipuâ ceremoniâ, quod non est credibile Ecclesiam tam facilè permissuram. *Accedente usu & consuetudine.*

Huic argumento cedit Sanchez asserens n. 6. consuetudine induci posse, ut contrahatur obligatio Susceptoris, tenendo per procuratorem. Quapropter cùm de facto constet consuetudinem esse inductam, ex ea non parum sententia nostra confirmatur. Sicuti etiam ex contractu Matrimonij, qui utique valet per procuratorem. 27. *Confirmatur 1. ex contractu Matrimonij,*

Sed respondet Sanchez Matrimonium esse contractum; qui solo consensu perficitur, de quo & similibus negotijs intelligit jura supra pro nostra opinione allegata.

Contra; consensus matrimonialis æquivalet traditioni, ut proprio loco patebit. Et sanè mutuum, donatio, commodatum, ac similes contractus numquid perficiuntur traditione? Et quis propterea negat eos fieri posse per procuratorem? Sicuti ergo illæ obligationes contrahi possunt per alium, cur non similiter obligatio instruendi baptizatum, & cognatio spiritualis? Siquidem ille qui suscipit solùm est fidejussor coram Deo & Ecclesia pro debita instructione infantis; jam autem potest quis in alijs materijs fidejubere per alium; ergo etiam in præsenti. 28. *Responsio Sanchez refutatur,* *Confirmatur 2. ex contractu fidejussionis.*

Respondet Sanchez Patrinum per se primò constitui Patrem spiritualem, ad quod desideratur realis & personalis contactus, ut servetur analogia ad patrem carnalem, in quo requiritur actus personalis.

Contra; non in omnibus debet esse similitudo inter patrem carnalem & spiritualem, alioquin utì in generatione carnali necessariò intervenit pater & mater, & utrique incumbit obligatio erudiendi filium quoad esse naturale, ita quoque in generatione spirituali duo exigantur Patrini, quibus incumbat obligatio ad spiritualem eruditionem, cùm tamen certè unicus sufficiat. Quid clariùs quàm Petrum v. g per electionem 29. *Responsio Sanchez rejicitur.*

electionem in Prælatum constitui patrem spiritualem absque ulla actione personali circa suos subditos?

Confirmatur 3. Accedit in confirmationem communis sententiæ, quòd actus susceptionis, ut Sanchez fatetur, nulli præjudicet, & quòd non eligatur personæ industria in levatione è sacro fonte, sed bene in obligatione instruendi levatum; à qua minimè eximitur levans per procuratorem.

30. Confirmatur 4. Denique jure antiquo mulier contrahebat cognationem spiritualem per actionem viri cap. Martinus Extra de Cognatione spirituali ibi: *Cùm secundùm verbum Domini vir & mulier efficiantur per connubium una caro, liquidum est Tebergam non posse matrimonialiter copulari Martino, qui compater eius fuerat, cum quo una caro Teberga noscitur extitisse.*

Responsio Sanchez refutatur. Respondet Sanchez, id specialiter jure Canonico fuisse institutum propter unitatem carnis inter conjuges, quæ non reperitur inter procuratorem & principalem.

Contra; invenitur talis unitas, propter quam actio procuratoris meritò imputatur mandanti, & hæc sufficit.

31. Objectio 1. Lex 25. ff. de Adopt. Arguis cum Sanchio supra n. 4. cognatio legalis non potest contrahi adoptando per procuratorem, argumento L. *Post mortem* 25. ff. de Adopt. ibi: *Neque adoptare, neque adrogare quis absens, nec per alium eiusmodi solemnitatem peragere potest.*

Solvitur. Respondeo esse particularem constitutionem; ostendat Sanchez similem circa ritum suscipiendi, & statim ei subscribimus.

32. Objectio 2. Arguis Secundò, impedimenta Matrimonij sunt odiosa: ergo minimè inducenda, ubi non est jus expressum.

Solvitur. Respondeo impedimentum, id est, cognationem spiritualem jure expressissimo tam novo, quàm antiquo consequi veram susceptionem: porrò susceptionem per procuratorem esse legitimam, quamvis nullo jure explicitè decernatur, implicitè tamen, ut diximus, constituitur in illis juribus, in quibus dicitur quælibet negotia posse peragi per procuratorem, cùm nulla sit ratio hoc negotium excipiendi.

33. Objectio 3. Arguis Tertiò; qui baptizat per procuratorem non contrahit cognationem: ergo neque qui suscipit.

Solvitur. Respondeo negando consequentiam. Do disparitatem; quia procurator baptizans contrahit impedimentum, utpote regenerans nomine suo, & nomine Christi, quamvis ex licentia alterius; procurator autem suscipiens non tenet nomine proprio vel Christi, sed nomine mandantis.

Disparitas inter baptizantem per procuratorem & suscipientem. Unde supra cum Sanchio diximus ipsum non esse verum Patrinum, & per consequens non contrahere cognationem: enimvero qui exercet actum externum, ex quo induceretur obligatio, non manet obligatus, si verè constet ipsum non seriò talem actum suo nomine exercuisse. Breviter, unus verè baptizat, alter non verè suscipit. Quid ergo miramur, si procurator suscipiens non contrahat cognationem?

Procurator suscipiens non contrahit cognationem. Declar. Cardin. Farinacius, Rebellius. Hæc est communior & probabilior sententia, pro qua extat duplex declaratio Cardinalium apud Farinacium & Rebellum num. 90. & 92. Prima: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.* Secunda: *Qui levat aut tenet procuratorio nomine nullam contrahit spiritualem cognationem.* Nihilominùs

34. Objectio 1. Lex 13. ff. Commod. Objicitur Primò; L. *Is qui* 13. §. *Si libero*, ff. Commodati. ibi: *Plerumque enim id accidit, ut extra id, quod ageretur, tacita obligatio nascatur.*

Responsio. Respondet Sanchez supra n. 13. in casu illius legis, eum qui commodavit voluisse commodare, & commodatarium sibi obligare, licèt crederet se commodare servo, qui tamen erat liber; ac proinde non fuit defectus voluntatis ex parte commodantis; sicuti deficit in procuratore animus tenendi nomine proprio.

35. Objectio 2. Lex 67. ff. de Procur. Objicitur Secundò; L. *Procurator qui pro evictione*. 67. ff. de Procur. ubi qui tamquam procurator de evictione promittit, tenetur, etiam finito officio. *Etsi*, inquit, *negotium agere desierit, obligationis tamen onere Prætorio auxilio non levabitur.*

Responsio. Respondeo intelligi, quando alieno nomine facienti acquiritur aliquid, uti in casu istius legis acquirebatur; in præsenti autem nihil venit quærendum procuratori; nec animum habet sibi aliquid quærendi.

36. An vir possit assumere mulierem in procuratorem? Sed numquid vir potest assumere mulierem in procuratorem? Negat Diana, dicens fundari in Rit. Rom. & Trident. sed nulla est apparentia. Magìs apparenter potuisset adducere declarationem Cardinalium, quæ refertur ad sess. 24. c. 2. *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti. Hinc est, quòd unus, qui sit viri, alter qui sit procurator mulieris, baptizatum de sacro fonte suscipere possunt, sed non duo viri, vel duæ mulieres; unusquisque tamen proprio nomine, non item vir loco mulieris, vel mulier loco viri.*

Negativa pars videtur fundata in declaratione Cardinalium. Equidem est declaratio Cardinalium, de qua non satis authenticè constat, inhærendo decreto Urbani VIII. sub die 11. Augusti Anni 1632. Verba autem decreti sunt hæc. *Cùm ad notitiam huius sacræ Congregationis pervenerit, quàm plures declarationes, decreta, seu decisiones sub nomine eiusdem sacræ*

De qua non satis constat inhærendo Decreto Urbani VIII.

 Congre-

Congregationis absque illius authoritate impressas in libris, seu alijs operibus circumferri & allegari, multasq; ex declarationibus, decretis seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorumq; qualitates & circumstantias, à se diversis temporibus factas, secundùm ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan alias mentito S. Congregationis nomine confectas, nulloq; propterea authentico sigillo munitas, illasq; per tribunalia tam in urbe, quàm per orbem circumferri & allegari, considerans eadem sacra Congregatio Rituum, quantùm detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhibeatur; ex speciali S. D. N. Vrbani VIII. iussu mandat, & præcipit huiusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam, sed tantùm illis, qui in authentica forma, solito sigillo & subscriptione Emmen. Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munita fuerint. In quorum fidem hac propriâ manu subscripsimus, & sigilli proprij S. Rituum Congregationis impressione communiri ac typis mandari iussimus. Datum Romæ die 11. Augusti 1632. C. Episc. Port. Card. Pius. Locus † sigilli Iul. Rossi. gloss. Secre.

Unde affirmativa pars judicatur vera.

Cùm ergò aliunde constet, quòd in alijs contractibus possit (etsi in Matrimonio minùs deceat) mulier esse procurator viri, & vir mulieris, idem judico affirmandum in susceptione baptizati de sacro fonte.

Deinde sensus declarationis esse potest: procurator mulieris, sive vir fuerit sive mulier, non suscipiat nomine viri, sed nomine proprio, hoc est, nomine mulieris, à qua institutus fuit, similiter procurator viri, sive mulier sive vir, nomine viri, & non mulieris; procurator quippe non potest agere nisi nomine mandantis, alioquin convincitur principalis.

37. Cæterum cùm sæpe in hac conclusione mentionem fecerimus obligationis, quam contrahunt veri Patrini, inquiro pro fine hujus discursûs, quod sit objectum istiusmodi obligationis? Responsio in promptu est, instruere baptizatum in fide, & moribus Christianis, præter impedimentum Matrimonij, de quo proprio loco.

Patrinus obligatur instruere baptizatum. S. August.

Sumitur ex D. Aug. Ser. quodam post Pascha, qui sic incipit: *Hodiernus dies*, & refertur de Consec. dist. 4. c. 105. Verba textûs subscribo: *Vos ante omnia tam mulieres quàm viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideoq; semper eos admonere, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant.*

Et paulò post: *Ante omnia Symbolum & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite.* Utique sub gravi obligatione, secundùm DD. communiter, quia materia gravis, ut patet, & unusquisque tenetur illud facere, seu illud munus explere, quod assumit, atque assumendo tacitè promittit se facturum. Interim quia præceptum affirmativum, quamvis semper, non tamen pro semper obligat.

Sub gravi obligatione.

Hinc cessat præsens obligatio, quando baptizatus habet parentes vel Parochum aut præceptorem, à quo creditur sufficienter instruendus; adeoque ab hoc onere plerumque excusantur Patrini in regionibus Catholicorum, ubi parentes & Parochi, ludimagistri, alijvé religiosi, vel pij sæculares solent instruere & docere pueros; in alijs autem partibus sive hæreticorum, sive etiam Catholicorum, in quibus multi rudiores homines proles suas tamquam bestiolas educant, existimo rem esse plenam periculi: postquam tamen baptizatus semel satis fuerit instructus, expirat omnis obligatio, quia jam desijt esse in statu spiritualis infantiæ. Ita Suarez ad art. 8. q. 67. & alij.

Nisi credatur baptizatus aliunde satis instruendus; vel semel fuerit satis instructus.

Ex dictis & probatis hâc conclusione pervium est, irrito planè conatu assumi ad munus Susceptoris pueros ante usum rationis vel amentes, utpote incapaces debitæ intentionis. Immò secundùm Rituale Rom. Tit. de Baptismo §. de Patrinis: *Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maximè convenit.* Præter hos autem 38.

Pueri & amentes nequeunt esse Patrini. Rit. Rom.

CONCLUSIO IV.

A munere susceptoris jure positivo arcentur, Primò Abbates, & Monachi. Secundò infideles, id est, non baptizati. Tertiò proprij parentes. Attamen validè suscipiunt.

PRimum patet ex Concil. Antisiodorensi cap. 25. & refertur de Consec. dist. 4. cap. 103. *Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Item ex lib. capitulorum, & ponitur ibidem cap. 104. *Monachi sibi compatres, commatresve non faciant.* Accedat consti- 39.

Item Abbates & Monachi. Conc. Antisiod.

Eugen. Papa. constitutio Eugen. Papæ 16. quæst. 1. c. 8. *Placuit communi nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire* &c.

Quo nomine non comprehenduntur religiosi mendicantes? Ex quo perspicuè manifestum est nomine Monachorum non comprehendi Religiosos mendicantes, utpote qui exeunt de monasterio, pœnitentiam dant, baptizant, infirmos visitant &c. Monachi ergo sunt, qui ex professione sua colunt solitudinem, & sibi-ipsis solummodo vacant; adeòque minùs apti sunt ad proximum instruendum, cùm tamen Mendicantes etiam aliorum eruditioni ex sua professione quàm maximè intendant.

Id tamen fratribus Minoribus id inhibitum per regulam. Excipio Fratres Minores, quibus munus susceptoris expressis verbis prohibetur per regulam c. 11. ibi: *Nec fiant compatres virorum, vel mulierum.* Ratio adjungitur: *Ne hâc occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.* Quamvis ergo alijs Religiosis mendicantibus per se non sit illicitum suscipere in Sacramento Baptismi, tamen propter rationem, quâ motus fuit B.P.N. Franciscus, ut suis fratribus id munus prohiberet, videtur minùs decens & conveniens.

40. Antequam pergo haud gravatim exscribo quod circa hoc præceptum Regulæ nostræ ordinavit Mart. V. Bullâ: *Cùm generale Capitulum.* 13. apud Cherubinum: *Item statuimus & ordinamus, quòd nullus Fratrum de cætero præsumat fieri compater virorum vel mulierum: & qui iam compaternitatem contraxerint, quantùm in eis est, hoc nomine se à nemine nominari permittant, nec ipsi alios nominent.* Hæc Martinus. Prosequitur Capitulum: *Et hoc* (inquit Capitulum Generale 44. Interamnæ celebratum anno 1500. explicans cap. 11. Regulæ) *præcipuè intelligendum est de viris & mulieribus vilis conditionis & malæ famæ. Tali enim occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum facilè oriri potest; secùs esset de viris nobilibus & generosis, ex quorum consortio decus & splendor Religioni acquiritur. Sicut igitur Ecclesia id vetat Monachis, ita nostra Regula Fratribus Minoribus: Et utraque est obligatio æqualis.* Hactenùs Capitulum Generale.

Ex quibus verbis Franciscus à S. Clara in Manuali Missionariorum cap. 13. sic concludit: In Missionibus sæpè prudens necessitas suadet suscipere parvulos infantes, nec scandalum ullum potest oriri; & ideo in similibus occurrentijs, ubi & quando non est scandalum, licere putandum est.

Sed dicet aliquis: si utraque obligatio est æqualis, ut ait Capitulum Generale, & obligatio Ecclesiæ non cessat cessante scandalo in casu particulari (ut suppono) quomodo cessat obligatio Regulæ cessante scandalo in casu particulari?

Non video quid responderi possit, nisi scandalum fuisse & esse adæquatam rationem præcepti Regulæ, secus præcepti Ecclesiæ. Et quidem præceptum Ecclesiæ præter scandalum habuisse & habere aliam rationem patet ex dictis. Atque ut præcepti Regulæ adæquata causa foret scandalum, hoc intelligendum esset de periculo scandali, quod semper subest, licèt hîc & nunc in casu particulari nullum scandalum oriatur. Sed revertamur ad alios Religiosos. Etiam cessante scandalo in casu particulari.

Juxta superiùs dicta intelligi debet quod ait Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Patrinis in fine: *Præterea ad hoc* (munus suscipiendi) *etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alij cujusvis Ordinis Regulares à sæculo segregati.* Utique plenariè, qualiter non sunt segregati à sæculo Mendicantes. Itaque ly *à sæculo segregati*, est particula restringens; aliàs dixisset simpliciter, cujuscumque Ordinis Regulares; siquidem omnes sunt quâdam ratione à sæculo segregati. 41. Rituale Romanum non excludit mendicantes ab hoc munere.

Omitto quòd Rituale, tametsi ob auctoritatem Papæ plurimum sit æstimandum in materia doctrinali, similiter quantùm ad intellectum Canonum alioquin controversorum; equidem non videtur obligare defectu mandati, aut certè promulgationis, quatenùs novas leges positivas inducit. 42.

Quod bene notandum est, quia ibidem Infidelibus, quos secundo loco in conclusione enumeravimus, copulat hæreticos, publicè excommunicatos aut interdictos; item publicè criminosos aut infames: *Sciant*, inquit, *Parochi ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, non publicè criminosos aut infames*; cùm tamen constet jus antiquum solummodò loqui de non baptizatis, aut non confirmatis. Excludit hæreticos &c.

Quæris, quod sit illud jus antiquum? De Consec. dist. 4. c. 102. ex Concilio Moguntino sic lego: *In Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Qui Canon non necessariò extenditur ad hæreticos; tum quia in jure positivo non valet argumentum à pari; tum quia fundatur in carentia Conc. Moguntin. Jure antiquo non exclusos.

Baptismatis; ita ut etiam Catechumeni fideles illo jure censeantur ab hoc munere exclusi; hæreticos autem liquet suscepisse Baptismum.

Sed potiùs ex natura rei.

Hi ergo potiùs censentur exclusi ex natura rei tamquam minus idonei ad instruendum in fide & bonis moribus: prout etiam qui ignorant rudimenta fidei: *Hæc enim*, inquit Rit. supra *Patrim spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opùs fuerit opportunè docere tenentur.*

Rit. Rom.

Sed quid si scirent rudimenta pro tempore, quo apparenter posset esse necessaria instructio, cujus infans actu incapax est? Non apparet tanta inconvenientia, quanta bene in excommunicato & interdicto, qui jure arcentur à divinis. Licèt enim hæc ceremonia non sit officium divinum (utpote quæ fieri possit à laico, cùm tamen divinum officium sit proprium clericis) equidem solus sacerdos est ordinarius minister Baptismi solemnis, & ideo minùs congruit ad hanc solemnitatem admittere eum, qui jure à divinis arcetur.

43. Qui quandoque licitè admittuntur.

De cætero si esset periculum, quòd infans baptizaretur ab hæreticis, nisi pastor ad instantiam parentum hæreticorum, admittat patrinum excommunicatum, interdictum, aut similem, non videtur illicitum hujusmodi admittere, præsertim protestando infantem debere instrui in fide Catholica & bonis moribus. Ex duobus quippe malis minus est eligendum. Et aliunde jus scriptum, ut supra dixi, solùm loquitur de non baptizatis. Quod an obliget universam Ecclesiam pendet ex generali ejus acceptatione: etenim est particularis Concilij, cujus decreta non ligant universam Ecclesiam, nisi ab ea fuerint acceptata.

Bene autem Rit. supra monet parochos, ne admittant infideles, id est, non baptizatos; quia prohibitio ista infideles non potest directè concernere; utpote non subditos Ecclesiæ defectu Baptismi, ideoque ad alios dirigitur, ne designent, aut admittant.

44. Numquam parentes proprij, etiam in defectum alterius. Dicastillo.

Tertiò à munere susceptoris arcentur proprij parentes, qui, inquit Dicastillo disp. 2. n. 58. Can. *Pervenit.* & Can. *Ad limina.* 30. q. 1. prohibentur esse patrini, etiam in defectum alterius, qui possit esse; munus enim patrini non est tantæ necessitatis.

Sed ego legens & relegens postremum Canonem nihil simile potui in ipso reperire. Quid ergo dicit? Laudat patrem, qui proprium filium in necessitate baptizaverat. Hæc sunt Pontificis verba: *Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte pereuntem dimitteret, sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi iam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur, idcirco suæ uxori sibi iam legitimè sociatæ, impunè quamdiu vixerit iudicamus manere coniunctum: nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus separari debere.*

Idem docet Rit. Rom. supra §. de ministro Baptismi: *Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet, neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonij usum impediat.* Sed quid hoc ad propositum? Certè nihil. Rit. Rom.

45. Can. 1. 30. q. 1. Cap. 2. de Cognat. spiritual.

Nota etiam Can. *Pervenit.* quatenus præcipit separationem conjugum, qui aliquâ ratione susceperint proprios natos, correctum esse per cap. 2. de Cognatione spirituali ibi: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperint, an propter hoc separari debeant; Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd quamvis generaliter sit institutum ut debeant separari; quidam tamen humaniùs sentientes aliter statuerunt. Ideoque nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerunt, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci; quia si ex ignorantia id factum est eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Ita Alexander III. Salernitano Archiepiscopo.

Ubi glossa ad verbum, *Debitum debet*, interrogat: *Sed numquid potest exigere? Potest*, inquit, *dici, quòd ille qui hoc fecit ignoranter potest reddere & exigere, quia non peccavit; qui verò scienter, satìs videretur, quòd non deberet exigere, sed reddere tenetur: tamen non invenimus prohibitum in hoc casu, quòd non exigat; ergo nec nos prohibeamus.*

46. Quod ostenditur ex varijs juribus.

Interim susceptionem propriæ prolis esse illicitam, satìs ostenditur vel ex hoc ipso capite ibi: *Sive ex malitia*: esto ly *Malitia* hîc accipiatur pro scientia, ut sensus sit: sive ex ignorantia, sive ex scientia. Nam si actus procedens ex scientia esset bonus, incongruè scientia appellaretur malitia; & perperam diceret Pontifex: *Si ex malitia* (id est, scientiâ) *eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus*; cùm fraus vel dolus significet actum malum.

Confirmatur ex Can. *Pervenit*, ubi pro ratione separationis Pontifex allegat: *Ne suadente diabolo tale vitium inolescat.*

Consonat Can. 4. eâdem causâ & q. desumptus ex Concil. Cabilonensi 2. c. 31. Cabilon.

Si qua

Si qua, inquit, *mulier filium suum desidiâ aut fraude aliquâ coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quamdiu vivet agat pœnitentiam, à viro tamen suo non separetur.*

Et cap. sequenti ex Concil. Moguntinensi c. 10. dicitur. *Si coniuges legitimi unus aut ambo, ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est: sin autem, gravis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.*

Mogunt.

Et Rituali Romano.

Hinc Rituale supra de Patrinis: *Sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque ipsius baptizandi pater aut mater.* Enimverò susceptor est ordinatus ad instruendam prolem in defectum parentum, ergo convenit quòd ab illis sit distinctus.

47. Quæ ratio (uti etiam præcedens, videlicet consanguinitas spiritualis) non habet locum in conjugibus pariter suscipientibus prolem alienam, quocirca Urbanus II. Vitali Presbytero Brixiæ ita scribit, & refertur 30. q. 4. c. Fin. *Quòd autem uxor cum marito in Baptismate simul non debeat suscipere puerum, nullâ auctoritate reperitur prohibitum.* Addit: *Sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conservetur immunis, dignum esse decernimus, ut utrique in simul ad hoc aspirare minimè præsumant.*

Possent tamen conjuges pariter suscipere prolem alienam; Urban. II.

Ubi non hoc præceptum esse putandum est, sed solùm consilium ad evitandam infamiam, quæ fortè per accidens inde posset oriri; *Credent enim stulti* (ait Gloss. ibi, V. *Et infamia*) *aliquam proximitatem inter eos contrahi, si simul susciperent.* Vel, si id prohibuit ibi Pontifex, non est usu receptum, saltem ubique, ut bene notat Gloss. supra dicens: *De consuetudine est tamen in quibusdam locis, quòd uterque simul suscipit.* Unde neque illos arcendos monet Rit. Rom. supra; quod tamen absque dubio fecisset, si generaliter id esset illicitum.

Sed non cōsulitur.

48. Restat ultima pars conclusionis, quæ propter Can. 102. de Consec. dist. 4. supra citatum aliquibus displicet, sed immeritò, ut patebit ex dicendis. Atque in primis quantum ad Monachos, & proprios parentes, liquet profectò eorum susceptionem valere, argumento c. ad Apostolicam extra de Regul. ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Monachi, & proprij parentes, si susceperint, valet susceptio.

Quis nesciat prohibere actum, & irritare illum, esse effectus diversos? Siquidem prohibere solùm est præcipere seu obligare ut actus non fiat; irritare autem est reddere inefficacem voluntatem vel consensum ejus, aut inhabilitare personam. Alioquin frustra distinguerent omnes Theologi impedimenta Matrimonij in impedientia solùm & dirimentia. Imò aliquando prohibetur actus, qui invalidari non potest, ut cùm alicui Sacerdoti prohibetur ne sacrificet, aut Episcopo ne ordinet.

Ut ergo lex actum quem prohibet etiam irritare censeatur, necesse est quòd contineat clausulas expressè irritantes (quales sunt; *Irritamus, annullamus, sit irritum, non faciat suum, teneatur statim restituere, nihil facit, non valeat* &c.) vel eo sensu sit usu recepta; vel concedat potestatem actûs non solùm appositâ conditione, sed etiam conditionatè, vel denique prohibeat actum ratione effectûs permanentis, ut videri potest in Tract. de Legibus, ubi de lege irritante. Talis autem non est lex prohibens Monachis, & alijs susceptionem, ut liquet ex juribus supra allegatis.

Quia non est jus irritans actum, sed tantùm prohibens.

Solùm obstare videtur huic doctrinæ lex 5. Cod. de LL. ibi: *Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est.* Accedit. Reg. 64. de Reg. Juris in 6. *Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi.* Ut ab hac regula exordiar, 49.

Non obstantibus l. 5 Cod. de LL. & Reg. 64. de Reg. Juris in 6.

Respondeo eam non alloqui hominem privatum; sed judicem instruit, ut videat in quo gradu sit actus contra jus, atque ita illum puniat, vel retractet. Quippe interdum actus non solùm est contra jus dum fit, sed etiam dum impletur, & tunc indubiè irritandus est, argumento L. 6. Cod. de Pactis. *Pacta quæ contra leges constitutionesq́ue, vel contra bonos mores fiunt* (etiam dum implentur) *nullam vim habere indubitati iuris est.* Neque enim ad malum potest esse obligatio.

Responsio ad Reg. Juris.

Aliquando autem actus est contra jus irritans ipso facto; subinde contra jus tantùm prohibens; & quamvis tunc à parte rei valeat, potest nihilominùs in pœnam delicti à judice rescindi, si rescindibilis est. Porrò rectè dicuntur & illi actus pro infectis haberi, quia firmiter facti non sunt; quemadmodum illa quæ fiunt ex metu, aliqua jura pronuntiant invalida & infecta &c. cùm tamen ex alijs juribus constet non ipso facto irrita, sed solùm per judicem irritanda esse. Alij simpliciter respondent regulam præfatam intelligi debere de jure dirimente, ne alioquin contradicat c. *Ad Apostolicam.* jura enim juribus concordanda sunt.

Sed quid ad legem civilem? Respondeo Primò, minimè locum habere in terris imperio non subjectis. Secundò esse correctam per jus canonicum c. *Ad Apostolicam.* 50.

Responsio 1. ad L. 5.

Responsio secunda. saltem pro causis Ecclesiasticis, qualis est illa, de qua hîc disputamus.

Cap. 1. de Novi operis nuntiat. Audiamus c. 1. de Novi operis nuntiatione: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuvantur.* Quis ausit dicere, destruuntur? destruerentur autem, si generaliter, quæ fieri prohibentur, facta non teneant.

Objectio. Nec obstat c. 13. 25. q. 2. ubi Greg. Papa in Regesto L. 7. indict. 2. Epist. 7. Greg. Papa. Januario Caralitano respondet in hæc verba: *Imperiali constitutione apertè sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia sed etiam pro infectis habenda sint.* Soluitur. Non obstat, inquam, quia citat hanc legem non generaliter ad quemcumque effectum; sed ut ostendat invalidum esse testamentum cujusdam Abbatissæ; quod ex alia lege imperiali prohibebatur.

51. Responsio 3. Respondeo Tertiò, ex vi illius legis civilis actum non esse invalidum ante omnem sententiam; cùm sit irritatio pœnalis, ut colligitur ex his verbis legis: *Nec pœnas insertas legibus evitabit.* Hoc enim positum est tamquam fundamentum eorum, quæ dicenda erant. Unde sequitur: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Utique in pœnam transgressionis legis.

Ubi nota ly *Videri volumus*, quod spectat ad actum hominis; quasi diceret, volumus per hominem declarari & judicari nullum contractum subsecutum. Plura in Tract. de Legibus. Non prætereundum tamen hîc, secundùm plures Auctores, legem illam propter duritiem ejus & nimium rigorem usu esse antiquatam, sive abrogatam, aut si mavis non receptam.

52. Itaque si nuda prohibitio contractûs civilis, non obstante lege, *Non dubium*, propter contrariam consuetudinem, & alias rationes assignatas, ipso facto non irritat; quantò minùs simplex prohibitio non levandi prolem de sacro fonte, ipso jure annullabit susceptionem contrà prohibitionem attentatam?

Alex. III. *Licèt enim*, inquit, Alex. III. c. 2. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, *contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota matrimonialia transire non debuerit: non est tamen conveniens, ut ob id solùm Sacramentum coniugij dissolvatur. Alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Ergo similiter, Monachis v. g. contra prohibitionem Ecclesiæ suscipientibus baptizatum de sacro fonte, alia pœnitentia imponatur, quod factum tamen est, ratum permaneat.

Equidem & hîc attendenda est consuetudo, an fortè contra legem non præscripserit; quippe in aliquibus locis videntur sine aliquo scrupulo Abbates & Abbatissæ hoc munus per se vel per procuratorem exercere. Et quid mirùm? Nam inter plerosque Catholicos, ut dictum est, cessat ratio prohibitionis, cùm vix umquam sit necessaria instructio baptizati immo fortè à nullo practicata. Etiam hic attendenda est consuetudo.

53. Sed numquid infidelis invalidè suscipiat. Venio ad infideles, id est, non baptizatos, de quibus est specialis difficultas propter Can. 102. supra allegatum, in quo non solùm prohibetur ipsis susceptio, sed etiam videtur irritari per ly *Non potest* quod æquivalet (ut aliquibus placet) huic particulæ, *Nihil facit*, quam supra enumeravimus inter voces expressè irritantes.

Sed contra; particula, *Nihil facit*, expressè negat effectum; ly autem, *Non potest*, potentiam faciendi; quæ potentia duplex est, juris videlicet, & facti.

Profectò id simpliciter possumus, quod jure possumus, & non possumus, quæ illicitè facimus, argumento L. Filius 15. ff. de Condit. instit. ibi: *Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.*

Quocirca bene dixit D. Aug. lib. contra mendacium c. 17. & refertur 22. q. 2. c. 15. *Faciat homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest. Cùm autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere, nisi peccando, non possit, iam se existimet non habere, quid faciat: quando id reliquum esse perspexerit, quod rectè faciat.* Rectè, inquam, id est, sine peccato. S. Aug.

Ubi Glossa Verb. *Quod potest*, ait, *Ex hoc capite habes, quòd solùm illud dicimus posse facere, quod iustè facere possumus. Quandoque hæc dictio, posse, simul denotat potentiam iuris, vel facti, ut extra de Rescriptis.* Scíscitatus; *quandoque potentiam facti tantùm, ut 8. q. 1.* Moyses, *quandoque refertur ad honestatem, de Pœnitentia dist. 2.* Charitas *ff. de Condit. instit.* Filius, *quandoque ad commoditatem ff. de Verb. signif. Nepos Proculo.*

Et in Reg. 1. de Reg. Juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.* Licitè, inquit Glossa, *superabundat, id enim dicimus posse quod licitè possumus.*

54. Res est dubia & obscura. Cùm itaque res sit dubia & obscura, nec non lex irritans odiosa, utpote auferens quodammodo jus naturale, quod quilibet habet ad efficiendos actus validos, immeritò hæc particula, nisi materia legis, aut aliæ

aliæ circumstantiæ plus exigant, habetur pro irritante; quippe juxta Reg. 30. de Reg. Juris in 6. *In obscuris minimum est sequendum.* Et Reg. 57. eodem: *Contra eum qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.* Jam autem non est dubium, quin legislator potuerit clariùs exprimere irritationem præsentis actûs, & verisimile est, quòd expressisset, si eam intendisset.

Unde benignior pars amplectenda est. vid. quid valide suscipiat. L. 12. ff. de reb. dub.

Quapropter amplectimur benigniorem partem, quò res, de qua agitur, magis valeat quàm pereat; argumento L. Quotiens in actionibus 12. ff. de Rebus dubijs ibi: *Quotiens in actionibus aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat quàm pereat.* Et L. *Quotiens in stipulationibus* 80. ff. de Verb. oblig. *Quotiens in stipulationibus ambigua est oratio, commodissimum est id accipi, quò res de qua agitur in tuto sit.* Consonat jus Canonicum extra de Verb. signif. c. Abbate. 25. ibi: *Perfecta sit intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur valere possit potiùs, quàm perire.*

Conformiter ad jus tam civile quàm canonicum. L. 80. ff. de Verb. oblig. ... 25. ... verb. signif.

Porrò neque materia, neque ulla alia circumstantia postulat, ut ly *Non possit*, in Can. 102. supra allegato sensum accipiat irritantem: saltem quoad obligationem instruendi: nam quod ad cognationem spiritualem attinet; plurimi (quos citat & sequitur Diana parte 10. Tract. 16. resolut. 89.) docent, eam non contrahi nisi inter personas baptizatas; quanquam oppositum non sit improbabile, de quo latiùs in materia de Matr. ubi etiam, An parentes proprias proles suscipientes priventur jure petendi debitum.

Placet impræsentiarum annotare numerum Patrinorum; de quo sic statuit Concil. Trident. sess. 24. de Refor. Matr. cap. 2.

Trident.

CONCLUSIO V.

Unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta; vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant.

55. Congruenter unus tantùm vel unus & una baptizatum suscipiant.

SUnt ipsissima verba Concilij. Ratio congruentiæ est, ne nimiùm multiplicetur cognatio spiritualis, cum periculo sæpiùs invalidè contrahendi Matrimonium: deinde in generatione naturali solùm concurrunt vir & mulier, non duo viri, aut duæ mulieres. Denique ne multiplicitas Susceptorum impediat curam baptizati, dum quisque alteri fidit.

Verùm quia non omnis constitutio prohibens, semper est irritans, ut præcedenti conclusione quasi ad oculum demonstravimus; hinc gravis orta est controversia inter DD. an si plures designentur & admittantur, ac simul tangant, omnes sint veri Patrini non solùm quoad obligationem instruendi, quod facilè admiserim, sed etiam quoad cognationem spiritualem. Ante resolutionem

56. Præcipitur Parochis ne plures quàm duos designatos admittant. Trident.

Nota eodem loco Concilium præcipere Parochis, idque sub pœna arbitrio Ordinarij infligenda, ne plures quàm duos designatos admittant. Verba sunt hæc: *Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant.* Et infra: *Si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit arbitrio Ordinarij puniatur.*

Designatio pertinet ad parentes vel supplentes eorum vices.

Ubi Primò requiritur designatio ab iis, ad quos spectabit; parentibus nimirum baptizandi, vel qui vices parentum supplent. Quod si parentes nullos designaverint, tunc designatio spectabit ad Parochum; quia censentur suum jus designandi in ipsum transtulisse; quoniam Parochus curare debet, ut Sacramentum ministretur cum debitis ceremonijs.

Secundò requiritur admissio Parochi. Equidem qui ingeste rejicitur habetur ab Ecclesia pro admisso. Tertiò præcipitur Parochis, ut non admittant nisi eum, vel eos, qui fuerint legitimè designati. Quartò præcipitur ijsdem, ut nomina Patrinorum in Libro describant, & doceant eos quam cognationem contrahant cum Baptizato, & parentibus ejus naturalibus.

Admissio ad Parochum.

Si autem quæritur, quantum sit peccatum plures quàm unum & unam admittere ad suscipiendum? Respondet Sanchez de Matr. l. 7. disp. 57. n. 6. esse solum veniale. Quia si quis ante Concilium Tridentinum plures Patrinos adhibuisset contra jus antiquum, non peccasset nisi venialiter, teste eodem Auctore n. 1. Synodus autem Tridentina noluit majorem obligationem inducere, ut patet ex illis ejus verbis: *juxta sacrorum Canonum instituta*, quibus indicat se nolle majorem obligationem inducere, quàm antè in hac materia induxerant sacri Canones. Pro quo

57. Admittentes plures solùm peccare venialiter docet Sanchez.

Adverte

Adverte olim statutum fuisse, ut in Baptismo unus tantùm esset Patrinus. Ita Leo Papa, & refertur de Consec. dist. 4. c. 101. *Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quàm unus, sive vir, sive mulier.* Si tamen plures accessissent, omnes fiebant veri Patrini, ut docet Bonif. VIII. in cap. *Quamvis* 3. de Cognationem spirituali in 6. *Quamvis non plures quàm unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem, iuxta sacrorum Canonum instituta: si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur.*

Leo Papa.

Bonif. VIII.

Quid ergo Tridentinum? Partim relaxat materiam horum jurium, partim restringit. Laxat permittendo duos susceptores: stringit quoad cognationem spiritualem dicens: *Quòd si alij, ultra designatos, baptizatum tetigerint cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus.* De modo autem obligandi, nihil.

58. Secundùm alios peccat mortaliter.

Imò, inquis, multùm, ut patet ex illis verbis superiùs allegatis: *Si Parochi culpâ vel negligentiâ secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur.* Ex quibus aliqui colligunt peccatum mortale: non enim solet Ecclesia quempiam expressis verbis subijcere pœnis Ordinariorum propter culpam tantùm venialem, ut in simili dictum est supra de illo, qui baptizaret sine necessitate extra Ecclesiam.

Dicastilloni placet sententia Zanchez.

Dicastilloni Tract. 10. de Matr. disp. 7. n. 276. sententia Sanchij videtur non improbabilis, maximè, inquit, cùm videam multis in locis, & testatur ibi Sanchez, consuetudinem plures adhibendi, maximè quando Baptizandi sunt Principes, ut plurimis personis deferant honorem Patrinorum.

Fundat se in consuetudine;

59. Sed quid tùm? Nonne consuetudo æqualiter præscribit contra legem graviter, & venialiter tantùm obligantem? Nemo ambigit. Præterea, unde constat omnes illos adhiberi tamquàm veros Patrinos, & non magis tamquam assistentes ad majorem solemnitatem? Non credo vel Sanchium vel Dicastillonem vidisse omnium nomina descripta in libro. Denique sicuti Filij Regum & Principum speciali privilegio queunt baptizari extra Ecclesiam, ut dictum est conclus. 1. quidni similiter dispensante Pontifice (qui scit talem consuetudinem, & non contradicit) plures Baptismo eorum adhibeantur Patrini?

De qua tamen non satis constat.

Ut ut sit de peccato Parochi, manet resolvenda principalis controversia: an si nulli designentur, vel plures designentur quàm duo, & omnes à Parocho sive licitè, sive illicitè admittantur, an omnes, inquam contrahant cognationem spiritualem? Ad quam (sine præjudicio tamen contrariæ opinionis, quam existimo probabilem) Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Si nullus, vel plures quàm duo designentur Patrini, & admittantur, quotquot simul tetigerint, contrahunt cognationem.

Constat apud omnes, si designati fuerint Susceptores, quicumque alij attigerint nullo pacto contrahere cognationem spiritualem. Verba Tridentini sunt nimis clara. *Quòd si alij*, inquit, *ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* At si nullus designetur in quo graviter peccat Parochus, ait Basilius Pontius, vel si plures quàm duos designaverit, in quo non leviter peccaret, ait idem Auctor, in illis, inquam, casibus docet Pontius lib. 7. de Matr. c. 39. n. 11. & 12. nostram conclusionem tamquam probabiliorem. 60.

Si aliqui ultra designatos attingant, non contrahunt cognationem spiritualem. Trident. Basil. Pontius.

Si nullus, aut plures designentur quàm duo, omnes contrahunt.

Inducitur in hanc sententiam, quia hi casus omissi sunt à Concilio, nihilque in eis disposuit Tridentinum: unde videtur standum decisioni Juris antiqui, cùm in eo non corrigatur novo jure; neque enim à jure antiquo recedendum nisi in novo corrigatur, argumento L. *Præcipimus* 32. Cod. de Appellationibus §. Fin. *Quidquid autem hâc lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumq́, regulis omnes relictum intelligant.* Liquet autem jure antiquo cap. Fin. de Cog. spir. in 6. conclus. præced. citato, omnes qui tetigerint cognationem contrahere. Adde jus correctorium esse odiosum, adeòque restringendum.

Secundùm jus antiquū.

Neque deest huic sententiæ rationis fundamentum: quia aliòquin nullus in illis casibus esset verus Susceptor, cùm non sit major ratio de uno, quàm de alio; quod videtur esse contra mentem Ecclesiæ, quæ tantopere sollicita est pro hac solemnitate. 61.

Et ideo sic declararunt Cardinales apud Farinacium, & Rebellum n. 95. *Congregatio censuit, si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, si non constat quis primò tetigerit, si plures sunt electi, vel nullus; si unus est electus, ille tantùm contrahit.*

Et Cardinalium declarationem.

Dicitur: *Si non constet quis primò tetigerit*; quia

Nisi constet quis primò tetigerit,

quia uno tangente, vel ad summum uno & unâ, jam ceremonia est exhibita juxta formam Tridentini; imò & juris antiqui; adeoque reliqui non sunt ampliùs capaces illius ministerij. Ex quo patet quare in conclusione posuerim: *Quotquot simul tetigerint.*

Cæterùm si fortè per hæc non esset alicui plenè satisfactum, dividamus conclusionem in suas partes, & quid singulis objici possit diligenter consideremus.

62\. *Sanchez putat neminem contrahere, si nemo designetur;*

Prima pars sit ista: *Si nullus Patrinus designetur, quotquot tetigerint simul contrahunt cognationem.* Huic contradicit Sanchez cum alijs, quos citat lib. 7. de Matr. disp. 57. n. 12. Quamvis, inquit, existimem prædictam sententiam esse valde probabilem: at probabiliùs credo neminem tunc contrahere hanc cognationem.

Quia designatio est conditio sine qua non.

Fundatur Primò; quia Tridentinum, ne multiplicaretur cognationis hujus impedimentum, & ut certi essent illud contrahentes, tamquam conditionem ut veri essent Patrini suscipientes baptizatum, petit eos designari ab ijs, quibus incumbit. Ergo deficiente designationis conditione, non sunt veri Patrini, ac proinde nec hujus cognationis participes. Confirmat: quia aliàs non vitaretur cognationis multiplicatio, & susceptorum incertitudo, quæ Tridentinum vitare voluit; atque adeò illius decreti mens frustraretur. Hactenùs Ille.

63\. *Hoc fundamentum tamquam debile rejicitur.*

Fundamentum satis debile attento illo principio Juris Canonici, & ponitur c. *Ad Apostolicam.* de Reg. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem.* Respondeo ergo tam multiplicationem cognationis, quàm incertitudinem susceptorum satis vitari per simplex præceptum, quo præcipitur parentibus designatio, & per simplicem prohibitionem, quâ prohibetur Parochis, ne admittant aliquem non designatum.

Sanè eodem modo & eâdem formâ verborum præcipitur Parochis descriptio nominum Patrinorum in libro, utique ad majorem eorum certitudinem. Quis tamen ideo dixerit, nullum esse Patrinum, si ex negligentia, vel malitia Parochi nullius nomen in libro describatur; vel unum tantùm esse, etsi duo fuerint designati & admissi, si unius dumtaxat nomen describatur? Non credo Sanchium, si viveret, id faciè admissurum.

64\. *Tridem.*

Sed contra argumentatur Secundò; Trident. eo cap. 2. in fine, sic concludit: *Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Cùm ergo personæ ibi contentæ hujus cognationis participes nominentur Patrini designati ad id munus obeundum: omnes personæ, quæ designatæ non sunt, minimè erunt capaces illius.

Et confirmatur, quia mens Trident. fuit, ut ex proœmio ejus cap. 2. constat, omnino coarctare jus antiquum de hac cognatione contrahenda loquens, ut tantùm extendatur ad personas in eo decreto contentas: & ita concludit omnino auferri inter alias, præter ibi enumeratas. At Patrini ibi non absolutè enumerantur, sed cum ea qualitate, ut designati sint.

Respondeo etiam cum ea qualitate, ut nomina eorum describantur in libro: & tamen non est qualitas irritans actum, si aliter fiat. 65.

Sicuti & aliud desumptum ex Tridentino.

Planè, inquis, non est irritans, quia qualitas subsequens: at designatio præcedit susceptionem: adeoque ex subjecta materia satìs liquet hanc esse irritantem; minimè illam.

Fateor hanc esse differentiam inter illas conditiones. Sed quid tum? Inde enim ad summum sequitur, quòd designatio possit esse conditio irritans; quòd autem de facto sit, inde præcisè non convincitur. Nam etiam unitas jure antiquo erat conditio præcedens, & tamen non irritabat.

Deinde, sicuti Ecclesia de facto per illam novam constitutionem Tridentini, irritavit ex parte Susceptionem antiqui juris, alioquin validam, auferens impedimentum confraternitatis spiritualis; ita pariter potuisset illam irritare ex toto, auferendo omnem cognationem spiritualem inter illos, quorum nomina non scriberentur in libro, ad sic meliùs evitandam incertitudinem Susceptorum, & per consequens ad impedienda Matrimonia invalidè, quæ aliàs defectu probationis non posset impedire.

Contra; ex ipsis verbis Concilij colligitur una irritatio, & non alia: dicit enim: *Quòd si alij ultra designatos baptizatum tetigerint cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Ultra designatos*, inquam, non addit: & descriptos in libro. 66. *Objectio.*

Respondeo illa verba potiùs facere pro nobis: siquidem ubi nulli designati sunt, nullus tangit ultra designatos; nam ly *ultra*, videtur connotare designatos, tamquam terminum, ultra quem alij sint: sicuti nemo diceret locum aliquem esse ultra marinum, seu ultra mare, nisi sit mare, ultra quod est talis locus. Requiritur ergo quòd aliqui sint designati, ut aliqui alij tunc tangentes dicantur esse ultra designatos. Ita sibi objicit Dicastillo de Sacramento Matrimonij disp. 7. n. 280. *Responsio.* *Quæritur quid importet ly ultra, quando Tridentinum dicit, si alij ultra designatos &c.* *Dicastillo.*

Ddd Nihilo-

reddatur irrita designatio parentum, haud satìs clarè exprimitur in Tridentino. Verumtamen quia Parocho incumbit, ut ex Rit. jam jam commemorato manifestum est, rejicere plures quàm duos, similiter non admittere indignos vel ineptos, videtur menti Ecclesiæ fuisse, amovere omnes illos ab hoc munere, qui ex rationabili causa non admittuntur, vel rejiciuntur; dummodo alij admissi tetigerint.

Non tamen invalidam,

Res equidem incerta: unde expressi in conclusione quod certius est: & quod declarasse congregationem Cardinalium testatur Ferdinandus Rebellus 2. de obligat. Justitiæ lib. 3. q. 6. n. 6. & in Appendice ad l. 4. sect. 4. n. 96. in hæc verba: *Quòd si plures sint designati, qui omnes baptizatum tenuerunt, qui omnes fuerunt admissi, nec constat quòd ex decreto Concilij fuerunt designati ad contrahendam compaternitatē, omnes contraxerunt cognationē spiritualem, qui tetigerunt: punito tamen Parocho.* Ita refert Bas. Pontius supra n. 12.

Ferd. Rebellus.

Secundùm declarationem Cardinalium,

Basil. Pontius.

77. Probatur Primò: quia Tridentinum prohibens plurium admissionem, non irritat factum; argumento c. Fin. de Cog. spirit. in 6. ubi, non obstante prohibitione, expresse decernitur omnes tangentes hanc cognationem contrahere.

Cap. fin. de Cogn. spirit. in 6.

Et confirmatur, quia Tridentinum eo cap. 2. permittit, ut unus, vel una tantùm assumatur juxta sacrorum Canonum instituta: ergo eodem modo intelligendum est, quo illi Canones. At illi non irritabant plurium admissionem, sed solùm prohibebant; ergo &c.

Et sacrorum Canonum.

Probatur Secundò: quia in omnibus designatis & admissis inveniuntur omnes conditiones à Concilio requisitæ, scilicet designatio, & admissio.

Probatur Tertiò: quia communis DD. sententia (teste Sanchio supra n. 13.) tradit, actum gestum contra legem esse firmum, ubi lex non adjicit decretum irritans, pœnamque erga transgressores indicit. Quod in hoc Tridentini decreto reperitur: jubet enim Parocho ne plures quàm duos admittat, nec addit decretum irritans: ac jubet eum plures admittentem puniri arbitrio Ordinarij.

Tridentini decretum, videtur solùm irritans

78. Dices: quidni addat decretum irritans? Ait enim: *Quòd si alij ultra designatos* (scilicet unum & unam ad summum, de quibus supra locutum fuerat) *baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.*

Respondet Sanchez supra: Post prohibitionem admissionis plurium quàm duorum Patrinorum diversi sexûs, ubi Concil. adjicit clausulam irritantem, solùm comprehendit tangentes non designatos: quòd si vellet irritare factum, quando plures duobus designarentur, facilè id posset exprimere, addendo: *Ultra duos designatos.* Cùm ergo id non expresserit, signū est noluisse irritare.

Respectu tangentium non designatorum.

Et ideo hic Auctor amplectitur nostram conclusionem n. 14. tamquam veriorem oppositâ, & pro illa citat multos DD. n. 13. quam etiam sequitur Dicastil. n. 286. supra.

79. Sed contra (ut tantò magìs elucescat veritas) si Concilium voluisset irritare factum, quando plures designati, & non admissi tangunt, facilè id potuisset exprimere dicendo: *Ultra designatos, & admissos.* Cùm ergo id non expresserit, signum est noluisse irritare. Ecce Sanchez quemadmodùm tibi securis in crura redit.

Objectio.

Et si quispiam pro te reponat: admissio in decreto irritante subintelligitur: dico ego similiter; numerum Patrinorum subintelligi, ut sensus sit, quem supra insinuavi: *Quòd si alij ultra designatos*, scilicet unum & unam ad summum, de quibus Concil. antea fecerat mentionem, *baptizatum tetigerint* &c.

Dices; rejectus à Parocho perinde habetur, ac si non fuisset designatus. Respondeo; designatus ultra duos perinde habetur ac si designatus non fuisset, quia illegitimè designatus: decretum autem irritans videtur intelligendum de ijs, qui legitimè designantur, ut sensus sit: *Quòd si alij ultra legitimè designatos* &c. id est, ultra unum & unam, sive ultra duos diversi sexûs.

Unde eadem est difficultas de duobus ejusdem sexûs: nam alter eorum est illegitimè designatus, & cùm non sit major ratio de uno quàm de altero, uterque.

Atque ex his satìs probabile est, nullum eorum, qui illegitimè designantur, contrahere cognationem spiritualem; quia nullus eorum exercet munus illud eo modo, quo ab Ecclesia statutum est, ac proinde nullus est verus ac legitimus Susceptor. Tridentinum enim hoc munus restrinxit ad illum, qui fuerit vel totalis Susceptor, vel ita partialis ut solùm habeat alium socium diversi sexûs. 80.

Probabile est nullum eorum, qui illegitimè designantur contrahere cognationem.

In hanc sententiam magìs inclinat Suarius 3. parte q. 67. a. 8. §. Sed quæres, quamvis dicat, alijs probabile videri posse, omnes contrahere; & ideo quia res est dubia, abstinendum esse à Matrimonio.

Suarez.

Fateor rem esse dubiam: & quia in dubio de valore actûs, præsumendus est valor, ut ex jure civili & canonico ostendimus conclus. 4. circa finem; ideo cum Sanchio & alijs non paucis, præsertim accedentibus declarationibus Cardinalium, (quæ quamvis non satìs authenticę juxta determinationem Urbani VIII. superiùs allegatam, magnæ tamen

In dubio de valore actûs præsumitur valor, nisi aliquid aliud obstet.

tamen sunt auctoritatis) eligo rursùm & dico; omnes designatos & admissos, legitimè vel illegitimè esse veros Susceptores, & per consequens contrahere cognationem spiritualem, nisi aliquid aliud obstet. Plura de hac cognatione in materia de Matrimonio. Hæc pauca impræsentiarum volui exscribere, ne principalior obligatio Patrinorum videretur totaliter prætermissa.

81. Et hactenus quidem de Baptismo fluminis (qui est propriè dictum Sacramentum) & (quantùm sufficit pro hoc loco) de Baptismo Flaminis, sic dictus, quoniam in adultis supplet vicem Baptismi fluminis, conferendo gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum, quamvis diverso modo, scilicet ex opere operantis; unde non est verum Sacramentum, sed votum dumtaxat Sacramenti; perfecta utique contritio, vel amor Dei super omnia, de quibus latiùs disp. 6. de Virtute Pœnitentiæ.

His duobus Baptismatibus adjungunt communiter Theologi Baptisma Sanguinis, cujus in præcedentibus aliquoties fecimus mentionem, & explicationem ad calcem disputationis rejecimus. Sit itaque

SECTIO SEPTIMA.

De Baptismo Sanguinis seu Martyrio.

1. S. Aug. Postquam Dominus Christus in *Ecclesia sua Sacramentum novi Testamenti pro Circumcisione carnis Sanctum Baptismum dedit, & apertissimè dixit:* Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: *iam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscunque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi fortè quos angustia temporis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro Baptismo deputata est.* Verba sunt magni Patris Aug. Epist. 108.

Quid sit Martyrium, & cur appelletur baptismus sanguinis. Ex quibus haud difficile erit unicuique colligere, quid sit Martyrium, & cur appelletur Baptismus Sanguinis? Quid, inquam, sit Martyrium, scilicet passio mortis pro fide Christi; & cur appelletur Baptismus sanguinis; quia videlicet pro Baptismo fluminis deputatur.

Quæris quomodò deputetur? Audi eumdem Sanctum & Eximium Ecclesiæ S. Aug. Doctorem lib. 13. de Civit. c. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.*

Joan. 3. v. 5. Probationem continuò attexit: *Qui enim dixit:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: *aliâ sententiâ istos fecit exceptos, ubi* Matth. 10. v. 32. *non minùs generaliter dixit;* Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Matth. 16. v. 25. *Et alio loco.* Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. *Hinc est quod scrip-* Psal. 115. v. 15. *tum est:* Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Quid enim pretiosiùs quàm mors per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur?* Hactenùs D. Aug.

De hoc ergo Martyrio præsens instituitur Sectio; & disputatur Primò, quid ad ipsum sit necessarium. Secundò, quam efficaciam habeat. Tertiò; quando conferat suum effectum. Ut autem omnia enucleatiùs proponantur, & quà par est claritate discutiantur, rursùs definio seu describo Martyrium, & dico

CONCLUSIO I.

Martyrium est mors illata pro fide Christi, aut vera virtute.

Martyrium græcè, latinè idem est quod testimonium; equidem secundùm usum Ecclesiasticum appropriatur testimonio, quod datur Deo, vel Christo per mortem. Notate verba, signate mysteria. 2. Conditiones ad martyrium requisitæ.

Primum mysterium explicat D. Aug. con. 2. super illud Psal. 34. *Deus meus & Dominus meus in causam meam. Non in pœnam meam,* inquit, *sed in causam meam. Non in id, quod mecum habet latro commune, sed in illud, quod beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hæc enim causa discreta est. Nam pœna similis est bonis, & malis. Itaque Martyres non facit pœna* (supple, sola) *sed causa.* S. Aug.

Hinc scribens Bonifacio comiti Epist. 50. asseveranter loquitur dicens: *Veri Martyres illi sunt, de quibus Dominus ait:* Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, Matt. 5. v. 10.

Congregationis absque illius auctoritate impressas in libris, seu aliis operibus circumferri & allegari, multasq; ex declarationibus, decretis seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorumq; qualitates & circumstantias, à sedibus temporibus factis, secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan alias nomine S. Congregationis minime confectas, nullaq; propterea autentico sigillo munitas, illasq; per tribunalia tam in urbe, quàm per orbem circumferri & allegari, considerans eadem sacra Congregatio Rituum, quantùm detrimenti recipi posset, si aliqua fides illis adhiberetur, ex speciali S. D. N. Urbani VIII. iussu mandat, & præcipit huiusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam, sed tantùm illis, qui in authentica forma, solito sigillo & subscriptione Eminen. Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propriâ manu subscripsimus, & sigilli proprij S. Rituum Congregationis impressione communiri ac typis mandari iussimus. Datum Romæ die 11. Augusti 1632. C. Episc. Port. Card. Pius. Locus † sigilli Iul. Bass. gloss. Secre.

Unde affirmativa pars iudicatur vera.

Cùm ergò aliunde constet, quòd in alijs contractibus possit (etsi in Matrimonio minùs deceat) mulier esse procurator viri, & vir mulieris, idem judico affirmandum in susceptione baptizati de sacro fonte.

Deinde sensus declarationis esse potest: procurator mulieris, sive vir fuerit sive mulier, non suscipiat nomine viri, sed nomine proprio, hoc est, nomine mulieris, à qua institutus fuit, similiter procurator viri, sive mulier sive vir, nomine viri, & non mulieris; procurator quippe non potest agere nisi nomine mandantis, alioquin convincitur principalis.

37. Cæterum cùm sæpe in hac conclusione mentionem fecerimus obligationis, quam contrahunt veri Patrini, inquiro pro fine hujus discursûs, quod sit objectum istiusmodi obligationis? Responsio in promptu est, instruere baptizatum in fide, & moribus Christianis, præter impedimentum Matrimonij, de quo proprio loco.

Patrinus obligatur instruere baptizatum. S. August.

Sumitur ex D. Aug. Ser. quodam post Pascha, qui sic incipit: *Hodiernus dies*, & refertur de Consec. dist. 4. c. 105. Verba textûs subscribo: *Vos ante omnia tam mulieres quàm viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideóq; semper eos admonete, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant.*

Et paulò post: *Ante omnia Symbolum & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite.* Utique sub gravi obligatione, secundùm DD. communiter, quia materia gravis, ut patet, & unusquisque tenetur illud facere, seu illud munus explere, quod assumit, atque assumendo tacitè promittit se facturum. Interim quia præceptum affirmativum, quamvis semper, non tamen pro semper obligat.

Sub gravi obligatione.

Hinc cessat præsens obligatio, quando baptizatus habet parentes vel Parochum aut præceptorem, à quo creditur sufficienter instruendus; adeoque ab hoc onere plerumque excusantur Patrini in regionibus Catholicorum, ubi parentes & Parochi, ludimagistri, alijvé religiosi, vel pij sæculares solent instruere & docere pueros; in alijs autem partibus sive hæreticorum, sive etiam Catholicorum, in quibus multi rudiores homines proles suas tamquam bestiolas educant, existimo rem esse plenam periculi: postquam tamen baptizatus semel satis fuerit instructus, expirat omnis obligatio, quia jam desijt esse in statu spiritualis infantiæ. Ita Suarez ad art. 8. q. 67. & alij.

Nisi credatur baptizatus aliunde satis instruendus;

Vel semel sufficienter instructus.

Ex dictis & probatis hâc conclusione pervium est, irrito planè conatu assumi ad munus Susceptoris pueros ante usum rationis vel amentes, utpote incapaces debitæ intentionis. Immò secundùm Rituale Rom. Tit. de Baptismo §. de Patrinis: *Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maximè convenit.* Præter hos autem 38.

Pueri & amentes non possunt esse Patrini. Rit. Rom.

CONCLUSIO IV.

A munere susceptoris jure positivo arcentur, Primò Abbates, & Monachi. Secundò infideles, id est, non baptizati. Tertiò proprij parentes. Attamen validè suscipiunt.

Primum patet ex Concil. Antisiodorensi cap. 25. & refertur de Consec. dist. 4. cap. 103. *Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Item ex lib. capitulorum, & ponitur ibidem cap. 104. *Monachi sibi compatres, commatresve non faciant.* Accedat consti- 39.

Item Abbates & Monachi. Conc. Antisiod.

Digitized by Google

Eugen. Papa. constitutio Eugen. Papæ 16. quæst. 1. c. 8. *Placuit communi nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de Baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire* &c.

Quo nomine non comprehenduntur religiosi mendicantes: Ex quo perspicuè manifestum est nomine Monachorum non comprehendi Religiosos mendicantes, utpote qui exeunt de monasterio, pœnitentiam dant, baptizant, infirmos visitant &c. Monachi ergo sunt, qui ex professione sua colunt solitudinem, & sibi-ipsis solummodo vacant; adeòque minùs apti sunt ad proximum instruendum, cùm tamen Mendicantes etiam aliorum eruditioni ex sua professione quàm maximè intendant.

Id tamen fratribus Minoribus id inhibitum per regulam. Excipio Fratres Minores, quibus munus susceptoris expressis verbis prohibetur per regulam c. 11. ibi: *Nec fiant compatres virorum, vel mulierum.* Ratio adjungitur: *Ne hâc occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.* Quamvis ergo alijs Religiosis mendicantibus per se non sit illicitum suscipere in Sacramento Baptismi, tamen propter rationem, quâ motus fuit B.P.N. Franciscus, ut suis fratribus id munus prohiberet, videtur minùs decens & conveniens.

40. Antequam pergo haud gravatim exscribo quod circa hoc præceptum Regulæ nostræ ordinavit Mart. V. Bullâ: *Cum generale Capitulum*, 13. apud Cherubinum: *Item statuimus & ordinamus, quòd nullus Fratrum de cætero præsumat fieri compater virorum vel mulierum: & qui iam compaternitatem contraxerint, quantùm in eis est, hoc nomine se à nemine nominari permittant, nec ipsi alios nominent.* Hæc Martinus. Prosequitur Capitulum: *Et hoc* (inquit Capitulum Generale 44. Interamnæ celebratum anno 1500. explicans cap. 11. Regulæ) *præcipuè intelligendum est de viris & mulieribus vilis conditionis & malæ famæ. Tali enim occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum facilè oriri potest; secùs esset de viris nobilibus & generosis, ex quorum consortio decus & splendor Religioni acquiritur. Sicut igitur Ecclesia id vetat Monachis, ita nostra Regula Fratribus Minoribus: Et utraque est obligatio æqualis.* Hactenùs Capitulum Generale.

Ex quibus verbis Franciscus à S. Clara in Manuali Missionariorum cap. 13. sic concludit: In Missionibus sæpè prudens necessitas suadet suscipere parvulos infantes, nec scandalum ullum potest oriri; & ideo in similibus occurrentijs, ubi & quando non est scandalum, licere putandum est.

Sed dicet aliquis: si utraque obligatio est æqualis, ut ait Capitulum Generale, & obligatio Ecclesiæ non cessat cessante scandalo in casu particulari (ut suppono) quomodo cessat obligatio Regulæ cessante scandalo in casu particulari?

Non video quid responderi possit, nisi scandalum fuisse & esse adæquatam rationem præcepti Regulæ, secus præcepti Ecclesiæ. Et quidem præceptum Ecclesiæ præter scandalum habuisse & habere aliam rationem patet ex dictis. Atque ut præcepti Regulæ adæquata causa foret scandalum, hoc intelligendum esset de periculo scandali, quod semper subest, licèt hic & nunc in casu particulari nullum scandalum oriatur. Sed revertamur ad alios Religiosos. Etiam cessante scandalo in casu particulari.

41. Rituale Romanum non excludit mendicantes ab hoc munere. Juxta superiùs dicta intelligi debet quod ait Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Patrinis in fine: *Præterea ad hoc* (munus suscipiendi) *etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alij cuiusvis Ordinis Regulares à sæculo segregati.* Utique plenariè, qualiter non sunt segregati à sæculo Mendicantes. Itaque ly *à sæculo segregati*, est particula restringens; aliàs dixisset simpliciter, cujuscumque Ordinis Regulares; siquidem omnes sunt quâdam ratione à sæculo segregati.

42. Omitto quòd Rituale, tametsi ob auctoritatem Papæ plurimum sit æstimandum in materia doctrinali, similiter quantùm ad intellectum Canonum alioquin controversorum; equidem non videtur obligare defectu mandati, aut certè promulgationis, quatenùs novas leges positivas inducit.

Excludit hæreticos &c. Quod bene notandum est, quia ibidem Infidelibus, quos secundo loco in conclusione enumeravimus, copulat hæreticos, publicè excommunicatos aut interdictos; item publicè criminosos aut infames: *Sciant*, inquit, *Parochi ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, non publicè criminosos aut infames*; cùm tamen constet jus antiquum solummodò loqui de non baptizatis, aut non confirmatis.

Conc. Moguntin. Quæris, quod sit illud jus antiquum? De Consec. dist. 4. c. 102. ex Concilio Moguntino sic lego: *In Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Jure antiquo non exclusos. Qui Canon non necessariò extenditur ad hæreticos; tum quia in jure positivo non valet argumentum à pari; tum quia fundatur in carentia

Baptismatis; ita ut etiam Catechumeni fideles illo jure censeantur ab hoc munere exclusi; hæreticos autem liquet suscepisse Baptismum.

Sed potiùs ex natura rei.

Hi ergo potiùs censentur exclusi ex natura rei tamquam minus idonei ad instruendum in fide & bonis moribus: prout etiam qui ignorant rudimenta fidei: *Hæc enim*, inquit Rit. supra *Patrim spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit opportunè docere tenentur.*

Rit. Rom.

Sed quid si scirent rudimenta pro tempore, quo apparenter posset esse necessaria instructio, cujus infans actu incapax est? Non apparet tanta inconvenientia, quanta bene in excommunicato & interdicto, qui jure arcentur à divinis. Licèt enim hæc ceremonia non sit officium divinum (utpote quæ fieri possit à laico, cùm tamen divinum officium sit proprium clericis) equidem solus sacerdos est ordinarius minister Baptismi solemnis, & ideo minùs congruit ad hanc solemnitatem admittere eum, qui jure à divinis arcetur.

43. *Qui quandoque licitè admittuntur.*

De cætero si esset periculum, quòd infans baptizaretur ab hæreticis, nisi pastor ad instantiam parentum hæreticorum, admittat patrinum excommunicatum, interdictum, aut similem, non videtur illicitum hujusmodi admittere, præsertim protestando infantem debere instrui in fide Catholica & bonis moribus. Ex duobus quippe malis minus est eligendum. Et aliunde jus scriptum, ut supra dixi, solùm loquitur de non baptizatis. Quod an obliget universam Ecclesiam pendet ex generali ejus acceptatione; etenim est particularis Concilij, cujus decreta non ligant universam Ecclesiam, nisi ab ea fuerint acceptata.

Bene autem Rit. supra monet parochos, ne admittant infideles, id est, non baptizatos; quia prohibitio ista infideles non potest directè concernere; utpote non subditos Ecclesiæ defectu Baptismi, ideoque ad alios dirigitur, ne designent, aut admittant.

44. *Numquam parentes proprij, etiam in defectum alterius.* *Dicastillo.*

Tertiò à munere susceptoris arcentur proprij parentes, qui, inquit Dicastillo disp. 2. n. 58. Can. *Pervenit.* & Can. *Ad limina.* 30. q. 1. prohibentur esse patrini, etiam in defectum alterius, qui possit esse; munus enim patrini non est tantæ necessitatis.

Sed ego legens & relegens postremum Canonem nihil simile potui in ipso reperire. Quid ergo dicit? Laudat patrem, qui proprium filium in necessitate baptizaverat. Hæc sunt Pontificis verba: *Vnde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte pereuntem dimitteret, sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi iam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur, idcirco suæ uxori sibi tam legitime sociatæ, impunè quamdiu vixerit iudicamus manere coniunctum: nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus separari debere.*

Idem docet Rit. Rom. supra §. de ministro Baptismi: *Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet, neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonij usum impediat.* Sed quid hoc ad propositum? Certè nihil. *Rit. Rom.*

Nota etiam Can. *Pervenit.* quatenus præcipit separationem conjugum, qui aliquâ ratione susceperint proprios natos, correctum esse per cap. 2. de Cognatione spirituali ibi: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperint, an propter hoc separari debeant; Consultationi tuæ taliter respondemus; quòd quamvis generaliter sit institutum ut debeant separari; quidam tamen humaniùs sentientes aliter statuerunt. Ideóq; nobis videtur; quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci; quia si ex ignorantia id factum est eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Ita Alexander III. Salernitano Archiepiscopo. 45. *Can. 1. 30. q. 1.* *Cap. 2. de Cognat. spiritual.*

Ubi glossa ad verbum, *Debitum debet*, interrogat: *Sed numquid potest exigere? Potest*, inquit, *dici, quòd ille qui hoc fecit ignoranter potest reddere & exigere, quia non peccavit; qui verò scienter, satis videretur, quòd non deberet exigere, sed reddere tenetur: tamen non invenimus prohibitum in hoc casu, quòd non exigat; ergo nec nos prohibeamus.*

Interim susceptionem propriæ prolis esse illicitam, satis ostenditur vel ex hoc ipso capite ibi: *Sive ex malitia*: esto ly *Malitia* hîc accipiatur pro scientia, ut sensus sit: sive ex ignorantia, sive ex scientia. Nam si actus procedens ex scientia esset bonus, incongruè scientia appellaretur malitia; & perperam diceret Pontifex: *Si ex malitia* (id est, scientiâ) *eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus*; cùm fraus vel dolus significet actum malum. 46. *Quod ostenditur ex varijs juribus.*

Confirmatur ex Can. *Pervenit*, ubi pro ratione separationis Pontifex allegat: *Ne suadente diabolo tale vitium inolescat.*

Consonat Can. 4. eâdem causâ & q. desumptus ex Concil. Cabilonensi 2. c. 31. *Cabilon.*

Si qua

Si qua, inquit, *mulier filium suum desidiâ aut fraude aliquâ coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quamdiu vivet agat pœnitentiam, à viro tamen suo non separetur.*

Et cap. sequenti ex Concil. Moguntinensi c. 10. dicitur. *Si coniuges legitimi unus aut ambo, ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est: sin autem, gravis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.*

Mogunt.

Et Rituali Romano.

Hinc Rituale supra de Patrinis: *Sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque ipsius baptizandi pater aut mater.* Enimverò susceptor est ordinatus ad instruendam prolem in defectum parentum, ergo convenit quòd ab illis sit distinctus.

47. Quæ ratio (utì etiam præcedens, videlicet consanguinitas spiritualis) non habet locum in conjugibus pariter suscipientibus prolem alienam, quocirca Urbanus II. Vitali Presbytero Brixiæ ita scribit, & refertur 30. q. 4. c. Fin. *Quòd autem uxor cum marito in Baptismate simul non debeat suscipere puerum, nullâ auctoritate reperitur prohibitum.* Addit: *Sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conservetur immunis, dignum esse decernimus, ut utrique in simul ad hoc aspirare minimè præsumant.*

Possent tamen conjuges pariter suscipere prolem alienam; Urban. II.

Ubi non hoc præceptum esse putandum est, sed solùm consilium ad evitandam infamiam, quæ fortè per accidens inde posset oriri; *Credent enim stulti* (ait Gloss. ibi, V. *Et infamia*) *aliquam proximitatem inter eos contrahi, si simul susciperent.* Vel, si id prohibuit ibi Pontifex, non est usu receptum, saltem ubique, ut benè notat Gloss. supra dicens: *De consuetudine est tamen in quibusdam locis, quòd uterque simul suscipit.* Unde neque illos arcendos monet Rit. Rom. supra; quod tamen absque dubio fecisset, si generaliter id esset illicitum.

Sed non cōsilium.

48. Restat ultima pars conclusionis, quæ propter Can. 102. de Consec. dist. 4. supra citatum aliquibus displicet, sed immeritò, ut patebit ex dicendis. Atque in primis quantum ad Monachos, & proprios parentes, liquet profectò eorum susceptionem valere, argumento c. ad Apostolicam extra de Regul. ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Monachi, & proprij parentes, si susceperint, valet susceptio.

Quis nesciat prohibere actum, & irritare illum, esse effectus diversos? Siquidem prohibere solùm est præcipere seu obligare ut actus non fiat; irritare autem est reddere inefficacem voluntatem vel consensum ejus, aut inhabilitare personam. Alioquin frustra distinguerent omnes Theologi impedimenta Matrimonij in impedientia solùm & dirimentia. Imò aliquando prohibetur actus, qui invalidari non potest, ut cùm alicui Sacerdoti prohibetur ne sacrificet, aut Episcopo ne ordinet.

Ut ergo lex actum quem prohibet etiam irritare censeatur, necesse est quòd contineat clausulas expressè irritantes (quales sunt; *Irritamus, annullamus, sit irritum, non faciat suum, teneatur statim restituere, nihil fecit, non valeat* &c.) vel eo sensu sit usu recepta; vel concedat potestatem actûs non solùm appositâ conditione, sed etiam conditionatè, vel denique prohibeat actum ratione effectûs permanentis, ut videri potest in Tract. de Legibus, ubi de lege irritante. Talis autem non est lex prohibens Monachis, & alijs susceptionem, ut liquet ex juribus supra allegatis.

Quia non est jus irritans actum, sed tantùm prohibens.

49. Solùm obstare videtur huic doctrinæ lex 5. Cod. de LL. ibi: *Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est.* Accedit Reg. 64. de Reg. Juris in 6. *Quæ contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi.* Ut ab hac regula exordiar,

Non obstantibus l. 5 Cod. de LL. & Reg. 64. de Reg. Juris in 6.

Respondeo eam non alloqui hominem privatum; sed judicem instruit, ut videat in quo gradu sit actus contra jus, atque ita illum puniat, vel retractet. Quippe interdum actus non solùm est contra jus dum fit, sed etiam dum impletur, & tunc indubiè irritandus est, argumento L. 6. Cod. de Pactis. *Pacta quæ contra leges constitutionesq;, vel contra bonos mores fiunt* (etiam dum implentur) *nullam vim habere indubitati iuris est.* Neque enim ad malum potest esse obligatio.

Responsio ad Reg. Juris.

Aliquando autem actus est contra jus irritans ipso facto; subinde contra jus tantùm prohibens; & quamvis tunc à parte rei valeat, potest nihilominùs in pœnam delicti à judice rescindi, si rescindibilis est. Porrò rectè dicuntur & illi actus pro infectis haberi, quia firmiter facti non sunt; quemadmodum illa quæ fiunt ex metu, aliqua jura pronuntiant invalida & infecta &c. cùm tamen ex alijs juribus constet non ipso facto irrita, sed solùm per judicem irritanda esse. Alij simpliciter respondent regulam præfatam intelligi debere de jure dirimente, ne alioquin contradicat c. *Ad Apostolicam.* jura enim juribus concordanda sunt.

Sed quid ad legem civilem? Respondeo Primò, minimè locum habere in terris imperio non subjectis. Secundò esse correctam per jus canonicum c. *Ad Apostolicam.* 50.

Responsio ad L. 5.

 saltem

Responsio secunda. saltem pro causis Ecclesiasticis, qualis est illa, de qua hîc disputamus.

Cap. 1. de Novi operis nuntiat. Audiamus c. 1. de Novi operis nuntiatione: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuvantur.* Quis ausit dicere, destruuntur? destruerentur autem, si generaliter, quæ fieri prohibentur, facta non teneant.

Objectio. Nec obstat c. 13. 25. q. 2. ubi Greg. Greg. Papa. Papa in Regesto L. 7. indict. 2. Epist. 7. Januario Caralitano respondet in hæc verba: *Imperiali constitutione apertè sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia* Solutur. *sed etiam pro infectis habenda sint.* Non obstat, inquam, quia citat hanc legem non generaliter ad quemcumque effectum; sed ut ostendat invalidum esse testamentum cujusdam Abbatissæ; quod ex alia lege imperiali prohibebatur.

51. Responsio 3. Respondeo Tertiò, ex vi illius legis civilis actum non esse invalidum ante omnem sententiam; cùm sit irritatio pœnalis, ut colligitur ex his verbis legis; *Nec pœnas insertas legibus evitabit.* Hoc enim positum est tamquam fundamentum eorum, quæ dicenda erant. Unde sequitur: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Utique in pœnam transgressionis legis.

Ubi nota ly *Videri volumus*, quod spectat ad actum hominis; quasi diceret, volumus per hominem declarari & judicari nullum contractum subsecutum. Plura in Tract. de Legibus. Non prætereundum tamen hîc, secundùm plures Auctores, legem illam propter duritiem ejus & nimium rigorem usu esse antiquatam, sive abrogatam, aut si mavis non receptam.

52. Itaque si nuda prohibitio contractûs civilis, non obstante lege, *Non dubium*, propter contrariam consuetudinem, & alias rationes assignatas, ipso facto non irritat; quantò minùs simplex prohibitio non levandi prolem de sacro fonte, ipso jure annullabit susceptionem contrà prohibitionem attentatam?

Alex. III. *Licèt enim*, inquit, Alex. III. c. 2. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, *contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota matrimonialia transire non debuerit: non est tamen conveniens, ut ob id solùm Sacramentum coniugii dissolvatur. Alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Ergo similiter, Monachis v. g. contra prohibitionem Ecclesiæ suscipientibus baptizatum de sacro fonte, alia pœnitentia imponatur, quod factum tamen est, ratum permaneat.

Equidem & hîc attendenda est consuetudo, an fortè contra legem non præscripserit; quippe in aliquibus locis videntur sine aliquo scrupulo Abbates & Abbatissæ hoc munus per se vel per procuratorem exercere. Et quid mirùm? Nam inter plerosque Catholicos, ut dictum est, cessat ratio prohibitionis, cùm vix umquam sit necessaria instructio baptizati immo fortè à nullo practicata. Etiam hîc attendenda est consuetudo.

Venio ad infideles, id est, non baptizatos, de quibus est specialis difficultas propter Can. 102. supra allegatum, in quo non solùm prohibetur ipsis susceptio, sed etiam videtur irritari per ly *Non potest* quod æquivalet (ut aliquibus placet) huic particulæ, *Nihil facit*, quam supra enumeravimus inter voces expressè irritantes. 53. Sed numquid infideles invalidè suscipiant.

Sed contra; particula, *Nihil facit*, expressè negat effectum; ly autem, *Non potest*, potentiam faciendi; quæ potentia duplex est, juris videlicet, & facti.

Profectò id simpliciter possumus, quod jure possumus, & non possumus, quæ illicitè facimus, argumento L. Filius 15. ff. de Condit. instit. ibi: *Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.*

Quocirca bene dixit D. Aug. lib. contra mendacium c. 17. & refertur 22. q. 2. c. 15. *Faciat homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest. Cùm autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere, nisi peccando, non possit, iam se existimet non habere, quid faciat: quando id reliquum esse perspexerit, quod rectè faciat.* Rectè, inquam, id est, sine peccato. S. Aug.

Ubi Gloss. Verb. *Quod potest*, ait, *Ex hoc capite habes, quòd solùm illud dicimur posse facere, quod justè facere possumus. Quandoque hæc dictio, posse, simul denotat potentiam iuris, vel facti, ut extra de Rescriptis.* Sciscitatus; *quandoque potentiam facti tantùm, ut* 8. q. 1. Moyses, *quandoque refertur ad honestatem, de Pœnitentia dist.* 2. Charitas *ff. de Condit. instit.* Filius, *quandoque ad commoditatem ff. de Verb. signif.* Nepos Proculo.

Et in Reg. 1. de Reg. Juris in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. Licitè*, inquit Glossa, *superabundat, id enim dicimus posse quod licitè possumus.*

54. Cùm itaque res sit dubia & obscura, nec non lex irritans odiosa, utpote auferens quodammodo jus naturale, quod quilibet habet ad efficiendos actus validos, immeritò hæc particula, nisi materia legis, aut aliæ Res est dubia & obscura.

aliæ circumstantiæ plus exigant, habetur pro irritante; quippe juxta Reg. 30. de Reg. Juris in. 6. *In obscuris minimum est sequendum*. Et Reg. 57. eâdem: *Contra eum qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.* Jam autem non est dubium, quin legislator potuerit clariùs exprimere irritationem præsentis actûs, & verisimile est, quòd expressisset, si eam intendisset.

Unde benignior pars amplectenda est. eid. quòd validè suscipiat. L. 12. ff. de reb. dub.

Quapropter amplectimur benigniorem partem, quò res, de qua agitur, magis valeat quàm pereat; argumento L. Quotiens in actionibus 12. ff. de Rebus dubijs ibi: *Quotiens in actionibus aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat quàm pereat.* Et L. *Quotiens in stipulationibus* 80. ff. de Verb. oblig. *Quotiens in stipulationibus ambigua est oratio, commodissimum est id accipi, quo res de qua agitur in tuto sit.* Consonat jus Canonicum extra de Verb. signif. c. Abbate 25. ibi: *Ea sit intelligentia sumenda verbis, ut res, de qua agitur valere possit potius, quàm pereat.*

Conformiter est jus cum civile quàm canonicum. L. 80. ff. de Verb. oblig. c. 25. de verb. signif.

Porrò neque materia, neque ulla alia circumstantia postulat, ut in Nos juxta, in Can. 101. supra allegato sensum accipias irritantem: saltem quoad obligationem instruendi: nam quod ad cognationem spiritualem attinet; plurimi (quos citat & sequitur Diana parte 10. Tract. 16. resolut. 89.) docent, eam non contrahi nisi inter personas baptizatas; quamquam oppositum non sit improbabile, de quo latiùs in materia de Matr. ubi etiam, An parentes proprias proles suscipientes priventur jure petendi debitum.

Placet impræsentiarum annotare numerum Patrinorum, de quo sic statuit Concil. Tridem. sess. 24. de Refor. Matr. cap. 2.

Triden.

CONCLUSIO V.

Unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta; vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant.

55. Congruenter unus tantum vel unus & una baptizatum suscipiant.

SUnt ipsissima verba Concilij. Ratio congruentiæ est, ne nimium multiplicetur cognatio spiritualis, cum periculo saepius invalidè contrahendi Matrimonium; deinde in generatione naturali solùm concurrunt vir & mulier, non duo viri, aut duæ mulieres. Denique ne multiplicitas Susceptorum impediat curam baptizati, dum quisque alteri fidit.

Verùm quia non omnis constitutio prohibens, semper est irritans, ut præcedenti conclusione quasi ad oculum demonstravimus; hinc gravis orta est controversia inter DD. an si plures designentur & admittantur, ac simul tangant, omnes sint veri Patrini non solùm quoad obligationem instruendi, quod facilè admiserim, sed etiam quoad cognationem spiritualem. Ante resolutionem

Nota eodem loco Concilium præcipere Parochis, idque sub pœna arbitrio Ordinarij infligenda, ne plures quàm duos designatos admittant. Verba sunt hæc: *Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; & in libro eorum nomina describat; doceatq; eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant.* Et infra: *Si Parochi culpâ vel negligentiâ secus factum fuerit arbitrio Ordinarij puniatur.* 56.

Præcipitur Parochis ne plures quàm duos designatos admittant. Triden.

Ubi Primò requiritur designatio ab iis, ad quos spectabit: parentibus nimirum baptizandi, vel qui vices parentum supplent. Quòd si parentes nullos designaverint, tunc designatio spectabit ad Parochum; quia censetur suum jus designandi in ipsum transtulisse; quoniam Parochus curare debet, ut Sacramentum ministretur cum debitis ceremonijs.

Designatio pertinet ad parentes vel supplentes eorum vices.

Secundò requiritur admissio Parochi. Equidem qui injustè rejicitur habetur ab Ecclesia pro admisso. Tertiò præcipitur Parochis, ut non admittant nisi eum, vel eos, qui fuerint legitimè designati. Quartò præcipitur iisdem, ut nomina Patrinorum in Libro describant, & doceant eos quam cognationem contrahant cum Baptizato, & parentibus ejus naturalibus.

Admissio ad Parochum.

Si autem quæritur, quantum sit peccatum plures quàm unum & unam admittere ad suscipiendum? Respondet Sanchez de Matr. l. 7. disp. 57. n. 6. esse solùm veniale. Quia si quis ante Concilium Tridentinum plures Patrinos adhibuisset contra jus antiquum, non peccasset nisi venialiter, teste eodem Auctore n. 1. Synodus autem Tridentina noluit majorem obligationem inducere, ut patet ex illis ejus verbis: *Iuxta sacrorum Canonum instituta*, quibus indicat se nolle majorem obligationem inducere, quàm antè in hac materia induxerant sacri Canones. Pro quo 57.

Admittens plures solùm peccare venialiter docet Sanchez.

Adverte

Adverte olim statutum fuisse, ut in Baptismo unus tantùm esset Patrinus. Ita Leo Papa, & refertur de Consec. dist. 4. c. 101. *Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quàm unus, sive vir, sive mulier.* Si tamen plures accessissent, omnes fiebant veri Patrini, ut docet Bonif. VIII. in cap. *Quamvis* 3. de Cognationem spirituali in 6. *Quamvis non plures quàm unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem, iuxta sacrorum Canonum instituta: si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur.*

Leo Papa. Bonif. VIII.

Quid ergo Tridentinum? Partim relaxat materiam horum jurium, partim restringit. Laxat permittendo duos susceptores: stringit quoad cognationem spiritualem dicens: *Quòd si alij, ultra designatos, baptizatum tetigerint cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus.* De modo autem obligandi, nihil.

58. Imò, inquis, multùm, ut patet ex illis verbis superiùs allegatis: *Si Parochi culpâ vel negligentiâ secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur.* Ex quibus aliqui colligunt peccatum mortale: non enim solet Ecclesia quempiam expressis verbis subijcere pœnis Ordinariorum propter culpam tantùm venialem, ut in simili dictum est supra de illo, qui baptizaret sine necessitate extra Ecclesiam.

Secundùm alios peccat mortaliter.

Dicastilloni Tract. 10. de Matr. disp. 7. n. 276. sententia Sanchij videtur non improbabilis, maximè, inquit, cùm videam multis in locis, & testatur ibi Sanchez, consuetudinem plures adhibendi, maximè quando Baptizandi sunt Principes, ut plurimis personis deferant honorem Patrinorum.

Dicastilloni placet sententia Sanchez. Fundat se in consuetudine.

59. Sed quid tùm? Nonne consuetudo æqualiter præscribit contra legem graviter, & venialiter tantùm obligantem? Nemo ambigit. Præterea, unde constat omnes illos adhiberi tamquàm veros Patrinos, & non magis tamquam assistentes ad majorem solemnitatem? Non credo vel Sanchium vel Dicastillonem vidisse omnium nomina descripta in libro. Denique sicuti Filij Regum & Principum speciali privilegio queunt baptizari extra Ecclesiam, ut dictum est conclus. 1. quidni similiter dispensante Pontifice (qui scit talem consuetudinem, & non contradicit) plures Baptismo eorum adhibeantur Patrini?

De qua tamen non satis constat.

Ut ut sit de peccato Parochi, manet resolvenda principalis controversia: an si nulli designentur, vel plures designentur quàm duo, & omnes à Parocho sive licitè, sive illicitè admittantur, an omnes, inquam contrahant cognationem spiritualem? Ad quam (sine præjudicio tamen contrariæ opinionis, quam existimo probabilem) Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Si nullus, vel plures quàm duo designentur Patrini, & admittantur, quotquot simul tetigerint, contrahunt cognationem.

Constat apud omnes, si designati fuerint Susceptores, quicumque alij attigerint nullo pacto contrahere cognationem spiritualem. Verba Tridentini sunt nimis clara. *Quòd si alij*, inquit, *ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* At si nullus designetur in quo graviter peccat Parochus, ait Basilius Pontius, vel si plures quàm duos designaverit, in quo non leviter peccaret, ait idem Auctor, in illis, inquam, casibus docet Pontius lib. 7. de Matr. c. 39. n. 11. & 12. nostram conclusionem tamquam probabiliorem. 60.

Si aliqui ultra designatos attingant, non contrahunt cognationem spiritualem. Trident. Basil. Pontius. Si nullus, aut plures designentur quàm duo, omnes contrahunt.

Inducitur in hanc sententiam, quia hi casus omissi sunt à Concilio, nihilque in eis disposuit Tridentinum: unde videtur standum decisioni Juris antiqui, cùm in eo non corrigatur novo jure; neque enim à jure antiquo recedendum nisi in novo corrigatur, argumento L. *Præcipimus* 32. Cod. de Appellationibus §. Fin. *Quidquid autem hâc lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumq; regulis omnes relictum intelligant.* Liquet autem jure antiquo cap. Fin. de Cog. spir. in 6. conclus. præced. citato, omnes qui tetigerint cognationem contrahere. Adde jus correctorium esse odiosum, adeòque restringendum.

Secundùm jus antiquum.

Neque deest huic sententiæ rationis fundamentum: quia aliòquin nullus in illis casibus esset verus Susceptor, cùm non sit major ratio de uno, quàm de alio; quod videtur esse contra mentem Ecclesiæ, quæ tantopere sollicita est pro hac solemnitate. 61.

Et ideo sic declararunt Cardinales apud Farinacium, & Rebellum n. 95. *Congregatio censuit, si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, si non constat quis primò tetigerit, si plures sunt electi, vel nullus; si unus est electus, ille tantùm contrahit.*

Et Cardinalium declarationem.

Dicitur: *Si non constet quis primò tetigerit;* quia

Nisi constet quis primò tetigerit.

quia uno tangente, vel ad summum uno & unâ, jam ceremonia est exhibita juxta formam Tridentini; imò & juris antiqui; adeoque reliqui non sunt ampliùs capaces illius ministerij. Ex quo patet quare in conclusione posuerim: *Quotquot simul tetigerint.*

Cæterùm si fortè per hæc non esset alicui plenè satisfactum, dividamus conclusionem in suas partes, & quid singulis objici possit diligenter consideremus.

62. Sanchez putat neminem contrahere, si nemo designetur.

Prima pars sit ista: *Si nullus Patrinus designetur, quotquot tetigerint simul contrahunt cognationem.* Huic contradicit Sanchez cum alijs, quos citat lib. 7. de Matr. disp. 57. n. 12. Quamvis, inquit, existimem prædictam sententiam esse valde probabilem; at probabiliùs credo neminem tunc contrahere hanc cognationem.

Fundatur Primò; quia Tridentinum, ne multiplicaretur cognationis hujus impedimentum, & ut certi essent illud contrahentes, tamquam conditionem ut veri essent Patrini suscipientes baptizatum, petit eos designari ab ijs, quibus incumbit. Ergo deficiente designationis conditione, non sunt veri Patrini, ac proinde nec hujus cognationis participes. Confirmat: quia aliàs non vitaretur cognationis multiplicatio, & susceptorum incertitudo, quæ Tridentinum vitare voluit; atque adeò illius decreti mens frustraretur. Hactenùs Ille.

Q... designatio est conditio sine qua non.

63. Hoc fundamentum tamquam debile rejicitur.

Fundamentum satis debile attento illo principio Juris Canonici, & ponitur c. *Ad Apostolicam.* de Reg. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem.* Respondeo ergo tam multiplicationem cognationis, quàm incertitudinem susceptorum satis vitari per simplex præceptum, quo præcipitur parentibus designatio, & per simplicem prohibitionem, quâ prohibetur Parochis, ne admittant aliquem non designatum.

Sanè eodem modo & eâdem formâ verborum præcipitur Parochis descriptio nominum Patrinorum in libro, utique ad majorem eorum certitudinem. Quis tamen ideo dixerit, nullum esse Patrinum, si ex negligentia, vel malitia Parochi nullius nomen in libro describatur; vel unum tantùm esse, etsi duo fuerint designati & admissi, si unius dumtaxat nomen describatur? Non credo Sanchium, si viveret, id faciè admissurum.

64. Trident.

Sed contra argumentatur Secundò; Trident. eo cap. 2. in fine, sic concludit: *Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Cùm ergo personæ ibi contentæ hujus cognationis participes nominentur Patrini designati ad id munus obeundum: omnes personæ, quæ designatæ non sunt, minimè erunt capaces illius.

Et confirmatur, quia mens Trident. fuit, ut ex proœmio ejus cap. 2. constat, omnino coarctare jus antiquum de hac cognatione contrahenda loquens, ut tantùm extendatur ad personas in eo decreto contentas: & ita concludit omnino auferri inter alias, præter ibi enumeratas. At Patrini ibi non absolutè enumerantur, sed cum ea qualitate, ut designati sint.

65. Sicuti & aliud desumptum ex Tridentino.

Respondeo etiam cum ea qualitate, ut nomina eorum describantur in libro: & tamen non est qualitas irritans actum, si aliter fiat.

Planè, inquis, non est irritans, quia qualitas subsequens: at designatio præcedit susceptionem: adeoque ex subjecta materia satis liquet hanc esse irritantem; minimè illam.

Fateor hanc esse differentiam inter illas conditiones. Sed quid tum? Inde enim ad summum sequitur, quòd designatio possit esse conditio irritans; quòd autem de facto sit, inde præcisè non convincitur. Nam etiam unitas jure antiquo erat conditio præcedens, & tamen non irritabat.

Deinde, sicuti Ecclesia de facto per illam novam constitutionem Tridentini, irritavit ex parte Susceptionem antiqui juris, alioquin validam, auferens impedimentum confraternitatis spiritualis; ita pariter potuisset illam irritare ex toto, auferendo omnem cognationem spiritualem inter illos, quorum nomina non scriberentur in libro, ad sic meliùs evitandam incertitudinem Susceptorum, & per consequens ad impedienda Matrimonia invalida, quæ aliàs defectu probationis non posset impedire.

66. Objectio.

Contra; ex ipsis verbis Concilij colligitur una irritatio, & non alia: dicit enim: *Quòd si alij ultra designatos baptizatum tetigerint cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Ultra designatos*, inquam, non addit: & descriptos in libro.

Responsio.

Quæritur quid importet ly *ultra*, quando Tridentinum dicit, *si alij ultra designatos &c.*

Respondeo illa verba potiùs facere pro nobis: siquidem ubi nulli designati sunt, nullus tangit ultra designatos; nam ly *ultra*, videtur connotare designatos, tamquam terminum, ultra quem alij sint: sicuti nemo diceret locum aliquem esse ultra marinum, seu ultra mare, nisi sit mare, ultra quod est talis locus. Requiritur ergo quòd aliqui sint designati, ut aliqui alij tunc tangentes dicantur esse ultra designatos. Ita sibi objicit Dicastillo de Sacramento Matrimonij disp. 7. n. 280.

Dicastillo.

Nihilo-

Nihilominus, inquit, si spectemus vim vocis, *Vltra*, etiam in hoc casu dicendum videtur non requiri designatos aliquos, ut alij non designati, qui tangunt, dicantur esse ultra designatos; idque maximè locum habet; quando illud, quod apponitur post verbum *Vltra* involvit negationem; tunc enim solùm requiritur, quòd illud aliud, quod negatur, non fiat; non verò quòd aliquid aliud antecedenter fiat.

Exemplo res fiet manifesta. Nam si præcipiatur quòd nemo gestet tale genus armorum ultra milites, etiamsi nullus sit miles, qui talia gestet arma, & fortè communes cives gestant, censentur contravenire legi præcipienti, ut nemo ultra milites gestet. Huc usque Dicastillo; nec malè.

Videtur idem esse ac si diceretur: *Nullus qui designatus non fuerit contrahet cognationem.*

Unde verba Tridentini videntur habere hunc sensum: *Nullus, qui designatus non fuerit, contrahet cognationem*; sicuti in exemplo mox allegato; *Nullus qui miles non est, feret talia arma, sive milites aliqui sint, sive non sint*, quod videtur impertinens ad veritatem illius propositionis.

67. Sed numquid, quæ militis, eadem est ratio Patrini? Non puto. Quæ ergo differentia? Respondeo, quòd nulla sit necessitas militum, qui talia gestent arma: at verò ex constitutione Ecclesię oportet in Baptismo solemni semper esse aliquos Patrinos. Quando itaque non sunt designati, qui tangant, videtur esse mens Ecclesiæ, ne baptizatus careat omni Patrino, ut ille qui tangit sit verus Patrinus juxta antiquum jus, ne Baptismus destruatur illâ solemnitate. Neque enim per hoc præcisè multiplicabitur cognatio, quia non propterea plures contrahent cognationem; veluti, cùm & ipsi designati tangunt, & præter ipsos adhuc alij, quam solam multiplicationem voluit Trident. evitare.

68. Nõn designatum contrahere cognationem: si alij designati non tangant.

Si inferas: ergo tametsi aliqui forent designati, si tamen non tangerent, & alij non designati tangerent, isti non designati contraherent cognationem. Respondeo, hoc non esse inconveniens; neque manifestè repugnat verbis Tridentini, quæ patiuntur explicationem jam dictam.

Henriquez.

Et ita docet Henriquez lib. 12. de Matr. c. 11. n. 3. ubi ait (teste Sanchio supra n. 20.) unum solum tenentem infantem, quamvis non sit à parentibus designatus, sed ipsis invitis id munus obeat, effici verum Patrinum, ac contrahere hanc cognationem. Perinde certè est nullum ex designatis id munus exequi, & nullum fuisse designatum. Atque hanc sententiam Sanchez supra vocat valde probabilem, quamvis oppositam existimet probabiliorem.

Judicatur probabile à Sanchez, quamvis contrarium existimet probabilius.

Equidem illam majorem probabilitatē, non efficaciter concludunt illa verba Concilij, supra in 2. argumento Sanchij allegata: *Omnibus inter alias personas* &c. Enimverò afficiunt solam cognationem, quæ oritur ex Confirmatione. Patet ex verbis præcedentibus. *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas* &c. 69.

Triden.

Ubi nulla fit mentio designationis, aut numeri Patrinorum; ac proinde circa Patrinum Confirmationis videtur manere jus antiquum in suo robore: & ideo unum solùm esse adhibendum, & quotquot confirmatum tetigerint, contrahere cognationem. Quidni, cùm decretum Tridentini sit correctorium juris communis, adeoque restringi debeat, & ampliari non possit ultra terminos, in quibus loquitur? Loquitur autem de Patrino solius Baptismi.

Accedit, quòd quando textus aliquis, idem prorsùs, quod de Baptismo statuerat, vult in Confirmatione servari, id disertis verbis explicet. Ut constat ex c. fin. de Cog. spirit. in 6. ibi: *De Confirmatione insuper quantùm ad hoc, idem iudicium est habendum.* Et c. 1. sic lego: *Eadem quæ de suscipiente sunt dicta, sunt etiam de baptizante censenda.* 70.

Si ergo fuisset mens Concilij idem omnino quoad omnia statuere in Patrino Confirmationis, quod antea statuerat in Patrino Baptismi, cur non simpliciter dixisset: *Eadem quæ de suscipiente in Baptismo sunt dicta, sunt etiam de suscipiente in Confirmatione censenda?* Profectò, inquit Sanch. supra n. 9. negari non potest, rem hanc non esse claram, sed difficultatem habere. Profectò, dico ego, si hæc res non est clara, valde obscura est probatio Sanchij, quæ petitur ex illis verbis: *Omnibus inter* &c.

Sed valde obscura est probat.

Ad Confirmationem dico; non esse mentem Concilij coarctare jus antiquum ultra proprietatem suorum verborum: verba autem ejus non restringunt numerum Patrinorum, sed potiùs ampliant, ut pater. Et ut esset mens Trident. restringere, sufficeret simplex prohibitio, ubi verba non clarè sonant irritationem. 71.

Et inefficaciter confirmat.

Restringit ergo jus antiquum irritando illud, quoad confraternitatem spiritualem, & ex parte compaternitatem, auferens impedimentum dirimens, quòd olim erat inter baptizatum ex una parte & suscipientis filios, ac uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem ex altera c. 1. de Cog. spirit. in 6. Item inter patrem baptizati, & uxorem levantis priùs ab eo cognitam c. 4. de Cog. spirit. Denique inter

Cap. 1. de Cog. spirit. in 6.

Cap. 4. de Cogn. spirit.

Cap. 8. eodem.

inter baptizatum, & filium baptizantis c. 8. eodem.

Atque in hoc satis reducit matrimonium ad pristinam suam naturam, ut non propterea debeat derogare omnibus antiquis juribus, quæ simpliciter dicunt, omnes tangentes contrahere cognationem: abundè sufficit, quòd non contrahant cum omnibus illis, cum quibus antea contrahebant; immò nullam contrahant si sint designati, qui tetigerint.

72. Respondetur ad alia fundamenta Sanchez

Ex quibus non difficile erit respondere ad 3. & 4. fundamentum Sanchij. Tertiò (inquit) quia decretum irritans semper inducit novam actûs formam. Cùm ergo decretum Tridentini irritet cognationem inter Patrinos non designatos, petet designationem, tamquam formam, quâ non servatâ corruet cognatio.

Dicentis designationem esse formam.

Est petitio principij, de hoc enim quærimus, an Trident. irritet cognationem inter quoscumque non designatos, an verò solùm inter non designatos, quando aliqui designati sunt, qui tangunt.

73.

Tandem (inquit Sanchez) quia dispositio Concil. Trid. restringens hoc impedimentum ad pauciores personas, non tamquam odiosa & restringenda, est concipienda, sed tamquam favorabilis, & proinde extendenda. Quamvis enim corrigat jus commune, at reducit Matrimonium ad suam pristinam naturam; juxta quam validũ erat inter omnes illas personas: & coarctat ejus impedimẽtum dirimens. Edictum enim de Matrimonio non contrahendo est odiosum.

Et decretum Tridentini esse favorabile.

Respondeo: esto decretum Concilij sit amplè intelligendum: equidem non ultrà naturalem & civilem proprietatem verborum, nisi ad absurdum evitandum, quale hîc nullum invenitur; quin immo admissâ extensione Sanchij sequitur absurdum, scilicet hujusmodi Baptismum solemnem carere suâ præcipuâ solemnitate, & sic baptizatum carere omni Patrino, & spirituali pedagogo.

Ex quo datur intelligi, quòd licèt dispositio Trident. sit favorabilis in quantùm reducit Matrimonium ad pristinam naturam, odiosa tamen, & restringenda meritò censeri possit, & debeat, quatenùs destructiva, ut sic loquar, præcipuæ solemnitatis, quam Ecclesia voluit in omni Baptismo solemni adhiberi, & quæ maximè utilis est baptizato. Hæc pro prima parte cõclusionis.

74.

Progredior ad secundam, quæ sic se habet: *Si plures quàm duo assignentur, & admittantur, quotquot simul tetigerint, contrahunt cognationem.*

Plures quàm duo assignati & admissi & simul tangentes contrahunt cognationem spiritualem.

Dico *& admittantur*, quia eo ipso, inquit, Sanchez supra n. 15. quòd Parochus Tridentini præceptum exequens, expellit alios præter duos diversi sexûs, censentur illi expulsi perinde ac si designati non essent.

Dicast.

Contrarium putat Dicastillo supra num. 287. Ratio ipsius est: quia ne unum quidem verbum est in Tridentino, quod sonet irritam esse designationem parentum, si Parochus designatos non admittat; neque in toto capite est unum verbum, quô ipsi præcipiatur repellere, aut non admittere aliquem ex designatis, nedum quo infirmetur designatio; sed tantùm ibi dicitur: *Diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat* &c. Quę verba nihil de designatis non admittẽdis, aut rejiciendis habent. Aliud enim est admittere tantùm designatos, aliud verò inter designatos quosdam expellere, & quosdam admittere, quod non decernit Concilium. Huc usque Dicastillo.

Sed videtur legisse Tridentinum sine perspicilijs, id est, inspexisse videtur, sed non perspexisse. Alloquin quomodo ignorare potuisset ly *Tantùm* excludere omnes, etiam designatos, præter *eum*, id est, unum, vel *eos*, id est, unum & unam? Præcipitur ergo Parochis ut non admittant nisi *eum*, vel *eos* à parentibus designatos. 75.

An fortè crediderit Dicastillo Parochum neutiquam peccare ministrando Baptismum vel sine Patrino, vel admittẽdo plures duobus, vel duos tantùm ejusdem sexûs? Non credo. Profectò valde errasset Pontius supra arguens hujusmodi Parochum de peccato mortali, ubi ne quidem veniale commisisset.

Nemo ambigit ministrum Sacramentorum obligari ad Sacramenta ministranda juxta legem, & præscriptum Ecclesiæ. Præscribit autem Trident. in illo cap. *ut unus tantùm vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant*: Parochi ergo est curare ut secundùm illam legem Sacramentum ministretur; ergo repellere debet & non admittere quoscumque, etiam designatos supra illum numerum.

Rit. Rom.

Hinc apposité Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Patrinis. in principio: *Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab ijs, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores, seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant, ne plures quàm liceat, aut indignos vel ineptos admittat.* Sicuti ergo indubiè peccat Parochus admittendo indignos & ineptos, quantumvis à parentibus designatos; ita non dubito quin peccet admittendo plures quàm duos, tametsi à parentibus designatos.

Licèt plures quàm duos admittere sit illicitum:

An autem per non admissionem Parochi 76.

 redda-

reddatur irrita designatio parentum, haud satis clarè exprimitur in Tridentino. Verumtamen quia Parocho incumbit, ut ex Rit. jam jam commemorato manifestum est, rejicere plures quàm duos, similiter non admittere indignos vel ineptos, videtur menti Ecclesiæ fuisse, amovere omnes illos ab hoc munere, qui ex rationabili causa non admittuntur, vel rejiciuntur; dummodo alij admissi tetigerint.

Non tamen invalidam,

Res equidem incerta: unde expressi in conclusione quod certius est: & quod declarasse congregationem Cardinalium testatur Ferdinandus Rebellus 2. de obligat. Justitiæ lib. 3. q. 6. n. 6. & in Appendice ad l. 4. sect. 4. n. 96. in hæc verba: *Quòd si plures sint designati, qui omnes baptizatum tenuerunt, qui omnes fuerunt admissi, nec constat quòd ex decreto Concilij fuerunt designati ad contrahendam compaternitatē, omnes contraxerunt cognationē spiritualem, qui tetigerunt: punito tamen Parocho.* Ita refert Bas. Pontius supra n. 12.

Ferd. Rebellus.

Secundùm declarationem Cardinalium,

Basil. Pontius.

77. Probatur Primò: quia Tridentinum prohibens plurium admissionem, non irritat factum; argumento c. Fin. de Cog. spirit. in 6. ubi, non obstante prohibitione, expressè decernitur omnes tangentes hanc cognationem contrahere.

Cap. fin. de Cogn. spirit. in 6.

Et confirmatur, quia Tridentinum eo cap. 2. permittit, ut unus, vel una tantùm assumatur juxta sacrorum Canonum instituta: ergo eodem modo intelligendum est, quo illi Canones. At illi non irritabant plurium admissionem, sed solùm prohibebant; ergo &c.

Et sacrorum Canonum ...

Probatur Secundò: quia in omnibus designatis & admissis inveniuntur omnes conditiones à Concilio requisitæ, scilicet designatio, & admissio.

Probatur Tertiò: quia communis DD. sententia (teste Sanchio supra n. 13.) tradit, actum gestum contra legem esse firmum, ubi lex non adjicit decretum irritans, pœnamque erga transgressores indicit. Quod in hoc Tridentini decreto reperitur: jubet enim Parocho ne plures quàm duos admittat, nec addit decretum irritans: ac jubet eum plures admittentem puniri arbitrio Ordinarij.

Tridentini decretum, videtur solùm irritans

78. Dices: quidni addat decretum irritans? Ait enim: *Quòd si alij ultra designatos* (scilicet unum & unam ad summum, de quibus supra locutum fuerat) *baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.*

Respondet Sanchez supra: Post prohibitionem admissionis plurium quàm duorum Patrinorum diversi sexûs, ubi Concil. adjicit clausulam irritantem, solùm comprehendit tangentes non designatos: quòd si vellet irritare factum, quando plures duobus designarentur, facilè id posset exprimere, addendo: *Vltra duos designatos*. Cùm ergo id non expresserit, signū est noluisse irritare.

Respectu tangentium non designatorum.

Et ideo hic Auctor amplectitur nostram conclusionem n. 14. tamquam veriorem opposita, & pro illa citat multos DD. n. 13. quam etiam sequitur Dicastil. n. 286. supra.

Sed contra (ut tantò magis elucescat veritas) si Concilium voluisset irritare factum, quando plures designati, & non admissi tangunt, facilè id potuisset exprimere dicendo: *Vltra designatos, & admissos.* Cùm ergo id non expresserit, signum est noluisse irritare. Ecce Sanchez quemadmodùm tibi securis in crura redit. 79.

Objectio.

Et si quispiam pro te reponat: admissio in decreto irritante subintelligitur: dico ego similiter; numerum Patrinorum subintelligi, ut sensus sit, quem supra insinuavi: *Quòd si alij ultra designatos*, scilicet unum & unam ad summum, de quibus Concil. antea fecerat mentionem, *baptizatum tetigerint* &c.

Dices; rejectus à Parocho perinde habetur, ac si non fuisset designatus. Respondeo; designatus ultra duos perinde habetur ac si designatus non fuisset, quia illegitimè designatus: decretum autem irritans videtur intelligendum de ijs, qui legitimè designantur, ut sensus sit: *Quòd si alij ultra legitimè designatos* &c. id est, ultra unum & unam, sive ultra duos diversi sexûs.

Unde eadem est difficultas de duobus ejusdem sexûs: nam alter eorum est illegitimè designatus, & cùm non sit major ratio de uno quàm de altero, uterque.

Atque ex his satis probabile est, nullum eorum, qui illegitimè designantur, contrahere cognationem spiritualem; quia nullus eorum exercet munus illud eo modo, quo ab Ecclesia statutum est, ac proinde nullus est, verus ac legitimus Susceptor. Tridentinum enim hoc munus restrinxit ad illum, qui fuerit vel totalis Susceptor, vel ita partialis ut solùm habeat alium socium diversi sexûs. 80.

Probabile est nullum eorum, qui illegitimè designantur contrahere cognationem.

In hanc sententiam magis inclinat Suarius 3. parte q. 67. a. 8. §. Sed quæres, quamvis dicat, alijs probabile videri posse, omnes contrahere; & ideo quia res est dubia, abstinendum esse à Matrimonio.

Suarez.

Fateor rem esse dubiam: & quia in dubio de valore actûs, præsumendus est valor, ut ex jure civili & canonico ostendimus conclus. 4. circa finem; ideo cum Sanchio & alijs non paucis, præsertim accedentibus declarationibus Cardinalium, (quæ quamvis non satis authenticę juxta determinationem Urbani VIII. superiùs allegatam, magnæ tamen

In dubio de valore actûs præsumitur valor, nisi aliquid aliud obstet.

tamen sunt auctoritatis) eligo rursùm & dico; omnes designatos & admissos, legitimè vel illegitimè esse veros Susceptores, & per consequens contrahere cognationem spiritualem, nisi aliquid aliud obstet. Plura de hac cognatione in materia de Matrimonio. Hæc pauca impræsentiarum volui exscribere, ne principalior obligatio Patrinorum videretur totaliter prætermissa.

81. Et hactenus quidem de Baptismo fluminis (qui est propriè dictum Sacramentum) & (quantùm sufficit pro hoc loco) de Baptismo Flaminis, sic dictus, quoniam in adultis supplet vicem Baptismi fluminis, conferendo gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum, quamvis diverso modo, scilicet ex opere operantis; unde non est verum Sacramentum, sed votum dumtaxat Sacramenti; perfecta utique contritio, vel amor Dei super omnia, de quibus latiùs disp. 6. de Virtute Pœnitentiæ.

His duobus Baptismatibus adjungunt communiter Theologi Baptisma Sanguinis, cujus in præcedentibus aliquoties fecimus mentionem, & explicationem ad calcem disputationis rejecimus. Sit itaque

SECTIO SEPTIMA.

De Baptismo Sanguinis seu Martyrio.

1. S. Aug. Postquam Dominus Christus in *Ecclesia sua Sacramentum novi Testamenti pro Circumcisione carnis Sanctum Baptismum dedit, & apertissimè dixit*: Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: *iam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi fortè quos angustia temporis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro Baptismo deputata est.* Verba sunt magni Patris Aug. Epist. 108.

Quid sit Martyrium, & cur appelletur baptismus sanguinis. Ex quibus haud difficile erit unicuique colligere, quid sit Martyrium, & cur appelletur Baptismus Sanguinis? Quid, inquam, sit Martyrium, scilicet passio mortis pro fide Christi: & cur appelletur Baptismus sanguinis; quia videlicet pro Baptismo fluminis deputatur.

Quæris quomodò deputetur? Audi eumdem Sanctum & Eximium Ecclesiæ S. Aug. Doctorem lib. 13. de Civit. c. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.*

Joan. 3. v. 5. Probationem continuò attexit: *Qui enim dixit*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: *aliâ sententiâ istos fecit exceptos, ubi* Matth. 10. v. 32. *non minus generaliter dixit*; Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Matth. 16. v. 25. *Et alio loco.* Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. *Hinc est quod scrip-* Psal. 115 v. 15. *tum est*: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Quid enim pretiosiùs quàm mors per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur?* Hactenùs D. Aug.

De hoc ergo Martyrio præsens instituitur Sectio; & disputatur Primò, quid ad ipsum sit necessarium. Secundò, quam efficaciam habeat. Tertiò; quando conferat suum effectum. Ut autem omnia enucleatiùs proponantur, & quâ par est claritate discutiantur, rursùs definio seu describo Martyrium, & dico

CONCLUSIO I.

Martyrium est mors illata pro fide Christi, aut vera virtute.

Martyrium græcè, latinè idem est quod testimonium; equidem secundùm usum Ecclesiasticum appropriatur testimonio, quod datur Deo, vel Christo per mortem. Notate verba, signate mysteria. 2. Conditiones ad martyrium requisitæ.

Primum mysterium explicat D. Aug. con. 2. super illud Psal. 34. *Deus meus & Dominus meus in causam meam. Non in pœnam meam, inquit, sed in causam meam. Non in id, quod mecum habet latro commune, sed in illud, quod beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hæc enim causa discreta est. Nam pœna similis est bonis, & malis. Itaque Martyres non facit pœna* (supple, sola) *sed causa.* S. Aug.

Hinc scribens Bonifacio comiti Epist. 50. asseveranter loquitur dicens: *Veri Martyres illi sunt, de quibus Dominus ait*: Beati qui persecutionem patiuntur propter justi- Matt. 5. v. 10.

 tiam,

tiam. *Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, hi Martyres veri sunt.*

Confirmat exemplo Christi: *Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est. Sed quos passio iungebat, causa separabat. Ideo in psalmo vox illa intelligenda est verorum martyrum, volentium se discerni à martyribus falsis:* Judica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta: *Non dixit,* discerne pœnam meam, *sed* discerne causam meam. *Potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est Martyrum causa.* (Psal. 42. v. 1.)

3. Credo jam intelligitis, quæ sit prima conditio requisita ad verum & propriè dictum Martyrium, scilicet ut sit testimonium fidei, aut veræ virtutis. Addo, *Aut veræ virtutis*, quia Ecclesia colit pro veris Martyribus Thomam Cantuariensem occisum in defensionem libertatis Ecclesiasticæ, multas Virgines interemptas pro custodia castitatis, Machabæos interfectos pro observatione legis judaicæ. (Quarum prima est ut sit testimonium fidei aut veræ virtutis:)

Veri ergo Martyres sunt qui moriuntur, quia jejunaverunt, oraverunt, Missam audierunt aut celebrarunt, Sacramenta administrarunt, aut receperunt &c. hi enim omnes testimonium exhibent Deo sive Christo, quatenùs profuso sanguine approbant legem Dei, & doctrinam Christi de virtutibus nobis traditam.

4. Num igitur dixerim Martyrem, qui occiditur, quia solvit debitum justitiæ? quia ex officio quod justum est judicavit? Dixerim planè, si solam causam mortis spectes: neque enim minùs virtus justitiæ, quàm castitatis ex fide relucet; & si castitatem corde credimus ad justitiam, & ore confitemur ad salutem, quidni etiam justitiam? Enimverò qui dixit: *Non furaberis*, etiam dixit: *Non occides*, *Non furtum facies* &c.

Si ergo à me quæritur quæ sit vera Virtus, citiùs Respondeo, quam docet vera fides, & ideo qui confitetur veram virtutem, etiam implicitè testimonium perhibet veræ fidei, & per consequens auctori veræ fidei, scilicet Deo aut Christo. (Vera autem virtus est quam docet vera fides.)

5. Dices; hæreticus potest occidi pro vera virtute, quis tamen eum dixerit Martyrem? *Foris*, inquit D. Aug. Epist. 204. *ab Ecclesia constitutus, & separatus à compage unitatis & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christo vivus incendereris.* Probat ex Apostolo: *Hoc est enim quod ait Apostolus: Etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Illud verè dixit Apostolus. (S. Aug.) (1. Cor. 13. v. 3.)

Verissimè. Sed revoca mihi animum ad sanam considerationem, & sobriam cogitationem: attende diligenter, utrùm hæreticus, quicumque ille sit, moriatur pro fide Christi, aut virtute, quæ à vera fide Christi commendatur, & non potiùs pro defensione proprij judicij & arbitrij; enimvero eodem modo foret paratus mori pro quacumque alia re, quam eodem modo credit, tametsi fidei Catholicæ repugnaret. (Pro qua nō censetur mori hæreticus.)

Eleganter appositè D. Aug. lib. 4. contra Jul. c. 3. *Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus:* Deus virtutum converte nos. *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis, & emolumentis temporalibus serviunt veræ prorsùs esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Et putas quia virtutes serviunt Deo in hæreticis, qui Deo verâ fide supernaturali non credunt? Quomodo ergo morientur pro veris virtutibus, qui illas in se non habent? (S. Aug.) (Quia virtutes non serviunt Deo in Hæreticis.)

6. Ex quo etiam liquet non esse verum Martyrem, qui ex vana gloria, aut alio motivo humano mortem acceptat; quia talis non moritur pro fide Christi, aut verâ virtute; etenim si efficacia talis motivi spectetur, non minùs erit paratus ad falsitatem profitendam quàm veritatem, si existimet non minùs unâ viâ, quàm aliâ famam se posse acquirere. (Sicut nec in acceptantibus mortem ex vana gloria.)

Unde D. Aug. supra: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus, à quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti. Sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominis magis quam Dei facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit, quod non bonâ voluntate facit, Absit enim ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in alijs, vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* (S. Aug.) (Quorum voluntas nō est bona.)

7. Ut autem hæc difficultas perfectiùs exhauriatur. Noto aliud esse Martyrium parvulorum, aliud Martyrium adultorum; aliud, inquam, non in sua essentia; nam utrumque essentialiter est mors illata pro fide Christi, aut vera virtute, sed aliud in suo subjecto; hoc est, Martyrium adultorum aliquid requirit in Martyre adulto, quod Martyrium parvulorum non requirit in Martyre parvulo. (Aliquid requiritur in Martyre adulto, quod non in parvulo.)

Sicuti Baptismus adulti est essentialiter idem Sacramentum cum Baptismo parvuli; equidem ut valeat Baptismus adulti aliquid requiritur

requiritur in adulto, quod minimè requiritur in parvulo, ut valeat Baptismus parvuli. Et quid illud? Consensus, saltem habitualis.

Acceptatio videlicet mortis ex motivo virtutis.

Et verò quid illud, quô indiget Martyr adultus præ parvulo? Consensus, saltem habitualis, vel interpretativus, id est, ut adultus sit verus Martyr debet mortem illatam propter fidem Christi, aut veram virtutem, ex eodem motivo acceptare, saltem interpretativè. Alioquin quomodo moritur pro Christo, aut vera virtute? Eo modo, inquis, quo parvulus.

8. Sed contra: parvulus est incapax propriæ voluntatis, & ideo testimonium, quod nondùm potest sermone, perhibet passione, & sufficit causa testimonio, licèt non eloquio distinguatur. Unde cantat Ecclesia in Collecta: *Deus cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.*

Acceptat ergo Deus illam mortem pro formali testimonio, supplens ex meritis Christi defectum propriæ voluntatis, ut sicut voluntas, & peccatum Adami parvulis obfuit, ut nascendo ex illo contraherent peccatum; ita voluntas, & meritum Christi illis prodesset, ut renascendo sive in aqua, sive in sanguine, per ipsum consequerentur justitiam.

De adulto autem quid? Cùm sit capax propriæ voluntatis, &, ut sic loquar, formaliter homo, id est, humano modo operans, jure merito ut renascendo in sanguine per Christi merita consequatur justitiam, jure, inquam, meritissimo exigit ab eo Deus testimonium non tantùm materiale, per violentam mortem pro Christo illatam, sed maximè formale, id est, acceptationem illius mortis ex eodem motivo: nam & renasci in aqua non potest, nisi per voluntariam susceptionem Baptismi fluminis, ut patet ex dictis disp. 1. sect. 8. conclus. 2.

9. *Eò quòd Martyrium sit actus virtutis.*

Accedit, quòd, secundùm communem sensum Ecclesiæ, Martyrium adultorum sit actus virtutis, quem nemo propriè exercet absque aliquo suo consensu.

Quæris cujus virtutis? Respondeo illius, ex cujus motivo suscipitur. Si ergo Martyr sustinet mortem, quia est res Deo placens, erit Martyrium actus Charitatis, sin autem quia conducit ad æternam vitam consequendam, erit actus spei, & sic de ceteris.

Dicitur autem communiter à DD. actus fortitudinis; quia ad Martyrium requiritur maximum animi robur, & versatur in materia fortitudinis, idque excellentissimâ. Etenim quod dicit Aristoteles, materiam propriam fortitudinis esse pericula bellica, non est intelligendum tantùm de periculis bellicis publicis, ubi pro salute patriæ decertatur, sed etiam de privatis, quando alicujus vita ab aliquo privato impetitur.

Potest esse actus elicitus fortitudinis, sic tamen ut sit actus imperatus Charitatis, Spei aut alterius virtutis cum relatione aliqua in Deū.

Unde nihil obstat quò minùs Martyrium possit esse verus actus elicitus fortitudinis (decet siquidem hominem fortem potiùs mortem suscipere, quàm veram fidem Christi negare) sic tamen ut sit actus imperatus Charitatis, Spei, aut alterius virtutis cum relatione aliqua in Deum: aliàs enim non patietur mortem propter Christum; nam ut homo capax propriæ voluntatis dicatur aliquid agere, vel pati propter Christum, debet aliquo modo referre actum, vel passionem suam in Christum.

10. Dicebat olim Petrus ad Jesum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Matth. 19. v. 27. Et meruit audire: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione* &c. v. 28. *Matth. 19.*

Quæ verba expendens D. Hier. lib. 3. in Matth. c. 19. ait: *Non dixit,* Qui reliquistis omnia: *hoc enim & Crates fecit Philosophus, & multi alij divitias contempserunt: sed,* Qui secuti estis me: *quod propriè Apostolorum est, atque credentium.* *S. Hieron.*

Sed quid hoc ad propositum? Multum per omnem modum. Non dixit Christus Matth. 16. v. 25. *Qui perdiderit animam suam, inveniet eam:* Nam & multi Gentiles perdiderunt animam suam propter naturalem honestatem virtutis: sed: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; quod propriè Apostolorum est atque credentium, qui spe retributionis æternæ, vel quod perfectius est, ex affectu dilectionis Dei super omnia, maluerunt omnia relinquere, etiam vitam ipsam, quàm fidem Christi, aut veram virtutem in minimo negare. Hi sunt qui corde credunt ad justitiam, & ore confitentur Christum, ejusque virtutes ad salutem; & ideo merentur audire à Christo: *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Matth. 10, v. 32. *Matth. 16.* *Matth. 10.*

11. *Quòd sufficiat actus Spei.*

Dixi, *spe retributionis æternæ*; nam quod quidam asserunt, intrà Ecclesiam Catholicam mortem debere suscipi ex pura Charitate, maximè si intelligant de Charitate Dei super omnia, nequaquam placere potest: multi enim Martyres elegerunt mortem pro fide Christi, ne vitâ æternâ exciderent, & æternam mortem pro momentanea incurrerent; ut ex gestis Martyrum constat.

Constat ex gestis Martyrum.

Et quid mirum, cùm hæc sit præcipua ratio, quam Dominus ipse nobis ob oculos ponit

Matth. 16. ponit Matth. 16. v. 25. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Vel ut legitur apud Evang. Marcum c. 8. v. 35. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.* Certè innumeris locis Scriptura excitat homines ad bene operandum intuitu mercedis æternæ. Sed de hac controversia alibi.

Mar. 8.

Et diversis Scripturæ testimoniis.

Tantùm hîc adverte locum D. Aug. quem illi Auctores adferunt pro sua opinione nihil minùs probare. Est autem lib. 4. de Baptismo c. 17. ibi: *Quòd si propter hoc, quia Charitas deest* (id est, unio cum Ecclesia Catholica, ut exponit epist. 204. supra allegatâ) *passio hæretico nihil prodest, nec illis prodest, quos in invidia intùs & malevolentia sine Charitate vivere Paulus dicit, Cyprianus exponit.* Bene, optimè. Sed pessima consequentia: Ergo passio, ut prosit, debet suscipi ex pura Charitate. Numquid qui suscipiunt ex spe retributionis æternæ, Paulus dicit vivere in invidia intus & malevolentia sine Charitate? Numquid Cyprianus exponit?

Explicatur certus locus D. August.

12. Necessitas acceptationis malè videtur colligi ex eo quòd Martyrium sit actus virtutis.

Sed mittamus ista, & respondeamus illis, qui jam dictis opponunt, malè colligi necessitatem acceptationis, ex eo, quòd Martyrium adultorum sit actus virtutis: Primò; quia non requiritur acceptatio expressa, sed sufficit interpretativa; hæc autem, cùm non sit actus specialis voluntatis terminatus ad Martyrium, nequit pertinere ad virtutem Martyrij.

Probatur 1.

Probatur 2. Secundò; quia etsi actus internus acceptans perpessionem mortis sit actus virtutis; ipsa tamen perpessio sæpe potest esse sine omni actu interno, ut patet in dormiente, parvulis &c.

Probatur 3. Tertiò; est quidem actus virtutis quando adest acceptatio expressa ob motivum honestum; sicut tamen ad verum Baptismum sufficit quilibet consensus voluntatis, cur non idem sufficit ad verum Martyrium; esto ad fructuosum Martyrium requiratur certa dispositio voluntatis?

13. Respondetur ad ultimam probationem.

Respondeo; quia Martyrium non est tantùm voluntaria perpessio mortis; sed voluntaria perpessio mortis propter fidem Christi, aut veram virtutem: quamvis nec omnis talis perpessio sit fructuosa, ut constabit ex infra dicendis de dispositione requisita in peccatore, ut in eo Martyrium operetur suum effectum.

Longè alia est ratio de Baptismo, cujus tota essentia consistit in ablutione aquæ cum certa forma verborum; quid ergo mirùm, si ad valorem ejus sufficiat quiscumque voluntatis consensus, nam etiam quæcumque intentio ministri sufficit. Breviter, Baptismus est Sacramentum: Martyrium neutiquàm, sed actus heroicæ fortitudinis, saltem materialis, cui Deus annexuit gratiam sanctificantem ultra meritum. Assignando disparitatē inter Baptismum & Martyrium.

Ad secundum dico, perpessionem mortis in somno, antea prævisam & acceptatam, esse actum virtutis eo modo, quò homicidium in somno antea prævisum, & acceptatum est peccatum, quod sufficit. Quod additur de parvulis impertinens est, quia probatio nostra solùm loquitur de Martyrio adultorum. 14. Responsio ad 2. probationem.

Venio ad primum, & audio dicentem Regium q. 66. a. 12. dub. 2. n. 136. Sufficit ut quis habeat voluntatem interpretativam aut habitualem, qualis est Primò in eo, qui fugiens tyrannum, à quo compellitur ad impia, in fuga subitò configitur. Secundò in eo, qui sollicitatus ad defectionem à fide, quia hanc recusavit, dormiens occiditur: Imò videtur sufficere, ut in odium fidei occidatur, etsi de confessione priùs nihil cogitaverit: v. g. si in subito hostium incursu deprehendatur dormiens, & in odium fidei occidatur. Colligitur apertè ex D. Tho. infra q. 87. a. 1. ad 2. Hæc Regius. 15. Sententia Regij.

Et probat Primò: quia hic verè perdit animam propter Christum, quod videtur sufficere ad Martyrium, cùm hoc non consistat in actione, sed passione. Secundò, quia infantibus hoc modo obita mors sufficit ad Martyrium; cur non etiam adultis justis?

Interrogo ego: cur non etiam adultis peccatoribus, si non ut fructum recipiant, saltem ut sint veri Martyres? Ratio ergo disparitatis supra est assignata, quia hic est hic, & ille est ille, id est, quia parvulus est incapax propriæ voluntatis, & adultus capax, & ideo meritò plus exigit Christus ab adulto, ut censeatur pro illo mori, quàm à parvulo. 16.

Ex quo patet responsio ad primam probationem, nimirum Martyrium consistere in passione; sed voluntariâ, quando subjectum est capax. Sicuti Baptismus, ut suprà dixi, consistit in ablutione activa, & passiva cum certa forma verborum; sed voluntariâ, etiam ex parte suscipientis, si est capax; alioquin in parvulis sufficit voluntarium ex parte ministrantis. Respondetur ad primam probationem, & reijcitur sententia Regij.

Quid ergo ad D. Thomam? Si est sententia D. Thomæ jungo dexteram. Hæc sunt verba ejus loco citato: *Ad secundum dicendum, quod passio pro Christo suscepta.... obtinet vim Baptismi. Et ideo purgat ab omni culpa & veniali,* 17. D. Thom.

& veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inveneris inhaerentem. Loquitur de eo, qui dormiens occideretur propter Christum.

Sed quis hoc negat? Nonne etiam Catechumenus dormiens validè & fructuosè potest baptizari? Nemo dubitat, si tamen antea habuisset propositum explicitum vel implicitum Baptismi, ut dictum est disp. praeced. sect. 8. conclus. 2. Ergo verus esset Martyr, qui dormiens occideretur, esto nihil antea cogitaverit, aut voluerit de Martyrio sive implicitè, sive explicitè, negatur consequentia: sicuti non sequitur; ergo dormiens, qui numquam cogitavit, aut voluit implicitè, vel explicitè Baptismum, validè baptizatur.

18. Ecce candide Lector quàm apertè ex D. Thoma Regius colligat suam sententiam; cui proindè meritò à plurimis contradicitur; ab iis utique omnibus, qui eumdem consensum requirunt ad Martyrium, qui requiritur ad validum Baptismum. Et quis ille? Consensus ad minùs habitualis, id est, actualis praeteritus, explicitus, vel implicitus, non revocatus: & ille consensus est sufficiens, ut actualis perpessio mortis, postea involuntariè subsecuta, denominetur actus externus virtutis.

Sufficit ad Martyrium consensus habitualis.

Hinc si quis ob fidem conjectus in vincula, statueret apud se mori potiùs, quàm fidem negare; & ille postea in somnis odio fidei interficeretur, esset verè Martyr. Nam illam mortem acceptavit; ejusque perpessio est ei voluntaria, quatenùs pendet à voluntate praecedente, & habitualiter perseverante.

19. Sed pono casum, aliquis cum S. Joanne Baptista dicit Regi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, praevidens se propterea occidendum. Occiditur quando nihil minùs cogitat: Num erit verus Martyr? Erit planè (inquis) tametsi numquam expressè & explicitè mortem acceptasset. Nam qui vult media, ex quibus advertit finem secuturum, moraliter censetur velle finem.

An sufficiat consensus interpretativus.

Sed meo judicio res non caret difficultate: stat siquidem cum hujusmodi actu expressa nolitio mortis. Sicut in simili diximus de Baptismo disp. praeced. loco supra citato, non sufficere ad valorem Baptismi consensum interpretativum; v.g. praevidet quis se baptizandum in ebrietate, inebriat se, baptizatur, probabile est Baptismum non valere, nisi aliquo expresso actu acceptaverit ante ebrietatem Baptismum tunc conferendum; idque ideò, ut aliqui volunt, quia cum illa voluntate interpretativa, stat directa nolitio Baptismi.

Unde respondeo ad probationem cum distinctione, qui vult media, ex quibus advertit finem secuturum ex natura rei infallibiliter, moraliter censetur velle finem, transeat; ex quibus advertit finem secuturum ex libera alterius voluntate, nego. Sic quippe puella honestè se ornans non dicitur moraliter velle libidinosam concupiscentiam juvenis, etsi eam praevideat certò moraliter secuturam. 20.

Responsio ad probationem sententiae affirmativae.

Vel ergo dicendum est non requiri idem voluntarium ad Martyrium, & Baptismum; vel asserendum etiam ad Baptismum sufficere consensum interpretativum, aut certè negandum hunc fore verum Martyrem. Elige quod placet; equidem tale Martyrium non erit sine aliquo vero actu virtutis, ut patet.

Neque hinc sequitur hujusmodi hominem fore verum Martyrem, quantumvis mors re ipsa non inferretur; quia non cuilibet actui virtutis promissa est gratia Martyrii, sed actui virtutis interno conjuncto cum externa perpessione mortis.

Caeterùm ad Baptismum requiri majus voluntarium docet consequenter Regius supra num. 137. Primò; quia per Baptismum suscipitur novus status & obligatio, quam à libero convenit liberè suscipi: secus est in Martyrio. Secundò; quia Baptismus est institutus in remissionem peccati: Etsi autem conveniat infantes, qui non peccarunt propriâ voluntate sine propria voluntate justificari, non tamen convenit adultos ita justificari, quia propriâ voluntate peccarunt. Unde nec Martyrium adultos peccatores justificat sine proprio motu voluntatis. In justis autem haec locum non habent, cùm non agatur de eorum conversione ad Deum, sed de munere quodam accipiendo, quo damnum, quod Dei causâ patiuntur, ejusdem liberalitate compensetur. Haec ille. 21.

Regius ad Baptismum requirit majus voluntarium quàm ad Martyrium.

Verùm enimverò si de liberalitate agitur; dicamus Deum requirere actualem Martyris ad se conversionem; num ideò non erit liberalis? Quid si sufficiat habitualis? Tantò plus erit liberalior.

Minùs solide tamen fundatur id Dei liberalitate.

Dices cum Regio supra; justis habitualiter saltem talis mors est voluntaria; quia ratione Charitatis infusae habitualiter inclinantur ad mortem Dei causâ subeundam. Cùm itaque talis habitualis voluntas sufficiat, ut quaedam Sacramenta cum effectu suscipiantur; nam Confirmatio, Extrema Unctio atque Baptismus validè conferuntur cuivis per contritionem justificato, & jam 22.

An in charitate infusa.

& jam omnibus sensibus destituto, cur non etiam sufficiat ad effectum Martyrij, cùm Patres huic majorem vim tribuant quàm Baptismo?

Eò quòd illa sit tantùm implicita voluntas mediorum ad salutem necessariorum. Respondent aliqui; quia justitia habitualis, & maximè contritio, per quam est acquisita, censetur implicita voluntas & acceptatio cujuscumque medij necessarij ad salutem: constat autem Baptismum esse medium necessarium; secùs Martyrium; cùm in persecutionibus per se loquendo liceat fugâ, pecuniâ, imò precibus exteriorem fidei confessionem declinare, ac veram fidem dissimulare.

23. Adde; Confirmatio, Extrema Unctio, Eucharistia, imò & Pœnitentia, quamvis non omnia sint necessaria ad salutem, tamen sunt remedia ordinaria, quæ omnes Christiani in extremis petere solent, si ratione utantur; & ideo vita Christianè acta per frequentationem Sacramentorum, ab omnibus habetur implicita eorum petitio; ut omittam quòd, antequam inciderent in morbum, indubiè sæpiùs habuerint expressum propositum illis utendi in eo articulo; quod propositum habitualiter perseverat, etiam dum ratione non utuntur; quia numquam fuit revocatum.

Aut saltem ordinariorum.

At verò Martyrium est remedium planè extraordinarium & valde singulare, nec omnes ita sunt affecti ut id desiderent, aut aliquando desideraverint explicitè; neque ipso modo vivendi satis declarant se id cupere; sicuti etiam non censentur velle Sacerdotium, aut Matrimonium; quamvis sint vera Sacramenta, non minùs collativa gratiæ sanctificantis, quàm Martyrium, & alia Sacramenta, quæ omnes censentur implicitè petere.

Non sic extraordinariorum aut valde singularium, quale est Martyrium.

Si reponas; quia Sacerdotio, & Matrimonio annectuntur gravia onera, ad quæ Deus neminem voluit obligare, nisi liberè protsùs consentiret. Contra facit, quòd nullum sit majus onus ipsâ morte, quæ non semper est in præcepto, ut statim dixi.

24. Dices; inde solùm videtur sequi, quòd non velit mortem absolutè. Quòd autem non velit etiam conditionatè, ut si fortè inferatur dormienti, vel nihil de ea cogitanti, prosit ipsi optimo modo quo potest, unde constat? Certè rogati etiam tepidi Christiani sic responderent. Planè sic responderent; sed hîc quæritur an talis voluntas sufficiat, quod multi negant.

Interim tamen si daretur casus, quo Martyrium esset in præcepto, tunc, fateor, per quemlibet actum charitatis sive contritionis, aut etiam efficacis attritionis, censeretur potiùs velle mori, quàm Deum offendere aut fidem negare; ac proinde si quis eo casu etiam de morte non cogitans occideretur, esset verè Martyr.

Nisi fortè in præcepto.

Ast quis ille casus, quo dormienti v. g. qui antea nihil de confessione fidei cogitavit, Martyrium est in præcepto? Per verbum nescio solvitur omnis quæstio. Herculè tunc solùm præcipitur Martyrium, quando vel fides est neganda, vel mors oppetenda. Existimas autem quia dormiens, qui de confessione fidei priùs nihil cogitavit, aliquando fidem negavit, aut negare potuit? A sæculo non est auditum. 25.

Quod est, quando vel fides est neganda vel mors oppetenda.

Quid ergo si dormiens sit peccator, & solùm attritus, nonne tunc saltem censebitur implicitè velle illam mortem tamquam unicum medium necessarium ad salutem? Quidni, cùm ita censeatur velle Baptismum?

Utcumque ergo sit de voluntate tantùm interpretativa, puto omninò sufficere, si quis extra periculum sic esset actualiter constitutus, ut in necessitate faciendi alterutrum, mori mallet, quàm fidem negare (si vera sit & absoluta voluntas; nam sæpe tantùm sunt velleitates) quia præcedens voluntas non retractata sufficit ut occidendus censeatur se habere passivè etiam in morali æstimatione (ut in Baptismi susceptione) neque debet ipse activè influere, cùm Martyris sit pati, non activè influere in mortem. 26.

Nec refert quòd fortè in medijs periculis animum mutaret; quia hæc conditionalis propositio nihil ponit in re. Sicut quòd infirmus hoc vel illud Sacramentum noluisset, si hoc vel illud scivisset, non tollit habitualem consensum, & implicitam petitionem, si absolutè & simpliciter ante infirmitatem voluit.

Hæc est vera voluntas habitualis, à qua sola verè & propriè denominatur homo habitualiter volens. Enimvero quis Theologorum sic umquam fuit locutus: *Infans per Baptismum justificatus habitualiter vult & consentit in mortem pro fide Christi postea inferendam?* Omnes per voluntatem habitualem intelligunt non habitum aliquem, sed actum præteritum non revocatum.

Per voluntatem habitualem intelligitur non habitus, sed actus præteritus non revocatus.

Atque ut vera esset sententia Regij, neque enim invideo cuipiam Martyrij gloriam: attamen nego illam consequentiam: ergo Martyrium adultorum non est actus virtutis. Dico quippe hujusmodi Martyrium nullo modo prævisum, & per consequens nec in se, nec in alio accepta- 27.

acceptatum, non esse Martyrium adultorum, sed parvulorum; quia tales homines, quamvis verè sint adulti, tamen patiuntur instar parvulorum.

Aliter occisi, censentur mori ut parvuli, esto forent adulti.

Sicuti probabile est hominem adultum posse salvari per solam gratiam baptismalem sine ullo actu supernaturali fidei (si v. g. moriatur ante sufficientem propositionem articulorum fidei) quamvis scriptum sit de adultis ad Hebr. 11. vers. 6. *Sine fide* (scilicet actuali, de qua ibi tractat Apostolus, ut patet ex contextu) *impossibile est placere Deo.* Quomodo ergo salvatur talis adultus? Respondeo salvatur non ut adultus, sed ut parvulus; utpote per solam gratiam baptismalem sine ullo merito proprio condigno vitæ æternæ.

Hebr. 11.

Ut patet in simili in adulto sine fide actuali moriente.

Sic reserato primo mysterio, aggrediamur secundum, pro quo majoris explicationis gratiâ erit

CONCLUSIO II.

Ad Martyrium verum & propriè dictum requiritur mors, violenter illata non resistenti.

28\. Nullus censendus Martyr nisi cui non resistenti mors violenter infertur.

UTraque pars suos habet antagonistas; est equidem communis sensus Ecclesiæ, quæ non solet colere pro veris & propriè dictis Martyribus, nisi quos gladius persecutoris abstulit absque repugnantia, exemplo Christi, qui testimonium dedit veritatis, patiendo mortem violentam sine contradictione: nam cùm pateretur non comminabatur, sed tamquam ovis coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.

Unde commune dictum: *Martyr non pugnat*: & qui illud non curat, eum tamquam communi sensui obstrepentem nec audire, nec curare debemus; sed magis auscultanda sunt verba Doctoris Angelici 3. parte quæst. 66. art. 11. in corpore: *Et ideo præter Baptismum aquæ, potest aliquis consequi Sacramenti effectum ex passione Christi, in quantùm quis ei conformatur pro Christo patiendo. Conformatur*, inquam, sustinendo mortem sine meritis mortis, ab inimicis fidei, pro veritate fidei, non reluctando. Sed expendamus singula.

D. Thom.

29\. Unde requiritur mors vel in se, vel in sua causa.

Primò ergo requiritur mors, re ipsâ quidem ad completissimum, & securissimum genus Martyrij: attamen sufficeret ad verum Martyrium, quòd esset talis causa mortis posita, ex qua naturaliter consequeretur mors, nisi divinitùs impediretur: prout impedita fuit in tribus pueris in fornace Babylonica, Joanne Euangelista misso in ferventis olei dolium, & pluribus alijs, qui ab Ecclesia inter Martyres numerantur. Profectò quòd effectus divinitùs impediatur auget vim testimonij: quippe per hoc fit omnibus manifestum, Deum illius causam approbare.

Unde acceptatio illa mortis est tam efficax fidei testimonium, quàm si re ipsa mors subsequeretur. Quis ergo formidet tales præmium & laureolam Martyrij consecuturos, si in gratia finaliter decesserint? Taliter autem illos discedere, qui fortiter dimicando jam ad terminum sui cursûs pervenerant, nisi speciali Dei operatione fuisset prolongatus, piè omnino credendum est.

Utraque enim est efficax fidei testimonium.

Et verò licèt ab antiquis Tertulliano, Cypriano, & alijs sæpe confessores illi, qui pro Christo pati cœperant; fuerint inter Martyres numerati, tametsi necdum lethalia vulnera accepissent, aut sufficiens causa mortis posita fuisset; tamen hoc tempore non solent Martyres vocari, nisi saltem ærumnis & squaloribus pro Christo toleratis confecti, mortem oppetierint; qualiter obierunt Marcellus Papa conjectus in stabulum bestiarum, & Leocadia virgo carceri inclusa.

Et tales solùm solent hoc tempore pro veris Martyribus reputari.

Parùm quippe refert quo modo, aut quo instrumento mors inferatur: sufficit ut infligatur alteri, quòd spectatis personæ circumstantijs est ei causa mortis: quantumvis etiam nullum actu causaret dolorem, quem Deus subindè impedit in Martyribus. Ipsa mors est satis ingrata, ejusque acceptatio molesta. At verò si mors aliunde superveniat, Martyres non erunt; etsi in carcere moriantur.

Numquid ergo veri Martyres, qui moriuntur in servitio pestiferorum; & quicumque qualitercumque pro fratribus moriuntur? Non ausim asserere propter communem sensum Ecclesiæ in contrarium: nusquam enim legitur Ecclesiam censuisse ac habuisse pro veris & propriè dictis Martyribus, qui animam suam pro fratribus posuerunt vel in servitio pestiferorum, vel in justo bello. 30.

Quales non sunt qui servitio pestiferorum immoriuntur.

Dico, *Pro veris & propriè dictis Martyribus*; quoniam in Martyrologio Romano ad 28. Februarij sic scriptum reperio: *Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, ac cæterorum ministrorum, qui tempore Valentiniani Imperatoris, cùm pestis sævissima grassa-*

grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetierunt, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.

Quamquam velut Martyres religiosa piorum fides eos venere-tur. *Martyrol. Rom.*

Quos, inquam, *velut Martyres*, id est, ad similitudinem verorum Martyrum, quamvis tales non sint, *religiosa piorum fides*, propter excellentiam charitatis (*Maiorem enim hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ait Christus Joan. 15. v. 13.) *venerari* meritò *consuevit*; siquidem pro vera causa Martyrij mortem oppetiere, licèt non eo modo, quo veri Martyres.

Matth. 5. Quæris quis sit ille modus? *Beati* (inquit Martyr Martyrum) *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5. v. 10. 11. & 12.

Num illi, qui pestiferis inserviunt, persecutionem patiuntur? Quis sic loquitur? Moriuntur quidem pro fratribus; sed aliud est mori, aliud mortem inferri pro fratribus, quod ultimum videtur requiri ex communi sensu Ecclesiæ & DD. ad propriè dictum Martyrium, à quo nolumus recedere propter oppositam paucorum Recentiorum opinionem sine sufficienti fundamento.

31. Quisque tam multum mereri possunt ac veri Martyres.

Quamquàm existimem fieri posse, ut tantum mereatur apud Deum, qui inservit pestiferis cum periculo infectionis, & certæ mortis inde proventuræ, quàm qui idem ministerium exhibet cum periculo mortis à tyranno infligendæ, futurus utique, & ab omnibus habendus pro vero Martyre.

Quid miramur? Deus est qui facit: qui in illis privilegijs, quæ ex sola sua liberalitate ipse concedit, potest, nullâ factâ alicui injuriâ, hanc, vel illam exigere conditionem, & circumstantiam, quantumvis per illam non addatur ex parte ipsius hominis meritum aliquod majus.

Patet in ipso exemplo Martyrij.

Patet in ipso exemplo Martyrij; nam licèt actio externa, neque augeat neque minuat valorem operis, ut multi docent (verè an falsò hîc non disputo) adeoque duo qui æqualem habent volitionem tolerandi mortem pro Christo, sint apud Deum æqualis omnino meriti; tamen si unus re ipsa eam non sustineat, quia carnifex destitit eam infligere; alter verò eam patiatur, hic erit re ipsa Martyr, ille verò non, ut communiter omnes docent.

Contra Magistrum de Martinis.

Excipio Magistrum de Martinis, qui contendit propositum sustinendæ mortis sufficere; idque quia Martyrium est actus virtutis, hic autem à nostra voluntate pendet: porrò re ipsa mortem subire non est in nostra potestate, sed pendet ab arbitrio Tyranni.

Respondeo, Martyrium esse actum virtutis, sed externum, sicuti susceptio Sacramentorum, quæ etiam propterea non semper est in potestate hominis. Quis tamen ideo dixerit, solam internam voluntatem suscipiendi Sacramenta, quamvis æqualis meriti cum illa voluntate, quæ conjungitur externæ susceptioni, causare gratiam ex opere operato?

Bene ergo ad rem nostram dixit Nicephorus lib. 6. c. 20. *Id genus mortis* (loquitur de his, qui moriuntur in servitio pestiferorum) *pietate multâ & fide roboratum non multum* (ita vertit Joan. Langus) *videretur abesse à Martyrio. Non multum*, inquam; ergo secundùm Nicephorum simpliciter abest à Martyrio. 32. *Nicephorus.*

Profectò cùm verus & propriè dictus Martyr nullam spem habeat evadendi mortem, aut certè tormenta per se illativa mortis; equidem qui inservit pestiferis, plerumque sperat se evasurum mortem, & ideo utitur remedijs præservativis, & quando infectus est remedijs sanativis, & non pauci inveniuntur, qui vel non inficiuntur, vel certè liberantur ab infectione, quam ex servitio naturaliter contraxerant.

Differentia inter mortem veri Martyris, & ejus qui moritur in servitio pestiferorum.

Itaque mors veri Martyris violenter, & certò infertur, cùm alia mors naturaliter, & fallibiliter occurrat. Discrepantia satìs magna, ut quamvis non multum, attamen simpliciter id genus mortis absit à Martyrio.

Atque, ut progrediamur ad ultimam particulam conclusionis, scilicet, *Non resistenti*; quis dubitaverit milites ordinariè pugnare cum spe evadendi mortem: imò occidendi invasorem? Finis pugnæ victoria est, alioquin frustra pugnatur. Quomodò ergo non potiùs eligunt mortem inferre, quàm perpeti? Unde patiuntur mortem magìs ex necessitate, quàm voluntate. Ecce quanta differentia inter militem pugnantem, & verum Martyrem non resistentem, sed pacificè mortem sustinentem. Nemo ergo miretur si veris Martyribus non annumerentur, qui Martyrum Domino in sua passione non conformantur. 33.

Item inter verum Martyrem, & militem pugnantem.

Interim non dubito, quin milites in bello fidei occumbentes plurimum mereantur, si recto fine & modo bellum gerant. Sæpe etiam contingit, ut pugna obliget sub peccato, ita ut vel pugnandum sit, 34.

vel

vel peccandum. Ergo qui tunc pugnam eligit, ne peccet, erit verus Martyr: nego consequentiam. Ratio patet ex dictis de servitio pestiferorum, quod etiam sæpè potest esse obligatorium sub peccato.

Cui Deus coronam Martyrij nō decrevit. Potuisset quidem Deus his omnibus decernere coronam Martyrij: quòd autem fecerit, unde constat? Scimus Ecclesiam colere festum SS. Mauritij & sociorum ejus militum, non quia pugnando occubuerunt; sed quia sua sponte sine resistentia mortem ferre maluerunt, quàm imperata facere nefarij Imperatoris. Nescimus autem in tota Ecclesia celebrari festum alicujus Martyris, qui pugnando occubuit: cùm tamen indubitanter plures fuerint, qui rectâ intentione, vel ob defensionem fidei, vel ob defensionem Reip. pugnantes, mortem oppetierint.

35. Ut patet exemplo Judæ Machabæi. Quod clarius exemplum quàm Judæ Machabæi? Nonne pro patrijs legibus pugnavit, & pro fratribus posuit animam suam? His enim verbis exhortabatur Mathathias morti proximus filios suos: 1. Mach. 2. v. 50. *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum.* Et v. 64. *Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege; quia in ipsa gloriosi eritis.* (1. Mach. 2. Ibid. 3.)

Sed & ipse Judas Machabæus populum exhortans ad prælium c. 3. v. 20. 21. & 22. dicebat. *Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios nostros, & ut spolient nos: nos verò pugnabimus pro animabus nostris & legibus nostris: & ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram.* Et infrà v. 58. *Accingimini & estote filij potentes, & estote parati in manè, ut pugnetis adversùs Nationes has, quæ convenerunt adversùs nos, & sancta nostra: quoniam meliùs est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum.*

Cùm autem instaret pugna, in qua & occubuit, & suaderetur ipsi fuga, quid putaris eum respondisse c. 9 v. 10. *Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis: & si appropinquavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* (Item 9.)

Aliorumque cum ipso occisorum. Posuit itaque Judas animam suam pro fratribus suis, pugnavit, occubuit pro legibus Dei sui; pugnarunt plures alij in illo bello prorsùs justissimo in defensionem legis divinæ, & boni communis: attamen nullum eorum Ecclesia agnoscit pro vero Martyre; sicut agnoscit & colit pro veris Martyribus septem fratres Machabæos, quos cum matre sua non resistentes uno die occidit Rex Antiochus 2. Mach. 7. pro patrijs Dei legibus. (2. Mach. 7.)

36. Fatetur Martyrem Eleazarum, qui 2. Mach. 6. patienter sustinens voluntariè præibat ad supplicium, ac fortiter pro gravissimis, ac sanctissimis legibus honestâ morte perfunctus est. Eleazarum autem qui 1. Mach. 6. legitur se dedisse, ut liberaret populum suum, & acquireret nomen æternum, currens audacter in medio legionis, occidens à dextris, & à sinistris; quis, inquam, ipsum jure reputaverit Martyrem, quantumvis mortuus illic sit? (2. Mach. 6. 1. Machab. 6)

Si dixeris, pugnavit, & mortuus est, ut acquireret nomen æternum: similiter Judas Machabæus, ut non inferret crimen gloriæ suæ.

Audi quid Scriptura testetur de Eleazaro vero Martyre v. 19. *At ille gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens voluntariè præibat ad supplicium.* Et v. 25. *Et ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.* (2. Mach. 6.)

Nonne scriptum est: *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ.* Proverb. 22. v. 1.? Et Eccle. 7. v. 2. *Melius est nomen bonum quàm unguenta pretiosa?* Hinc Eccli. 41. v. 15. *Curam age de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Curam egit boni nominis Judas Machabæus, curam egit Eleazarus, & posuerunt animas suas pro fratribus suis, & patrijs Dei legibus: quid ergo eorum Martyrio defuit, si Martyr pugnat? Si autem non pugnat, palam est non omnem mortem pro Christi fide, aut vera virtute illatam, esse verum & propriè dictum Martyrium. (Prov. 22. Eccle. 7. Eccli. 41.) (Ex quo sequitur non omnē mortem pro fide aut vera virtute illatam esse Martyrium.)

37. S. Aug. Neque contrarium ullibi docuit D. Aug. Citatur Epist. 180. ibi: *Qui propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt.* Et post pauca: *Qui clades hostiles ideo non fugit, cùm posset effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel vivere Christiani, maiorem Charitatis invenit fructum, quàm qui non propter fratres, sed propter se ipsum fugiens, atque comprehensus, non negat Christum, suscipitq; Martyrium.*

Explicatur locus S. Aug. pro opposita sententia adductus. Certissimè *maiorē charitatis invenit fructum,* qui sine resistentia ab hostibus fidei patitur mortem (de quibus ibi loquitur D. Aug. ut patet ex textu) *cùm posset effugere, ne deserat ministerium Christi &c.* quàm qui fugiens persecutionem propter seipsum, atque comprehensus suscipit Martyrium: etenim præter fructum Martyrij quasi ex opere operato, fructum invenit ex opere

 operantis,

operantis, scilicet ex charitate proximi. Ergo quicumque, & qualitercumque pro fratribus moritur, est verus & propriè dictus Martyr: nulla consequentia.

39. *S. Thom.* Atque hinc studio factum existimo, ut S. Tho. q. 124. a. 5. ad 3. dum ait, etiam defensionem Reip. si in Deum referatur, esse causam Martyrij, tamen alto involvat silentio, cur Ecclesia non colat ut Martyres eos, qui in bello justo moriuntur, prout sibi objecerat in eodem tertio argumento, ad quod ibi respondet.

An in aliquo casu defensio Reip. possit esse causa veri Martyrij. Si autem à me quæritur, in quo ergo casu defensio Reipublicæ foret causa Martyrij? Respondeo, si innocens à Tyranno ad mortem postulatus, ultrò se occidendum traderet, ne Deum offenderet. Obligat namque justitia legalis unumquemque in particulari, ut moriatur pro populo, & non tota Respublica pereat. Sed & milites in bello fidei erunt Martyres si jam victi, odio religionis occidantur, sive si occidantur volentes se jam dedere, & arma abjicientes, & ipsi ob eam causam mortem acceptent.

An milites si occidantur volentes se jam dedere, aut fugientes possint esse veri Martyres.

Idem assero de ijs qui in fuga occiduntur, aut etiam reluctantes, non conando alteri malum simile inferre. Hæc enim reluctatio non est propria resistentia, sed instar fugæ. Patet in eo qui leviter reluctaretur justitiæ publicæ, non conando ministris inferre gravius malum qui fugienti similis haberetur; minimè autem diceretur positivè resistens vim inferendo.

40. *Quid si Tyrannus præter veram virtutem alios prætextus fingat?* Huc usque de essentia Martyrij, quæ integra perseverat, tametsi occidens præter veram virtutem, alios prætextus fingat. Nam etiam Judæi alia prætexebant contra Christum; nempe quòd peccasset in legem Moysis &c. ideoque illum tamquam malefactorem videri volebant occidisse, & tamen quis ambigat Martyrem fuisse, imò caput Martyrum? Profectò in primitiva Ecclesia (ait quidam) vix Martyres alij, quàm qui sub prætextu subversionis Reip. licèt verè pro Christo, occiderentur. Quod ego vix aut ne vix quidem credo.

Quid si titulus sit mixtus? Sed quid si aliquis occidatur ex titulo mixto, & à parte rei existente, v. g. partim in odium fidei, partim quòd contra justam Reipublicæ legem peccaverit? Respondet idem Auctor non fore Martyrem, quia ex delicto meretur mortem; adeòque tamquam malefactor moritur: secùs si delictum non esset de se sufficiens, ut mortem mereretur.

41. Ego autem non video quid repugnet aliquem mori & tamquam malefactorem, & tamquam Christianum. Moriatur ergo pro peccato, moriatur etiam pro fide Christi aut vera virtute, quamvis gloria Martyrij minuatur, quia partim patitur ut malefactor, cur totaliter extinguatur cùm etiam verè patiatur pro Fide Christi, aut vera virtute?

Sed de his satis. Ad effectum Martyrij vocat nos doctrinæ series. Pro quo instituitur

CONCLUSIO III.

Effectus Martyrij est gratia justificationis quasi ex opere operato, ac plenaria culpæ & pœnæ remissio, si subjectum debitè sit dispositum.

MArtyrium parvulis conferre gratiam habitualem, quâ justificentur à peccato originali adeò certum est, ut non sine temeritate, ne dicam magno errore, negari possit. Probatur ex sensu Ecclesiæ, quæ *non frustra* (D. Aug. auditis lib. 3. de libero arbitrio c. 23.) *etiam infantes illos* (nemine prorsùs excepto) *qui, cùm Dominus Iesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat.* 42. *Martyrium confert parvulis gratiam justificativam ab originali peccato. S. August.*

Unde cantat in collecta diei festi SS. Innocentium: *Deus cujus hodiernâ die præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Et in hymno: *Salvete flores Martyrum, quos lucis ipso in limine, Christi insecutor sustulit, ceu turbo nascentes rosas.* *Probatur ex sensu Ecclesiæ.*

Eosdem tamquam tales prædicant omnes SS. Patres & DD. Ecclesiæ, quidquid pauci sine ratione contradicant. Sufficiat testimonium S. Leonis Papæ Ser. 1. de Epiph. c. 3. *Quos rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo, & quibus necdùm sanguinis sui impendit redemptionem, jam Martyrij tribuit dignitatem.* *Sanctorum Patrum & Doctorum. S. Leo Pap.*

Quis autem ambigat multos ex illis necdùm fuisse justificatos à peccato originali? Etenim varij erant proles infidelium Judæis permixtorum; plures quoque necdùm erant octiduo nati, adeoque nec circumcisi. Deinde esto fuissent omnes antea justificati, cur tamen magìs quàm alij parvuli in gratia discedentes, colerentur specialiter ab Ecclesia tamquam sancti, si ratione mortis illatæ specialem gratiam, aut sanctitatem non accepissent? Neque enim venerantur ob Circumcisionem, sed ob mortem toleratam pro Christo.

Porrò

43. Porrò quæ SS. Innocentium, eadem est ratio aliorum parvulorum, si contingat illos pro fide Christi, aut vera virtute occidi. Quid enim speciale potest in istis excogitari, quod non in alijs? Unde D. Leo Ser. 2. in Epiph. *Ita Christus, ut nullum tempus ei esset absque miraculo, ante usum linguæ potestatem verbi tacitus exercebat, & quasi iam diceret;* Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum: *nova gloria coronabat infantes, & de initijs suis parvulorum primordia consecrabat, ut disceretur, nullum hominem incapacem esse divini Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta Martyrij.*

Leo.

Hoc igitur privilegium Innocentium non est personale, dabitur alteri cuicumque, qui perdiderit animam suam propter Christum. *Qui enim* (teste D. Aug. lib. 13. de Civit. c. 7.). *generaliter dixit:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c *aliâ sententiâ istos fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit:* Qui me confessus fuerit &c. *Et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me &c.* Certè minùs generaliter dixisset, si non quemadmodùm primâ sententiâ, ita & posteriori omnes omninò parvulos & adultos comprehendisset. Quod ergo Christus præstitit Innocentibus, idem præstare paratus est omnibus parvulis pro ipso similiter morientibus.

Et ex promissione Christi generali. S. August.

Et quid illud? Edoceat D. Aug. l. 3. de Symbolo ad Catechumenos c. 4. *Præstitit eis Christus ut pro Christo morerentur, præstitit ut suo Sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuò eos mors reddidit vitæ.*

S. August.

Hinc appositè Clemens lib. 5. Constit. Apostolicarum c. 7. *Quamvis fuerit Catechumenus, lætus discedat: passio enim quam pro Christo sustinet cedet ei in veriorem Baptismum; quoniam ipse reipsâ commoritur Christo, alij in figura.*

Clem. P.

44. Quod probè intelligens D. Subtilis 4. dist. 4. q. 3. n. 2. *Si quis*, inquit, *persequitur matrem gravidam, eadem de causa persequitur parvulum in utero eius: ergo si mater occiditur pro iustitia, similiter & parvulus. Si autem parvulus occideretur extra uterum haberet Baptismum sanguinis, si pro iustitia vel fide occideretur, etiam non baptizatus: ergo eodem modo rationabile est quòd Deus non contemnet eum, pro simili causa in utero matris passum.* Planè, non contemnet eum præsertim si Tyrannus expresè intendat parvulum occidere. Nam si occidat matrem nesciens eam esse gravidam, res est incerta.

Scotus. Etiam respectu parvulorum in uteris maternis latentium.

Negat Præpositus ad q. 68. a. 3. dub. 6. Probat; quia proles est distinctum suppositum, cujus mors non sufficienter intenditur in odium Christi, quòd Tyrannus velit matrem occidere. Confirmat Primò; si quis occidat virginem nolentem pati detrimentum virginitatis, non ideo alius erit censendus Martyr, qui per accidens occidetur ex negligentia ejus, qui virginem invasit. Confirmat Secundò; puer non videretur Martyr quo casu aliquis volens matrem in odium religionis occidere, simul vellet occidere infantem, ut alius consanguineus adeat hæreditatem, vel quia est proles inimici sui.

Præpositus. Maximè si latere cognoscantur.

45. Sed his non obstantibus contraria sententia, quam docet Regius ad q. 66. a. 12. dub. 1. n. 123. secutus Gabr. 4. dist. 4. q. 2. a. 3. dub. 2. Henriquez de Baptismo c. 38. & alios, videtur probabilior: quia etiam tali casu occiditur propter Christum, seu perdit animam suam causâ Christi; plaga siquidem ex qua moritur infertur ex odio Christi, etsi mors parvuli expresè non intendatur.

Imò etsi ignorentur. Regin. Gabr. Henriquez.

Confirmatur, quia etsi Tyrannus aliquem vulneraret etiam cum expressa intentione non occidendi, & taliter ut per se non foret nata sequi mors, sed tantùm ratione conditionis personæ ab occisore ignoratæ, adhuc verus esset Martyr, posito quòd mors re ipsa inde sequeretur.

46. Nunc ad probationem Præpositi Respondeo: proles est distinctum suppositum physicè, concedo; moraliter, nego. Appello Doctorem Subtilem supra n. 2. *Quantùm* inquit, *ad servitutem temporalem, filius dum est in utero, non est distinctus à matre: non enim habet Dominus dominium in parvulo, nisi quia in matre.*

Cùm tamen proles cum matre sit unum suppositum morale. Scotus.

Unde qui emptione, vel aliter accipit dominium matris, etsi ignoret eam gravidam, simul fit Dominus parvuli absque alia expressiori intentione: nam partus sequitur ventrem L. Partum 7. Cod. de Rei vendicatione: *Partum ancillæ matris sequi conditionem, nec statum patris in hac specie considerati, explorati iuris est.* Ergo similiter sufficienter intenditur mors prolis in odium Christi, quòd Tyrannus velit occidere matrem, cui occisioni per se, id est, ut plurimùm, mors prolis conjungitur. Ex quo patet solutio primæ confirmationis.

Et partus sequatur ventrem. L. 7. Cod. de rei vendic.

47. Ad secundam dico; talis puer videretur Martyr, quia alij sunt falsi prætextus; vel si vera motiva & sola, transeat non videretur Martyr: Igitur (infert Præpositus) eo ipso quò Tyrannus tendit in matrem, non sufficienter ad rationem Martyrij censetur tendere in prolem: alioquin in casu posito censeretur tendere, cùm quodlibet aliud

aliud motivum appositum non posset destruere sufficientem tendentiam in prolem, quæ eo ipso necessariò invenitur quò Tyrannus tendit in matrem.

Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem; quoniam motivum acquirendi hæreditatem si solum est, licèt non destruat tendentiam in prolem, hoc est, intentionem occidendi, ut patet; destruit tamen tendentiam sufficientem ad rationem Martyrij, hoc est, intentionem occidendi in odium fidei, quæ planè necessaria est, adeò, ut si duo Catholici, eodem modo dispositi ab eodem Tyranno occiderentur, unus tamen in odium fidei, alter autem ut Tyrannus adiret ejus hæreditatem, prior esset Martyr, secus posterior.

48. Licèt simul occideretur ut occidens adiret hæreditatē.

Dixi notanter, *si solum est*; quia non video, quin aliquis esset verus & propriè dictus Martyr, etsi simul occideretur in odium religionis, & ut occidens posset adire ejus hæreditatem; nam revera occiditur pro fide Christi aut verâ virtute, quamvis non solâ.

Ceterùm particularem intentionem posse destruere generalem apertissimè ostenditur in Sacerdote, qui per intentionem generalem consecrat omnes guttas vini intrinsecùs adhærentes calici, nisi per particularem intentionem aliquas excludat. Consimiliter consecrat omnes hostias ante se positas ad consecrandum, nisi particulariter aliquas excludat. Licèt ergo Tyrannus occidens matrem in odium fidei, per generalem intentionem ex eodem motivo velit occidere prolem; attamen destructio illius per intentionem particularem directè oppositam, cur erit impossibilis?

49. Conclusioni non obstat Conc. Trident.

Huc usque de justificatione parvuli; cui minimè obstat Concil. Trident. docens sess. 6. c. 4. eam non posse fieri post Euangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto; loquitur quippe de eo, quod ordinariè & per media à Deo instituta ad nostram salutem fieri solet; quale non est Martyrium. Agit enim contra hæreticos nostri temporis, qui negant Baptismum esse pueris necessarium, affirmantque illos sine illo, etiam ordinariè, in fide parentum posse salvari.

Unde sess. 7. eosdem damnans, & hanc suam sententiam explicans can. 5. de Baptismo ait: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

Definiens baptismum esse necessarium.

Herculè effectum Martyrij non evacuare necessitatem Baptismi, vel ex hoc solo satis probatur, quòd, ut dicit Scot. 4. dist. 4. q. 6. n. 4. & infra latiùs explicabitur,

Scotus.

baptizatus Baptismo sanguinis, si postea est nobiscum viator, tenetur affectu, & pro loco & tempore recipere effectu Sacramentum, id est, Baptismum fluminis.

Accedit nullam regulam tam generalem esse, quin pati possit aliquam exceptionem. Porrò non excipi sine fundamento Martyrium parvulorum, arbitror ex dictis satis manifestum.

Intelligi enim debet extra casum Martyrij.

50.

Neque minor est ratio excipiendi Martyrium adultorum, imò major; in his enim mors habet formaliter rationem Martyrij, & confessionis Christi; materialiter autem solùm in parvulis, qui non loquendo, sed præcisè moriendo confitentur.

Etiam respectu adultorum.

Itaque Martyrium conferre adultis gratiam habitualem quasi ex opere operato est communior SS. Patrum & DD. Ecclesiæ sententia. Profectò si aliquid probant Scripturæ superiùs allegatæ, & dicta SS. Patrum, quid minus effectu gratiæ sanctificantis sine merito, vel supra illud, hoc est, quasi ex operato? Alioquin quid speciale dabitur illi viro, qui animam suam perdiderit propter Christum? Et tamen aliquid speciale ipsi promittitur.

Qui quasi ex opere operato justificentur.

Dices; dabitur ei aureola Martyrij, remissio omnis pœnæ, & major gratia ex opere operantis. 51.

Sed contra; etiam parvulis dabitur aureola, & remissio omnis pœnæ præter gratiam sanctificantem, quam accipiunt ex opere operato, hoc est, absque eorum merito, cujus sunt incapaces. Cur ergo illam negabimus adultis?

An fortè quia adulti merentur per voluntatem suscipiendi Baptismum, ideo non accipiunt gratiam justificantem ex opere operato per realem susceptionem Baptismi? Absit ut opus meritorium impediat effectum Sacramenti, quin imò perfectiori dispositioni, perfectior correspondet gratia ex opere operato, ut dictum est disp. præced. sect. 5. Conclus. 1.

Unde sicuti parvulus numquam accipit tantam gratiam per Baptismum, quantam adultus; raró etiam peccator in Sacramento Pœnitentiæ tantam, quantam justus; pari ratione numquam parvulus accipit tantam gratiam per Martyrium, quantam adultus; raró etiam peccator tantam, quantam justus.

Sanè si adultus per Martyrium non accipit gratiam nisi ex opere operantis, quomodò passio pro Christo cedet Catechumeno in veriorem Baptismum? Cedet tamen juxta Clementem supra, & alios SS. Patres.

Quia passio pro Christo cedit catechumeno in veriorē baptismum.

Cedet omninò, inquiunt Adversarij, non 52.

non ratione virtutis, quam habet ad justificandum; sed quoniam Martyr re ipsa commoritur Christo, alij in figura.

Præclarè! Verumtamen num ideo lætus discedet Catechumenus, quia re ipsa commoritur Christo, si non accipit eam gratiam, quam acciperet si commoreretur solùm in figura?

Dices; accipit illam gratiam, sed ex opere operantis. Respondeo; opus operans magis incertum est, quàm opus operatum; unde ex hoc non lætus, sed magis tristis debet discedere. Præterea Catechumenus suscipiens Baptismum fluminis cum illa dispositione, quam Adversarij requirunt ad Baptismum sanguinis, præter gratiam ex opere operato, accipiet aliam ex opere operantis. Quæ hic ergo causa lætitiæ, si Martyrium confert gratiam solùm ex opere operantis?

53. Ratio cur dicatur quòd *quasi ex opere operato* conferat gratiam.

Dixi autem, *quasi ex opere operato*; quia gratia sanctificans ex opere operato propriissimè sumitur pro illa gratia, quæ sine merito, vel supra illud confertur per aliquod opus, v.g. Sacramentum, prout opus est ministri, & ex vi institutionis suæ: & tali modo Martyrium non confert gratiam ex opere operato; quia actio ministri mala est; actio autem patientis ad hoc specialiter non est instituta, ut gratiam conferat; ubi enim talis institutio legitur? quamvis Deus ex sua liberalitate promiserit dare specialem gratiam illud opus facienti, id est, mortem pro se patienti.

S. August.

Atque hoc est quod dicit D. August. lib. 13. de Civit. cap. 4. *Nunc verò maiore & mirabiliore gratiâ salvatoris in usus iustitiæ, peccati pœna conversa est. Tunc enim* (in paradiso) *dictum est homini: Morieris si peccaveris. Nunc dicitur Martyri: Morere ne pecces.*

Et c. 7. *Mors ergo non ideo bonum videri debet, quia in tantam utilitatem, non vi suâ, sed divinâ opitulatione conversa est: ut quæ tunc metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur, ut peccatum non committatur, commissumq; deleatur, magnæq; victoriæ debita iustitiæ palma reddatur.*

Utique mundantem ab omnibus delictis.

Commissum, inquam, *deleatur*, non unum, aut alterum, non hoc tantùm, vel illud; sed, *ut delicta omnia dimittantur*: verba sunt ejusdem S. Doctoris in eodem capite.

54. Et verò quomodo magnæ victoriæ debita justitiæ palma redderetur, si non plenariè remitteretur culpa, & pœna? *Numquid* (ait D. Cyprianus epist. 73.) *potest vis Baptismi esse maior, aut potior quam confessio? quàm passio? ut quis coram hominibus*

S. Cyprian.

Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur? Baptismus autem numquid plenariè remittit culpam & pœnam? Nemo Catholicus dubitat.

Ad instar gratiæ baptismalis.

Nec ergo dubitare debemus quin eamdem remissionem conferat Martyrium: quod SS. Patres non solùm comparant, sed etiam præferunt Baptismo in efficacia. *Neque enim* (utor verbis D. August. suprà) *tanti sunt meriti, qui cùm mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisq; omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt: quanti sunt hi, qui mortem differre cùm possent, ideo non distulerunt; quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad eius Baptismum pervenire.*

S. August.

Hinc Innocentius III. in cap. *Cum Marthæ* §. finali, requisitus, quare fuerit mutatum, quod in secreta B. Leonis, secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet: *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*: cùm in modernis sacramentarijs habeatur: *Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione Beati Leonis, hæc nobis prosit oblatio*, Respondet: *Quòd cùm sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quòd iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: idem est ratione consimili de alijs Sanctis sentiendum.*

Unde Innoc. III. dicit non esse orandum pro Martyre.

Sed ubi hoc Innoc. legerit in Scriptura ignoro. Scio dictum esse D. August. serm. 17. de verbis Apostoli: *Iniuria est pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem.* 55.

S. August.

Idem Tract. 84. in Joannem: *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodùm alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis* (Martyribus) *oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigijs adhæreamus, quia impleverunt ipsi charitatem, quâ Dominus dixit non posse esse maiorem.*

Indubiè autem, si Martyrium non deleret omnem culpam & pœnam, esset pro Martyre orandum, & sacrificandum, sicut pro cæteris, ut à pœnis restantibus posset absolvi.

Et Ecclesia invocat & colit Martyrem immediatè post mortem.

Confirmatur; quia Ecclesia eo ipso quo constat de vero Martyrio, etiam immediatè post mortem, invocat & colit Martyrem, tametsi certò constet in vita sæpiùs graviter peccasse: ergo supponit omnem culpam & pœnam vi Martyrij esse dimissam; aliunde quippe hoc non potest supponere, cùm facilè possit contingere, ut actus quo mors acceptatur per se ex opere operantis non sufficiat ad remissionem tot pœnarum restantium.

56. *Sicut Baptismus ita Martyrium non confert effectum nisi subjecto debitè disposito.*

Addidi verò in conclusione: *Si subiectum debitè sit dispositum*; quia quamvis Martyrium, ut statim dixi, præferatur à SS. Patribus Baptismatis Sacramento, scilicet quoad perfectionem effectûs; equidem quoad promissionem dandi gratiam, & remittendi omnem culpam & pœnam existimo Baptismum esse æqualem, ne dicam præferendum, utpote qui per se magis est institutus ad illum effectum. Sicut ergo Baptismus non confert effectum gratiæ, aut remissionis omnis culpæ & pœnæ nisi subjecto disposito, ita nec Martyrium.

Dubitas de qualitate dispositionis?

CONCLUSIO IV.

Qualis dispositio requiritur & sufficit ad effectum Baptismi, talis requiritur, & per se sufficit ad effectum Martyrij.

57. *Quæ autem ad effectum Baptismi eadem requiritur dispositio ad effectum Martyrij;*

Moveor ad hanc sententiam (quæ est gravium & multorum DD.) præcipuè auctoritatibus SS. Patrum jam sæpiùs allegatis, in quibus Martyrium in virtute conferendi gratiam, & delendi peccata saltem æquatur Baptismo. Nonne in sacro Eloquio simpliciter promittitur vita æterna morientibus pro Christo, sicuti promittitur baptizatis Mar. ultimo v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit?* (*Mar. ult.*) Quo ergo fundamento major dispositio requiritur ad unum, quàm ad aliud?

Quia sine fundamento major requireretur ad unū quàm ad aliud;

Fundamento, inquis, desumpto vel ex illa Scriptura, quæ promittit vitam æternam morientibus pro Christo: non enim censetur mori pro Christo, qui non moritur ex vero affectu charitatis & dilectionis Dei super omnia. Adde quod dicit Apost. 1. Corinth. 13. vers. 3. (*1. Cor. 13.*) Et *si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*. Ergo ad effectum Martyrij prærequiritur charitas. Ergo in peccatore non sufficit attritio, quæ tamen sufficit ad effectum Baptismi, sed requiritur perfecta contritio.

58. *Scripturæ enim quæ requirunt mortem pro Christo ad summam exigunt aliquem affectum supernaturalem. Matth. 10.*

Debile satis fundamentum ad negandum Martyrio effectum remissionis peccatorum in adultis, quem D. August. tam constanter, & expressissimis verbis illi tribuit. Enimverò quod attinet ad verba Christi Matth. 10. vers. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus* &c. & vers. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; ad summum probant, mortem in odium Christi illatam, ex affectu aliquo supernaturali esse acceptandam, juxta superiùs dicta conclus. 1.

An putas quia non confitetur Christum, aut moritur pro Christo, qui ideo confitetur, & moritur ne in æternum perdat Christum? Ausculta diligenter, & animo imprime verba D. August. lib. 13. de Civit. cap. 8. (*S. August.*) *Si enim diligentiùs consideremus, etiam cùm quisque pro veritate fideliter & laudabiliter moritur, mors cavetur. Ideo quippe aliquid eius suscipitur, ne tota contingat, & secunda insuper, quæ numquam finiatur, accedat. Suscipitur enim animæ à corpore separatio; ne Deo ab anima separato, etiam ipsa separetur à corpore, ac sic totius hominis primâ morte completâ, secunda excipiat sempiterna. Quocirca mors quidem, ut dixi, cùm eam morientes patiuntur, cùmq; in eis, ut moriantur, facit, nemini bona est, sed laudabiliter toleratur, pro tenendo, vel adipiscendo bono.* Quid illustrius dici poterat?

59. *Matth. 10.*

Adde testimonium ipsius Christi loco jam citato v. 28. *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Interrogatur peccator, an credat in Christum, & obsequens voci Christi, timens eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, respondet: *credo*. Occiditur à Tyranno; & cogitare potero Deum perdere animam, & corpus ejus in gehennam? Nolim cogitare, nolim dicere, ne videar improbare, quod Christus approbavit.

Certè in ipsis Scripturis objectis, ad confitendum se, & perdendum animam suam propter se, excitat spe vitæ æternæ dicens: *Confitebor & ego eum coram patre meo*. Et: *Inveniet eam.*

Immo generatim intelligi possunt etiam de parvulis.

Accedit (ut omittam, quòd Mar. 8. v. 35. addatur: *Propter Euangelium*, quod tamen non est objectum affectu charitatis diligendum) illas Scripturas generatim intelligi de omnibus Martyribus etiam infantibus, quos tamen constat esse incapaces amoris, imò cujuscumque alterius actûs virtutis.

60. *Qui moriuntur propter Christum, quia in odium Christi occiduntur. Luc. 6.*

Et si quæritur, quomodo ergo illi perdant animam suam propter Christum; respondent omnes; quia in odium Christi occiduntur; ita ut ly *propter*, referatur ad ipsos inferentes mortem, juxta illud Christi Luc. 6. v. 22. *Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium*

Matth. 5. *filium hominis.* Item Matth. 5. v. 11. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me.*

Denique secundùm communem loquendi modum, omnis ille miles dicitur mori propter suum Principem, qui ne fidem illi datam frangat fortiter pugnando occumbit, tametsi id nullo modo faceret, si non obligaretur.

Ecce quàm parùm probet sententiam Adversariorum ly *propter me?* Nec plus momenti habent verba Apostoli, quæ varias patiuntur interpretationes.

61 Explicatur locus Apostoli 1. Cor. 13. Prima sit, in illo loco non agi de Martyrio: siquidem non dicitur: *Si tradidero corpus meum propter Christum*, quod requiritur ad Martyrium; sed tantùm: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero.* Quod tunc fit, quando vel cum tali opere adest voluntas peccandi mortaliter, vel opus procedit ex vana gloria, aut alio fine venialiter tantùm malo.

Primò de charitate materiali. Sin autem faciat propter Christum, quamvis non necessariò debeat adesse formalis dilectio, equidem non facit sine charitate; quia ipso opere quasi exhibet dilectionem, juxtà illud Joan. 15. vers. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; quia videlicet est maximum opus, quod à charitate potest imperari. (Joan. 15.)

Secunda: duobus modis intelligi potest traditio corporis sui sine charitate, scilicet sine charitate antecedente, quæ sit aliquo modo causa operis vel simpliciter, vel in esse meriti; & sine charitate consequente, ita ut ex tali opere non sequatur charitas. Rursùm duobus modis accipi potest, traditionem corporis sine charitate non prodesse, scilicet ex opere operantis, seu per modum meriti, & sic est eadem ratio de eleëmosyna & de Martyrio; vel ex opere operato, aut quasi, & sic est diversa ratio, ut patet.

62. Secundò de charitate consequente. Jam ad propositum, tradere corpus suum pro Christo, ita ut ardeat sine charitate antecedente, nihil prodest ex opere operantis, concedo; nihil prodest ex opere quasi operato; nego: hoc enim est quod contendimus, mortem pro Christo etiam sine formali dilectione antecedente, aut habitu charitatis infuso, si reliqua adsint, conferre habitum charitatis justificantem.

Alioquin si nec charitas antecedat, neque sequatur, verissimum est confessionem hujusmodi prorsùs esse inutilem: pro ut etiam inutilis esset susceptio Baptismi, de quo eodem modo dicere potuisset Apostolus: *Si Baptismum recepero, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ex quo tamen non sequitur ad Baptismum antecedenter requiri charitatem vel actualem vel habitualem.

Loquitur ergo Apostolus de ijs, qui nec habent charitatem, nec ad eam sunt dispositi: quippe instruit ibi Corinthios, inter quos erant graves contentiones & schismata, ut patet ex c. 1. & 3. qui nihilominùs gloriabantur multùm in suis externis actibus, in scientia, eloquentia, dono prophetiæ & linguarum; quos docet, illa omnia nihil profutura eis ad salutem, quamdiu perseverarent in suis dissentionibus, quæ non consistebant cum charitate Dei.

Itaque ad argumentum in forma, Respondeo negando utramque consequentiam. Instantia in Baptismo, ad quem non prærequiritur charitas, sed sufficit attritio, etsi verum sit dicere: *Si recepero Baptismum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Dices; ergo Martyrium proderit peccatori, etiam cum attritione cognita ut tali; quia sic prodest Baptismus. 63. Martyrium non prodest peccatori cum attritione cognita ut tali.

Respondeo neg. conseq. & ideo dixi in Conclusione: *Per se sufficit*; quoniam per accidens, id est, ratione alicujus obligationis extrinsecè advenientis, aliquando requiritur contritio perfecta, seu actus dilectionis Dei super omnia. v. g. si Martyr numquam in vita elicuisset actum charitatis, cùm jam instet finis vitæ, teneretur eum elicere ad præceptum dilectionis Dei implendum.

Consimiliter præceptum propriæ charitatis dictat medium securissimum salutis esse eligendum, quantum fieri commodè potest. Cùm ergo multi DD. ijque non infimæ auctoritatis, existiment Martyrium non justificare sine contritione aut actu charitatis, si vis esse securus de prœmio, elige contritionem, aut actum charitatis, relictâ attritione, & actu spei.

Ex quo patet, quare potiùs liceat suscipere Baptismum cum sola attritione cognita ut tali; quia videlicet homo tunc non semper est in extremo periculo. Deinde multò certiùs est Baptismum cum sola attritione justificare, quandoquidem per se sit institutus ad delendum peccatum, & dandam primam gratiam: Martyrium autem non est ordinatum ad hunc effectum; licèt sit excellentior actus virtutis, utpote ex natura sua testimonium fidei, Alia est ratio de Baptismo.

fidei, aut veræ virtutis, cui ex divina liberalitate propter suam excellentiam adjuncta est promissio gratiæ, & gloriæ, præter id, quod correspondet merito de condigno, quando Martyr est in statu gratiæ. Cæterùm hæc promissio non tollit obligationem, convenienti & ordinario modo operandi suam justificationem & se præparandi ad mortem, quæ in Martyrio includitur.

64. Trident. Dubitas quis sit ille ordinarius modus? Consule Concil. Trident. & dicet tibi sess. 6. c. 4. *Quæ quidem translatio* (à statu peccati in statum gratiæ) *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non potest.* Ergo medium saltem ordinarium justificationis pro homine non baptizato est Baptismus fluminis in re vel voto.

Quis Baptismus est medium ordinarium justificationis.

Porrò omnibus post Baptismum lapsis in peccatum mortale, docet eadem Synodus sess. 14. c. 5. jure divino necessariam existere integram peccatorum confessionem. *Ex institutione*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ iam explicatâ, universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis necessariam existere.*

Ubi relapsis integra peccatorum confessio.

In defectum autem Confessionis manet remedium, quod ante ejus institutionem fuit ordinarium, scilicet perfecta contritio, quæ etiam de facto justificat antequam Sacramentum actu suscipiatur, ex eodem Concil. eâdem sess. c. 4. ibi: *Docet Præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq́ Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

In cujus defectum succedit perfecta contritio. Trident.

65. Itaque si peccator Martyrio proximus non sit baptizatus, baptizetur; si baptizatus est, atteratur cum Sacramento Pœnitentiæ. Impossibilis est Baptismus, impossibile est Sacramentum Pœnitentiæ, conetur elicere perfectam contritionem de peccatis mortalibus, & actu non inhæreat peccatis venialibus, sic fiet, ut modico nunc dolore sustentato, plenariam recipiat omnis culpæ & pœnæ remissionem, indubiè effectus sub testamento vitæ æternæ.

Neque difficile existimo in tali articulo cum gratia divina, sive cum abundantia gratiæ divinæ, ut loquitur D. Aug. lib. 13. de Civit. c. 7. elicere perfectam contritionem, aut amorem Dei super omnia. *Sed quando*, inquit S. Doctor, *sine abundantia gratiæ spiritûs illius, qui ubi vult spirat, tantum Christum amare possent, ut eum in tanto vitæ discrimine, sub tanta spe veniæ negare non possent?* loquitur de non baptizatis, quibus etiam in Baptismo dimitteretur, quòd timore mortis negaverant Christum.

Quæ Martyri pro ultimo articulo non est difficilis. S. August.

Quin difficulter mihi persuadeo Christum permissurum, ut aliquis verè pro ipso moriatur sine debita dispositione, id est, ut moriatur cum actuali affectu peccati mortalis, imò fortè etiam venialis.

Ratione gratiæ abundantioris.

Unde legitur in vita S. Nicephori apud Surium 9. Febr. quemdam nomine Sapricium cùm pro fide Christi multa tolerasset, & jam ex eadem causa mortem gloriosè oppetiturus duceretur, Nicephorusque subinde in diversis urbis plateis occursans, sibi ab eo ignosci petijsset, negassetque ille sæpiùs, tandem in loco supplicij, ad idolorum cultum transijsse. Et hanc arbitror rationem quare Ecclesia non sit sollicita de dispositione Martyris, dummodo constet de vero Martyrio.

Interim non esse impossibilem voluntatem moriendi pro Christo cum actuali affectu peccati mortalis, probat exemplum mox allegatum. Neque ratio obstat. Quæ enim esset illa? An fortè, quia velle ponere vitam pro fide Christi est dilectio Christi super omnia? sed hoc falsum est. 66.

Stat equidem voluntas moriendi pro Christo cum affectu ad mortale.

Quod probo; quia dilectio Christi super omnia includit propositum servandi omnia mandata; jam autem multi mallent mori, quàm fidem Christi negare, qui tamen idcirco non deserunt fornicationem, ebrietatem, & similia peccata, quæ minoris æstimant, quàm Christi negationem. Alioquin si talis voluntas est dilectio super omnia, quidni statim justificet peccatorem sine formali contritione? quod non facilè quisquam admittet.

Cùm talis voluntas non sit dilectio Dei super omnia.

Certè potest quis paratus esse subire mortem pro amico, ne fidem datam violet; equidem non ideo diliget eum super omnia: patet, quia non habet illum pro ultimo suo fine: & multi sunt qui pluris faciunt honorem, famam, posteritatis splendorem, & similia, quàm propriam vitam; ita ut malint mori pro amico, quàm fidem datam violare; non in quantùm præcisè hoc est bonum amici, sed intuitu proprij commodi, quia videlicet moriendo æternum familiæ nomen acquirent, cùm è contrario fidem violando non parùm posteritatis splendorem diminuant. Num illa videtur vobis summo dilectio? Profectò magis est amor concupiscentiæ, quàm benevolentiæ, aut veræ amicitiæ.

Et ne longiùs protrahamus sermonem, nonne hæreticus posset velle mori potiùs, quàm Christum negare? Quis ideo dixerit

dixerit talem hominem diligere Christum super omnia? Itaque ponere animam pro Christo non est per se infallibile signum dilectionis Christi super omnia: quamquàm fateri debeamus, inter signa dilectionis divinæ, quæ homines exteriùs dare possunt, Martyrium esse vel maximum, quia etsi per se illa mortis acceptatio non sit dilectio super omnia, hæc tamen ordinariè illi est conjuncta; tum quia Deus singulari modo hominem in illo articulo abundantiâ gratiæ suæ, et supra dixi ex D. Aug. ad eam excitat; tum etiam quia homo se quantùm potest disponit, & omnium virtutum præsidia ad illum agonem accersit.

Est nihilominus maximum inter externa dilectionis signum:

67. Unde displicet aliquorum opinio

Quæ cùm ita sint, displicet aliquorum sententia, videlicet Martyrium sine pœnitentia remissionem peccatorum obtinere, non solùm si repentinus aliquis casus locum adimat pœnitentiæ, sed etiam ubi locus sit pœnitentiæ, & memoria occurrat peccatorum. Ita docet noster Vega lib. 6. in Trident. c. 36. ibi: Itaque si studio unius Martyrij, & effundendi sanguinem pro Christo, nolit fidelis cogitare aliquid de suis peccatis, neque eorum pœnitentiam aliquam assumere, sed totus vacet morti, quæ subeunda sibi est, atque imminere & præsens esse jam cernitur, idque unum curare velit, quomodo libenter, alacriter, fortiter & magnanimiter pro fide usque ad mortem certet, & is quoque per Martyrij gratiam, & quidem gloriosissimè salvabitur.

Vega.

Dicentium Martyrium sine pœnitentia justificare,

Probat: Nam Martyrium de se sufficiens est remedium ad salutem. Et sicut in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 74. legimus, in eo tota Baptismi Sacramenta complentur, & peccata non tantùm dimittuntur, sed etiam extinguuntur.

Quia est de se sufficiens ad salutem remedium,

Et qui duo novit media sufficientia ad aliquem finem, prætermissô unô potest alterô contentus esse. Cùmque Christus generaliter, & absque ulla exceptione dixerit, *Omnis qui confitetur me coram hominibus* &c. trepidare sanè videntur, ubi nullus est timor, qui tunc solùm putant Martyrium ad salutem posse sufficere, cùm locus non est pœnitentiæ, neque occurrit memoria peccatorum. Quasi verò aut debilitas nostræ memoriæ, aut inopinata sævitia inimicorum efficaciam possit & virtutem Martyrio tribuere, vel augere. Hactenus Ille.

Etiam dum occurrit memoria peccatorũ

68. Qui sanè non videtur trepidare, ubi magnus est timor, non quasi debilitas nostræ memoriæ, aut inopinata sævitia inimicorum efficaciam possit & virtutem Martyrio tribuere, vel augere; sed quia occasionaliter facit subjectum dispositum, quod aliàs esset indispositum ad effectum Martyrij recipiendum.

Explico in Baptismo, quia Auctori præfato placuit, & meritò, Martyrium illi adæquare. Accedit Catechumenus ad Baptismum, non recordatur peccatorum præteritorum, & ideo nullum elicit actum pœnitentiæ: baptizatur, accipit remissionem peccatorum. Accedit alius cum memoria peccatorum, non curat elicere formalem Pœnitentiam; sed id unum attendit ut eliceat veram voluntatem suscipiendi Baptismum: baptizatur; diceret Vega hujusmodi accipere remissionem peccatorum?

Sed illud dici non posse, exemplificatur in Baptismo

Manifestè contradiceret Concil. Trident. sess. 14. c. 1. ibi: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent.*

Trident.

Nonne Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum?* Et tamen non minùs generaliter dixit Christus Mar. ultimo v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*, quàm de Martyrio dixit Matth. 10. v. 32. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Act. 2. Ad cujus susceptionem est necessaria pœnitentia: Mar. ult. Matth. 10.

Vides quomodo non benè sequatur, Martyrium de se est sufficiens remedium ad salutem; ergo non indiget pœnitentiâ tamquam præviâ dispositione ad suum effectum in homine peccatore? Nam Baptismum quis dubitat de se esse sufficiens remedium? Et tamen indiget pœnitentiâ in adulto peccatore ut justificet. 69.

Ex quo idẽ infertur de Martyrio,

In adulto, inquam, peccatore, qui peccatorum reminiscitur. secùs in immemore. An ideo debilitas nostræ memoriæ augere potest, vel tribuere virtutem Baptismo? Nequaquam, sed efficit ut sine formali pœnitentia subjectum sit dispositum, quod aliàs esset indispositum ad effectum recipiendum.

Quæris autem quomodo hoc efficiat? Respondeo, impediendo positivum obicem, hoc est, actuale peccatum, quod aliàs committeretur contra præceptum Pœnitentiæ in articulo mortis, de quo alibi.

Hinc ad tertium argumentum Vegæ Respondeo: qui duo novit media sufficientia ad aliquem finem, æquè principaliter & per se instituta ad istum finem, prætermissô unô potest alterô contentus esse, concedo: cæteroquin, si unum medium sit ordinarium, per se & principaliter institutum 70.

Et concluditur non sufficere relicto medio ordinario assumere extraordinarium.

tutum ad aliquem finem; aliud autem extraordinarium, per accidens in defectum alterius ad eumdem finem assumptum, indubiè obligat medium ordinarium & per se, quando possibile est.

Alioquin dicamus Martyrem posse negligere Baptismum, negligere confessionem, etsi commodissimè queat illa Sacramenta, remedia ordinaria & per se instituta ad remissionem peccatorum suscipere: quod non puto facilè Vegam concessurum; nisi etiam velit concedere peccatorem in articulo mortis relictâ confessione, contentum posse esse contritione.

Ne dicere debeamus Martyrem posse negligere baptismum &c.

71. Interim tamen planè mihi persuadeo, in casu naturalis oblivionis peccatorum, aut inculpatæ ignorantiæ præcepti pœnitentiæ, sufficere formalem dilectionem Dei super omnia, quæ est virtualis contritio, aut etiam actum supernaturalem spei, quæ est virtualis attritio. Unde si voluntas pro Christo moriendi talis sit, ex qua moraliter certò, si peccata & præceptum pœnitentiæ occurrerent, nasceretur formalis contritio vel attritio, cur non sufficiat ad verum Martyrium, utì sufficit ad verum, immo fructuosum Baptismum? Eô semper salvô, ut (sicut dictum est disp. 1 sect. 5. conclus. 2.) sit actus supernaturalis.

Sufficit quandoque virtualis contritio aut attritio.

Rogat aliquis, quare non distinguam inter Martyrium verum, & fructuosum, sicut inter Baptismum verum, & fructuosum? Respondeo; quia Ecclesia agnoscit verum Baptisma sine effectu gratiæ sanctificantis; non constat autem agnoscere verum Martyrium. Alioquin quæstio erit de nomine, in qua sequimur communem modum loquendi Ecclesiæ. Et sanè immeritò videtur vocari Martyr, qui nullum accipit vel umquam accipiet effectum Martyrij: porrò quicumque validè baptizatur impressum suscipit characterem Christianitatis.

Neque distinguendū est verum Martyrium à fructuoso.

72. Igitur ut ad primum redeamus, & conclusioni coronidem imponamus, satis certum apparet, quòd in peccatore adulto ad effectum Martyrij, & per consequens, juxta sensum Ecclesiæ, ad verum Martyrium, requiratur ad minùs attritio supernaturalis, saltem virtualis; conteri tamen, imò & baptizari, vel Sacramentum Pœnitentiæ recipere deberet, cui id foret possibile; adeoque ni faciat, ostendit se non esse verè attritum, cùm attritio, juxta Concil. Trident. sess. 14. c. 4. sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi: ipse autem actualiter peccet.

Ad utrumque sufficit & requiritur ad minùs attritio supernaturalis.

Sequitur quæstio quo tempore vel instanti Martyrium conferat suum effectum. Resolutio erit

CONCLUSIO V.

Recipitur effectus Martyrij cùm per vulnera aut cruciatum homo naturaliter certò ad mortem disponitur: adeoque pluries aliquem posse Martyrem fieri putamus.

Videtur esse Scoti 4. dist. 4. q. 6. n. 4. ibi: *Ad aliud dico, quòd baptizatus baptismo sanguinis, si postea est nobiscum viator, tenetur affectu, & pro loco & tempore recipere effectu Sacramentum, id est, Baptismum fluminis: hoc autem quod supponitur est bene possibile, sicut de quibusdam legitur, quòd sunt facti bis Confessores, quia sustinuerunt bis pœnas* (naturaliter illativas mortis) *pro fide.* Hæc Ille. Nec video quid efficaciter possit objici; imò cur non debeat ita dici, supposito quòd ad verum Martyrium non requiratur, ut mors re ipsa sequatur, de quo diximus supra. 73.

Conclusio ostenditur ex Scoto.

Ratio ergo conclusionis est, quia hoc ipso sive instanti sive tempore, quô homo sic disponitur, jam est verus Martyr, & Martyrium est intrinsecè & essentialiter completum. Quidni igitur eodem instanti vel tempore conferat suum effectum, instar causæ naturalis non impeditæ?

Et ratione desumpta ex natura Martyrij.

Dices; ex hac conclusione sequitur, Martyrem adhuc posse damnari. Respondeo concedendo totum de absoluta potentia, ubi enim contrarium revelatum est? Quid si enim Deus Martyrem jam mortuum resuscitet? Quæ implicantia ut peccet mortaliter, & si in peccato usque ad mortem perseveraverit, finaliter damnetur? Nulla prorsùs: sibiipsi enim imputare debet quòd peccet, cùm possit non peccare, & consequenter quòd damnetur. 74.

Nec absurdum, quod inde sequitur Martyrem absolutè posse damnari.

Cæterùm quia damnatio talis Martyris nimis dura apparet, ad divinam providentiam spectabit (tamquam multò conformiùs divinæ bonitati) Martyrem in accepta gratia conservare, dando auxilia congrua, vel certè amissam per ordinata media restituere.

Enimverò cùm re ipsa ille habuerit, quidquid heroïcæ actionis in Martyre desiderari potest, & quodammodò fuerit naturaliter ipsi jam debita gloria, non est facilè credendum Deum fecisse illud miraculum,

Deus tamen id non permitteret.

culum, ut postea permitteret eum in æternum perire; quia hujusmodi miracula in favorem potiùs fiunt Martyrum, quàm in odium.

75. Sed instas; saltem præsumi posset, & meritò talem Martyrem sæpiùs posteà peccare venialiter; adeoque pro tali orando non facerem ipsi injuriam; quod videtur esse contra sensum Ecclesiæ dicentis: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Pro tali autem non esse orandum.

Respondeo, vel dicendum tales miraculosè à morte præservatos aut resuscitatos non esse veros Martyres, neque umquam Martyrij effectum consecuturos, quod Adversarij non audent: vel omnes dicere debemus, Dictum Ecclesiæ, desumptum ex Aug. ut supra ostendimus, intelligendum esse de Martyribus omnino completis & perfectis, qui in ipsis tormentis mortui sunt, & mortui permanserunt.

Non concluditur ex verbis D. August.

Et hanc esse mentem D. Aug. patet ex ejus verbis supra allegatis ex Tract. 84. in Joan. quærit siquidem; cur magis oremus pro alijs, qui in pace requiescunt, quàm pro Martyribus; ergo loquitur de Martyribus, qui in pace requiescunt; non est autem pax in hac vita, nisi ex speciali Dei privilegio, quô præservavit Beatam Dei Genitricem Mariam ab omni peccato tam mortali, quàm veniali.

Qui loquitur de Martyribus in pace quiescentibus.

Porrò an tale privilegium providerit Deus hujusmodi Martyribus, nolim ego hîc definire; quia res planè incerta. Potuit providere si voluit, an voluerit, ipse novit, cujus est providere. Hoc indubitanter assero, peccata venialia, aut etiam mortalia, si quæ ab illis committantur, non deleri per gratiam Martyrij præcedentis, tametsi ea in fine vitæ solùm daretur; sicuti non remittuntur peccata sequentia susceptionem Baptismi per gratiam illius, quantumvis tempore subsequentem, ut ostendimus disp. præced. sect. 6. conclus. 5.

76. Arguis rursùm: Inter 40. illos Martyres, quos Ecclesia colit nonâ Martij, unus susceptô vulnere lethali, hoc est, inter congelatas aquas projectus, ubi naturaliter moriturus erat, defecit tamen, & dein in peccato mortuus est.

Contra cõclusionem objectio.

Respondeo objectionem non esse ad propositum: ille enim tunc habuit naturalia media evadendi, & peccando fugit causam naturaliter illativam mortis. Igitur non susceperat vulnus lethale. Siquidem impræsentiarum non reputatur vulnus lethale illud, quod neglectum potest causare mortem: sic namque jejunans ad mediam horam, jam esset dispositus naturaliter ad mortem, quia si in illo jejunio permaneret tandem extingueretur: sed dicitur vulnus lethale illud, contra quod non est naturale remedium, & necessariò ut jam inflictum causat mortem: tale autem non erat projectio istius militis inter aquas congelatas; naturaliter enim supervixit; & alij etiam fortè supervixissent, qui tamen diutiùs permanserant in aquis congelatis, nisi per fractionem crurium Deo placuisset eos coronâ Martyrij condecorare.

Responsio.

Explicando quid hic sit vulnus lethale.

Sed numquid vulnus lethale erat missio Joannis Euangelistæ in ferventis olei dolium? Nemo dubitat; tanto siquidem tempore in illo permansit, ut naturaliter non posset supervivere. Ideoque Ecclesia recolens hoc miraculum die 6. May recitat officium Martyris. 77.

Quale fuit missio in olei ferventis dolium.

Neque obest, quòd deinde specialiter celebret mortem ipsius in albo colore, ac si Martyr non esset; non obstat, inquam, quia potuit Ecclesia velle, & de facto voluit, ob excellentiam sanctitatis tanti Apostoli & Euangelistæ, pacificam ejus mortem particulari festo celebrare. Alioquin simpliciter in rubro colore celebrat festum Sanctæ Theclæ Virginis & Martyris, tametsi post varia tormenta divinitùs superata, tandem in pace requieverit.

His neutiquam contrariatur Doctor Angelicus, sed magis favet, quando 2. 2. q. 124. a. 4. ad 4. dicit: *Contingit quandoque quòd aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascumque alias tribulationes continuatas usque ad mortem, quas à persecutoribus patitur pro fide Christi, diu vivat: in quo statu actus Martyrij meritorius est, & etiam ipso eodem tempore, quo huiusmodi afflictiones patitur.* 78.

Quibus non contrariatur Doctor Angelicus.

Toto etiam eo articulo, ut ex ratione illius constat, non requirit aliud ex parte hominis nisi tolerantiam illam, quâ perfectissimè testificetur veritatem fidei: illa autem testificatio consistit adæquatè in tolerantia vulneris lethalis: nam quòd deinde divinitùs impediatur mors, non spectat jam, ut sic dicam, ad tolerantiam hominis, sed ad solùm Deum, qui eam impedit miraculosè; maximè cùm ordinariè loquendo acceptis vulneribus omnino lethalibus, vix soleat homo sibi ampliùs esse præsens.

Nihilominùs, ad evitandum inconveniens peccati in vero Martyre, malunt quidam dicere, effectum Martyrij conferri in ultimo instanti vitæ, si hoc sit vitæ intrinsecum, ita ut homo desinat per ultimum sui esse: sin autem sit extrinsecum, ut habet communior sententia, docent tunc effectum Martyrij conferri in aliquo instanti, vel tempore imperceptibiliter præcedente, 79.

Aliqui recurrunt ad ultimum vitæ instans intrinsecũ.

quô

Alij ad instans aut tempus imperceptibiliter præcedens;

quô Martyrium censetur moraliter consummatum, & quô Martyr ob destitutionem usûs rationis peccare nequeat, aut certè Deus cum non peccaturum prævideat.

80. Alij æquè commodè assignant instans aut tempus perceptibile.

Sed quid est necesse recurrere ad instans, vel tempus imperceptibile, quandò æquè commodè potest assignari tempus, vel instans perceptibile? Peto enim an in illo instanti vel tempore imperceptibili possit per miraculum supervivere?

Si negas: ergo jam simpliciter mortuus est; ergo secundùm communiorem sententiam illud instans, vel tempus est extrinsecum, & per consequens Martyr in instanti vel tempore post vitam finitam accipiet effectum Martyrij, quæ sententia videtur parùm probabilis: nam tunc posset dari casus, quô moreretur quis inimicus Dei, & tamen salvaretur. Daretur etiam momentum, in quo posset anima recipere gratiam, & non amittere: adeòque status merendi, & demerendi non essent pares.

Sin verò affirmas in illo instanti, vel tempore imperceptibili adhuc posse Martyrem per miraculum supervivere, jam incurris inconveniens, quod vis evitare.

Et sanè quid impedire queat omnipotentiam divinam, ne Martyrem defunctum resuscitet, hactenùs non invenio. Quod ergo tali casu dixeris de præservatione resuscitati Martyris à peccatis mortalibus vel venialibus, idem dicito de præservatione Martyris, cujus mors miraculosè fuit impedita, & cessabit omne inconveniens, quod tantopere times.

Ex dictis infertur aliquem posse sæpiùs esse Martyrem.

Nec poterit tibi displicere hæc illatio: *Ergo pluries aliquis potest fieri Martyr*, si nimirum diverso tempore lethalia vulnera inferantur, v. g. hodie cum Joanne Euangelista mittatur in ferventis olei dolium, à quo divinâ virtute illæsus exeat: post annum autem decapitetur. Sin autem moraliter simul inferantur v.g. haustô venenô statim suspendatur, aut alio mortis genere afficiatur; cùm disponant ad eamdem mortem, non videtur propterea Martyr duplicatum Martyrij effectum consecuturus.

Cæterùm si à me quæritur, an effectus Martyrij collatus fuerit etiam ante Christi adventum? Item an Martyrium sit positum in præcepto? vel liceat ad illud se offerre? Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Privilegium Martyrij extitit ab initio mundi. Rarò Martyrium est in præcepto. Nec licet se ad illud offerre citra justam causam.

Prima pars probatur ex illo Christi Matth. 23. v. 35. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Loquitur autem de sanguine Martyrum, ut patet ex versu præcedenti: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.* 81.

Martyrium cœpit ab initio mundi. Matth. 23.

Quòd incœperit ante passionem, imò & adventum Christi, patet exemplis.

Profectò ante passionem Christi fuisse veros Martyres patet in Innocentibus, & Joanne Baptista. Quidni etiam ante adventum? Nonne Machabæi tamquam Martyres ab Ecclesia coluntur? Unde Nazianzenus oratione 20. quæ est de Machabæis, docet illos in fide Christi consecutos esse justitiam, & effectos esse nive candidiores. Consentit Tertull. & alij, quos refert & sequitur Henriquez lib. 2. c. 36. n. 1.

Nazianzen. Henriquez.

Cur igitur non fuisset verus Martyr, qui ab initio mundi mortem gustasset ab impijs ne adoraret idola, vel ne desereret verum Dei cultum; aut contra illius mandatum offenderet? Enimverò non minoris est laudis id fecisse ante adventum Christi, ejus exemplo needum proposito, quàm postquam Christus passus, nobis imitandi ejus vestigia exemplum reliquit. Nam, ut ait Nazianzenus supra, *qui Martyrium subiere ante Christi passionem, quid facturi erant, si post Christum persecutionem passi fuissent, eiusq; mortem nostræ salutis causâ susceptam ad imitandum propositam habuissent? Quorum enim nullo proposito exemplo talis tantaq; virtus fuit, an non ij exemplum illud intuentes, fortius in certamen descendissent?* 82

Quidni ergo fuisset Martyr, qui ab initio fuisset occisus, Nazian.

Nemo ergo miretur si justum Abelem dixerim Martyrem, qui minimè resistendo, pro Domino ab impio fratre occisus fuit. Pro Domino, inquam; quid enim dicit Scriptura Gen. 4. v. 4.? *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Ecce causa mortis: sequitur namque: *Ad Cain verò, & ad munera eius non respexit; iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* v. 5.

v. g. Abel iustus! Gen. 4.

Si adhuc dubitas consule discipulum, quem diligebat Jesus cap. 3. Epistolæ 1. v. 12. *Non sicut Cain, inquit, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.*

1. Joan. 3.

Et si hinc inferas: ergo Martyrium est privilegium 83.

Nec inde sequitur quòd Martyrium sit juris naturæ privilegium.

privilegium juris naturæ: Respondeo negan. conseq. sed est privilegium divinum à Christo quidem expressiùs declaratum Matth. 10. & alijs locis supra allegatis; attamen ante Christum subsistens, ut videtur colligi ex sensu Ecclesiæ: quamquam Patres juxta exigentiam materiæ præcipuè & ferè loquantur de Martyrio novi Testamenti.

Martyrium aliquo casu est præceptum;

84. Quid dicam de præcepto Martyrij? Rarum est (ut ait secunda pars Conclusionis) cùm raró occurrat tanta necessitas, ut non liceat Martyrium fugâ declinare. Quando ergo est positum in præcepto? Respondeo, quando dicitur tibi, aut peccandum, aut moriendum; extra hunc casum sufficit Martyrium in animi præparatione, dum homo ita est affectus, & animo paratus, ut si mortem obeundi se offerret necessitas, aut occasio, non detrectaret, aut recusaret; quamquam occasionem quærere non teneatur, & habitam possit plerumque declinare: immo neque positivè & expresè tenetur talem animum (qui infirmis non est proponendus) habere, sed sufficit, dum interim occasio se non offert, non habere contrarium.

S. Cyprian. Quod temerè procurare temeritate non caret.

85. Tertiam partem Conclusionis accipio ex D. Cypriano Epist. 83. ibi: *Temeritate non caret temerè procurare Martyrium.* Et quis temerè procurat? Qui sine justa causa, aut sine divino instinctu morti se ingerit. Porrò justa causa videtur esse, quando omnibus consideratis Martyrium præcipitur, vel saltem consulitur. Præcipitur autem, ut statim dixi, quando aut moriendum est, aut peccandum, hoc est, quando nisi te offeras morti, peccas contra fidem, ut veram virtutem. Consulitur verò quando ex eo nihil aliud sequitur quàm Dei gloria, & fidei exaltatio. Alioquin grave convincitur peccatum, absque sufficienti securitate de constantia cum periculo casûs Tyrannum provocare ad actum malum.

Unde tales meritò de numero Martyrum expungendi.

Æquissimum sanè fuit Episcopi Mensurij decretum, quo de numero Martyrum expunxit eos, qui se à Paganis permiserant apprehendi, & occidi, ut occasione persecutionis carerent onerosâ multis debitis vitâ, vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certè acquirere pecuniam, & in custodia delitijs perfrui de obsequio Christianorum l. 3. breviculi c. 3.

86. Quid ergo? Licitum est, imò præceptum confiteri fidem coram Tyranno, quando v. g. omissio confessionis continet gravem dehonorationem contra veracitatem divinam; etiam expresè protestando se passionem ex sua parte expetere, nec eâ obstante velle à fide declinare; sed potiùs sanguine effuso eam confirmare. Qui plus fecerint ignoscendum illis est, vel ob divinum instinctum, vel ob ignorantiam, & bonam fidem, facilè intenso zelo conjunctam.

D. Thom.

Scitè dixit Doctor Angelicus 2. 2. qu. 124. a. 1. ad 3. *Non debet homo occasionem dare alteri iniustè agendi; sed si alius iniustè egerit, ipse moderatè tolerare debet.* Quid si ergo diceret Tyranno, quod dixit Christus Judæ, Joan. 13. v. 27. *Quod facis, fac citius?*

Respondeo non est vox impellentis, sed permittentis, ac si diceret, *Non impedio, per me licet ut quàm citissimè facias.* Vox est non trepidi, sed parati, imò desiderantis suam passionem.

Intrinsecè malum est Martyrium directè procurare.

Cæteroquin intrinsecè malum est in rigore loquendo Martyrium directè procurare, dicendo v. g. *Occide me propter fidem* (quia hoc est velle actionem injustam, & peccatum proximi) sic tamen ut licitè appetas Martyrium, id est, passionem mortis pro fide, aut vera virtute (quæ si non tota essentia, saltem est præcipua pars Martyrij) exemplo Christi, qui dicebat Luc. 12. v. 50. *Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur?*

Luc. 12. Licitum appetere passionem mortis.

87. Dices; passio ista essentialiter respicit actionem malam, saltem sine actione mala ordinatiè non completur: ergo qui desiderat passionem, etiam consequenter vult actionem.

Permittendo actionem malam.

Respondeo negando consequentiam, sed suppositâ actione malâ, ad quam se habet permissivè, gaudet de passione in se bonâ & meritoriâ, imò sæpe obligatoriâ.

Act. 4.

Dubitas adhuc? Expende mecum verba Apostolorum Act. 4. v. 27. & 28. *Convenerunt enim verè in civitate ista adversùs sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.* Siquidem *est in malorum potestate* (utor verbis S. Aug. lib. de prædestinatione SS. c. 16.) *peccare: ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras, & ordinantis eas.*

Exemplo Christi, S. August.

Explico: *Quamvis uniuscuiusque cordis* (ait idem S. Doctor qq. super Exod. q. 18.) *in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit, ex arbitrio voluntatis: & tamen qualitate malâ ut huc vel illuc moveatur, cùm sive huc sive illuc malè moveatur, causis fit quibus animus propellitur, quæ causæ ut existant, vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta* 88.

provi-

providentia, iustissima planè & sapientissima universum quod creavit disponentis & administrantis Dei. Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod patientiâ Dei non moveretur ad pietatem, sed potiùs ad impietatem, vitij proprij fuit. Quòd verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei; hoc est enim quod dicitur, induratum, *quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat, dispensationis fuit divina, quâ tali cordi non solùm iusta, sed evidenter iusta pœna parabatur, quâ timentes Deum corrigerentur.*

Illustratur exemplo: *Proposito quippe lucro v. g propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecunia contemptor moventur: ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicuius illorum non fuit potestate: Ita causa veniunt hominibus malis, qua non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint iam factos proprijs vitijs ex praterita voluntate.* Hactenùs Ille;

Et aliorum non desiderantium malitiam persecutorum.

Et optimè ad rem nostram: nam & Christus, & alij Martyres ipsius exemplo incensi, mortem pro veritate fidei omnibus modis exoptaverunt, orantes ut quod manus Dei, & consilium ejus fieri decreverat, in ipsis perficeretur & compleretur; haudquaquam desiderantes malitiam persecutoris, sed ut malitia sua hoc in illis faciat, quod Deo aliter disponête non fecisset.

Sed ut malitia hoc in illis faciat quod Deo aliter disponente non fecisset. S. Leo.

Unde interrogat S. Leo Ser. 16. de Passione: *Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio?* Respondet autem: *Non hoc planè de summa iustitia sentiendum est. Quia multùm diversum est, quod in malignitate Iudaorum est pracognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim has impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec prasciendo, quod faciendum esset, coëgit ut fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset ut fieret.*

Unde licet se operibus pijs exponere cum certo Martyrij periculo.

Quidni ergo liceat operibus pijs, v. g. prædicationi verbi Dei, administrationi 89.
aut susceptioni Sacramentorum se exponere, tametsi certò Martyrium inde immineat? Licet omnibus modis. *In hoc enim,* inquit Princeps Apostolorum Epist. 1. cap. 2. v. 21. *vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* *1. Petri 2.*

Rectè igitur dixit Scotus 4. dist. 32. q. unicâ n. 7. *Martyres scienter se exponentes talibus tormentis*, id est, tormentis, quæ impediebant usum rationis, *non peccaverunt, sed meruerunt.* Et ideo passim illa tormenta, imò & mortem ipsam prævidentes, à confessione fidei, & alijs bonis operibus non abstinuerunt sancti Dei homines, sedulò considerantes, quantùm sibi & proximo per mortem pro virtute patienter toleratam proficerent. Inspice continuam Ecclesiæ praxim, & ab illa ne recesseris in tempore persecutionis. *Scotus.*

Firmatur Ecclesiæ praxi continuâ.

Porrò quia non omnibus datum est mori pro Christo, etiam illis, qui ardentissimo zelo Martyrij incenduntur, exemplo 90.
S. P. N. Francisci, Antonij à Padua, & plurimorum aliorum, gaudeant bene nati, & à Deo ad tam arduum & heroïcum opus prædestinati. Et si qui sunt nondum vocati pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam, quâ velint esse, atque efficiantur Martyres. Sed hæc satis de Martyrio.

Quod utique prævidens Christus suis sectatoribus frequentiùs obventurum, speciali Sacramento voluit illis providere de specialibus auxilijs in hac extrema lucta necessarijs. Est autem Sacramentum Confirmationis, cujus essentiam, effectum, ministrum & suscipientem edissero disputatione sequenti, & quantâ possum claritate explico.

DISPU-

DISPUTATIO III.
DE
SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS.

ECUNDUM locum inter Sacramenta novæ legis obtinet Confirmatio. Trident. seff. 7. de Sacramentis in Genere can. 1. *Si quis dixerit* &c. *aut esse plura vel pauciora Sacramenta quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam* &c.

I. Secundum locum inter Sacramenta obtinet Confirmatio Trident.

Eumdem locum tribuerat ipsi antea Florentinum in decreto unionis §. *Novæ legis septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia* &c. Et infra: *Secundum Sacramentum est Confirmatio* &c.

Floren.

Secundum, inquam, non tam ordine dignitatis, aut necessitatis, quàm temporis, & generationis; nam ut rectè Eugenius supra in Concil. Florent. *Per Baptismum spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ.*

Ordine temporis & generationis:

Unde in antiqua Ecclesia statim post Baptismum conferebatur Sacramentum Confirmationis, tamquam quædam regenerationis perfectio seu consummatio. Etenim quemadmodùm in Baptismo fit professio fidei, ita in Confirmatione datur robur ad eamdem fidem, etiam coram Tyranno, ubi opus fuerit, audacter, ut loquitur Florentinum supra agens de effectu hujus Sacramenti, confitendam.

Est enim regenerationis spiritualis quædam consummatio.

Et hinc nomen Confirmationis impositum huic Sacramento, secundùm illud Apostoli 2. Cor. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus* &c. Eoque à primis Ecclesiæ temporibus usus fuit Clemens Rom. lib. 3. constit. Aposto-

2. Corinth. 1.

Clem. Rom.

Apostolicarum c. 17. ubi definiens hoc Sacramentum, inquit: *Vnguentum est confirmatio confessionis seu professionis*, scilicet fidei.

Quamvis & alia plura nomina ipsi indita sint, tum à materia, tum à forma, alijsque ritibus qui in administratione solent adhiberi. Vide illa apud Basilium Pontium in particulari tractatu, quem scripsit de hoc Sacramento parte 1. c. 1. Nos communi nomine appellabimus Confirmationem, de cujus essentia instituitur

SECTIO PRIMA.

De Essentia Confirmationis.

2. Datur loco manus impositionis, de qua in Actibus Apostolorum. *Florent.*

PRænotandum Primò ex Concil. Florent. in decreto de Armenis: *Loco illius manûs impositionis*, de qua in Actibus Apostolorum, *datur in Ecclesia Confirmatio.* Nomina quidem diversa, sed idem ritus; alioquin non valeret argumentum Concilij: *Et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur* (*quorum vicem tenent Episcopi*) *quod per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant.* Sed de hoc, quia non caret difficultate, latiùs infra.

3. Manuum impositio est multiplex.

Prænotandum Secundò cum Glossa 1. q. 1. c. 74. Verb. *Impositio*; multiplex est hodie in Ecclesia manuum impositio; videlicet Ordinatoria, Curatoria, Reconciliatoria, & Confirmatoria, ut interim taceam simplicem benedictionem, quæ antiquo ritu solebat fieri manuum impositione.

1. Timoth. 5. Ordinatoria & curatoria. Mat. ult.

De prima loquitur Apostolus 1. Tim. 5. v. 22. *Manus citò nemini imposueris.* Secundam docet Christus Marci ultimo vers. 18. *Super egros manus imponent, & bene habebunt.* Tertiæ meminit Concil. Arausicanum I. c. 3. ibi: *Quòd si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manûs impositione recipiant.*

Reconciliatoria. Arausi.

S. Greger.

Eamque reperio apud Gregorium lib. 9. Epist. 61. & refertur c. 44. de consec. dist. 4. hisce verbis: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manûs, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Vnde Arianos per impositionem manûs Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Oriens reformat.*

Confirmatoria. Elibert.

Neque Confirmatoriam silent antiqua Concilia: Elibertinum namque cap. 38. sic statuit: *Peregrè navigantes: aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem* (*qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus*) *baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem perfici possit.*

De eadem loquitur Cyprian. Epist. 73. ibi: *Et idcirco, quia legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant* (loquitur de hæreticis baptizandis) *baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, ut oratione habitâ, & manu impositâ invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus.* S. Cypri.

Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manûs impositionem Spiritum Sanctum consequantur & signaculo Dominico consummentur.

Similiter Hieron. contra Luciferianos ibi: *Vt baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus.* S. Hieron.

Prænotandum Tertiò, sæpe à Patribus Confirmationem confundi cum Baptismo, idque quia consuetum erat in initio Ecclesiæ simul illa Sacramenta administrare propter paucitatem Apostolorum, qui soli habebant potestatem confirmandi. 4. A Patribus sæpe confunditur Confirmatio cum Baptismo.

Hinc quando Apostolus Petrus Actorum 2. v. 38. ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritûs sancti*, per ly *Donum Spiritûs sancti*, intelligit Confirmationem sive manuum impositionem; quippe per solum Baptismum nullibi in Scriptura legitur datus Spiritus sanctus, id est, plenitudo Spiritûs sancti. Quoniam ergo Confirmatio perfectio est & complementum Baptismi, idcirco non incongruè ejus nomine interdùm appellatur. Act. 2.

His prænotatis sit

CON-

CONCLUSIO I.

Confirmatio est verum ac proprium novæ Legis Sacramentum.

5. Probatur concluſ. ex Florent. & Trident.

ITa noviſſimè, poſt Florent. in decreto de Armenis, definivit Trident. ſeſſ. 7. de hoc Sacramento can. 1. contra hæreticos noſtri temporis, inquiens: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam ceremoniam eſſe & non potiùs verum & propriè Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, quâ adoleſcentia proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.*

Quòd ſit ceremonia aliqua ſive ſignum ſenſibile nemo poteſt negare, & luce clariùs apparebit ex materia & forma inferiùs aſſignandis. Porrò non eſſe otioſam, ut ſomniant Acatholici, ſed efficere gratiam ſanctificantem, colligo ex Scrip. Act. 8. v. 17. *Tunc imponebant* (Apoſtoli) *manus ſuper eos* (baptizatos) *& accipiebant Spiritum ſanctum.*

Item ex Scripturis Act. 8. & 19.

Et c. 19. v. 6. *Et cùm impoſuiſſet illis* (baptizatis) *manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos*, utique per gratiam internam ſanctificantem, *ut eſſent plenè ſanctificati* (utor verbis D. Cypr. epiſt. 70. & 72.) *filii Dei, & renati utrôque Sacramentô*, Baptiſmô nimirum & Confirmatione.

D. Cypr.

6. Adſtipulatur D. Aug. lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 16. in principio: *Spiritus*, inquit, *ſanctus quia in ſola Catholica per manus impoſitionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait:* Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Ipſa eſt enim charitas, quam non habent, qui ab Eccleſia Catholica communione præciſi ſunt, ac per hoc etiamſi linguis hominum loquantur & Angelorum, ſi ſciant omnia Sacramenta, & omnem ſcientiam, & ſi omnem habeant prophetiam, & omnem fidem, ita ut montes transferant, & diſtribuant omnia ſua pauperibus, & tradant corpus ſuum ut ardeant, nihil eis prodeſt. Non autem habet Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligit unitatem; ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi, niſi in Eccleſia, Spiritus ſanctus.*

Adſtipulatur D. Auguſtinus. Rom. 5. v. 5.

Occurrenſque reſponſioni hæreticorum proſequitur: *Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus* (Quid aliud, niſi charitatem diffuſam in cordibus?) *per manus impoſitionem modo datur Spiritus ſanctus, ſicut antea dabatur, ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inviſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inſpirari, ut poſſint dicere: Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Ergo ſecundùm D. Aug. accipere Spiritum ſanctum per manûs impoſitionem, non eſt accipere donum linguarum, aut prophetiæ, ſeu alias gratias gratis datas; ſed charitatem Dei diffuſam in cordibus per Spiritum ſanctum; quæ quid aliud eſt quàm gratia juſtificans, vel ejus augmentum?

Secundùm quem idem eſt accipere Spiritum ſanctum per manûs impoſitionem, ac gratiam ſanctificantem.

Ne autem aliquis ſcrupulus remaneat de mente tanti Doctoris, audiamus quid ad idem propoſitum dicat Tract. 6. in Epiſt. B. Joan. *Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus ſanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodò Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum ſanctum*, inhabitantem corda fidelium, per gratiam juſtificantem, *quia Evangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum: ſignificatum eſt illud & tranſijt. Numquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? Aut quando impoſuimus manus iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrum utrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrum fuit ut diceret: non acceperunt iſti Spiritum Sanctum, nam ſi accepiſſent linguis loquerentur, quemadmodùm tunc factum eſt? Si ergo per hæc miracula non fiat modo teſtimonium præſentiæ Spiritûs ſancti*, id eſt, charitatis Dei, *unde fit, unde cognoſcit quiſque accepiſſe ſe Spiritum ſanctum?*

Igitur ex mente D. Aug. tunc miracula illa erant teſtimonium præſentiæ Spiritûs ſancti per gratiam internam, ſeu inviſibilem, quæ de facto infunditur per impoſitionem manuum abſque aliquo ſenſibili miraculo.

Accedat aliud teſtimonium ejuſdem Doctoris ex lib. 15. de Trinit. c. 26. ubi loquens de Chriſto, ſic ait: *Et manifeſtius de illo ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum:* Quoniam unxit eum Deus Spiritu ſancto. *Non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia.* Act. 10. v. 38.

7. Noli ergo cogitare, noli dicere D. Auguſtinum non agnoviſſe Sacramentum Confirmationis. Agnovit planè locis jam allegatis: quamvis difficile appareat, quod ait lib.

De quo nõ eſt dubitandum etiam confirmationis &c.

cramentum agnoverit,

ait lib. 3. de Baptismo c. 16. & refertur 1. q. 1. c. 74. *Manûs autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Etenim veritas Catholica est, Sacramentum Confirmationis iterari non posse. Quid ergo ad D. Augustinum?

Respondeo eximium & Sanctum Ecclesiæ Doctorem illo loco per manûs impositionem nequaquam intelligere Confirmatoriam, sed Reconciliatoriam, juxta illud, quod apud eumdem lego lib. 5. de Baptismo c. 23. ibi: *Manûs autem impositio, si non adhiberetur ab hæresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse iudicaretur, propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritûs sancti, sine quo non valent ad salutem, quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.*

Quod non semper per manûs impositionem intellexit;

Unde & priori loco subjungit: *Nam quòd in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, ut id solveretur in terris, quod ille solvisset, manifestum est quòd illa unitas, etiam una columba perfecta sit dicta.* Ut quid allegaret potestatem solvendi, si non intelligeret impositionem manuum reconciliatricem pœnitentis? Certè hæc, non sicut Baptismus, repeti non potest, sed potiùs instituta est ut sæpiùs iteretur.

Cùm manûs impositio aliqua sit reconciliatoria,

8. Vocat autem illam, *Orationem*; non quòd absolutio sacramentalis sit deprecatoria (contrarium quippe ostendam propriô locô). sed vel propter preces antecedentes & subsequentes; quemadmodùm totum, quod dicitur in officio divino, appellatur oratio, licèt etiam legantur historiæ, quæ solùm sunt narratio; vel quia implicitè continet orationem, quâ Sacerdos nomine Christi efficaciter petit remissionem peccati.

Ad Confirmatoriam autem requirit unctionem,

Confirmatur; quia ad manûs impositionem Confirmatoriam requirit Unctionem lib. 2. contra lit. Petiliani c. 104. ibi: *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult* (Petilianus) *interpretari, quod quidèm in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis*, ratione scilicet characteris, uti etiam ipse Baptismus, cui Aug. comparat hoc Sacramentum in sanctitate; comparaturus etiam proculdubio in non iterabilitate, si sermo ita exegisset. Hæc de mente D. Aug.

9. Sed revertamur ad Scripturam, unde digressi sumus. Profectò non est verisimile in primitiva Ecclesia temporibus Apostolorum omnibus baptizatis per manûs impositionem concessum fuisse donum linguarum & prophetiæ. Alioquin quomodo diceret Apostolus 1. Cor. 12. v. 29. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetæ? ..... numquid omnes linguis loquuntur?* 1. Cor. 12.

Per manûs impositionem Apostolorum temporibus

Multa (inquit D. Aug. lib. 3. de Bapt. c. 16.) *operationes sunt Spiritûs sancti, quas idem Apostolus cùm quodam loco* (1. Cor. 12. v. 8.) *quantùm sufficere arbitratus est commemorasset, ita conclusit* (v. 11.) *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ergo non omnibus baptizatis indifferenter conferebantur hæ operationes Spiritûs Sancti, sive gratiæ gratìs datæ per manûs impositionem. S. August.

Non omnibus baptizatis indifferenter dabantur gratiæ gratis datæ.

Accedit, quòd donum linguarum, prophetiæ, &c. possint esse in peccatore, ut patet 1. Cor. 3. v. 1. & 2. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero &c. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor. 3.

Quod etiam advertit S. Aug. supra dicens: *Cùm ergo sit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit* (ratione characteris animæ impressi) *aliud operatio Spiritûs* (externa) *quæ in malis hominibus etiam fieri solet: sicut Saul.* 1. Reg. 19. *habuit prophetiam; aliud operatio* (interna) *eiusdem Spiritûs, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro &c.*

Quæ possunt esse in peccatore juxta Aug. sup.

Atque hi sunt qui opere & veritate per manûs impositionem accipiunt Spiritum sanctum, sicut accepit Cornelius vir justus, religiosus, ac timens Deum Act. 10. v. 44. & 45. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super eos, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est*, tum visibiliter per donum linguarum; sequitur enim v. 46. *Audiebant illos loquentes linguis & magnificantes Deum*: tum invisibiliter per charitatem diffusam in cordibus eorum: siquidem *Tunc respondit Petrus* (v. 47.) *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?* 10. Act. 10.

Effectus confirmationis non nisi in justis.

Idem significat Princeps Apostolorum c. sequenti v. 15. *Cùm autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio.* Et v. 17. *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum?* Quis autem ambigat, Apostolos in die Pentecostes, per adventum visibilem Spiritûs Sancti in linguis igneis, accepisse augmentum gratiæ sanctificantis? Act. 11.

Unde

Unde fideles ex circumcisione auditis, quæ dicebantur à Petro, tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Ibidem v. 18. Quæ illa vita, nisi interior hominis sanctificatio?

11. Manuum impositio Apostolica non fuit ceremonia otiosa;

Itaque impositio manuum, per quam Apostoli olim dabant Spiritum sanctum, non fuit ceremonia aliqua otiosa, neque usurpata tantùm ad conferendum donum linguarum; minùs, ut falsò existimat Calv. lib. 4. instit. c. 19. ut ipso gestu Apostoli significarent se Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant.

Alioquin cur Apostoli, qui erant Jerosolymis, cùm audissent, quòd recepisset Samaria verbum Dei, cur, inquam, tam festinè ad eos misissent Petrum & Joannem? Nonne absentes æquè ac præsentes poterant illos Deo offerre? An Simon Magus adeò stultus erat, ut vellet pecuniâ emere potestatem offerendi Deo fideles, quam quilibet Christianus habet?

Quid ergo? Vidit solis Apostolis à Christo ordinatis permitti hoc ministerium; vidit ipsos per manuum impositionem dare Spiritum sanctum visibiliter per donum linguarum & prophetiæ, credidit dare Spiritum sanctum invisibiliter per gratiam sanctificantem, vidit, credidit & obtulit eis pecuniam dicens: Act. 8. v. 19. *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Petrus autem dixit ad eum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* (Act. 8.)

Sed collativa plenitudinis gratiæ sanctificantis (Act. 1.)

Quod donum Dei? Ordinationem Episcopalem, donum linguarum, & plenitudinem gratiæ sanctificantis; de qua plenitudine dicebat Christus Apostolis suis Act. 1. v. 5. *Quia Ioannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, utique in die Pentecostes; nam ut ostendimus disp. 1. Apostoli probabiliùs ante passionem Christi abluti erant lavacro regenerationis.

12. De qua plenitudine loquitur Joel Propheta. (Act. 2.)

De eadem plenitudine loquitur Deus apud Prophetam Joël. c. 2. v. 28. *Et erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem.*

Nota ly *Super omnem carnem*, quod generaliter ut sonat intellexit Apostolus Petrus Act. 2. v. 17. *Et erit*, inquit *in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filij vestri &c.*

Ad quam Scripturam alludens Christus Joannis 7. v. 38. ait *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Ubi Euangelista subjungit: *Hoc autem dixit de Spiritu* (id est plenitudine gratiarum) *quem accepturi erant credentes in eum*, per manûs impositionem. *Nondùm enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondùm erat glorificatus*, nam solùm in Pentecoste Apostoli, & post Pentecosten alij fideles, quorum sine dubio plures ante Ascensionem Christi fuerant baptizati, per Sacramentum Confirmationis augmentum, robur, perfectionemque gratiæ baptismalis acceperunt. (Et Christus apud Joannem Euangelistam c. 7.)

13. Nec dubitandū quin adhuc detur in Ecclesias Joan. 14.

Et quis credat hunc Spiritum in Ecclesia Christi non ampliùs dari? Fallitur ergo, aut fallit æterna Veritas, quæ Joan. 14. v. 16. promittit Spiritum mansurum nobiscum in æternum, id est, usque ad finem mundi? *Et ego*, inquit, *rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis.*

Absit à nobis ut Deum falli aut fallere posse dicamus. *Non enim*, inquit D. Aug. lib. de natura & gratia c. 49. *ut stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest & negare se ipsum non potest. Nam*, ait idem S. Doctor lib. 1. de Symb. ad Catech. c. 1. *si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens, quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* (S. Aug.)

14. S. Hiero. Ubi probatur auctoritate Ecclesiæ,

Finio verbis D. Hieron. contra Luciferianos: *An nescis, (hæretice) Ecclesiarum hunc esse morem ut baptizatis postea manus imponatur, & invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.*

Quæris unde constet ille consensus. Respondeo ex testimonijs sedecim Pontificum incipiendo à Clemente Rom. plurimorum Conciliorum, ac SS. Patrum, quæ videri possunt apud Basil. Pontium supra parte 1. c. 2. à numero 3. usque ad 8. Bellarminum, & alios Controversistas. Ego in re tam clara supersedeo singulorum verbis exscribendis. (Et communi consensu Patrum & Doctorum.)

Fateor, per Baptismum dari potuisset gratia, quâ homo non solùm regeneraretur, verùm etiam in fide, quam accipit, perficeretur: Equidem conveniens fuit hæc Sacramentorum varietas, quia diversum beneficium est generari spiritualiter, quod fit per Baptismum, & roborari in Spiritu accepto, ad quod instituta est Confirmatio, & nutriri seu ali, quod proprium est cibo & potui Eucharistico. 15. (Et rationabili convenientiâ.)

Et

Et ideo Apostolis, absque dubio spiritualiter regeneratis, imò & communione Eucharistiæ refectis dictum est à Christo Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos*, utique ad fidei publicam confessionem, *& eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Act. 1.

Si Apostolis præter gratiam Baptismi & Eucharistiæ, erat necessaria specialis gratia Spiritûs sancti ad fortiter Christi fidem propugnandam, & propagandam; quantò magìs cæteris Christianis, tantò imbecillioribus in confessione fidei, quantò imperfectioribus in amore?

Imò morali necessitate suscipiendi hoc Sacramentum.

16. Ita ergo se habet de Confirmatione definita sententia voluntatis Dei, communi Patrum consensu recepta, & perpetuo usu Ecclesiæ confirmata, contra quam disputare insolentissimæ insamæ est.

Definitur autem seu potiùs describitur hoc Sacramentum ex Doctore Subtili 4. dist. 7. q. 1. n. 1. *Vnctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio numquàm usi, facta in fronte in figura crucis cum Chrismate sanctificato, & hoc à ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente, & certa verba proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi.*

Cujus descriptio assignatur à Scoto.

Cujus descriptionis singulas partes antequam cum Scoto aggrediar explicare, quæro tempus institutionis. Quæro, inquam, & vix invenio: interim, salvo meliori, dico

CONCLUSIO II.

Sacramentum Confirmationis institutum fuit à Christo quoad materiam & formam in nocte ultimæ Cœnę, quoad ministrum Joannis 20.

17. DE tempore & modo institutionis hujus Sacramenti, sic loquitur Doctor Subtilis supra n. 3. *Supponitur institutum esse à Deo, licèt tempus, & modus huius institutionis in Scriptura non legatur: fortè quia historiographi Scripturam usque ad tempus illud non produxerunt: non enim produxerunt ultra tempus Apostolorum, nec etiam usque ad plures annos ante mortem eorum: toto autem tempore Apostolorum fortè mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis,*

Item institutionis tempus, & modus,

Ubi quando audis, *fortè*, cogita Doctorem nihil determinatè & absolutè asserere, sed proponere se doctioribus examinandum.

Addit: *Nec est improbabile multa esse tradita auctoritativè à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scriptura non legimus, ut dicit Damascenus lib. 4. c. 4 ubi loquens de adoratione imaginum, ait: Est autem nobis tradita ista traditio, quemadmodum oportet ad orientem adorare crucem, & altera plurima his similia.*

Quæ in scriptura non leguntur expressè.

Ecce petra scandali & lapis offensionis, sed ijs, qui timent, ubi non est timendum. Non videtur, inquit Pontius supra parte 1. c. 3. n. 11. reprehensione carere Scotus, quem sequuntur Nonnulli Scotistæ, qui in 4. dist. 7. q. 1. docere videtur institutionem hujus Sacramenti esse à Christo factam, non constare ex sacra Scriptura, sed haberi ex doctrina à Patribus & Apostolis accepta.

Ob quam assertionem immerito reprehenditur Scotus à Basilio Pontio;

Sed age Basili, produc textum sacræ paginæ, in qua Christus instituit unctionem Chrismatis pro materia hujus Sacramenti, pro forma autem hæc verba, aut æquipollentia: *Signo te signo crucis &c.* & credimus tibi. Nonne tu ipse cum alijs doces parte 2. c. 6. Apostolos Act. 8. & 19. confirmasse sine unctione Chrismatis per nudam manuum impositionem? 18.

Præterea inquiro: legisti aliquando in Scriptura Apostolos confirmasse sine visibili descensu Spiritûs sancti? Ex quo ergo loco ostendis Apostolos confirmasse cum Chrismate & unctione?

Si dixeris, ex Apostolo 2. Cor. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Profectò te ipso teste parte 1. c. 3. n. 7. multi *confirmandi* verbum intelligunt de Confirmatione per gratiam, & fidem, sive ea detur in Sacramento, sive extra. Ita Chrysost. Theodoretus, Theoph. Hier. S. Thom. & plures alij.

Cū nequeat aliū Scripturæ locum allegare. 2. Cor. 1.

Illud etiam verbum, *Vnxit nos* multi intelligunt de unctione per gratiam utì & ly, *Signavit nos*, nonnulli ex citatis explicant de signatione per gratiam, quâ discernuntur probi ab improbis. Alij de obsignatione per Spiritûs sancti dona, & gratias gratìs datas. Aliqui de obsigna tione per characterem. Alij de obsignatione per auxilium efficax. Cæteri de obsignatione per signum Crucis. Quare non indè probatur efficaciter Sacramentum Confirmationis.

Si adduxeris testimonium ex Apostolo 1. ad Ephes. v. 13 *In quo*, scilicet Christo, *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est,* 19.

Ephes. 1.

qui est pignus hæreditatis nostræ. Et cap. 4. Et 4. vers. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis.* Te quidem judice, quamvis probabilis expositio sit ea, quæ hæc testimonia de Sacramento Confirmationis interpretatur: attamen non est convincens. Nam communior explicatio est apud Sanctos Patres, quâ de signaculo per gratiam, & charitatem explicant, quo secernuntur boni à malis.

Saltem efficaciter convincentem.

20. Sed inquies; apud Joan. Epist. 1. c. 2. v. 27. legimus: *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Et v. 20. *Sed vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.* Quem locum plurimi interpretantur de unctione chrismatis in Sacramento Confirmationis.

Talis non est locus Joannis Apostoli teste ipso Pontio.

Respondeo cum Pontio supra num. 9. probabilis quidem interpretatio, sed non concludens. Nam Hier. in c. 3. Habacuc, & Cyrillus Alexandrinus in oratione ad Presbyteros, & Diaconos, nomine *Unctionis* Baptismum intelligunt, in quo ungimur etiam in vertice capitis. Et Emanuel Sa intelligit Christianismum. Lorinus gratiam justificantem cum dono intellectûs. Alij fidem Christianam.

21. Dices rursum; Apostolus ad Heb. 6. v. 2. inter doctrinæ Christianæ rudimenta post Baptismum proximè enumerat, *Impositionem manuum*, dicens: *Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicij æterni.* Et quidem testimonium hoc, inquit Pontius supra n. 10. majori cum probabilitatis specie (ergo non evidenter) adducitur ad probandum Sacramentum Confirmationis. Nam de illo intelligunt plerique Patres tam Græci, quàm Latini, & recentiores Interpretes, excepto Salmerone, qui disp. 14. in Epist. ad Heb. Ad 2. intelligit de impositione manuum super Catechumenos, & Energumenos ad expellendos dæmones, quem sequitur Justinianus. Ambrosius quoque Catherinus de impositione manuum in Ordinis Sacramento explicat.

Imò nec Apostoli Pauli ad Hebr. 6.

Esto tamen loquatur Apostolus de Sacramento Confirmationis, quid inde? Scotus. Num Doctor Subtilis supra negat Sacramentum Confirmationis exprimi in Scriptura? Imò affirmat dicens: *Toto tempore Apostolorum fortè mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis.*

Et paulò superiùs: *Cum Apostolis etiam in primitiva Ecclesia potuit dispensare, & maximè, quia in Confirmatione collata* (utique Actor. 8. & 19. quam Scotus non potuit ignorasse) *erant aliqua signa sensibilia, puta communiter descensus Spiritûs sancti super confirmatos, & donum linguarum.*

Manuum itaque impositionem reperio in Scriptura, & dubio procul Scotus legit. Sed ubi Chrismatis unctio? ubi forma: *Signo te signô crucis* &c.? Quærat Pontius diligenter, & cùm invenerit, digito monstret locum, ut eumdem penitiùs introspicientes, aliquâ veri specie dicere cum ipso possimus: Non videtur reprehensione carere Scotus. 22.

Manûs quidem impositio legitur in Scriptura.

Qui profectò nihil aliud intendit, quàm Sacramentum Confirmationis, ut hodie in Ecclesia ministratur per unctionem Chrismatis, & certam verborum formam, in Scriptura non legi: ut patet ex contextu istius n. 3. in quo sibi objicit contra materiam & formam simul (illam indubiè, quam expresserat in sua definitione, & num. 2. explicaverat, unctionem puta factam in fronte in figura crucis cum Chrismate sanctificato, & verba ordinaria *Signo, vel consigno te* &c.) objicit, inquam, *Quia Christus non sic instituit.* Respondet autem Deum sic quidem instituisse, *licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur.* Hæc pro defensione nostri Doctoris.

Sed hanc Scotus non negavit in Scriptura contineri.

Sed modum, quo nunc confirmatio datur.

Nunc ostendo primam partem conclusionis (supponendo cum communi sententia, omnia Sacramenta, adeoque Confirmationem immediatè à Christo fuisse institutam) ex Fabiano Papa Epist. 2. c. 1. ibi: *In illa die Dominus Iesus, postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt, Chrisma conficere docuit*: puta ad usum in Sacramento Confirmationis. 23.

1. pars Cõclusionis probatur ex Fabiano Papa.

Ergo credibile est tunc etiam præscripsisse formam: maximè cùm secundùm communem phrasim in libris Ecclesiasticis *Chrismatis* nomine, Confirmationis Sacramentum intelligatur, ut sensus Pontificis sit: *Conficere docuit Sacramentum Confirmationis in Chrismatis unctione, & certâ verborum formâ.* Colligo, quia subdit: *Ipsa lavatio pedum nostrum significat Baptismum, quando sancti Chrismatis unctione perficitur, & confirmatur.*

Cujus verba exponuntur.

Dices; multiplex est usus Chrismatis in Ecclesia, in Confirmatione nempe, Ordinatione, consecratione Basilicarum, Altarium & vasorum, in quibus Sanguis Christi conficitur. Potuit ergo Christus doctrinam Chrismatis ad alia tradere eâ nocte, etiamsi non instituerit hoc Sacramentum. 24.

Respondeo potuisse; sed unde constat fecisse, & non potiùs contrarium, quandoquidem

Et de confectione Chrismatis confirmatorij intelliguntur.

quidem nulla sit ratio asserendi, alias chrismationes, præter Confirmatoriam, à Christo immediatè esse institutas? Certè nullus hactenùs asseruit unctionem Ordinandi esse materiam essentialem. Et quis ambigat unctiones Altarium, & similes, esse merissimi juris Ecclesiastici? Quo ergo fundamento dicemus hujusmodi chrismationes à Christo in ultima cœna edoctas, & non potiùs solam unctionem Chrismatis essentialem Sacramento Confirmationis, quod à solo Christo poterat institui, ut docuimus disp. 1. sect. 2. concl. 1.?

25. Esto pro tunc nondum esset institutus Sacramenti minister; Matth. 26.

Nec moveat quemquam, quòd tunc necdùm esset institutus minister, ut patet ex 2. parte Conclusionis; etenim Christus instituit Eucharistiam, cùm dixit Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum*, & tamen necdùm erat institutus minister, scilicet Sacerdos; cùm postea sint Apostoli facti Sacerdotes per sequentia verba apud Euangelist. Lucam cap. 22. v. 16. *Hoc facite in meam commemorationem*, teste Concil. Trident. sess. 22. c. 1. ibi: *Ac sub earumdem rerum Symbolis*, id est, speciebus panis & vini, *Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent* Corpus suum & Sanguinem *tradidit* Christus, *& eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.*

Uti contigit in institutione Eucharistiæ. Trident.

Aliud simile, quod Pontius supra c. 4. num. 14. adfert, de Baptismo instituto in Jordane antequam Apostoli haberent potestatem baptizandi, multùm claudicat; nam in primis non constat in Jordane fuisse determinatam materiam, & formam essentialem Baptismi, ut ostendimus disp. præced. sect. 1. conclus. 1. & Patres, qui citantur pro illa opinione commodè possunt intelligi. Vide ibi dicta.

Simile de de Baptismo in Jordane instituto multùm claudicat.

Deinde dato quòd fuerit ibi Baptismus institutus; unde probatur Apostolos eo ipso non habuisse potestatem baptizandi? An quia illam non exercuerunt illicò baptizando? Non dubito quin statim ab institutione, quilibet homo viator ratione utens fuerit idoneus minister hujus Sacramenti; cùm ad valorem Baptismatis, ut patet ex dictis disp. præced. sect. 5. conclus. 1. non esset necessaria specialis aliqua potestas, per specialem Dei voluntatem ministro communicanda; qualis tamen requirebatur in ministro Eucharistiæ, Ordinationis, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, atque Confirmationis.

26. Non est implicantia institui Sacramentum materia & forma sine ministro.

Quidquid ergo sit de Baptismo; ipsa ratio dictat, nullam esse repugnantiam in eo, quòd Sacramentum aliquod instituatur quoad materiam & formam, priusquam instituatur causa ipsius ministerialis; certum quippe est causam efficientem non pertinere ad essentiam effectûs. Porrò istud, vel contrarium factum fuisse in præsenti Sacramento, Scriptura expressè non meminit; sed tantùm reperio Christum in ultima cœna sæpiùs promisisse Apostolis, & in ipsis omnibus fidelibus Spiritum sanctum, dandum videlicet aliquâ sensibili ceremoniâ, qui est effectus hujus Sacramenti.

Illud factum fuisse in ultima cœna colligitur ex Scriptura junctâ Traditione.

Illud, inquam, tantùm reperio; ex quo tamen, junctâ traditione, de qua supra Fabianus Pontifex, verosimiliter concludo; ergo in nocte ultimæ Cœnæ instituta seu determinatata fuit à Christo essentia Confirmationis, nisi aliud tempus opportunius assignetur.

27. Nisi aliud tempus opportunius assignetur.

Assignas Primò, quando Christus imponebat manus parvulis: Matth. 19. vers. 15. *Et cùm imposuisset* Christus *eis* parvulis *manus, abijt inde.* Per quam impositionem manuum multi intelligunt Confirmationem.

Non Matth. 19. v. 15.

Sed contra; hi parvuli nondùm erant baptizati; neque ulla eo loco extat causa, quare Christus extraordinariè eos confirmasset. Deinde Joan. 7. v. 39. dicitur: *Nondùm erat Spiritus*, ad robur, seu ad intrepidè & audacter subeundam mortem pro fide Christi, *datus, quia Iesus nondùm erat glorificatus.* Ut omittam non decuisse aliquem confirmari ante Apostolos.

Et dato quòd Christus ibi per manuum suarum impositionem extraordinariè contulerit eúmdem effectum, quem modò causat Sacramentum Confirmationis: an idcirco bene sequitur; ergo Christus eo tempore determinavit Chrismationem pro materia, & instituit certam verborum formã?

Non quæritur hîc, ubi Christus aut Deus plenitudinem Spiritûs sancti dederit; quid enim aliud clamat Dies Pentecostes, in quo, ut legitur Actor. 2. v. 3. *Apparuerunt*, Apostolis, alijsque discipulis, *dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditq; super singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*? Quis hoc nesciat? At dico non propterea illo die fuisse determinatam materiam & formam, quâ hodie utitur Ecclesia in collatione hujus Sacramenti, ut optimè intellexit Doctor Subtilis loco statim citando.

Actor. 2.

Assignas Secundò, quando Christus post resurrectionem Apostolis Spiritum sanctum dedit insufflando, eisque dixit Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum sanctum.* Ita (inquit Suarez de hoc Sacramento disp. 32. sect. 28.

Neque Joannis 20. v. 22.

sect. 2.) videtur significare Scotus in 4. dist. 7. qu. 1. in 1. objectione; in solutione verò indicat, fortasse non fuisse institutum ante Christi ascensionem, neque toto illo tempore, quo Apostoli non fuerunt usi materiâ & formâ hujus Sacramenti.

Sed hoc posteriùs neque ipsi Scoto placet, neque est probabile: alioquin vel dicendum esset hoc Sacramentum non fuisse immediatè à Christo institutum, aut iterùm ad terras descendisse ad instituendum illud, vel certè in cælo existentem illud instituisse, & Apostolis per mundum dispersis revelasse, quæ omnia improbabilia sunt. Huc usque Suarez.

29. *Quod malè attribuitur Scoto.* Sed quid dicam? sicuti alibi, ita & hîc deceptus est, aut certè alios decepit, qui ex ipso illam sententiam Scoto affinxere. Accipite verba Doctoris Subtilis supra numero 3. *Et si objicitur primò contra materiam & formam simul, quia Christus non sic instituit, ut patet Ioannis 20. quando insufflavit, & dedit discipulis Spiritum sanctum. Et similiter Actor. 2. quando misso Spiritu sancto in linguis igneis confirmabantur.*

En objectio, in qua Suario videtur significare Scotus Christum instituisse hoc Sacramentum (id est, unctionem Chrismatis, & certam verborum formam) Joan. 20. Certè pari ratione potuisset ipsum citare pro tertia sententia, quæ existimat hoc Sacramentum institutum in Pentecoste, quod tamen non facit.

30. Sed qualis amabo consequentia? Scotus ait: *Et si objicitur primò contra materiam & formam simul, quia Christus non sic instituit, ut patet Ioan. 20.* &c. Ergo Scotus videtur significare Christum instituisse materiam & formam hujus Sacramenti, quâ de facto Ecclesia utitur, Joan. 20.

Sententia alicujus Auctoris non est intelligenda ex objectionibus, sed ex earum solutionibus. Alicujus Auctoris sententia (inquit Ponetius supra cap. 4. num. 11. ubi Scotum vindicat ab hac consequentia Suarij & aliorum) non est intelligenda ex objectionibus, quas contra conclusionem, aut veritatem proponit, sed ex earum solutionibus.

Quam verò existimatis Doctorem adhibuisse solutionem huic objectioni? Attendite.

31. *Solutio Scoti.* *Ad primum*, inquit, *istorum, dicendum, quòd Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, & ideo ipse sive in terris, sive post ascensionem in cælo existens potuit confirmare Apostolos sine tali materia & tali forma.* Quid clariùs dicere poterat?

Admittit quod in objectione petebatur, scilicet Christum non instituisse materiam & formam, neque Joan. 20. neque Actor. 2. esto alioquin ibi Apostolos confirmasset per extraordinariam potentiam; quemadmodum sine prævia confessione absolvit paraliticum Matth. 9. v. 2. dicens, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Pergit Doctor: *Cùm Apostolis etiam in primitiva Ecclesia potuit dispensari, & maximè, quia in Confirmatione ab eis collata erant aliqua signa sensibilia, puta communiter descensus Spiritûs sancti super confirmatos & donum linguarum. Sed tamen cessantibus talibus miraculis debuerunt hanc materiam & hanc formam servare; supponitur enim institutum esse à Deo, licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur.*

Si instituit ex mente Scoti (ut videtur Suario) Joannis 20. quomodo verum est quod hîc dicit: *Licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur?* An non legerat Scotus Scripturam Joan. 20.

Spectastis solutionem Scoti? In hac (inquit Suarez supra) indicat, fortasè non fuisse institutum ante Christi ascensionem. Sed cur hoc? Quia (reponis) Apostoli non sunt usi illâ materiâ & formâ. 32. *Solutionem Scoti non benè intellexit Suarez.*

Quid? Nonne D. Thom. & antiqui ferè Scholastici omnes docent in primitiva Ecclesia Apostolos baptizasse ex dispensatione, in nomine solius Christi? Ipse Suarez fatetur disp. 21. sect. 3. Et idcirco consequens erit pro illo tempore non fuisse institutam formam baptizandi *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti?* Imò contrarium verum est; ubi enim non est lex, nec dispensatio, utpote quæ non sit aliud, quàm revocatio seu relaxatio juris pro certo tempore, vel quoad personam particularem.

Cùm itaque Scotus supponat dispensationem pro toto tempore quo Apostoli confirmarunt per visibilem descensum Spiritûs sancti, potiùs indicat etiam ante illud tempus materiam & formam communem fuisse à Christo determinatam, licèt illa determinatio in Scriptura non expressè legatur.

Petes, quomodo ergo intelligendum sit, quod Scotus ait 4. dist. 2. q. 1. n. 4. *De Confirmatione patet institutio Ioan. 20.* Accipite Spiritum sanctum &c. *vel in die Pentecostes Act. 2.* 33.

Respondeo, patet institutio; tum quia Joan. 20. consummata fuit institutio, quando Christus constituit Apostolos Episcopos, & per consequens ministros ordinarios hujus Sacramenti, ut inferiùs edissero; tum quia in die Pentecostes acceperunt Apostoli per *Scotus dixit institutionem esse factam Joan. 20. quia tunc instituit ministros*

per extraordinariam Dei providentiam Spiritum Sanctum ad robur, qui est specialis effectus Confirmationis.

Nota autem quòd non dicat Doctor: *Patet Sacramentum Confirmationis* (id est, signa sensibilia, quibus nunc utitur Ecclesia) *fuisse institutum Joan.* 20. &c. sed, *Patet institutio*. Deinde isto loco non tradit exactam rationem institutionis singulorum Sacramentorum; ait enim: *Breviter ostendo hic* (omnia Sacramenta à Christo vel Deo esse instituta) *quia de singulis in locis eorum propriis pleniùs apparebit*.

Hactenùs pro vindicatione Doctoris Subtilis, quem Dicastillo disp. unicâ de hoc Sacramento dub. 2. n. 18. excusat dicens: Quamvis etiam non omnino firmus in hac re sit. Sed profectò nec firmus, nec infirmus, ut sic loquar; oppositam quippe rem ad oculum demonstravimus.

34. Creando Apostolos Episcopos.

Procedam ergo ad secundam partem conclusionis, quæ satis colligitur ex eo, quòd minister hujus Sacramenti sit Episcopus, ut inferiùs explicabitur: porrò Ordo Episcopalis fuit institutus Joan. 20. quando Christus dixit Apostolis suis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos ..... Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Ut communiter illa verba intelligunt DD. Theologi, & sacræ Scripturæ Interpretes. (*Joan. 20.*)

Quamquam enim Apostoli ante resurrectionem in ultima cœna essent facti Sacerdotes quoad consecrandum Corpus Christi verum, tamen nullam adhuc acceperant potestatem super corpus Christi mysticum; sed illam (promissam ante resurrectionem Matth. 18. v. 18. his verbis: *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*) dedit eis Christus, postquam à mortuis resurrexit Joan. 20. verbis supra citatis, prout ea semper Catholica Ecclesia intellexit: per prima quidem clavem jurisdictionis; per postrema autem: *Accipite* &c. potestatem Ordinis, utique omnimodè perfectam & completam, quam sciebat & disponebat Christus necessariam ad conferendum Sacramentum Confirmationis ac Ordinationis. (*Quos in ultima cœna consecraverat Sacerdotes: Matth. 18.*)

Vel ergo hîc, vel non apparet ubi Christus constituerit Apostolos suos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Non est autem credibile Christum ascendisse in cælum ante ordinationem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ad quam primò pertinent Episcopi, quorum proprium munus est confirmare, & ordinare.

Itaque tunc demum fuit perfectè & consummatè institutum Sacramentum Confirmationis, utpote in eo statu, in quo administrari, & recipi poterat.

Contra; simplex Sacerdos ex commissione potest confirmare: atqui Apostoli in ultima cœna erant Sacerdotes; ergo etiam ministri Confirmationis. Respondeo negando consequentiam; quippe pro tunc necdum erat institutus minister ordinarius, seu potens delegare. 35. (*Pro quo tempore necdum erant extraordinarij hujus Sacramenti ministri.*)

Adde idcirco nunc simplici Sacerdoti posse committi hoc ministerium, non quia habet potestatem super corpus Christi verum; sed quoniam ex vi ordinationis suæ capax est potestatis super corpus Christi mysticum, quæ ordinatio seu capacitas proxima solùm post resurrectionem Joan. 20. communicata fuit Apostolis.

Et sanè quis credat institutam fuisse potestatem secundariam ac delegatam ante collationem potestatis ordinariæ? Planè potestas delegata pendet ab ordinaria; & non è converso. (*Non enim credendum delegatam potestatem esse institutam ante ordinariam.*)

Sed Arguis iterùm; Concil. Trident. ex illis verbis Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum* &c. sess. 14. c. 1. colligit tunc præcipuè Christum instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, ibi: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum* &c. Ergo similiter tunc præcipuè instituit Sacramentum Confirmationis; ergo non solùm ministrum, qui est pars minùs principalis, imò quid extrinsecum essentiæ Sacramenti, sed etiam materiam & formam, quod repugnat primæ parti conclusionis. 36. (*Objectio quod Sacramentum Pœnitentiæ sit præcipuè institutum Joan. 20. Trident.*)

Respondeo negando primam consequentiam, quamvis aliqui sic loquantur apud Pontium supra cap. 4. num. 13. moti auctoritate Concil. Tridenti mox citati, & hâc ratione; quia ut aliquid sit perfectè Sacramentum non sufficit institutum esse signum gratiæ conferendæ, sed debet esse data hominibus potestas per illud gratiam conferendi; aliàs non esset signum efficax gratiæ, quia numquam conferret. At quæstio est de nomine & modo loquendi, qui admitti potest, si intelligamus perfectionem aliquam extrinsecam, & consummationem ipsius potiùs institutionis, quàm Sacramenti instituti, de qua institutione supra locuti sumus, quando diximus, demum Joan. 20. hoc Sacramentum fuisse perfectè & consummatè institutum, id est, Joan. 20. institutionem hujus Sacramenti fuisse consummatam. (*Responsio, quòd sit dispar ratio Sacramenti Confirmationis.*)

Quod

37. Quia ejus materia & forma non est instituta Joan. 20.

Quod ad rem attinet, nullus istorum Auctorum, qui sic loquuntur, docent tunc materiam & formam fuisse determinatam, cùm nullum earum vestigium ibi appareat; utì nec etiam in Pentecoste; præsertim cùm tunc Christus cœlos ascendisset, non videtur autem ascendisse, nisi consummato Ecclesiæ ædificio, cujus præcipuæ columnæ sunt Sacramenta. Omnes etiam admittunt personam ministri non esse partem essentialem Sacramenti, adeoque totam essentiam hujus Sacramenti fuisse determinatam ante illa verba Christi.

Sicuti materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Insuper communis sententia est, illis verbis Joan. 20. Christum non tantùm determinasse ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam instituisse materiam, & formam, & necessitatem, quæ antea determinata non fuerant. Colligitur ex potestate data ad absolvendum, & retinendum peccata. Quid enim aliud est Sacramentum Pœnitentiæ, quàm absolutio peccatorum legitimè confessorum? quæ certè sine potestate intelligi nequit.

38. Porrò longè diversa est ratio Sacramenti Confirmationis, quod essentialiter constituitur ex unctione Chrismatis, & certa verborum forma, quæ quidem, ut in re sint Sacramentum, & actu conferant gratiam, postulant idoneum ministrum, proinde in ministro potestatem confirmandi; verumtamen in ipsa illa potestate non determinatè includuntur, quemadmodum in potestate absolvendi à peccatis legitimè confessis, determinatè intelligitur materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Cùmque potestas absolvendi non legatur in Scriptura concessa Apostolis ante Resurrectionem, sed promissa dumtaxat; optimè Concil. Trident. ex verbis Christi Joan. 20. colligit tunc præcipuè hoc Sacramentum fuisse institutum. Nihil autem cogit ad idem asserendum de Sacramento Confirmationis, cujus materia essentialis, & per consequens etiam forma probabiliùs existimantur non solùm promissa, sed etiam determinata & instituta in ultima cœna, ut in prima parte conclusionis ostendimus.

Igitur Sacramentum Pœnitentiæ secundum sua intrinseca institutum Joan. 20.

Sicuti ergo rectè dicitur, Sacerdotium essentialiter & completè intrinsecè, imò præcipuè institutum fuisse in ultima cœna, licèt Joan. 20. primò Apostolis fuerit data potestas ordinandi & absolvendi, tamquam extrinsecum aliquod complementum, & perfectio accidentalis Ordinis Sacerdotalis; ita quoque meliùs dicitur Confirmatio essentialiter & completè intrinsecè, imò præcipuè fuisse instituta in nocte ultimæ cœnæ, quamvis potestas ministerialis demùm fuerit concessa Apostolis Joan. 20.

Confirmatio in ultima cœna.

Ex his patet responsio ad Tridentinum. Ad rationem dico non esse de necessitate Sacramenti, sive non pertinere ad ejus essentiam seu intrinsecam perfectionem, ut aliquando conferat gratiam; sed satìs est, si natum sit causare gratiam, dum ministratur subjecto disposito: unde non definitur, *Signum efficiens*, sed, *efficax gratiæ*. Patet in Sacramento Eucharistiæ, quod disp. 1. sect. 1. conclus. 2. admisimus verum esse Sacramentum, etiam dum actu nullam confert gratiam, nec umquam conferet defectu debitæ applicationis.

39. Ad essentiam Sacramenti satis est, quod possit causare gratiam.

Sic explicatâ institutione Confirmationis, transeamus ad investigandam ejus materiam & formam. Cùm autem, ut loquitur Scotus supra, *possit distingui de materia, sicut distinctum est de materia in Baptismo* disp. præced. sect. 1. conclus. 2. hinc pro materia remota proponitur

CONCLUSIO III.

Materia remota est Chrisma compositum ex oleo olivæ & balsamo, & sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi.

Sunt verba Doctoris Subtilis 4. dist. 7. q. 1. n. 2. definita pro potiori parte à Concilio Florentino, in decreto unionis ibi: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma.* 40.

Hæc conclusio pro potiori parte est à Florentino definita.

Et ne relinqueretur ambigua significatio istius nominis, illicò attexit; *Confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.*

Concil. autem Trident. supponens explicationem vocis, sess. 7. de hoc Sacramento can. 2. ait: *Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto, eos qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.* Trident.

Sed quoniam hæc conclusio plures habet partes easque satìs difficiles, oportet singulas singillatim exponere. Ac primò quidem occurrit compositio Chrismatis ex oleo (quod interpretamur, olivæ, quia verba Conciliorum propriè intelligenda sunt, nisi aliquid obstet) & balsamo sive orientali, sive occidentali; quamvis fortè 41.

Chrisma dicit compositum ex oleo olivæ & balsamo.

specie inter se differrent; sicuti vina fortè specie inter se differunt, & tamen omnia sunt materia apta consecrationi. In hanc compositionem sive mixtionem consentiunt omnes Scholastici post SS. Patres, & Pontifices, quorum aliqui expresè meminerunt olei & balsami.

Cujus compositionis meminit Fabianus Pontifex.

Inter cæteros Fabianus Papa Epist. 2. ad Episcopos orientales ibi: *Litteris vestris inter catera insertum invenimus, quosdam regionis vestræ Episcopos à vestro nostroq; ordine discrepare, & non per singulos annos in cœna Domini Chrisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti Chrismatis semel actam conservare. Dicunt enim, ut in memoratis apicibus invenimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri* &c.

Et Innocent. III. c. 1. extra de sacra unctione.

Clariùs Innoc. III. c. 1. extra de sacra Unctione ibi: *Ad exhibendum autem exteriorem & visibilem unctionem, benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum vel infirmorum: & conficitur Chrisma, quod ex oleo fit & balsamo, mysticâ ratione* &c.

Citatur præterea Greg. 1. in c. 1. Cantic. Cyprianus, vel Auctor sermonis de unctione Chrismatis, Greg. Turonensis in lib. de gloria Martyrum c. 40. & liber antiquus, qui inscribitur Ordo Romanus.

Aliique Sancti PP.

Alij SS. Patres, ut Clemens Rom. lib. 7. constit. Apostolicarum c. 44. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia c. 4. & plures cum ipsis, quamvis expresè non nominent balsamum, tamen asserunt materiam odoriferam; nulla autem alia, præter balsamum, umquam fuit in usu Ecclesiæ.

Itaque licet nomen *Chrismatis* ex vi significationis suæ extendi possit ad quodlibet unguentum, ex usu tamen & appropriatione Ecclesiastica secernitur à simplici oleo, & accipitur pro unguento confecto seu composito ex varijs materijs, puta ex oleo & balsamo.

42. Compositio ista fit ex balsamo sive orientali sive occidentali.

Dixi autem, *sive orientali*, *sive occidentali*; quia quamvis in principio Ecclesiæ solùm usi fuerint Episcopi balsamo Palæstino, Indico necdum cognito; postea tamen declararunt Pontifices balsamum Indicum licèt colore ab alio differat, & fortè etiam specie, esse verum balsamum, adeoque materiam hujus Sacramenti.

Hujus rei extat vivæ vocis oraculum Pij IV.

Extat de hac re vivæ vocis oraculum Pij IV. in bullario Rodrig. fol. 404. quô ad supplicationem Fratris Ferdinandi Armellones dudum provincialis Del Peru concessit (de quo sunt litteræ testimoniales D. Cardinalis tit. S. Crucis) quòd in provincia Del Peru Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi ex balsamo Indico illarum partium, Chrisma & oleum sacrum conficere, & consecrare possint, quia in provincia Del Peru suppetit (legendum videtur, non suppetit) sufficiens copia balsami orientalis. Ita habetur in registro Ordinis familiæ Hispaniæ fol. 18. Hæc Rodriguez.

Hæc mixtio est ex præcepto necessaria.

Cæterùm nulli dubium esse potest, quin saltem ex præcepto hæc mixtio sit necessaria. Si autem interrogas, an etiam sit de necessitate Sacramenti; statim oritur dissensio inter DD. Catholicos, plerisque tuentibus partem affirmativam; nonnullis propugnantibus necessitatem solius præcepti; & hi adhuc divisi sunt, aliquibus asserentibus præceptum divinum, alijs Ecclesiasticum tantùm.

Quæris à me, quam sententiam judicem veriorem & probabiliorem? Respondeo citò, sicuti verba Scripturæ sacræ, juxta doctrinam D. Aug. alibi commemoratam, propriè sunt intelligenda, nisi aliquid obstet; ita etiam verba Conciliorum, maximè in materia fidei; alioquin si unusquisque pro libitu suo possit illa interpretari, quid certi habebimus? 43.

Subsumo: atqui Concilium Florent. supra relatum simpliciter & absque ulla distinctione decernit materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo & balsamo; quemadmodùm pro materia Baptismi assignat aquam veram & naturalem; & pro materia Eucharistiæ panem triticeum, & vinum de vite; ergo sicuti aqua vera & naturalis est materia essentialis Baptismi, & panis triticeus ac vinum de vite materia essentialis Eucharistiæ; simili consequentiâ Chrisma confectum ex oleo & balsamo erit materia essentialis sive necessaria necessitate Sacramenti Confirmationis, & non solùm necessitate præcepti, sive divini, sive humani.

Imò probabilius de necessitate Sacramenti.

Pro contraria opinione citatur primò Melchior Canus, cui, ut ait Valent. hîc disp. 5. q. 1. puncto 2. placuit utrumque, scilicet & oleum & balsamum, esse de substantia materiæ, sed disjunctivè, tamquam partes scilicet integrales materiæ: quemadmodùm in Eucharistiæ Sacramento dicimus substantiam materiæ consistere in pane & vino; non quia nequeat illud Sacramentum constare, nisi ex utroque conjunctim, sed quia ex utroque potest, & etiam ex quolibet disjunctivè. 44.

Pro contraria sententia citat Valentia Canum.

Sed quis credat virum, alioquin in rebus theologicis apprimè versatum, tam inconcinnâ similitudine, imò potiùs clarâ dissimilitudine voluisse persuadere novam & inauditam ante sua tempora doctrinam? Cautè facit Valent. quòd non exprimat locum

Sed non exprimit locum ubi hoc habeat.

locum ubi Canus id doceat, ne fortè oculus arguat eum falsæ imposturæ.

Enimverò quæ comparatio vel similitudo Confirmationis cum Eucharistia? Quis umquam somniavit duplex Sacramentum Confirmationis, sicuti verè est duplex partiale Sacramentum Eucharistiæ? An fortè quispiam dixerit etiam esse duas partiales formas Confirmationis, sicuti est duplex partialis forma Eucharistiæ?

45. Admittit eam per se nō esse inintelligibilē, esto careat sufficienti auctoritate ex ratione.

Idcircò bene subjungit Valent. supra: Hæc sententia licèt inintelligibilis ipsa per se non sit: caret tamen sufficienti auctoritate & probatione: quare cùm sit merè voluntaria, non est tuta in quæstione tam gravi. Potuisset quidem Christus instituisse duplex partiale Sacramentum Confirmationis ex unctione balsami solius cum forma proportionata, & unctione solius olei similiter cum forma correspondente; ita ut alterutra sufficeret ad essentiam, licèt non ad integritatem, prout satis probabile est quinque unctiones quinque sensuum esse partialia Sacramenta integrantia unum Sacramentum Extremæ Unctionis; sed quis Melchiori (si verè est Auctor illius doctrinæ, quod non puto) revelavit ita factum esse?

Satis refutatur ex perpetuo usu Ecclesiæ.

Certè perpetuus usus Ecclesiæ unicæ unctionis cum Chrismate ex oleo & balsamo confecto, satis evidens testimonium est Sacramentum Confirmationis ex illa parte esse unicum unitate indivisibilitatis, & non solùm moralis integritatis, veluti Sacramentum Eucharistiæ, aut extremæ Unctionis.

46. Cajetanus docuit balsamum non esse de necessitate Sacramenti.

Hâc ergo sententiâ explosâ, primus omnium Cajetanus in 4. q. 72. a. 2. docuit balsamum non esse de necessitate hujus Sacramenti, sed cum solius olei unctione validè conferri: quem secuti sunt Sotus, Victoria, Navarrus, Covarruvias, Estius, & pauci alij, novissimè Dicastillo de hoc Sacramento disp. unicâ dub. 3. n. 29. asserens mixtionem balsami esse quidem necessariam ex præcepto Christi (in quo sequitur Estium 4. d. 7. §. 8.) non tamen esse necessariam necessitate Sacramenti.

Quem plures alij sunt secuti.

Cajetanus magis consequenter solùm necessitatem præcepti Ecclesiastici admittit.

Cajetanus, & quidam alij astruunt solùm præceptum Ecclesiasticum, & meo videri magis consequenter. Quippè præcepta divina de materia & forma Sacramentorum, respiciunt essentialia seu necessaria ad valorem, nisi aliquid obstet, ut patet inductione in omnibus Sacramentis. Quare hoc ipso urgemus mixtionem aquæ in Sacrificio non esse præceptam à Christo; quia aliàs esset de necessitate Sacramenti.

47. Respondet Dicastillo supra n. 40. etiam in Sacramento Pœnitentiæ ex præcepto divino requiruntur tres actus pœnitentis tamquam materia, & tamen certum est satisfactionem non esse partem essentialem.

Dicastillo necessitatē præcepti divini,

Eodem modo responderi posset ad principale nostrum fundamentum supra desumptum ex Concilio Florentino; siquidem idem Concilium pro materia Pœnitentiæ statuit tres actus pœnitentis contritionem, confessionem & satisfactionem, & nemo tamen propterea docet satisfactionem esse partem essentialem.

Qui nō bene fundatur in eo quòd satisfactio sit necessaria jure divino;

Sed contra; ideo signanter dixi, *Nisi aliquid obstet*. Interrogas quid hîc obstet? Respondeo, perpetuus & universalis sensus Ecclesiæ, quæ semper & ubique docuit satisfactionem solùm esse partem integralem, utpote quæ sæpe satis longo tempore sequitur Sacramentum jam positum. Pro quo

Nota bene neque Florentinum neque Tridentinum tres illos actus pœnitentis simpliciter nominare materiam, sed cum addito, *Quasi*. Florent. in decreto unionis, ibi: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes*. Trident. sess. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio*. 48.

Quia Florentinum vocat illam quasi materiam, uti & Tridentinū.

Ac ne libera nobis tribueretur errandi occasio, volens significare non omnes esse partes essentiales, addit: *Qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem* (etiam quoad pœnam temporalem) *ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Eodem modo loquitur can. 4. ejusdem sessionis.

Non sic loquitur Florent. de materia Confirmationis.

Quid simile dixit Florentinum de materia Confirmationis? *Materia*, inquit, *est Chrisma confectum ex oleo & baptismo*. Quis autem ante Cajetanum cœpit distinguere inter materiam Confirmationis necessariam necessitate præcepti, & necessitate Sacramenti?

Certè testimonio ipsius Dicastillonis n. 35. antiqui Doctores, Scotus supra, D. Tho. hîc quæst. 72. artic. 2. S. Bonavent. 4. dist. 7. n. 1. q. 2. ad 1. & alij absolutè & simpliciter respondent Chrisma, quod est materia hujus Sacramenti, componi ex oleo & balsamo.

Nemo tamen illorum (prosequitur idem Auctor) ait balsamum requiri essentialiter ad hoc Sacramentum: sed cum illa parte, quæ requiritur ex necessitate Sacramenti, incluserunt etiam illam, quæ requiritur ex necessitate præcepti divini. Quâ 49.

etiam

etiam ratione solent quandoque dicere Doctores, vinum aquâ mixtum esse materiam Eucharistiæ, non quòd mixtio aquæ essentialiter requiratur; sed quia ex præcepto debet vino admisceri ante consecrationem. Hæc ille. Et eadem responsio adhiberi posset Concilio Florentino.

50. Attamen gratìs & sine fundamento. Interrogo siquidem, Concilium ait oleum requiri essentialiter? Ajunt hoc Doctores antiqui? An non simpliciter & absolutè respondent materiam hujus Sacramenti esse Chrisma compositum ex oleo & balsamo? Quis ergo indicavit Cajetano, & ejus sequacibus, magìs oleum requiri essentialiter, quàm balsamum? An fortè Ecclesia aliquando usa est solo oleo in Confimatione, quemadmodùm sæpius absolvit à peccatis nullâ impositâ satisfactione?

Sed simpliciter dicit materiam esse Chrisma

Fabianus.

Profectò Fabianus Pontifex supra hisce verbis reprehendit Episcopos, qui propter raritatem balsami asserebant non fore necesse per singulos annos Chrisma conficere: *Errant, qui talia excogitant & mente vesanâ potiùs, quàm rectâ sentientes, hæc dicunt.* Quid putatis dicturum fuisse de his, qui ausi fuissent illo tempore docere, solum oleum in necessitate valere? Nam & illi Episcopi necessitatem allegabant.

Si mixtio balsami solùm erat præcepti Ecclesiastici, utì est mixtio aquæ in Sacrificio, cur Pontifex non potiùs dispensasset ob raritatem prætensam, quàm insimulasset tales Episcopos erroris & vesaniæ? Insimulavit tamen. Cur hoc? Quia judicabat balsamum ex Christi voluntate adhibendum; atque ex lege Ecclesiastica singulis annis Chrisma esse renovandum.

Compositum ex oleo & balsamo.

51. Vultis autem videre quàm diversimodè loquatur Concilium de mixtione aquæ in Sacrificio, & mixtione balsami in Confirtione? *Tertium* (inquit florent. supra) *est Eucharistia Sacramentum, cuius materia panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicißima admisceri debet.*

De qua mixtione aliter loquitur Florent. quàm de mixtione aquæ in sacrificio.

Si diceret; Materia Eucharistiæ est liquor compositus ex vino & aqua; aut materia Confirmationis est oleum, cui debet admisceri balsamum, posset argumentum à simili transire; & tunc nisi aliud obstaret, vel aqua esset materia essentialis, vel balsamum non esset. Nunc autem quæ similitudo istarum locutionum: *Materia Confirmationis est Chrisma compositum ex oleo & balsamo*, &, *Materia Eucharistiæ est vinum, cui debet aqua misceri?* Sanè vix ulla.

Non attingo quòd Concilium Trident. sess. 22. cap. 7. expresè doceat mixtionem aquæ in calice esse juris Ecclesiastici, ibi: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.*

Item Tridentinum,

Unde si Doctores aliquando dicunt, vinum aquâ mixtum esse materiam Eucharistiæ, per compendium loquuntur, supponentes ex communi sensu Ecclesiæ aquam non esse partem essentialem; ut apertissimis verbis docent Rubricæ generales Missalis Tit. de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus c. 4. de defectu vini n. 7. *Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Et Rubrica missalis.

Dices iterùm cum Dicastillone n. 41. quando res æqualiter concurrunt ad Sacramentum quodlibet, & æqualis est traditio de illarum necessitate; dicere debemus eas omnes res esse æqualiter necessarias necessitate Sacramenti; secùs verò affirmandum est quando vel traditio Ecclesiæ non est omnino similis, vel res non simili modo concurrunt ad Sacramentum: in nostro autem casu, cùm nulla fuerit dubitatio, quin oleum requiratur essentialiter ad Confirmationem (nisi fortè cujusdam levioris momenti Auctoris) controversia verò sit an balsamum essentialiter requiratur, & ulteriùs pars negans inferatur ex responso Pontificis, quod refertur c. 1. extra de Sacramentis non iterandis, peculiaris ratio est ex parte olei, quæ non est ex parte balsami. Hæc ille. 52.

Argumentum Dicastillonis ostendens quæ sint dicenda necessaria necessitate Sacramenti.

Ex quo infert balsamum non esse sic necessarium,

Præterea tam parum balsami miscetur, quòd credibile sit frequenter ministrari hoc Sacramentum sine ejus reali concurrentia; liquores enim (inquit idem Auctor. n. 35.) olei & balsami non ita possunt inter se secundùm minutissimas partes dividi & commisceri, ut in vastissima olei quantitate modicum quid balsami ita diffundatur, ut nulla sit pars olei quæ adhiberi possit ad confirmandum, in qua non sit aliquid balsami.

Maximè cū miscetur in parva quantitate,

Responsionem exordior ab ultimo, & dico moraliter non contingere aliquem chrismari sine reali concurrentia balsami formalis, id est, secundùm substantiam, seu virtualis, id est, secundùm qualitates, maximè odorem, quem constat afficere omnes partes; neque enim benedicitur integrum vas olei; sed unica dumtaxat ampulla, ut patet ex Pontificali Romano tit. de Officio in feria 5. Cœnæ Domini. ibi: *Manè itaque sacrista, vel ille ad quem spectat, omnia quæ ad oleorum benedictionem & Chrismatis* 53.

Sed hoc nō probat balsamum non concurrere.

matis confectionem necessaria sunt, parat, videlicet: tres ampullas oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponit, & diligenter custodit; unam ad oleum Infirmorum, aliam ad oleum Catechumenorum, tertiam, quæ maior sit, ad Chrisma.

Vis autem scire quantæ magnitudinis sit hæc ampulla, aut quantum olei capiat? Audi quid eodem titulo præscribat Pontificale: *Diaconus, qui oleum ad sanctum Chrisma portat, à dextris vadit.* Ecce vastissima olei quantitas, quam portat unus solus Diaconus tenens ampullam sinistro brachio circumdatam, ut ibidem dicitur. Et verò quæ necessitas benedicendi vastissimam olei quantitatem, cùm singulis annis Chrisma debeat renovari?

Et quis scit an non propterea, saltem partialiter, id Ecclesia ordinaverit, ut tantò meliùs balsamum, quod, quia carum, in modica quantitate miscetur, posset omnibus partibus olei commisceri, saltem communicando illis suas qualitates?

Profectò ad hoc sunt solliciti Episcopi, ne exponant Sacramentum periculo nullitatis secundùm communiorem sententiam. Immo solliciti esse debent etiam in altera sententia, cùm concurrentia balsami sit ad minus præcepti Ecclesiastici, quod utique debent curare impleri.

Unde quo casu fieret hac in re transgressio præcepti humani, vel, secundùm Dicastillonem, divini, secundùm nos fieret Sacramentum nullum. Et sicut modus institutionis non probat, quin sit præceptum divinum, sic non probat quin sit de necessitate Sacramenti.

54 Video instari posse; præceptum divinum non respicit nisi mixtionem, minimè autem immediatum concursum, sive secundùm substantiam, sive secundùm qualitates balsami; porrò non est credibile, inquit Dicastillo supra n. 35. ad substantiam Sacramenti requiri quamdam materiam sensibilem & realem, quæ non in quolibet Sacramento realiter adhibeatur.

Realiter proximè, vel remotè:

Respondeo cum distinctione, quæ non realiter adhibeatur proximè, vel remotè, concedo: quæ non realiter & immediatè semper concurrat, nego. Probabilissimum siquidem est quod docet D. Thom. 4. dist. 24. quæst. 1. art. 1. q. 5. ad 3. & alij multi apud Dianam parte 2. tract. 16. resol. 3. & parte 3. tract. 4. resol. 185. contactum physicum instrumentorum, adeoque & ipsa instrumenta esse materiam necessariam necessitate Sacramenti Ordinationis; nec minùs probabile, imò moraliter certum, teste ipso Dicastillone tract. 6. de Sacramento Ordinis disp. 1. dub. 14. n. 205. valere Ordinationem in eo, qui tangit physicè calicem & patenam, quamvis digitis non pertingat ad hostiam vel vinum.

Cur ergo non erit credibile, Christum de facto instituisse materiam essentialem Confirmationis compositam ex oleo & balsamo, quamvis balsamum immediatè non semper tangeret confirmandum? Semper enim tangit mediatè ratione olei, cum quo constituit unum aliquod compositum sive mixtum, sicuti tangitur mediatè vinum ratione calicis, in quo continetur, similiter hostia ratione patenæ, cui superposita est.

Proximè, quando balsamum immediatè tangit confirmandum.

Remotè, quando solùm ratione olei.

Et dato quòd nihil simile in alijs Sacramentis reperiretur, quid tum? Etenim materia essentialis pendet à voluntate Christi, qui non instituit extra Confirmationem, & fortè Ordinem, pro materia aliquod mixtum ex diversis rebus. Hæc pro ultimo.

Venio ad primum, & interrogo Dicast. 55. quis ante tempora Cajetani (prætereo levioris momenti Auctorem, quem ipse vocat Canum) quis, inquam, dubitaverit magìs de necessitate balsami, quàm olei? An non ipso teste n. 30. mixtio balsami observata fuit in Ecclesia à temporibus Apostolorum? Epistola Fabiani supra allegata tollit omne dubium.

Unde ante Cajetanum numquam est magìs dubitatum de necessitate balsami quàm olei.

Accedat nihilominùs Dionysius lib. de Eccl. Hierarchia c. 4. ubi Chrisma vocat: *Collectionem quamdam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum continet, cuius qui facti sunt participes, odorem bonum ex se emittunt, proportione fragrantiæ communionis, quæ in eis inest.*

S. Dionys. Areop.

Quin & hoc unicum est fundamentum (sed debile) quo Dicastillo asserit obligationem præcepti divini; nam (inquit) ut docet D. August. lib. 4. de Baptismo c. 24. Quod universa tenet Ecclesia, & semper retentum est, auctoritate Apostolicâ fuisse traditum rectissimè creditur.

Sed quid D. Hieron. Epist. 56. ad Marcellam? *Quadragesimam* (inquit) *secundùm traditionem Apostolorum toto anno congruo tempore ieiunamus.* Num propterea quadragesima est iuris divini? *Apostolica institutio* (utor verbis D. Leonis ser. 6. de Quadragesima) *quadraginta dierum ieiunijs impleatur.* Si Apostolica, quomodo divina? Potuit ergo & mixtio balsami à temporibus Apostolorum usurpata fuisse, non ex institutione seu præcepto Christi, sed Apostolico.

S. Hieron.

Nonne omnes libenter fatentur mixtionē aquæ in calice offerendo auctoritate Apostolicâ fuisse traditam? *Aqua*, quippe *ideo admiscetur* (verba sunt Florentini in decreto Unionis) *quoniam iuxta testimonia SS. Patrum, creditur ipsum Dominum in vino aquâ permixto* 56.

Floren.

hoc

hoc instituisse Sacramentum. Deinde quia convenit dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim B. Alexander, Papa 5. à B. Petro: in Sacramentorum oblationibus, quæ intrà missarum solemnia Domino offeruntur panis tantùm & vinum aquâ permixtum, in Sacrificium offerantur..... quia utrumque, id est, sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur. Et tamen docet Dicastillo de Sacramento Eucharistiæ disp. 2. dub. 8. n. 117. cum communi sententia, hanc mixtionem aquæ solùm esse præceptum Ecclesiasticum, quod habuit initium à tempore Apostolorum.

Dicastillo.

Igitur aliunde scire nequeo mixtionem balsami esse juris divini magìs, quàm mixtionem aquæ, nisi quia illa est essentialis, hæc autem accidentalis: etenim solius Christi est determinare essentiam, Ecclesiæ verò disponere de accidentibus.

Imò talis mixtio ostenditur essentialis, ex eo quòd sit juris divini.

57. Dices; Christus præcepit consecrationem utriusque speciei, & tamen non est de essentia seu necessitate Sacramenti.

Respondeo; Christum eam præcepisse propter Sacrificij integritatem, sive requisivisse ad Sacramentum Eucharistiæ completum & integrum in ratione convivij, & quidem eatenùs etiam est de necessitate Sacramenti integri, & non tantùm de necessitate præcepti, quasi in aliquo casu propter ignorantiam, vel inopiam vini aut panis, possit esse Sacramentum perfectum & completum in consecratione unius speciei.

Quod idem dici potest de consecratione utriusque speciei.

Alioquin verum Sacramentum sumi, adeoque confici in unica specie definit Trident. sess. 13. can. 3. *Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri; anathema sit.* Et sess. 21. can. 3. *Si quis negaverit, totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi &c. anathema sit.*

Trident. Esto verum in unica specie conficiatur Sacramentum.

Ostendat Dicastillo vel alius quispiam similem aliquam definitionem Ecclesiæ, aut saltem decretum aliquod Pontificium, vel auctoritatem antiquorum Patrum, statuentium valorem Confirmationis in solo oleo, & præcurro subscribere ejus sententiæ.

58. Ostendo, inquis, decretum Innocentij III. c. 1. extra de Sacramentis non iterandis, Quod sic habet: *Præterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Ordinē Subdiaconatûs assumptus. Et si Confirmationis Sacramentū in eo debeat iterari, qui per errorē fuit non Chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendū, quòd in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.*

Nullibi sic definitum in solo oleo confici Sacramētum.

In qua responsione (inquit Dicastillo supra n 32.) satìs significat Pontifex validum fuisse prædictum Sacramentum sine balsamo, & ideo non esse iterandum, sed esse supplēdum, quod fuerat prætermissum, hoc est, esse exhibendum de novo balsami unctionem sine repetitione Sacramenti. Puta solius balsami, quia hoc solū fuerat prætermissum.

Dicastillo.

Quis hoc credat? Siquidem inauditum est Ecclesiam cum solo balsamo inunxisse. Accedit, quòd balsamum exhibendum, saltē ex præcepto, ab Episcopo foret benedicendum, secundùm doctrinam Concilij Florentini; præscribat ergo Dicastillo novam aliquam benedictionem pro solo balsamo, quia veterem in Ecclesia Romana non invenio. Quamvis enim aliquæ orationes recitentur supra solum balsamum; at aliæ dicuntur post mixtionem cum oleo, & halatur etiam utrumque mixtum, & sine illis halitibus, & orationibus non est finita consecratio.

Neque credendum hoc fecisse Innocent. III.

Si respondeas: repetatur, sive potiùs suppleatur unctio cum Chrismate; illa enim fuerat prætermissa. Obstat continua praxis Ecclesiæ non adhibendi materiam essentialem sine forma eam determinante. Quid igitur? Suppleatur totum Sacramentum, quia totum prætermissum fuerat; quippe oleum non est materia hujus Sacramenti, ast Chrisma; sed neque verba induunt formalem rationem formæ, nisi determinent legitimam materiam. 59.

Esto dicit in casu proposito nihil esse iterandum.

Dices; ergo aliquid erit iterandum, & tamen ait Pontifex, *Non est aliquid iterandum.* 60.

Respondeo non esse iterandum aliquid ex accidentalibus ceremonijs, sed cautè supplendum ipsum Sacramentum: sicuti omitti deberent ceremoniæ accidentales in repetitione Baptismi invalidi, si ante fuissent adhibitæ.

Intellige et ceremoniis accidentalibus.

Instas; ergo iterabitur ipsum Sacramentum. Respondeo negando consequentiam; siquidem, ut dicit Glossa ibidem: *Non dicitur iterari, quod priùs factum non fuit.*

Urges: ergo ridicula est responsio Pontificis; quærebatur etenim: *Si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorē fuit non Chrismate, sed oleo delinitus*, id est, secundùm nos, in eo, qui non suscepit Sacramentum: ad quod responderet Pontifex, non debere iterari, quia non fuit Sacramentum. 61.

Neque hoc est ridiculum.

Nec erat quæstio, an posset Sacramentum hoc validè susceptum iterari (quis enim nesciat quòd non?) sed an invalidum fuerit, ut proinde actio priùs adhibita debeat repeti: ad quod cùm respondet, nihil esse iterandum, planè censet priorem actionem fuisse validam, & verum Sacramentum.

Respondeo negando conseq. etsi enim Innocentius apertiùs potuisset respondere, tamen

Quamvis aliqualiter obscurè responsum.

tamen verè statuit, quod in praxi servandum erat, scilicet de novo conferendum Sacramentum, quia antea non erat collatum, non tamen repetendas esse solemnitates accidentales adhiberi solitas.

62. Certè magis obscurè loquitur in aliorum sententia Eugenius IV. in Concil. Florentino asserens materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo & balsamo, non distinguens inter materiam necessariam necessitate Sacramenti, & necessitate solius præcepti; veluti priùs fecerat in Sacramento Baptismi dicens: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis* (ecce materia essentialis) *nec refert frigida sit, an calida*: utique ad valorem Sacramenti; nam ex præcepto utendum est aquâ baptismali, id est, aquâ specialiter ad hoc ministerium benedictâ, & in Ecclesia asservatâ.

Ubi secundùm alios etiam obscurè loquitur Eugen. IV. in Conc. Florent.

Si ergo Eugenius putasset balsamum solùm esse necessarium ad Confirmationem ex præcepto divino vel humano, clarissimè potuisset id explicare dicendo: *Materia hujus Sacramenti est oleum, cui ex præcepto admisceri debet balsamum.*

63. Et ne aliquibus fortè responsio Innoc. videatur omnino aliena à communi modo loquendi; reperio similem Leonis Papæ Epist. 35. c. 1. & refertur c. 112. de Consec. dist. 4. Hic Pontifex interrogatus à Leone Ravennati Episcopo, an baptizandus esset, cujus Baptismus penitùs ignorabatur, respondet hisce verbis: *Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum damdata à sanctis Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire &c. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur.*

Et Leo Pontifex similiter respondit, ac Innocent. III.

Idem decernit Epist. 90. aliàs 92. ad Rusticum c. 16. & refertur ibidem c. 113. *In quibus* (inquit) *quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.*

Non itaque incongruè Innoc. supra respondit *in talibus*, hoc est, in solo oleo delinitis, non fieri iterationem Confirmationis, quia valida non præcesserat, quod credebat satis debere sciri à consulentibus, cùm tunc temporis nulla esset in Ecclesia dubitatio, quin Chrisma esset materia essentialis, satisque constaret chrismationem non solere, ut supra dixi, sine forma adhiberi.

Unde hic non incongruè respondit.

Profectò non est verisimile Papam vetuisse ibi adhibitionem novi Sacramenti, cùm prius saltem esset valde dubium; adeoque sub conditione iterabile. Licèt enim non sit Sacramentum necessitatis; Clemens tamen VIII. in brevi quadam instructione super aliquibus ritibus Græcorum in casu dubio præcipit hoc Sacramentum iterandum sub hâc forma: *Si es confirmatus ego te non confirmo; sed si non es, ego te confirmo* &c. Unde communior & sanior pars Doctorum non credidit Pontificem ibi præjudicasse suæ opinioni.

Neque vetuit adhibitionem novi Sacramenti dubiè collati.

Clem. VIII.

Neque obstat, quòd eodem modo loquatur de hoc casu, & de illo, id quo fuerat collatus Subdiaconatus prætermissâ impositione manuum, quæ utique solùm est accidentalis. Non obstat, inquam; quippe Innocentius studens brevitati, ut patet ex illis verbis: *Ad quod breviter duximus respondendum*, dat generale responsum applicandum cum proportione singulis quæstionibus; quasi diceret: Cùm utrumque Sacramentum non sit iterabile, neutrum est iterandũ; nec censebitur id fieri, si suppleatur quod omissum est, sive manûs impositio (quæ est accidentalis Sacramento) sive unctio cum chrismate, & forma correspondente; quià prior unctio cum solo oleo nulla fuerit. 64.

Neque obstat manuum impositionem in Subdiaconatu prætermissam esse supplendam.

Confirmatur à Pontio supra part. 2. c. 2. n. 16. si balsamum esset materia accidentalis hujus Sacramenti secundùm Innocentium, ergo eodem modo se haberet atque aqua respectu consecrationis Calicis. At aqua, quia est accidentalis materia, si omissa fuerit, ut supra dictum est, non infunditur Calici post consecrationem: ergo similiter balsamum omitti omnino deberet. 65. *Resol. Pont.*

Sed facilè quis responderet negando consequentiam. Nam eâdem ratione inde sequeretur, neque manuum impositionem in Subdiacono esse supplendam, cùm indubiè sit materia accidentalis, & tamen contrarium ibi secũdùm omnes decernit Pontifex.

Ratio itaque particularis, ob quam Ecclesia non vult apponi aquam Calici consecrato, est reverentia debita Sanguini Christi, ne videlicet non consecratum misceatur consecrato præsertim cessantibus jam rationibus, propter quas Ecclesia illam mixtionem antecedentem ordinavit.

Unde non simpliciter præcipitur mixtio aquæ, sed mixtio aquæ vino in calice offerendo. Porrò quis nesciat post consecrationem calicem jam esse oblatum, & non ampliùs simpliciter offerendum? Quid ergo mirum si cesset præceptum, ubi cessat materia præcepti?

Hæc dicta abundè sufficerent ad probationẽ primæ partis conclusionis, nisi aliqui, inter quos Pontius supra n. 13. illam voluissent cõfirmare argumẽto desumpto ex veritate formę, quam Eugenius in decreto Unionis ait esse: *Signo te signo crucis & confirmo te Chrismate salutis* &c. Jam autẽ solum oleum non censetur nomine *Chrismatis*, præsertim illo loco Concilij, in quo Pontifex expressè declarat, & pro materia Sacramenti statuit 66.

Veritatem conclusionis quidam probant ex veritate formæ,

In qua ponitur nomẽ *Chrisma*.

 Chrisma

Chrisma confectum ex oleo & balsamo, juxta illud Greg. Magni in cap. 1. Canticorum: *In Engaddi gignitur balsamum, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur.*

67. Ideo per illud quandoque intelligatur simplex oleum.

Ut ab Innoc. I.

Ex quo occurritur responsioni aliquorum dicentium, per Chrisma quandoque intelligi simplex oleum non balsamatum. Ita Innoc. I. in Epist. ad Decentium c. 8. oleum infirmorum, cui non miscetur balsamum, vocat Chrisma inquiens: *Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo.*

Et infra: *Cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere.*

Item ab Augustino.

Eâdem nominis acceptione usus fuit D. Aug. 17. de Civit c. 10. ibi: *Cùm enim Christi eius dicerentur omnes Reges* (veteris Testamenti) *mystico illo Chrismate* (id est, oleo) *consecrati.*

Et è converso, nomine *Olei* appellat idem S. Doctor diversis locis materiam hujus Sacramenti, sive Chrisma, sumens denominationem à majori & notiori parte lib. 5. de Baptismo c. 20. ibi: *Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Euangelio* Deus peccatorem non audit, *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum* (puta Confirmationis) *vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Intellige reconciliatoria per Sacramentum Pœnitentiæ.

Joan. 9. v. 31.

68. Quod non enervat confirmationem Pontij.

Hæc certè responsio non enervat confirmationem Pontij, nam ut Eugenius tolleret ambiguitatem nominis, præmisit formæ suæ explicationem ly *Chrismatis*, dicens: *Confectum ex oleo & balsamo.*

Accedit, D. Aug. lib. 2. contra lit. Petil. c. 104. quod supra simpliciter appellaverat oleum, ibi nominare unguentum, quod sonat compositum ex diversis materijs. *Et in hoc*, inquit, *unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari.*

Qui non facilè ostendet omnia verba formæ esse essentialia;

Interrogat aliquis, unde Pontio constat omnia verba formæ à Concilio relata esse essentialia? Cur non subsisteret Sacramentum, si aliquis diceret: *Signo te signô crucis, & confirmo te oleo salutis* &c.? Numquid valet forma Græcorum: *Signaculum doni Spiritûs sancti*? Et illam: *Confirmo te*, quis convincet invalidam? Hîc hæreo, & solutionem expecto à Pontio, vel alio me doctiore, quia usque modò eam non reperio, & ideo non utor illo argumento Pontij desumpto ex veritate formæ.

Aliam probationem suæ & communis opinionis petit Pontius ex Concilio Trid. sess. 7. de hoc Sacramento can. 2. ubi dicit anathema illi, qui dixerit *Iniuriosos esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt.* Ex quo sic argumentatur dictus Auctor: Illud omne, & solum est pars essentialis Sacramenti, quod est causa gratiæ; atqui in Sacramento Confirmationis etiam balsamum ex parte materiæ efficit gratiam: ergo est pars essentialis. 69.

Unde aliam sumit probationem ex Trident.

Quæ parum efficax videtur authori;

Sed & hæc probatio parum efficax mihi videtur: nam in primis tempore illius definitionis Concilij Tridentini, non erat quæstio cum hæreticis, an solum oleum causaret gratiam, an verò utrumque simul, oleum scilicet & balsamum; sed negabant hæretici unctionem Confirmatoriam, quæcumque illa esset, instar aliorum Sacramentorum causare gratiam sanctificantem ex opere operato: illud ergo, & non aliud censetur Concilium determinasse, relinquens disputationi Doctorum materiam necessariam necessitate Sacramenti, & solius præcepti.

Quia Tridentinum ibidem disputans contra Hæreticos nihil definit circa necessitatem istius liquoris;

Utitur autem ly *Sacro Confirmationis Chrismati*, hoc est, Sacramento Confirmationis, quod vocat sacrum Chrisma, quia, saltem ex præcepto, Chrismate ut materiâ confertur, sive jam uterque liquor, ex quo componitur Chrisma, sit causa gratiæ, seu pars essentialis, sive non, de quo ibi non disputat, nec quidquam definit Concilium; utique quia parùm hoc curarent hæretici, qui absolutè negabant illud Sacramentum.

70. Deinde multi probabiliter docent ly *A peccatis tuis*, concurrere ad effectum gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ, si precedat verbum, *Absolvo*; non concurrere, si sequatur; & tamen juxta illos Auctores tota forma absolutionis essentialiter consistit in his duobus verbis: *Absolvo te.*

Et ut maneamus in præsenti materia, hæc propositio est certa: *Forma Confirmationis:* Signo te signô crucis &c. *concurrit ad effectum gratiæ.* Similiter & ista: *Non omnia verba formæ ordinariæ sunt necessaria necessitate Sacramenti.* Quid ergo prohibet quò minùs etiam hæ propositiones sint veræ: *Materia Confirmationis Chrisma scilicet confectum ex oleo & balsamo, concurrit ad effectum gratiæ.* Et: *Non omnes partes istius compositi sunt necessariæ necessitate Sacramenti*?

Et aliunde potest aliquid concurrere ad effectum gratiæ, licèt non sit de essentia Sacramenti.

Nonne & aqua admixta vino, secundùm aliquos, immediatè transit in Sanguinem, adeoque concurrit ad effectum gratiæ, licèt non sit necessaria necessitate Sacramenti? Quis itaque ambigat Christum ita

ita potuisse instituere pro materia hujus Sacramenti Chrisma, ut & balsamum concurreret ad effectum gratiæ, quando videlicet simul cum oleo realiter adhiberetur, & simplex oleum sufficeret, quando illo solo confirmandus inungeretur? Potuisse sic fieri satis video: sed factum esse non probatur.

71. An verum balsamum perierit. Caramuel.

Dices; raritas veri balsami videtur exigere talem institutionem, ne Sacramentum sæpiùs invalidè ministretur. Præterquam quod probabile sit verum balsamum jam perijsse, nec in orbe terrarum reperiri teste Plinio rerum naturalium indagatore excellentissimo lib. 12. c. 25. ubi sic ait, ut refert Caramuel Theol. fundamentalis (primæ editionis) fol. 645. n. 1292. *Balsamum uni terra Iudaa concessum pridem perijsse creditur.*

Quinque priora verba lego, tria posteriora non reperio apud Plinium (quo ego utor) loco citato: sed ista: *Servit nunc hac* (arbuscula) *& tributa pendit cum sua gente in totum alia natura, quàm nostri externiq; prodiderant.* Consideret lector an hæc sint synonima. Attendat quoque verba præcedentia, & subsequentia.

Postquam Plinius dixisset: *Vni terra Iudaa* (quia India erat ipsi incognita) *balsamum concessum,* subjungit: *Quondam in duobus tantùm hortis utroque regio, altero iugerum* 20. *non amplius, altero pauciorum.* Et ut scires tempore Vespasiani balsamum extitisse, sequitur: *Ostendêre arbusculam hanc urbi Imperatores Vespasiani. Clarumq; dictu à Pompeio Magno, in triumpho arbores quoque duximus.* Ut autem ostenderet arbusculam illam, è qua balsamum Palæstinum profluebat, non fuisse illius naturæ, quam aliqui putaverant, addidit verba præallegata. *Servit nunc hac* &c.

Perijsse Plinius non credidit.

Adhuc dubitas an Plinius crediderit balsamum perijsse? Postquam descripsit naturam istius arboris per externas proprietates: *Saviere*, inquit, *in eandem Iudas, sicut in vitam quoque suam. Contra defendêre Romani, & dimicatum pro frutice est. Seritq; nunc eam fiscus, nec umquam fuit numerosior aut procerior.* Quomodo igitur Plinius credidit perijsse?

72. Propter hanc auctoritatem Plinij Caramuel supra dubitat an hodiè sit in mundo balsamum. Certè leve fundamentum dubitandi; imò firmius fundamentum asserendi hodiè in mundo balsamum esse, non solùm Indicum, sed etiam Palestinum.

Esto credidisset, magis credendum foret Fabiano Pontifici oppositum asserenti.

Esto autem quòd Plinius assereret perijsse; malo credere Pontifici Romano (intelligo Fabianum) graviter, ut supra vidimus ex Epist. reprehendentē ejus Episcopos orientales, nolentes singulis annis Chrisma renovare, causantes balsamum per singulos annos non posse reperiri. Profectò injusta fuisset reprehensio, si in orbe terrarum non fuisset balsamum reperibile; & absque dubio, si id verum fuisset, Episcopi nullitatem balsami allegassent, & non solam raritatem.

Omittamus itaque hanc probabilitatem, seu potiùs improbabilitatem; & prætereamus, ut gratìs confictum, quod ibidem n. 1291. idem Auctor tamquam probabile obtrudit, dicens: Ut non perierit balsamum, probabile illud ad nos non afferri, sed illud unguentum, quod balsamum vulgò vocatur esse confectionem aliam artificialem. Quis credat omnes mercatores hominibus velle illudere?

73. Et mercatoribus illud hodie ex Indijs exportantibus,

Certum est, ut ipse Caramuel supra n. 1292. admittit hodie magno quæstu balsamum ab Indijs exportari, diversæ speciei sit, an ejusdem cum Palæstino, perinde existimo, dummodo sit verum balsamum, & non adulterinum, quod quidam censent sufficere ad valorem, sed sine fundamento. Alioquin quomodo Episcopi apud Fabianum supra potuissent allegare inopiam balsami, cum adulterinum frequentissimum esse possit?

Non adulterinum, sed verum.

Quemadmodùm ergo per aquam simpliciter positam intelligimus veram & naturalem, non adulterinam, per vinum, verum vinum, cujuscumque demùm sit speciei; similiter per oleum, oleum olivarum, idque quia verba propriè intelligenda sunt, nisi aliquid obstet, ita quoque per balsamum, oportet intelligere verum balsamum (cujuscumque demum sit speciei) non adulterinum.

Neque dispensatum ut ex adulterino Chrisma conficeretur à Paulo III. aut Pio V.

Hinc falsò citatur Paulus III. & Pius V. dispensasse cum quodam Episcopo, ut posset uti balsamo incerto sive adulterino; sed declararunt tantummodo ex balsamo Indico, utpote vero balsamo, posse Chrisma confici.

74. Balsamum posse adulterari non diffiteor (sed & aqua, & vinum possunt) sic tamen ut verum balsamum à falso humanâ diligentiâ queat discerni. Quòd si aliquando contingat falsum pro vero misceri, dico Sacramentum Confirmationis non magìs valere, quàm valeat Baptismus in aqua adulterina, aut Eucharistia in ficto vino.

Si autem aliæ substantiæ admiscerentur relinquentes equidē sub-

Sicuti autem validè consecratur vinum, cui aliæ substantiæ admixtæ sunt, quæ non corrumpunt substantiam vini, ita etiam valida erit Confirmatio in balsamo mixto alijs liquoribus non immutantibus ejus substan-

stantiâ balsami valeret Sacramentum, substantiam. Imò juxta Pontium supra parte 1. c. 1. n. ultimo apud Græcos alia aromata cum balsamo sine crimine miscentur, dummodo verè remaneat ejus substantia: Latinis verò propter consuetudinem contrariam sine gravi peccato id non licet.

Cæterùm quod attinet ad raritatem veri balsami, clarum est hactenùs in Ecclesia Dei illud numquam defuisse, quandoquidem modicum quid sufficiat, adeoque non est communiter periculum invalidæ administrationis hujus Sacramenti.

75. Huc usque de prima parte conclusionis, quam finio declarando similitudinem Chrismatis cum effectu Confirmationis, verbis Doctoris Subtilis supra n. 8. *Materia autem remota, scilicet Chrisma, habet similitudinem cum effectu huius Sacramenti; oleum enim nitorem habet, & supereminet cæteris liquidis, & est materia proxima incendij. Per primum significat castitatem & munditiam: per alia duo significat charitatem. Et balsamum quod habet bonum odorem significat bonam famam, iuxta illud* 2. *Cor.* 2. Christi bonus odor sumus Deo. *Balsamo etiam corpora mortuorum conduntur ne putrefiant, ideo significat incorruptionem. Per illam ergo materiam, scilicet Chrisma confectum ex oleo & balsamo significatur, quòd confirmatus debet habere munditiam & charitatem & bonam famam: quia sine istis non est multùm authentica confirmatio fidei Christianæ.*

Congruit in hoc Sacramento miscere balsamū cum oleo. Scotus.

Sequitur secunda pars conclusionis, quam ad vitandam nimiam prolixitatem, & exinde obscuritatem rursùm subijcio, & explico sequenti conclusione.

CONCLUSIO IV.

Ad valorem chrismatis necessaria est benedictio Episcopi, vel alterius cui illa benedictio committi poterit.

76. Benedictionem Chrismatis agnoscunt omnes Catholici. Irrident hæretici, & tanquam canes mortui maledicunt Domino nostro, id est, Christo, qui eam instituit, & Matri nostræ Ecclesiæ Catholicæ, quæ illâ utitur. Calvinus lib 4. instit. c. 19. §. 8. vocat Chrisma, oleum diaboli mendacio pollutum. Kemnitius Chrisma excantatum & benedictionem superstitiosam & magicam; illudque summoperè explodunt, quòd Ecclesia post Chrismatis benedictionem dicat: *Ave sanctum oleum.* Locutio quippe ad res animatas, & rationales dirigitur; Chrisma autem est quoddam inanime.

Benedictionem Chrismatis agnoscunt Catholici,

Irrident hæretici,

Sed quid dixit Abisai filius Serviæ audiens maledictionem pessimam, quâ Semei 2. Reg. 16. maledicebat Davidi profugo à facie Absolonis? *Quare*, inquit, *maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam & amputabo caput eius.* Quæris ô hæretice allocutionem, salutationem & benedictionem rerum inanimatarum & irrationalium, lege Canticum trium puerorum apud Danielem c. 3. à versu 57. & deinceps: *Benedicite omnia opera Domini Domino* &c. Psalmum quoque Davidicum 148. qui incipit: *Laudate Dominum de cælis.* Pervolve vitam S. Andreæ, & scriptum reperies: *Salve crux diu desiderata.* 2. Reg. 16. Daniel. 3. Psal. 148.

Inspice Deuteronomium c. 28. v. 5. dicet tibi: *Benedicta horrea tua* (*si audieris,* ut dicitur v. 1. *vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata eius*) *& benedictæ reliquiæ tua.* Perscrutare lib. Sap. c. 14. v. 7. *Benedictum*, inquit, *est lignum, per quod fit iustitia.* *Satis refutantur à scriptura, Deuter. 28, Sap. 14.*

An putas Ecclesiam salutare Chrisma physicè substantialiter absolutè, quasi illud compositum ex oleo & balsamo secundùm se sine respectu ad aliud, sit dignum honore & submissione? Erras toto cœlo. Quid ergo? *Ave* dicit Ecclesia Chrismati benedicto relativè moraliter, prout est Symbolum gratiæ in Sacra Scriptura, denotatque vel gratiam nobis conferendam, vel ipsum Christum. Unxit enim Deus Christum oleo lætitiæ, & Christi nomen à chrismate derivatur. Sic laudamus imagines Christi ac Sanctorum, easque colimus non substantiam, colores aut artem, sed propter respectum, quem habent ad prototypum seu exemplar, in quod omnis illa laus, cultus & honor redundat.

Et proinde Ecclesia salutantis Chrisma cum respectu ad Christum:

Amputavimus caput hæreseos, substituamus caput Catholicæ veritatis. Ecquod illud? Traditio Ecclesiæ à temporibus Apostolorum, ad hoc nostrum usque seculum derivata per diversos Pontifices, Concilia ac SS. Patres. In Cathalogo Pontificum non infimas tenet Fabianus Epist. 2. supra citatâ, in qua etiam præcipit singulis annis novum Chrisma consecrari; valet tamen vetus; ut bene notat Pontius supra c. 2. n. 23. Quippe nulla fit mentio hujus renovationis in Concilio Florentino, & aliàs res ipsa satis ostendit valde extrinsecum esse, quòd Chrisma sit illius anni. 77.

Quod præcipitur singulis annis de novo consecrari, Valet equidem vetus.

Confirmatur ex materia Extremæ Unctionis, quæ etiam quot annis renovanda est, sic tamen ut veteri uti possit, qui novam nondùm

nondùm accipere potuit.

Innoc. III. Fabiani partes suscipit Innocentius III. c. unico de sacra Unctione ibi: *Ad exhibendum autem exteriorem & visibilem unctionem benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum, vel infirmorum, & conficitur* (id est, consecratur) *Chrisma, quod ex oleo fit & balsamo mysticâ ratione.*

Hujus benedictionis meminit Florentinũ. Inter Concilia nullum clarius Florentino, ibi: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo ..... & balsamo .... per Episcopum benedicto.*

78. Ex obvia sunt aliorum PP. testimonia apud Bellar. & Pont. S. August. Testimonia SS. Patrum obvia sunt, ut frustra videatur illa particulatim recensere. Videantur Bellar. de hoc Sacramento lib. 2. c. 8. & Pontius parte 2. c. 3. Quamquam aliqua explicari possint, & debeant de ipso Sacramento: prout est illud D. Aug. lib. 5. de Baptismo c. 19. in fine: *Quomodo*, inquit, *aquam mundat, & sanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem adest Deus, adest Sacramentis & verbis suis per qualeslibet administrentur; & Sacramenta Dei ubique recta sunt, & mali homines, quibus nihil prosunt; ubique perversi sunt.*

Similiter intelligendum puto quod ait c. 20. eodem libro: *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altari, quod hæretici posuerunt, non possit, nescio, nisi fortè cor hominis, quem fallaciter conversum intus non impedit, lignum fallaciter positum impedit foris, quò minùs Sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus impeditus.*

Prosequitur: *Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Euangelio*: Deus peccatorem

Joan. 9. non audit *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus* (reconciliatoria) *imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas.* Hactenùs Aug.

79. Interim tamen, quia infinitis propemodùm locis SS. Patres vocant oleum sanctificatum, Chrisma sacratum, sacrosanctum, sacratissimum, sacrum, benedictum &c. accedente præsertim perpetuo & universali Ecclesiæ usu, nemini dubium esse

Significantia benedictionem ad minus esse necessariam necessitate præcepti. debet, aut potest quin præter ipsam confectionem Sacramenti, alia benedictio seu consecratio Chrismatis sit necessaria, saltem ex præcepto.

Nam quod attinet ad valorem Sacramenti, adducitur Paludanus in 4. dist. 7. q. ultimâ in solutione ad primum, contra communem opinionem, ubi habet hæc verba: Ad cujus evidentiam est sciendum, quòd fortè ex dispensatione Papæ ex Chrismate non consecrato, & de oleo non benedicto possent sani confirmari, & morientes inungi: & esset eadem materia; quia consecratio illa nihil reale addit, sed puram relationem rationis dicit.

Unde Christus materiam instituit; sed sanctificationem Ecclesiæ commisit. Unde Papa qui est supra totam Ecclesiam non potest quidem materiam mutare, sed ejus consecrationem potest mutare, vel omittere; quia sic Christus instituit, quòd oleum vel Chrisma sit materia, eodem modo quo fuerit per Ecclesiam determinatum. Unde fortè non idem modus est consecrandi apud omnes. Et quia consecratio illa non est Sacramentum, sed aliquid Sacramentale, ideo videtur esse in dispositione Ecclesiæ. De necessitate Sacramenti dubitat Paludanus.

Sicut autem nullum est Matrimonium inter personas, quas Ecclesia reddit illegitimas; sic non esset Confirmatio nec Unctio, si fieret de materia contra ritum Ecclesiæ præparata. Hæc Paludanus. Quam sententiam transcripsit Capreolus in 4. dist. 7. q. 2. in solut. ad 1. & probabilem judicat Estius in 4. eâdem dist. §. 9. in fine. Cujus sententiã probabilem judicat Estius.

Profectò haud clarè video, ex quo alio capite contrarium efficaciter possit convinci, præter communem sensum Ecclesiæ, quæ in Concilio Florentino, sicut requirit oleum & balsamum, sic simpliciter & æqualiter requirit, ut sit per Episcopum benedictum. Ergo si oleum & balsamum sunt materia necessaria necessitate Sacramenti, quidni etiam benedictio Episcopalis? 80. Oppositum equidem clarè convincitur ex sensu Ecclesiæ.

Fateor aliter Christum potuisse instituere; sed instituisse nullum apparet vestigium, Pontificibus, Concilijs ac SS. Patribus unanimiter postulantibus benedictionem, & inter essentialia Confirmationis eam recensentibus. Cùm autem tota hæc res pendeat à voluntate Christi, quam nostris rationibus non possumus metiri, optimè ea colligitur ex universali sensu Ecclesiæ, quæ est, teste Apost. 1. ad Timot. 3. v. 15. Columna & firmamentum veritatis. Ex quo Christi voluntas dignoscenda est.

81. Enimverò si Ecclesia umquam putasset se habere potestatem dispensandi (ut vult Paludanus supra) in benedictione Chrismatis, mirum si numquam dispensasset. Quin Greg. XIII. quando concessit facultatem simplici Sacerdoti confirmandi in India, sollicitè curavit, ut uteretur Chrismate ab Episcopo benedicto. Et quæ hanc dispensandi potestatem non agnovit.

Et quàm facilè potuisset Florent. discernere materiam essentialem ab accidentali dicendo: *Communiter ab Episcopo benedictum, vel, Cui debet accedere benedictio Episcopi?*

Episcopi? Sicuti loquitur de aqua, quæ ex solo præcepto misceri debet vino consecrando, dicens: *Materia Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Et sicuti de ministro Confirmationis dicit: *Ordinarius minister est Episcopus.* Ac de verbis matrimonialibus: *Causa efficiens Matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.*

Cùm ergo Florentinum simpliciter pronuntiet materiam Confirmationis esse Chrisma ex oleo & balsamo confectum per Episcopum benedictum, nec ullibi Ecclesia agnoscat in se potestatem dispensandi magis in benedictione, quàm in oleo, aut balsamo; neque ullo tempore, aut loco legatur administrasse hoc Sacramentum aut sine oleo, aut sine balsamo, vel in Chrismate non benedicto, nulla est ratio asserendi magis Chrisma esse partem essentialem, quàm benedictionem.

Non magis quàm dispensandi in oleo & balsamo.

82. Si dixeris cum Estio supra; non leve sumitur argumentum pro contraria opinione ex Innoc. III. c. 1. de Sacramentis non iterandis, ubi ratum habet hoc Sacramentum factum unctione solius olei, quod non est verisimile benedictum fuisse, saltem eâ benedictione, quæ Chrismati adhibetur, cùm sint diversæ, & ad diversa ordinatæ benedictiones olei simplicis & Chrismatis.

Neque ratificatio Sacramenti facti unctione solius olei aliquid probat.

Ad hoc, inquam, argumentum Conclusione præcedenti abundè responsum fuit, Pontificem haudquaquam ratam habuisse in illo casu Confirmationem, sed potiùs irritam judicasse, & ideo denuo conferendam.

Atque ut ratam habuisset, unde constat illud oleum non fuisse benedictum? Potuit namque benedici eâ benedictione, quâ solum oleum benedicitur in Pontificali Romano post benedictonem balsami. Quod autem taceatur benedictio in eo capite, non præbet firmum fundamentum eam negandi, utpote argumentum desumptum ex auctoritate negativa.

Unde enim constat illud oleum non fuisse benedictum.

Porrò quòd illa benedictio sit diversa, quid refert? Quippe secundùm communem sententiam forma benedicendi relicta est determinationi Ecclesiæ, ita ut Christus, licèt instituerit oleum seu Chrisma consecrari per Spiritûs sancti invocationem; non tamen illius invocationis determinata verba præscripserit.

Esto benedictione diversâ?

83. Si rursùm opponas verba D. Aug. tract. 118. in Joannem circa finem ibi: *Postremò quid est quòd omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Ubi benedictionem olei æquiparat benedictioni aquæ baptismalis, quam constat esse accidentalem.

S. August.

Respondeo; omnes Patres, & Concilia semper diversimodè loqui de benedictione aquæ, & benedictone Chrismatis. Non adfero nisi ipsum Concil. Florentinum, quod enumerans essentialia Baptismi, ne verbo attingit benedictionem aquę. Similiter Concil. Tridentinum, quod tamen sess. 7. de Sacramento Confirmationis appellat Chrisma sacrum can. 2. ibi: *Qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt.*

Alia etiam est ratio de benedictione aquæ & Chrismatis

Ex mente conciliorũ.

Quid ergo ad Aug.? Dico cum Pontio supra parte 2. c. 3. n. 14. Ly *Ritè*, explicandum esse de necessitate præcepti, non excludendo tamen necessitatem Sacramenti; quippe quod requiritur ad valorem, etiam est necessarium ex præcepto, licèt non è contra. Aut certè sumendum generaliter, ut accommodatè ad naturam Sacramentorum (de quibus ibi non disputat Aug. sed solùm enumerat) vel ritum denotet essentialem, vel accidentalem.

Cui non est contrarius Augustinus.

Cæteroquin ex eodem testimonio probaretur ritum ungendi in forma crucis non esse essentialem contra communem sententiam Scholasticorum, ut dicetur Conclusione sequenti. Patet, quia etiam de ea unctione loquitur, sicut de alijs.

Dices Tertiò cum Estio supra; idcircò Patres studiosiùs urgent necessitatem benedictionis Chrismatis, quàm aquæ, tum quòd illa ex divina institutione descenderit, non ista; tum ne videantur arctare viam salutis, si necessitatem benedictonis aquæ vehementiùs urgerent, quamvis & illa sit in præcepto. 84.

Sed contra Primò; si benedictio Chrismatis præcipitur à Deo, interrogo ubi? deinde infero: ergo requiritur ad valorem, ut præcedenti Conclusione argumentati sumus, contra Dicastillonem & præcitatum Auctorem, pro essentiali mixtione balsami. Vide ibi dicta.

Contra Secundò; quia minor necessitas Confirmationis quàm Baptismi, rectè ita Christus instituit, ut potiùs benedictio Chrismatis sit essentialis, quàm benedictio aquæ; sicuti quamvis in Baptismo, ob summam ejus necessitatem, quicumque sit sufficiens minister, Confirmationis tamen solus Episcopus, de quo sectione sequenti.

Et est potior ratio quòd benedictio Chrismatica sit essentialis quàm Baptismalis.

Venio ad Paludanum, qui non omnino asserit sic esse, sed loquitur dubitativè, ut patet 85.

patet ex ly *fortè*. Et quidem benedictionem illam passivam esse quid rationis quis nesciat? Sed quid indè? An forsitan aliquis dixerit solam benedictionem passivam, sive ens illud rationis esse materiam Confirmationis? Nemo certè. Quid ergo? Chrisma benedictum, quod nihil aliud est quàm compositum ex oleo & balsamo, super quo à legitimo ministro prolata sunt verba consecrationis, ens profectò realissimum, cui conveniat denominatio extrinseca benedicti.

Rationes Paludani expenduntur.

Et sanè si Ecclesia potuit præcipere, & de facto suo præcepto, secundùm præfatum Auctorem, irritat Confirmationem & Unctionem factam de materia non benedicta, Quidni & Christus? An quia Ecclesia (utor simili Auctoris) aliquas personas reddit illegitimas, adeoque inhabiles ad validè contrahendum Matrimonium, ideo ipse Christus per se non potuit illegitimare? Quis irritum reddidit Matrimonium cum secunda, vivente primâ, quod validum erat in veteri lege, nisi Deus? *Propter hoc*, inquit Christus Math. 19. v. 5. *dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Et rejiciuntur.

Math. 19.

Quod sic interpretatur Innoc. III. extra de divortijs c. *Gaudemus*: *Non dixit tres vel plures, sed duo, nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori.* Ex quo ibidem post pauca concludit: *Nec ulli umquam licuit in simul plures habere uxores, nisi cùm fuit divinâ revelatione concessum.*

Innoc. III.

Itaque ex præcepto Dei & Christi materia necessaria ad valorem Matrimonij est homo solutus à lege Matrimonij. An illa libertas aliquid reale est præter corpus hominis non obligatum matrimonialiter? Certè nihil.

86. Quocirca omnes concedere debemus Christum ita potuisse instituere pro materia Confirmationis oleum & balsamum, ut tamen ad valorem requireretur benedictio, licèt hæc nihil reale addat. Quòd autem sic fecerit, arbitror satis efficaciter probari ex jam dictis. Porrò benedictio appellanda sit pars materiæ, an verò conditio essentialis, sine qua oleum & balsamum non sunt materia, parùm curo de vocibus, dummodo res teneatur, scilicet ad valorem Chrismatis necessariam esse benedictionem.

Ex quo sequitur corollarium: quòd consecratio ista non est aliquid dumtaxat sacramentale, ut Paludanus vult, nam sic esset in dispositione Ecclesiæ, cujus est sacramentalia instituere, ac proinde mutare; sed est pars vel conditio substantialis, quam sicut Ecclesia nequit instituere (juxta providentiam Dei ordinariam) ita nec de ea disponere per abrogationem, vel dispensationem.

Unde consecratio illa non est aliquid dumtaxat Sacramentale,

Sed est pars vel conditio essentialis.

Quamquam enim, ut declarat Synodus Trident. sess. 21. c. 2. in principio *hæc potestas perpetuò in Ecclesia fuerit ut in Sacramentorum dispensatione, ea statueret, vel mutaret quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret*; Equidem salvâ illorum substantiâ, ut eodem loco notat Trident.

Trident.

Et ideo licèt forma benedictionis, ut supra insinuavi, relicta videatur dispositioni Ecclesiæ, tamquam aliquid sacramentale pertinens ad usum Sacramenti; ipsa tamen consecratio instituta est à Deo tamquam pars, vel conditio substantialis.

Forma equidem consecrationis relicta est dispositioni Ecclesiæ.

87. Nec simile est in Matrimonio, cui Ecclesia præfigit conditiones essentiales seu necessarias ad valorem: etenim per hoc quòd Christus Matrimonium elevaverit ad dignitatem Sacramenti, non perdidit rationem contractûs civilis; in tantum ut etiam nunc post illam elevationem Principes sæculares possent irritare hujusmodi contractus, præscribendo ipsis formas & conditiones substantiales; nisi Ecclesia ratione dignitatis sacramentalis sibiipsi illam potestatem reservasset, ut latiùs dicetur proprio loco. Planum autem est hæc non habere locum in Sacramento Confirmationis.

Nec simile est de Matrimonio.

88. Melior instantia pro sententia Paludani acciperetur ex Sacramento Ordinationis, cujus materiam in particulari reliquit Christus determinationi Ecclesiæ, ita ut si hodie Ecclesia præscriberet signum potestatis aliud à traditione v. g. instrumentorum, quæ modò est materia essentialis, ut ex alibi dicendis suppono, ipso facto traditio desineret esse talis: ergo similiter potuit Christus sic instituisse pro materia Confirmationis Chrisma, ut tamen relinqueret voluntati Ecclesiæ adjungere, vel non adjungere benedictionem ut conditionem essentialem.

Melius simile sumeretur ex Sacramento Ordinis,

Respondeo, licèt concederemus de absoluta potentia ita potuisse fieri; quia & totam materiam potuit permittere designationi Ecclesiæ, ut colligitur ex dictis disp. 1. sect. 2. conclus. 1. nullâ tamen auctoritate, addo, vel congruentiâ rationis, ostenditur sic esse factum; prout colligitur in Sacramento Ordinis ex diversa materia, sive signo potestatis, quo utitur Ecclesia Latina & Græca, de quo suo loco.

89. Deinde disparitatem assigno, quòd materia

Quamvis & satis magna sit inter unum & aliud Sacramentum disparitas;

teria Ordinationis, ut mox dixi, sit signum aliquod reale ex instituto, designans potestatem, quæ per Sacramentum confertur. Et quamvis Christus potuisset tale signum determinare seu instituere, voluit tamen hoc relinquere arbitrio hominum, ad quos de per se spectat hujusmodi signorum ordinatio.

At verò materia Confirmationis est duplex substantia, oleum scilicet & balsamum, quorum significatio est naturalis. Huic autem duplici substantiæ superaddit Christus benedictionem, sive signum benedictionis; permittens nihilominùs Ecclesiæ ejus determinationem in particulari; in quo est aliqua paritas inter materiam hujus Sacramenti, & materiam Sacramenti Ordinationis.

Non tamen sine aliqua paritate.

90. Cur Christus requisiverit consecrationem. Scotus.

Sed quorsum, inquies, requisivit Christus illam consecrationem? Respondeo penes ipsum est. Quis Consiliarius ejus fuit? Scotus supra ad 2. objectionem, scilicet: *Quia nec in Baptismo necessaria est aqua consecrata*: Respondet n. 3. in fine: *Ad secundum dicendum, quòd Christus contactu suæ carnis mundissimæ omnem aquam consecravit in usum Baptismi, non sic autem materiam illam Confirmationis: & ideo requiritur hîc specialis sanctificatio. Quod etiam est rationabile magìs hîc, quàm ibi; quia Baptismus est Sacramentum necessitatis, & ideo potest à quocumque ministro conferri, & rationabile est quòd in aqua non consecrata: alioquin materia conveniens non posset esse communis, & impediretur salus multorum.*

Illamque Episcopi. ratio à priori est ejus voluntas.

Interrogas iterùm; esto requiratur benedictio, cur non sufficit benedictio simplicis Sacerdotis? Respondeo iterùm; pro ratione à priori stat voluntas Christi, quam satìs clarè expressit Concil. Florentinum dicens: *Ab Episcopo benedicto.*

91. Manifestata omnium consensu.

Atque hæc est ultima pars conclusionis, communis omnium Scholasticorum (Cajetano excepto) si intelligatur de ministro ordinario, ita ut si à Presbytero benedicatur Chrisma sine speciali commissione, non valeat Confirmatio cum tali Chrismate collata. Solus Cajetanus ad q. 72. art. 3. oppositum putat rationi magìs consentaneum, idque quia Sacerdos simplex potest efficere maximam consecrationem, scilicet Eucharistiæ; ergo & quamcumque minorem, ita ut facta teneat, quamvis peccet faciendo.

Solo Cajetano contradicente,

Debile profectò fundamentum & minùs altum ad superædificandam singularem opinionem: quippe in causis ac virtutibus limitatis, prout est potestas consecrandi, nullum argumentum sumitur à majori effectu ad minorem, quando unus alterum non includit, neque ei subordinatur. Quæ autem inclusio aut subordinatio benedictionis Chrismatis ad consecrationem Eucharistiæ? Herculè nulla, cùm sint res omninò diversæ ac disparatæ, à quibus non valet consequentia; siquidem non sequitur: Homo potest producere hominem, qui perfectior est; ergo etiam muscam: Ignis potest generare ignem; ergo etiam aërem, licèt minùs perfectus sit.

Innixo debili satis fundamento,

Desumpto à majori effectu ad minorem, quorum unus alterum non includit.

92. Ex quo multa alia sequuntur absurda.

Alioquin eodem argumento probare potuisset Cajetanus Presbyterum validè confirmare & ordinare, consecrare templa, altaria, calices & similia (quia hæc omnia minora sunt, quàm Conficere Eucharistiam, secundùm illos, qui, ut diximus disp. 1. sect. 4. conclus. 3. præferunt Eucharistiam cæteris Sacramentis) quæ tamen sine dubio falsa sunt; idque quia postulant propriam & specialem potestatem distinctam à potestate consecrandi Eucharistiam, quæ limitata est ad suos actus.

Sic ergo est in præsenti. Nam etiam confectio seu consecratio Chrismatis est specialis actus à Christo institutus, requirens specialem potestatem: hanc autem ut ex traditione antiqua colligitur, dedit Christus solis Episcopis: Sed neque Ecclesia concessit simplicibus Sacerdotibus; utpote quæ à sui exordio ubique usum illius potestatis ipsis interdixit, ut in progressu patebit. A quo ergo habuerunt?

Unde ejus sententia est minùs tuta.

Hâc itaque sententiâ relictâ tamquam minùs tutâ, ne dicam temerariâ, quia sine fundamento contra torrentem DD. Superest videndum, an simplex Sacerdos sicut est minister extraordinarius ipsius Sacramenti, ita etiam esse possit minister extraordinarius benedictionis Chrismatis.

93. Simplex Sacerdos potest extraordinariè benedicere Chrisma.

Dubitare videtur Scotus supra num. 2. ibi: *Sanctificatum* (Chrisma) *specialiter ab Episcopo, vel alio, cui talis sanctificatio poterit committi.* Quasi diceret, *Vel alio, si cui poterit committi*, hoc est, ex hypothesi quòd possit committi. An autem possit, ibi Doctor non disputat.

Pro qua sententia stat Scotus.

Expressiùs pro sententia affirmante loquitur in Report. eâdem dist. & quæst. n. 1. ibi: *Et debet Chrisma compositum esse ex oleo olivæ & balsamo, sanctificatum sanctificatione Episcopali communiter*, id est, ordinariè: ergo extraordinariè sufficit sanctificatio Presbyteralis.

Ac pro hac sententia, licèt minùs communi, probabili tamen, citat Pontius supra parte 2. c. 4. num. 2. Cajetanum, Valentiam, Puteanum, Hugolinum, Irribarne & Petigia-

Et alii citati à Pontio.

Petigianum. Et hi duo, inquit, postremi potissimùm inducti videntur in hanc sententiam, quia sibi persuaserunt illam etiam docuisse Scotum.

94. Persuaserunt omnino, & non absque fundamento; quia verba sunt clarissima, si non absoluta & assertiva, saltem dubitativa. Nam quod Suarez disp. 33. sect. 2. §. *Tertia sententia est*, & ipsum secutus Pontius supra n. 3. dicunt, Scotum ibi nihil de confectione Chrismatis, sed solùm de Sacramenti Confirmationis ministerio disputare, nemo non videt esse falsum, cui non fuerint oculi excæcati contrariâ opinione.

Suarez hic errat in interpretanda mente Scoti. *Philippus Faber.*

Nec miror Suarium ut alibi, ita etiam hîc errasse in interpretanda mente Scoti; sed summoperè miratus fui Philippum Fabrum, alioquin profitentem Scoti doctrinam, in 4. dist. 7. disp. 27. q. 2. n. 18. Suarij interpretationem exscripsisse. Si hoc est doctrinam Scoti magnâ facilitate dilucidare, & contra Adversarios omnes veteres & recentiores defendere (quod elogium scriptis illius Auctoris tribuitur in titulo libri) nescio quid sit obscurare, & corrumpere.

Certum igitur apud omnes esse debet, Scotum favere sententiæ, affirmanti ex commissione Papæ simplicem Sacerdotem posse Chrisma benedicere; quæ etiam eo ipso tuta est: extat quippe grave illud testimonium doctrinæ Scoti; quod ejus libri absque ullo erroris nævo usque in hanc diem in OEcumenicis Concilijs inviolati permanserint. Neque hæc opinio suis destituitur fundamentis.

Sententia Scoti tuta est.

95. Præcipuum existimo, quod desumitur ex Florentino supra de hoc Sacramento ibi: *Ordinarius minister* (ipsius Sacramenti) *est Episcopus.* Ex quo colligunt Doctores, ut infra videbimus, extraordinarium ministrum Sacramenti posse esse simplicem Sacerdotem. Quidni etiam benedictionis, quæ minor est in eodem ordine, & Sacramento subordinata? Etenim illius potentiæ apparet disponere materiam, cujus est inducere proximè formam.

Suisque innititur fundamentis.

Contra quam objic. 1.

Sed contra Primò; ministerium Eucharistiæ committitur Diacono, non tamen consecratio.

Respondetur.

Respondeo; quia ministerium minus est, quàm consecratio; hîc autem administratio sive confectio Sacramenti major est, quàm benedictio, sive præparatio materiæ.

Objicitur 2.

Contra Secundò; quare igitur Florentinum similiter non dixisset, materiam esse Chrisma benedictũ ab Episcopo ordinariè.

Respondetur.

Respondeo; quia supposuit eumdem esse ministrum benedictionis & Sacramenti; adeoque putavit sufficere ultimo loco & principaliori distinguere.

Objicitur 3.

Contra Tertiò; non legitur Pontificem aliquando commisisse potestatem conficiendi Chrisma ac benedicendi simplici Sacerdoti, bene potestatem administrandi Sacramentum, eâ tamen lege, quòd uteretur Chrismate per Episcopum benedicto, ut expressis verbis significat Florent. suprà dicens: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*: Ergo non est eadem ratio de consecratione Chrismatis, & ministratione Confirmationis.

Et quamvis esset, equidem in ijs, quæ pendent ab institutione, non quæritur rationis paritas, sed voluntas instituentis per Scripturam, aut Ecclesiam. Porrò Ecclesia semper & ubique docet, & docuit confectionem Chrismatis soli Episcopo esse propriam, Sacramentum autem ipsum aliquando commisit simplici Sacerdoti.

96. Ex quibus objectionibus colligitur major securitas & probabilitas partis negativæ.

Atque hæc sit potissima ratio contrariæ sententiæ, quæ uti communior, ita apparet probabilior saltem ex auctoritate; adeoque in praxi magis tuta. Num propterea sequenda?

Dico, si de facto alicui simplici Sacerdoti Pontifex committeret hujusmodi consecrationem, quamvis probabilius sit commissionem non valere; attamen sine peccato, propter probabilitatem contrariæ sententiæ, sicuti Pontifex ex justa causa committeret, ita Sacerdos commissionem posset exequi, & exequeretur.

Quo non obstante posset Pontifex licitè committere, & Sacerdos commissionem exequi.

Nec obstat periculum invaliditatis, quia minister Sacramenti non semper tenetur sequi partem tutiorem de valore Sacramenti, præsertim quando non est Sacramentum necessarium; & non obstat præceptum Ecclesiæ. Jam autem Confirmatio per se non obligat, ut patebit Sect. sequenti: & aliunde Pontifex est supra leges Ecclesiæ; licèt etiam nulla sit lex, quæ prohibeat Sacerdoti consecrare Chrisma ex commissione Papæ.

97. Quærit aliquis à me, cur ergo Pontifex numquam talem potestatem delegaverit? Respondeo, quia numquam judicavit subesse justam causam delegandi; cùm facilè possit Chrisma ab Episcopo benedictum ubique deferri; non ita facilè Episcopi ubique possunt esse præsentes ad confirmandũ.

Numquam commisit defectu justæ causæ.

Quòd si contingeret casus in longinqua aliqua regione, quæ primùm ad fidem convertitur, nec Episcopum posse esse præsente,

nec Chrisma ad eam deferri ab Episcopo benedictum; non video quare Pontifex secundùm probabilem sententiam, præsertim tempore persecutionis, quando hoc Sacramentum est maximè necessarium ad fortiter fidem profitendam, quare, inquam, non possit Sacerdoti ibidem commoranti delegare potestatem, & consecrandi Chrisma, & eodem Chrismate confirmandi. Valeat quantùm valere potest, saltem non oberit, & aliunde tam committens, quàm exequens propter probabilitatem sententiæ, excusantur à peccato irreverentiæ, licèt Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

Quæ posset esse in istis locis, ad quæ Chrisma ab Episcopo benedictum deferri nequiret.

Simili modo quidam argumentantur, & conantur probare Papam non posse dispensare in Matrimonio rato; quia, inquiunt, numquam dispensavit: ergo non potest.

Sed gratis admisso antecedente, nego consequentiam. Quippe numquam judicavit Pontifex adesse sufficientem causam dispensandi, sine qua, etsi fortè validè, ut quidam volunt, saltem non potest licitè dispensare. Allegetur justa causa, & videbimus quid Pontifex sit facturus. Cæteroquin ex negatione actûs de per se malè infertur negatio potestatis.

89. Affertur pro sententia affirmativa Con. Toletanum.

Solet etiam pro sententia, quæ apparet esse Scoti, à quibusdam citari Concil. Toletanum I. c. 20. ubi sic ait: *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provincijs Presbyteri dicuntur Chrisma conficere: Placuit, ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma conficere.* Ergo est solius præcepti; quippe neque reprehendit factum neque declarat invalidum.

Quod aliqui aliter interpretantur.

Respondent aliqui Concilium loqui de Chrismate baptismali; siquidem immediatè sequitur: *Et per diœcesim destinare, ita ut de singulis Ecclesijs ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut confectum Chrisma ab Episcopo destinatum, ad diem Paschæ possit occurrere.* Utique in ordine ad baptismalem unctionem (nam Confirmatoriam singulæ Ecclesiæ jure ordinario non ministrant) quam primus instituit Sylvester, teste Damaso & alijs; & ad quam Presbyteri Palentini in Hispania consecrabant Chrisma, eò quòd carerent proprio Episcopo.

99. Insuper Presbyteros territorij prænominati non solùm illicitè, sed etiam invalidè consecrasse ejusmodi Chrisma (esto solùm fuisset ceremoniale) videtur Pontio supra parte 2. c. 4. n. 5. satis clarè significare in quadam sua epistola ad Fratres territorij Palentini Montanus Archiepiscopus Toletanus, qui Concilio Toletano II. præfuit, ibi: *Nova namque præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum* (loquitur de Presbyteris Palentinis) *nostrorum pulsavit auditum; si tamen nova tantùm, & non detestabilis dici possit, quæ ab initio fidei Catholicæ numquam, præter nunc, subrepsisse probatur, ut id quod per manus summi Pontificis trinæ divinitatis invocatio consecrare consuevit, Presbyter ignarus disciplinæ conficere sibi Chrisma præsumeret. Hoc si ignaviæ est, tam demens Sacerdos esse non debuit; si præsumptionis est, hunc schismaticum esse quis nesciat, qui inauditam rem, & religioni contrariam, senescente iam mundo, talis temerator indicat?*

Juncti auctoritate Montani Archiepiscopi Toletani.

Et infra. *An forsitan Sanctorum Patrum regulas & constitutiones Synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur Parochenses Presbyteri, non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per rectores sacrariorum, annuis vicibus Chrisma à præsidente sibi Episcopo petant? Credo quòd qui petere iusserunt, potestatem consecrandi penitùs abstulerunt.*

Et in alia Epistola ad Theoribium Asturicensem & Palentinum Episcopum hæc habet: *Quidam Presbyteri ausu temerario, res sacras non tam consecrare, quàm violare præsumunt, & cunctis ab initio fidei Catholicæ seculis inusitatum summis sui ordinis hominibus, nisi tantùm Pontificibus, debitum ius consecrationis Chrismatis, nescio, quo typo an dementiâ dicam, indubitanter assumunt. Quod quàm sacrilegum sit, pessimam conscientiam tuam latere non credo.*

Illicitam benedictionem in his verbis agnosco, invalidam haud clarè video: nam qui prohibet consecrare, potestatem licitè consecrandi penitùs aufert. Et qui sacrilegè consecrat, licèt validè, non tam consecrare, quàm rem sacram violare præsumitur. 100. Ut cujus verbis solùm agnoscitur illicita benedictio, non invalida.

Constat, inquit B. Martyr Cyprianus in Epistola contra hæreticos, & refertur 1. q. 1. c. 70. *oleum, unde baptizati unguntur, sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse, ubi spes nulla est & fides falsa.* Quis autem dubitet Episcopum hæreticum validè benedicere Chrisma, & Eucharistiam conficere? S. Cypr.

Violare tamen præsumitur, quia indignè tractat, juxta illud Gratiani 24. q. 1. c. 4. *Quicumque ab unitate Ecclesiæ fuerit alienus, execrare potest, consecrare non valet.* Ubi Gloss. Verb. *Non valet*: inquit: *Conficit tamen etiam extra Ecclesiam, si formam observet: quia hoc Ordinis est, quem retinet recedens ab unitate Ecclesiæ.* Nonne & benedicere Chrisma est actus Ordinis? Nemo ambigit. Gratian.

Ut ut sit, sive validè, sive invalidè consecraverint, sive ad Confirmationem, sive ad Baptismum, in capite præmemorato factum narratur aliquorum particularium, ut sig-

Dato sive validè sive invalidè sive ad confirmationem sive ad bap-

tismum est tantum factum particularium. ut significant illa verba: *Tamen quia in aliquibus locis vel provinciis*, narratur, inquam, sed non approbatur. Imò implicitè reprobatur, quoniam contra communem Ecclesiæ consuetudinem, ut colligitur ex primis verbis: *Quamvis ubique pene custoditur.*

101. Quod autem addit: *Placuit ex hac die*, non sequitur antea fuisse licitum, aut validum, sed ex nunc novâ lege prohibet & corrigit imperitum errorem paucorum Presbyterorum; prout fecerat Sylvester Papa, qui, ut refertur in ejus vita, constituit Chrisma ab Episcopo confici, utique novo decreto tribuens, quod illis ex divina institutione, teste Fabiano, Dionysio, Clemente & alijs, qui Sylvestrum præcesserunt, competebat.

Bracar. Eadem lex diu post Concil. Toletanum renovata iterùm fuit in Concilio Bracarensi I. c. 37. *Si quis Presbyter*, inquit, *post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam, aut altaria consecrare, à suo officio deponatur. Nam antiqui hoc Canones vetuerunt &c.* Certè ab initio Ecclesiæ illam benedictionem Presbyteris fuisse prohibitam, liquidò constat ex verbis Montani statim allegatis. Imò communis sententia & indubitata est, semper etiam invalidam fuisse, nisi accederet consensus, saltem Episcopi.

Ideoque forsè Concilium Toletanum non expressè declaravit factum invalidum, supponens hoc omnibus notum esse ex subjecta materia, utpotè cùm Presbyteri illi id facerent sine legitima commissione, aut delegatione. Ergo neque ex Toletano, neque ex Bracarensi Concilio quidquam efficaciter concluditur, pro una, aut altera sententia. *Quare neque ex Toletano neque ex Bracarensi Cōcilio quidquam efficaciter pro alterutra sententia cōcluditur.*

102. Dices; Toletanum post verba supra ex ipso recitata, statim subjungit: *Episcopo sanè certum est, quod omni tempore liceat Chrisma conficere, sine conscientia autem Episcopi nihil penitus Presbyteri agere præsumant.* Ergo saltem ex conscientia sive commissione Episcopi possunt Presbyteri Chrisma conficere.

Nequidem quod hoc possint Presbyteri ex conscientia Episcopi. Respondetur Primò, supposito quòd hîc solùm agatur de Chrismate baptismali, quod solùm est ceremoniale, & non sacramentale, ut dixi, sicut Pontifex illam chrismationem instituit, ita non dubito quin posset præscribere certam formulam benedicendi hujusmodi Chrisma, quo Presbyteri ex consensu Episcopi possent uti. Modò autem cùm sit una tantùm & eadem forma benedicendi, & idem Chrisma Confirmationis, atque Baptismi, ideo

Loquitur enim Toletanum de Respondetur Secundò, Concilium ibi loqui de ordinarijs munijs Sacerdotum, v. g. unctione baptizati in vertice, quæ non licebat olim Presbytero præsente Episcopo sine illius consensu; imò nec in baptisterium introire. Unde subditur: *Statutum verò est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo, præsente verò non, nisi ab ipso fuerit præceptum.* *unctione baptizati in vertice.*

Sed hoc mitigatum est ab Innoc. I. Epist. 1. c. 3. ibi: *Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos ungere licet &c.* *Innoc. I.*

Magis videtur urgere, quòd in Concilio Bracarensi benedictio Chrismatis annumeretur consecrationi Ecclesiæ, ac altarium, prout etiam apud Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia c. 5. ibi: *Præcipuè verò ordini Hierarchico præ cæteris ordinibus divina lex diviniores ceremonias assignavit. Quocirca divina lex sacram Hierarchicorum ordinum ceremoniam* (id est, Ordinationem) *divinique unguenti confectionem, atque sanctam altaris consecrationem, divinorum Pontificum efficacibus facultatibus singulari munere attribuit.* 103. *Benedictio Chrismatis annumeratur consecrationi Ecclesiæ. S. Dionys.*

Planum autem est consecrationem altaris posse delegari simplici Sacerdoti; ergo etiam confectio Chrismatis, nisi ostendatur ratio specialis; sicuti est in ministerio seu collatione Ordinum; quamvis & Ordo Subdiaconatûs & Diaconatûs possit Simplici Sacerdoti committi, ut proprio loco apparebit. Cur ergo similiter nequeat committi confectio Chrismatis? *Si ergo hoc committi possit simplici sacerdoti, quidni illud?*

Hîc non habent Adversarij quid respondeant nisi Ecclesiam aliquando delegasse unam potestatem, & non aliam. An hæc responsio satisfaciat, relinquo judicio lectoris.

Transeo ad Epistolam D. Hier. ad Rusticum Narbonensem, ubi habentur hæc verba: *Denique Chrismatis ea ratio est, atque hic ordo legitimus consecrandi. Baptizatum Dominum, & in similitudine columbæ in specie Chrismatis à Patre unctum fuisse, manifestum est, ac plenitudo Sacramenti corpus ejus, & sanguis ostensum, quæ, cùm offerre liceat etiam reliqua, quæ in eo sunt, consecrare. Quia in Christo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat. Presbyteri ergo, si necesse est, possunt Chrisma conficere, quia in corpore ejus Chrisma est, & quidem hæc regula etiam nunc servatur à plurimis, atque in Ecclesijs multis sic ista faciunt.* Quid clariùs dici poterat, si modò verè? 104. *Quod magis roboratur ex Epistola D. Hieron.*

Sed quæ responsio? Omnes ferè Recentiores notant, illam non esse Epistolam D. Hier. cùm ibi doceantur aliena à fide, videlicet Presbyteros, & Episcopos esse æqualis potestatis, & alia periculosa in fide, puta omnia Sacramenta à Sacerdote ministrari & confici posse. Ex quo errore facilè *Quam recentiores notant non esse Hieronymi.*

facilè derivatus est alius de consecratione Chrismatis à Presbytero.

Quod autem adfertur de usu aliarum Ecclesiarum, consuetudo non est, sed corruptela, cui semper Ecclesia generalis contradixit, ut patet ex Concilijs supra relatis; ideoque de ea nihil curandum.

Hic finio materiam remotam, de qua fortassis plura, quàm ratio nostræ scriptionis exigat; sed ut spero non propterea minùs grata Theologis, qui non superficialem, sed fundatam expectant doctrinam. Incipio materiam proximam, pro qua erit

CONCLUSIO V.

Materia proxima Confirmationis est unctio in fronte per modum crucis, ex præcepto Ecclesiæ facta immediatè pollice dextro.

105. *Prima pars Conclus. probatur ex Florentino.* PRima pars est communis, desumpta ex Concilio Florentino de hoc Sacramento §. *Effectus autem*, in fine: *Ideoq; in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat: & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia, propter quod signô crucis signatur.* In quibus verbis exprimitur, ut patet, unctio in fronte per modum crucis.

Cui consonat D. Subtilis. Consonat Doctor Subtilis 4. dist. 7. n. 2. dicens: *Materia proxima, id est, illud visibile, quod concurrit in fundamento est unctio, facta in fronte, in figura crucis.* Addit: *Cum Chrismate sanctificato*, quod in hac conclusione, ex dictis in præcedenti conclusione, satis subintelligitur; quandoquidem materia proxima, sit applicatio materiæ remotæ.

Enimvero forma hujus Sacramenti, quibuscumque verbis exprimatur, immediatè cadit sive determinat, non ipsum Chrisma sanctificatum, sed unctionem sive applicationem istius Chrismatis ad hominem confirmandum, & per ipsam immediatè significatur effectus Sacramenti.

Quippe sicuti panis materialis non nutrit corpus, nisi per comestionem debitè applicatus; & oleum non confortat, aut roborat corpus, nisi quod illo inungitur; ita quoque panis Eucharisticus non nutrit spiritualiter animam quamdiu per comestionem non constituitur præsens; neque oleum seu Chrisma benedictum robur spiritûs tribuit ad fortiter Christi fidem confitendam, nisi per unctionem corpori applicetur.

Et hinc sæpissimè SS. Patres Sacramentum hoc vocant *Vnctionem*, ut omnes intelligant non esse Sacramentum permanens, quemadmodùm Eucharistia, sed transiens sive consistens in usu, sicuti Baptismus, & cætera Sacramenta, quorum esse est fieri. Pro quo *Unde SS. PP. hoc Sacramentum vocant Unctionem.*

Nota nonnullos ex Græcis docuisse; ipsum Chrisma esse Confirmationis Sacramentum, ducti verisimiliter auctoritate Cyrilli Jerosolymitani Catech. 3. ubi sic inquit: *Quemadmodum panis Eucharistiæ, post Spiritûs sancti invocationem, ampliùs non est panis communis, sed est corpus Christi; sic sacrum hoc unguentum, non ampliùs est unguentum nudum, neque commune, postquam iam consecratum est, at est Chrisma* (vel, ut alij legunt, Chrisma Christi) *quod adventu Spiritûs sancti efficaciam habet per ipsius divinitatem.* 106. *Quidam Græci dixerunt Chrisma esse ipsū Sacramentum, Fundamento sumpto ex Cyrillo,*

At facilis est responsio; comparationem videlicet in hoc consistere, quòd utraque res, panis nempe & Chrisma, ante consecrationem sit res communis, & post consecrationem sacra, sed alio modo; nam panis Eucharisticus ante usum continet corpus & sanguinem Christi, adeoque efficaciter significat gratiam substantialem, id est, ipsum auctorem gratiæ sanctificantis seu inhærentis, quod sufficit ut sit verum Sacramentum, juxta dicta disp. 1. sect. 1. conclus. 2. Nihil autem tale reperitur in Chrismate sanctificato; utpote quod per consecrationem solùm efficitur apta materia ad causandam gratiam ex opere operato in actuali sui, cum debita forma verborum, applicatione. *Qui explicatur.*

Quod optimè noverat D. Cyrillus; & ideo verbis præcitatis continuò attexit: *Quo frons, & alij sensus tui symbolicè*, id est, Sacramentaliter, *inunguntur.* In ipsa ergo unctione, etiam secundùm illum sanctum Patrem, & non in nudo Chrismate benedicto, consistit essentialiter & completè Sacramentum Confirmationis.

Porrò quòd unctio hæc debeat fieri in figura Crucis, non efficaciter colligitur ex forma, si hæc valeat: *Confirmo te*, ut conclus. 2. argumentabamur de Chrismate: Et dato, quòd forma communis non verificaretur in hoc puncto, num propterea esset necessariò falsa in aliqua sui parte essentiali? Minimè. Utì si quis dextrâ baptizans, diceret: *Baptizo te sinistrâ in nomine Patris* &c. validè baptizaret: quia quòd dextrâ vel sinistrâ fiat planè est Baptismo accidentale. 107. *Quòd unctio fieri debeat in figura crucis. Non ex forma,*

Aliunde

Aliunde ergo probandum est signum crucis esse essentiale: non meliùs quàm ex perpetuo & constanti usu universalis Ecclesiæ, tam apud Græcos, quàm Latinos.

Sed universali Ecclesiæ usu probatur.

Et ita docent omnes Patres, Pontifices Romani atque Concilia, præscribiturque in Pontificali Romano. Dionysius de Cœlesti Hierarchia c. 2. ibi: *Assumentes autem illum* (baptizatum) *Sacerdotes, susceptori suiq; accessus duci consignant, & unà cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt: sicq; indutum rursum ad Pontificem ducunt. Ille divino ac deifico prorsùs unguento virum signans* (utique signaculo Christianorum, quod est crux) *sacratissimæ communionis participem facit.*

Consentientibus Patribus, Concil. &c. D. Dionysio.

Manifestiùs D. Ambr. l. 6. de Sacramentis c. 2. *Unxit*, inquit, *te Deus; signavit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma ad illius passionem, accepisti signaculum ad illius similitudinem.*

S. Ambrosius.

108. Atque de hoc signaculo intelligitur Concil. Constantinopolitanum primum, quando can. 7. præscribens ordinem & consuetudinem recipiendi hæreticos Arianos & alios, quos ibi nominat, cupientes transire in partes Ecclesiæ orthodoxæ ait: *Frons, & oculi, & nares, os & auriculæ signentur sive ungantur primùm sacro unguento. Et cùm signamus eos, dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti.* Similiter Cyrillus Catech. 4. ibi: *Impinguavit enim caput in fronte per signaculum Dei.*

Constantinop. I.

Cyrillus.

Hoc signaculum accepit Constantinus Imperator, disertè scribens in suo edicto, Sanctum Silvestrum linivisse in ejus fronte vexillum Sanctæ Crucis. De Clodoveo testatur Greg. Turonensis lib. 2. de gestis Francorum c. 31. *Delibutus est sacro Chrismate cum signaculo crucis.*

Gregorius Turonensis.

Et ne prætercam D. Aug. verba ejus clarissima sunt Tract. 118. in fine: *Postremò quid est quòd omnes noverunt, signum Christi, nisi Crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.*

S. August.

109. Profectò hæc testimonia, accedente continuo & universali usu Ecclesiæ, non solùm ostendunt unctionem Chrismatis in forma crucis pertinere ad substantiam hujus Sacramenti; verùm etiam contra Ledesma hîc art. 9. & Victor. in summa de Sacramentis quæst. 18. efficaciter probant, non sufficere ad valorem, unctionem cujuscumque partis, sed necessariam esse chrismationem frontis; quâ solâ utitur Ecclesia Latina & Græca primo loco, quamvis & alias corporis partes inungat, ut patet ex Concil. Constant. supra relato.

Quibus testimoniis convincitur Chrismationē frontis esse necessariam.

Quod & docet Cyrillus Hierosl. Catech. 3 ibi: *Primùm frons illinitur, ut cum à nobis abstergat pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat, simulq; efficiat, ut possimus vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde verò aures inunguntur* &c. *Posteà nares* &c. *Tum verò & pectus inungitur.*

Græci adhibent etiam alias unctiones juxta Cyrillum & Constant.

Pontius supra parte 2. c. 5. n. 6. existimat ad singulas unctiones reperi formam, quamvis in prima unctione frontis Sacramentum conficiatur, & effectum sortiatur. 110.

Pontius.

Sed quorsùm hæc repetitio, si totus effectus independenter ab illa est positus; maximè hîc, ubi Sacramentum, utpote imprimens characterem, nequit iterari? Aliud est in Extrema Unctione, ubi singulæ partes inunguntur cum singulis formis exprimentibus singulas distinctas partialiter unctiones, cum partiali probabiliter effectu, vel saltem cum dependentia totalis effectûs ab illis.

Hinc alij respondent, omnes unctiones explendas esse sub eadem forma verborum, ita ut forma ordinaria non priùs finiatur, quàm omnes partes sint inunctæ; alioquin unctiones, quæ sequentur prolationem formæ, non erunt Sacramentales, sed tantùm ceremoniales, ut disp. præced. diximus de trina mersione in Sacramento Baptismi vide sect. 1. conclus. 9.

Quæ omnes sunt explendæ sub eadem forma verborum.

Hic modus videtur probari ex Concil. Constant. supra; postquam enim enumeravit singulas unctiones subjungit: *Et cùm signamus eos dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti.* Quæ ultima verba, ut videbimus Conclus. sequenti, continent formam, quâ Græci in hoc Sacramento utuntur, ac si diceret Concilium: Inter ungendum singulas partes (quæ singulæ unctiones integrant unam moraliter unctionem) simul absolvimus verba essentialia formæ.

Qui modus probatur ex Concilio Constant.

Cæterùm indubitatum esse debet solam chrismationem frontis esse necessariam necessitate Sacramenti; cùm illa in utraque Ecclesia adhibeatur, & hâc solâ utatur Ecclesia Latina, quæ est, & semper fuit, magistra veritatis. Quis ergo, nisi hæreticus, dicere audeat, Ecclesiam Latinam à principio suæ institutionis errasse circa Confirmationem, quæ una est ex septem columnis, quibus tota Ecclesiæ Romanæ structura innititur? 111.

Indubitatum equidē solā Chrismationem frontis esse necessariam necessitate Sacramenti.

Certè jam dudùm Ecclesia perijsset, imò numquam extitisset: neque enim est vera Christi Ecclesia, quam non docet Spiritus sanctus omnem veritatem, juxta promissum æternæ Sapientiæ Joan. 14. v. 26. *Paraclitus* Joan. 14.

autem

autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret Et 16. *vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Et Joan. 16. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

112. Quae veritas censetur satis definita; Si non verbo, saltem facto.

Nec obstat quòd nullibi expresè haec necessitas definiatur; quippe nulla umquam de ea fuit controversia, cùm omnes tam Graeci, quàm Latini unanimiter illam asserent, si non verbo, saltem facto, numquam confirmando sine unctione frontis, ut patet ex testimonijs praeallegatis.

Innoc. I. Quibus adde Innoc. I. Epist. 1. c. 3. ibi: *Non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Damasus quoque Epist. 4. inhibens Chorepiscopis hujus Sacramenti ministerium, inquit: *Nec Chrismate baptizatorum frontes signare.* Damasus.

Et patrum doctrinâ, & auctoritate, S. Aug.

Non omittam aliud testimonium D. Aug. in Psalmum 141. ibi: *Vsque adeò de Cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem;* impressam utique in Sacramento Confirmationis. Nam sequitur: *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quaedam sicut nostis ore accipimus, quaedam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur, ille, qui dixit,* Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo qui in coelis est, *ipsam ignominiam quodammodo, & quam pagani derident* (id est Crucem) *in loco pudoris nostri constituit.*

Innoc. III. Claudo hanc doctrinam auctoritate Innoc. III. c. unico de sacra unctione, ibi: *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur; qua alio nomine dicitur Confirmatio.* Ubi Pontifex Sacramentum Confirmationis appellat, frontis chrismationem.

Et ratione à priori, quae est voluntas Christi.

Quaeris rationem? A priori est voluntas instituentis; congruentiam habes in verbis D. Aug. statim citatis, quam eamdem reperies in Florentino allegato in principio Conclusionis.

Unde haec doctrina est fortè de fide.

Haec & plura alia, quae possent adferri, ostendunt doctrinam nostram esse omnino certam, & fortè de fide; adeoque sententiam contrariam omnino falsam, & plùs quàm temerariam.

113. Pontific. Rom.

Quòd Chrismatio pollice dextro fiat.

Superest secunda pars Conclusionis, quam sufficienter probat Pontificale Romanum Tit. de Confirmandis ibi: *Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cuiuslibet confirmandi, sibi per Patrinum flexis genibus praesentati, & summitate pollicis dextrae manûs Chrismate intinctâ dicit:* Signo te signô crucis, *quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius.*

Ostenditur ex praxi

Atque ita ab omnibus practicatur: quamvis non satis constet obligationem esse gravem, sic ut variatio sit mortalis, si alio digito tangat, & ungat. Ita Diana parte 3. tract. 4. resol. 22. citans Didacum Nugnum in 3. parte to 1. q. 62. a 4. diffic. 3. conclus. 4. quia non constat utrùm talis variatio sit gravis materia vel levis; videtur enim parùm referre, quòd unctio fiat indice, vel pollice, quòd fiat manu dextrâ, vel sinistrâ. Sequitur hanc sententiam Dicastillo disp. unicâ dub. 12. n. 149. Alio autem digito ungere non videtur grave.

114. Secus si medio instrumento.

Sed quid si instrumento tangat & liniat, quemadmodùm solet conferri extrema Unctio tempore pestis, imò & in alijs occasionibus? Eritne valida Confirmatio? Quippe illicitam fore propter contrariam Ecclesiae consuetudinem nemo dubitat; etiam graviter, quia probabile est non valere, & ita exponitur Sacramentum periculo nullitatis; ex quo patet esse materiam notabilem.

Itaque communior sententia docet Sacramentum ita collatum non valere. Fundatur potissimùm tum in communi praxi, tum quia hoc Sacramentum successit manuum impositioni teste Florentino ibi: *Loco autem illius manûs impositionis* (quâ scilicet usi fuerunt Apostoli in Actibus c. 8.) *datur in Ecclesia Confirmatio.* Et Innoc. III. statim citatus: *Per frontis,* inquit, *chrismationem manûs impositio designatur.* Non apparet autem quomodo unctio habeat rationem impositionis manûs, quando non fit manu immediatè, sed medio tantùm instrumento. Quae ratio non militat in Extrema Unctione. Quia communiter docetur sic collatum Sacramentum non valere. Floren. Innoc. III.

115. Oppositum multi censent probabile.

Equidem valere, multi censent probabile. Quod insinuat Doctor Subtilis, quando pro materia proxima solùm assignat unctionem, factam in fronte in figura crucis, nullâ factâ mentione pollicis dextri, aut immediati contactûs manuum; à quo etiam abstinuit Concilium Florentinum. Haec ergo sit ratio hujus probabilis opinionis; quia videlicet nec ex testimonijs Patrum, neque ex locutionibus Conciliorum quidpiam adferri potest, quod efficaciter probet immediatum contactum pollicis dextri, aut alterius partis manuum esse essentialem. Cùm ex nullo capite ostendatur talem Chrismationem esse necessariam.

Enimverò (praeterquam quòd de facto mediet oleum, cùm tamen Apostoli fortè nudâ manuum impositione fuerint usi) non debet intelligi ista manûs impositio in toto rigore physico; sed moralis, talis videlicet modi, qui sufficiat ad frontem inungendam; qualis omnium judicio est, linire medio instrumento, ut liquet in Extrema Unctione.

Caeterùm

116. Cæterùm quis dubitet valituram Confirmationem, si Episcopus carens volâ manus, aut manum studio contrahens solo tangat pollice? An forsitan non incurrit censuram Can. *Si quis suadente diabolo.* 17. q. 4. qui percutit clericum instrumento? Nemo ambigit incurrere. Ut quid, cùm jus requirat violentam manuum injectionem, ibi: *Quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit?*

Respondes; quia percussio medio instrumento est injectio manuum. Assentior: sed inquiro cur simili ratione unctio medio instrumento non possit dici manuum impositio? Quia, inquis, communis praxis & sensus Doctorum ita intelligit violentam manuum injectionem in Can. prællegato, secùs impositionem manuum in Sacramento Confirmationis.

117. Sed contra; etiam praxis postulat tactum immediatum pollicis, & tamen non propterea est essentialis. Profectò sola praxis non potest esse signum sufficiens absolutæ necessitatis; quippe etiam illa communiter practicantur, nisi occurrat casus necessitatis, quæ tantummodo necessaria sunt necessitate præcepti. Quòd si occurreret casus urgens chrismationem mediante instrumento, quis scit an Ecclesia eam non practicaret? Ergo sub judice maneat lis: quia casus metaphysicus.

Neque sola praxis possit esse signum sufficiens absolutæ necessitatis.

Ad alia magis necessaria propero. Et quid magis necessarium quàm forma Sacramenti? Pro hac ergo ponitur

CONCLUSIO VI.

Forma ordinaria Confirmationis est hæc: *Signo te signô crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Valet forma Græcorum: *Signaculum doni Spiritûs sancti.* Quidni & ista: *Confirmo te?*

118. Forma ordinaria (quis Catholicus ambigit an sufficiens?) eisdem verbis exprimitur in Concilio Florentino, & ex illo præscribitur in Pontificali Romano à Clemente VIII. atque à tota Ecclesia Latina usu est recepta. Solùm controvertitur ac disputatur inter DD. Catholicos, an omnia in ea posita sint essentialia, ita ut si aliquid eorum in se, & in æquivalenti omitteretur, forma foret invalida.

Forma ordinaria est totius Ecclesiæ Latinæ usu recepta: Florent. Clemens VIII.

Dico: *Et in æquivalenti*; quia certum est non omnia illa verba in specie requiri ad valorem, quamvis bene ex præcepto. Quod insinuat Scotus supra num. 2. ibi: *Forma est talis: Signo, vel consigno te signô crucis, confirmo te Chrismate salutis, vel sanctificationis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.*

Non omnia tamen verba in specie requiruntur ad valorem. Scotus.

Neque variatio videtur semper notabilis, adeoque mortalis contra præceptum Ecclesiasticum; sed tunc maximè, quando reddit Sacramentum dubium, aut certè in Ecclesia Latina assumitur forma Græcorum, vide disput. præced. sect. 2. conclus. 1. Ubi de forma Baptismi usitata in Ecclesia Græca: *Baptizatur*, vel, *baptizetur servus Christi* &c. quæ secundùm Concilium Florentinum æquivalet formæ Latinorum: *Ego te baptizo* &c.

Ex quo colligo hanc formam Confirmationis: *Consignatur*, vel, *consignetur servus Christi signô crucis, & confirmetur Chrismate salutis* &c. proculdubio æquivalere formæ ordinariæ; exprimit quippe personam confirmandam, actum ministri ut ab eo procedentem, & cætera necessaria: nihilominus graviter peccaret, qui eâ uteretur, ubi non est usitata; sicuti loco jam citato docuimus de eo, qui in Ecclesia Latina baptizaret hâc formâ: *Baptizatur servus Christi* &c. utique propter ejus notabilem in modo significandi diversitatem.

Sufficit quòd æquivaleant secundùm significationem.

Aliud esset si locô, *Signo*, dicatur, *Consigno*, aut locô, *Salutis*, *Sanctificationis*; vel si omittatur ly, *Et*, positum inter ly *Crucis*, & ly *Confirmo*.

Sed veniamus ad principalem controversiam, cujus decisionem, suppositâ veritate secundæ & tertiæ partis Conclusionis, nemo poterit ignorare.

Probatur itaque secunda pars; quia nec in ipso Concilio Florentino (ubi tamen fuit pax inita inter Ecclesiam Latinam & Græcam, & quæstiones compositæ) ulla fuit disputatio de forma Confirmationis, ejusque valore, cùm tamen in alijs minoribus rebus fuerit disceptatio; quæsitum siquidem fuit, cur eorum Presbyteri confirmarent; & statutum ut soli Episcopi Chrisma conficerent. 119.

Unde valet forma Græcorum: Quia in Florentino nulla fuit de forma disceptatio.

Præterea Clemens VIII. in brevi quadam instructione ad reformandos abusus Græcorum, prohibet ne ministretur à Presbyteris, & ordinat reconfirmationem eorum, de quibus dubitabatur, an essent ab Episcopis confirmati. Ergo supponit non esse reconfirmandos illos, qui erant ab Episcopis confirmati, adeoque formam eorum legiti-

Clemens VIII.

legitimam. Præscribit autem formam consuetam Latinorum, quia à Latinis debebant reconfirmari.

120. Cùm tamen fuerint usi formâ in conclusione positâ, Bessarion.

Dices; unde constat Græcos non fuisse usos formâ ordinariâ; sed illâ, quæ ponitur in Conclusione? Respondeo ex II. Synodo Oecumenica, scilicet Constantinopolitana I. de qua Bessarion Cardinalis, qui interfuit Concilio Florentino Tract. de Euch. Sacramento sic ait: *Nostri verò* (id est, Græci) *ut multa alia, quæ primum apud nos ortum habuerunt propter calamitates temporum perdidere, ita etiam horum rituum* (agit de verbis quibus Latini conficiunt Eucharistiam) *sunt obliti, quod manifestum fiet, si quis ad Chrismatis Sacramentum mentem converterit.*

Ut constat ex secunda Synodo OEcumenica:

Etenim 2. OEcumenica Synodus verba, quæ sacrum Chrisma perficiunt (id est, cum chrismate seu unctione ejus perficiunt Sacramentum) *tradens in 7. Canone ita inquit*: Signantes, *hoc est, sanctißimo chrismate eos chrismantes,* dicimus: Signaculum doni Spiritûs sancti. *Et hæc verba secundùm eos, hoc Chrismatis Sacramentum perficiunt. Hoc idem in cæteris diligens investigator inveniet.* Hactenùs Bessarion, quo certè nullus meliùs callere poterat ea, quæ fiebant in Ecclesia orientali circa Sacramentorum administrationem.

121. Nec refert quòd antiqui Patres non semper expresserint formam integram; Innoc. I.

Respondent aliqui Primò; antiquos Patres non semper integram formam expressisse, ut disertis verbis docet Innoc. I. Epist. 1. ad Decentium cap. 3. in fine. *Verba verò* (Sacramenti Confirmationis) *dicere non possum, ne magìs prodere videar, quàm ad consultationem respondere.*

Hæc tamen solutio, inquit Pontius supra parte 2. c. 7. n. 7. ridicula est; quamvis enim veteres Patres silerent ea, quæ ad sacra mysteria fidei pertinent, cùm vel ad populum loquebantur, & concionabantur propter Gentiles & Catechumenos, qui interesse permittebantur; vel quando ad rei propositæ explicationem necessarium non erat, ut in Epist. Innoc. qui solùm interrogatus fuerat de ministro Sacramenti, solusne esset Episcopus, an etiam Presbyter; id tamen nulla ratione dici potest, quando ex professo traditur ejus materia & forma, prout fiebat in prædicto Concilio, decernente hæreticos reconciliandos fore per Sacramentum Confirmationis, quod ipsi negabant, & omittebant. Oportuit ergo distinctè ponere, quæ ad legitimè ministrandam Confirmationem judicabantur necessaria. Et sanè cur potiùs tacuisset verba aliqua formæ, quàm partes inungendas, quas tamen omnes enumerat? Hinc

Hoc enim faciebant in concionibus.

Respondent Secundò; Canones illos non esse approbatos ab Ecclesia, ut patet ex Greg. lib. 6. Epist. 31. ibi: *Canones Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, neque accipimus* &c. 122.

122. Aliqui replicant prædictos Canones non esse approbatos. Greg. Papa.

Ad replicam respondetur.

Sed contra; quod isto canone 7. statutum est; antea erat ordinatum in Concil. Laod. c. 7. Arelat. I. can. 8. & Arelat. II. can. 17. & ab Eusebio Papa Epist. 3. circa finem; & postea idem statuit Leo I. Epistolâ 35. Basilius in Epistola canonica ad Amphilochium; & meminit ejusdem consuetudinis apud Græcos receptæ Greg. lib. 9. Epist. 61. Ita Pontius supra n. 8.

Forma Græcorum habetur in antiquissimis libris;

Lego receptionem hæreticorum per Sacramentum Confirmationis; sed ubi forma: *Signaculum doni Spiritûs sancti*? Nullibi eam reperio, præterquam in antiquissimis libris, & Euchologijs ante multos annos conscriptis, quando nondùm exortum erat schisma Ecclesiæ orientalis; & hodie continetur in Euchologio recuso sub Urban. VIII. postquam examinatum fuit à nova congregatione Cardinalium ad hunc finem erectâ.

123. Et Canones Concilij Constantinop. sunt à VI. Synodo approbati,

Cæterùm Canones Concilij Constantinopolitani approbavit sexta Synodus, ut refertur c. 7. dist. 16. ibi: *Confirmamus & cæteros sanctorum Canones & Synodos id est Nicænam* &c. *Constantinopolitanam* &c.

Et cap. sequenti eâdem dist. ex Diurno libro hæc transcribitur professio Romani Pontificis. *Sancta octo universalia Concilia, id est, primum Nicænum, secundum Constantinopolitanum* &c. *usque ad unum apicem inviolata servare & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & statuerunt modis omnibus sequi, & prædicare; quæq; condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteor.*

Et à Leone IV.

Adde Leonem IV. in Epistola ad Episcopos Britaniæ, & refertur dist. 20. c. 1. *Quibus*, inquit, *in omnibus Ecclesiasticis utimur iudicijs, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum* &c. *Constantinopolitanorum* &c. *Isti omnino sunt, & per quos iudicant Episcopi, & per quos Episcopi simul iudicantur, & Clerici.*

Gregorius intelligendus est de Canone quinto.

Quod ergo dixit Gregorius intelligendum est de can. 5. in quo statuitur, Sedem Constantinopolitanam esse secundam post Romanam, & cæteris præferendam: quem Canonem non recepit Ecclesia, ut constat ex Epistola Leonis I. ad Anatholium; ex duabus Epistolis Leonis VIII. vulgò IX. adversùs Michaëlem; & ex Epistola Nicol. I. *Proposueramus*, ad Mich. Imperatorem. Baronius tom. 4. ad annum 393. num. 14. existimat, & non sine fundamento, eum canonem

Leo I. Leo VIII. Nicol. I. Baronius.

canonem adscititium, & insertum Canonibus hujus Synodi.

Ut ut sit de isto Canone, ex reprobatione unius, malè infertur reprobatio omnium. Et ut essent omnes reprobati, pro valore illius formæ sufficere deberet, quòd, ut mox dixi, relicta sit in Euchologio Græcorum de novo jussu Urbani VIII. reviso, & reimpresso.

124. Ostenditur forma Græcorum æquivalere cum ordinaria Latinorum.

Et hæc quidem pro veritate formæ Græcorum, quæ cùm in substantia nequeat discrepare à forma ordinaria seu Latinorum, ostendo illas æquivalere. Utraque quippe exprimit actum, qui per ipsum ministrum exercetur, cum sanctæ Trinitatis invocatione, vel per nomina *Patris, Filij*, & *Spiritûs sancti*, ut in forma ordinaria, vel per ly *Spiritûs sancti*, ut in forma Græcorum, in quo implicitè continetur tota Trinitas, ut videre poteris disp. præcedenti Sect. 2. Conclus. 4.

At inquies; quomodo in forma Græcorum exprimitur actus, qui per ministrum exercetur, sive actio ministri & suscipiens, cùm sit oratio imperfecta, sive non significativa defectu verbi.

In qua secundùm proprietatem sermonum apud Græcos exprimitur actio ministri & ipse suscipiens.

Respondeo, secundùm proprietatem Græci sermonis, præsertim in propositionibus practicis, subintelligi debere ly *Est*, aut ly *Donatur*, vel, *Do tibi*, ut sensus sit: *Hoc quod tibi do est signaculum doni Spiritûs sancti*. Vel breviùs: *Est signaculum doni Spiritûs sancti*; seu quod in idem redit: *Do tibi signaculum* &c. Sicuti synonima sunt: *Hic est liber tuus*, prolatum ab eo, qui habet potestatem dandi, &, *Do tibi hunc librum*.

Et verò implicat signaculum, & donum, ubi non est signans, & qui signatur, donans, & cui donatur. Ergo in his duobus verbis, *Signaculum doni*, implicitè continetur minister, ejus actio, & suscipiens; addo effectum, robur nempe ad fortiter confitendam fidem, quod est speciale donum Spiritûs sancti.

Implicitè in verbo *Signaculum doni*.

125. Qui modus loquendi nequidem est apud Latinos inusitatus.

Porrò hunc modum loquendi non esse inusitatum, etiam apud Latinos, patet ex his locutionibus: *Lumen Christi*; *Gloria in excelsis Deo*; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; *Benedictio, claritas & sapientia, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, amen*. Et pluribus alijs, in quibus subintelligitur ly *Est* aut simile verbum.

Luc. 22.

Unde Luc. 22. v. 20. ubi Latinus interpres vertit: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*. In Græco legitur: *Hic calix novum testamentum* omisso ly *Est*. Similiter ubi Exod. 24. n. 8. legitur: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit nobiscum Dominus* &c. Apostolus ad Hebræos 9. v. 20. retulit sine verbo substantivo: *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*.

Exod. 24. *Hebr.* 9.

Et reperitur in forma consecrationis Calicis. *Bas. Pont.*

Si ergo Lucas formam consecrationis Calicis sine verbo protulit, & illa valida est, inquit Bas. Pontius parte 2. c. 7. §. *Similis modus loquendi* in fine, quid miramur si valeat hæc forma Confirmationis: *Signaculum doni Spiritûs sancti*? Per quam Patres Concilij Constantinopolitani unà cum opere, quod faciebant, id est, chrismatione, sive unctione externi Chrismatis, significare volebant, & actu significabant totum, quod solis verbis magìs expressè & explicitè significat Ecclesia latina dicendo: *Signo te signô crucis, & confirmo te Chrismate salutis* &c. Enimverò si quis dicat pauperi porrigendo manum: *En nummum*, eo ipso intelligitur eum dare.

126.

Et confirmatur ex forma quam refert Constantinus Magnus.

Confirmantur jam dicta ex alia forma, quâ legitur usus S. Sylvester in Confirmatione Constantini Magni, quam ipse Imperator in edicto suo (quod habetur tom. 1. Concil. post Concil. Roman. II. sub Sylvestro) refert his verbis: *Levatóq; me de venerabili fonte, indutô vestibus candidis, septiformis gratiæ sancti Spiritûs consignationem adhibuit beati Chrismatis unctione, & vexillum sanctæ Crucis in mea fronte linivit dicens: Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, in consignatione fidei*.

Dicere quòd Imperator referat dimidiatam formam est effugere difficultatem.

Dicam autem cum aliquibus Imperatorem in suo edicto non retulisse distinctè omnia, quæ in ejus Confirmatione gesta sunt, adeoque partem formæ omisisse? Certè hæc potiùs fuga est, ubi non est fugiendum, quàm apparens solutio, cùm minutissima quæque alia recenseat, quæ in, & ante Baptismum fieri solent, ut exorcismum, catechismum, benedictionem fontis, trinam mersionem, vestem candidam, & similia. Porrò licèt hoc edictum in his, quæ habet de primatu Romanæ Sedis, & Patriarchali dignitate Constantinopolitana, à Græcis videatur corruptum: at in alijs communi calculo censetur legitimum & incorruptum.

127. Qualiter dicta forma sit intelligenda, colligitur ex dictis.

Cæterùm quomodo intelligenda sit hæc forma: *Signet te Deus* &c. quæ apparet esse deprecatoria facilè colliges ex dictis disp. præced. sect. 2. conclus. 2. de simili forma Baptismi: *Baptizet te Christus*. Nonne desiderium efficax exprimi potest tum indicando, tum imperando, tum optando?

Et eadem verba (ut rectè advertit Pontius supra §. *Quod satis declarat*) in diversis circumstantijs prolata, diversa significant, v. g. si sint in hoc cumulo libri diversorum dominorum, Petro cupienti scire, quinam

quinam sint sui, dicam ego; *Iste liber est tuus*, non indico, me illi donare librum: at si omnes illi essent mei, eisdem planè verbis significo me illi donare librum. Item si quis à Rege potestatem haberet, vel supplicio afficiendi; vel liberos dimittendi reos: si alicui diceret, *Princeps remittit tibi supplicium*, apud eos, qui eam potestatem noverunt, idem est ac si diceret: *Ego nomine Principis remitto tibi supplicium.*

Cùm ergo certum sit, suppositâ institutione Christi, ministros habere potestatem à Deo conferendi gratiam per Sacramenta, idem est dicere; *Consignet te Deus*, ac dicere; *Ego te consigno potestate acceptâ in nomine Patris* &c. Vel: *Deus te consignet per me eius ministrum.* Vel, *per sigillum, quod tibi imprimo in nomine Patris* &c. Hactenùs Pontius.

Et quis scit quare dixerit D. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 26. *Neque enim aliquis discipulorum eius* (Christi) *dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant* (principaliter, bene ministerialiter) *Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia?*

S. August.

Unde Act. 8. v. 15. Petrus, & Joannes *cùm venissent* Samariam *oraverunt pro ipsis* (Samaritanis) *ut acciperent Spiritum sanctum.* Quod licèt plerique explicent de oratione dispositiva ad debitam Sacramenti susceptionem, haud equidem perspicio, quin posset intelligi de modo quo Apostoli ministrabant hoc Sacramentum vel in re, vel æquivalenter & dispensativè.

Actor. 8.

Neque ab hoc modo abhorret D. Ambros. lib. 3 de Sacramentis c. 2. ubi in principio sic ait: *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem* (quam aliquis interpretari posset, deprecatoriam) *Sacerdotis, Spiritus sanctus infunditur, Spiritus Sapientiæ & intellectûs* &c.

S. Ambros.

Ex dictis colligitur quæ verba sint essentialia:

128. Quæ cùm ita sint, quis quæso vel mediocriter rem introspiciens non facillimè possit discernere, & digito quasi demonstrare, quænam verba ex illis, quibus constat forma ordinaria hujus Sacramenti, sint essentialia, & quæ non?

Non verbum indicativi modi.

Atque imprimis verbum indicativi modi non esse necessarium necessitate Sacramenti, omnes pariter admittunt. Idem dicere debent de ly *Signô crucis*, & ly *Chrismate salutis*, quicumque docent valere formam Græcorum.

Neque ly Signô crucis & Chrismate salutis.

Quamquam existimem illa verba concurrere ad effectum Sacramenti, quando explicitè ponuntur, antequam verba essentialia sunt prolata; cùm in ipsis implicitè contineantur, puta in verbo, *Signo*, aut *Confirmo*, modificato per actum exercitum.

Certè ignoro quare necessitate Sacramenti magìs in forma Confirmationis deberet exprimi materia remota per ly *Chrismate salutis*, quàm in forma Baptismatis, aut Extremæ Unctionis, dicendo: *Ego te baptizo in aqua*, Vel: *Per istam sanctam unctionem olei.*

Cùm potius tantùm importet materiam remotam.

Respondent Adversarij; quia ly *Baptizo*, per se satìs significat ablutionem aquæ, & similiter ly *Unctio*, unctionem olei: quia ablutio communiter fit in aqua, & unctio in simplici oleo: qui autem dicit: *Confirmo te*, non significat ex vi verborum quòd Chrismate confirmet. 129.

Quæ non necessario exprimitur in Baptismo.

Contra: etsi communiter ablutio fiat in aqua & unctio in simplici oleo, attamen si fieret ablutio in vino, & unctio in alio unguento, adhuc verè diceretur: *Ego te baptizo*, & : *Per istam sanctam unctionem*; ergo præcisè ex vi verborum non significatur determinatè aqua & oleum.

Non tango validam esse hanc formam Sacramenti Extremæ Unctionis (de qua suo loco) *Pater sancte, medice animarum & corporum sana hunc servum tuum à morbo corporis & animæ, quo detinetur.* Ubi nulla mentio unctionis vel olei.

Quid clariùs quàm materiam Sacramenti Ordinis Sacerdotalis neutiquam exprimi in ejus forma? Materia secundùm Florent. in decreto Eugenij est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum pane: Forma autem: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Num Sacrificium ex vi verbi magìs significat panem & vinum, quàm aliam quamlibet materiam, quæ eodem modo posset offerri, si Christo ita placuisset?

Nec in Sacramento Ordinis per ipsam scilicet formam.

Sed quid sentiendum de geminato verbo *Signo*, &, *Confirmo*? Judico alterum sufficere cum Pontio supra c. ultimo n. 7. & alijs ab ipso citatis, si vera est ultima pars Conclusionis (de qua statim) quippe in forma Græcorum non ponitur ly *Confirmo*, & in forma, quæ traditur ab antiquo ordinario Romano tacetur ly *Signo*. Quamvis enim à parte rei non sint synonima, in præsenti tamen pro eodem sumuntur & solùm differunt, quòd unum magìs explicitè significet robur, quod per Crucem accipitur ad eam non erubescendam, quàm aliud. 130.

Sufficit verbum Signo vel Confirmo.

Restat explicita invocatio SS. Trinitatis per nomina *Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*: & hanc quoque non esse essentialem manifestè 131.

Neque necessaria explicita SS. Trinitatis invocatio.

festè probat forma Græcorum. Dicere namque unam & eamdem invocationem explicitam SS. Trinitatis fuisse apud Græcos finem formæ Baptismatis, & initium formæ Confirmationis hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti Signaculum doni Spiritûs Sancti*, quam habet apparentiam veri?

Etenim Synodus Constantinopolitana (de qua supra) can. 7. ubi traditur illa forma: *Signaculum doni Spiritûs sancti*, Arianos & alios hæreticos, quos ibi enumerat, transire volentes ad veram Catholicam Ecclesiam, recipit per solum Sacramentum Confirmationis.

Et quid erat opus exprimere Spiritum sanctum in fine formæ, si in principio erat expressus cum Patre & Filio?

Esto in baptismo requiratur;

Nec obstat quòd in Baptismo requiratur; siquidem id concorditer omnes docent, & Florentinum distinguens inter verba essentialia, & non essentialia, in utraque forma tam Græca, quàm Latina, illa exprimit.

Et quamquam eadem reponat in forma Confirmationis, non tamen ut certò essentialia, cùm inter essentialia, & non essentialia ibi non discernat: & aliunde constet sine illis Sacramentum hoc administrari in Ecclesia Græca.

Accedit, quòd idem Concilium eadem verba præscribat in forma Sacramenti Ordinationis, quo tamen non obstante omnes docent Ordinem absque illis valere.

Quia in uno est magis congruum exprimere quàm in alio;

De cætero magis congruum fuit in uno exprimere, quàm in alio; quia in Baptismo fit prima & expressa professio externa fidei, quæ pro primario objecto habet Deum unum, & trinum, utpotè qui sit radix & fundamentum omnium aliorum mysteriorum fidei: Confirmatio autem robur tribuit ad universam fidem publicè, cùm opus fuerit, propugnandam, quod appropriatur Spiritui sancto, qui propterea dicitur specialiter dari per hoc Sacramentum; ideoque satis erat, si ejus mentio fieret, in quo tamen implicitè tota Trinitas intelligitur, ut alibi explicavimus.

Ex quibus colligitur hæc verba sufficere Confirmo te.

132\. Habes lector verba non essentialia, vide quæ remaneant, & nobiscum interroga; Quidni hæc forma valeat: *Confirmo te*?

Respondet aliquis; quia non exprimitur causa principalis effectûs, saltem per ly *Spiritus sanctus*, prout fit in forma Græcorum; quin & in antiquo Ordine Romano, in quo maximè fundatur ultima pars Conclusionis, sive valor illius formæ, expressè invocatur Sancta Trinitas per nomina *Patris, & Filij, & Spiritûs sancti*.

Sic quippe legitur in illo libro, qui antiquissimus est, & refert omnes ceremonias & ritus servandos in officijs Ecclesiasticis, & administratione Sacramentorum (habetur tomo 8. Biblior. Patrum in fine) sic, inquam, scriptum reperitur Tit. *Item ordo de Sabbatho sancto in die*: in oratione, quæ sequitur depositionem cerei benedicti in fontem. *Oratione expletâ interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate faciat Crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.*

Pontius supra n. 7. legit: *Confirmo te* &c. verùm ly *Te*, vel omissum est errore typographico in volumine quod ego inspexi, vel ipse de suo addidit: saltem Trinitas expressè invocatur. Quocirca non videtur improbabile hoc Sacramentum essentialiter exigere in sua forma expressionem causæ principalis vel per ly *Spiritus sanctus*, ut in forma Græcorum, vel per ly *Deus*, ut in forma Silvestrina, vel certè per nomina *Patris & Filij, & Spiritûs sancti*, ut in forma ordinaria. *Pontius.*

Neque videtur necessarium in forma exprimere causæ principalis effectus.

Equidem nec hoc aliquibus probatur necessarium, cùm in alijs Sacramentis id non requiratur, ut patet in Matrimonio, imò & in Sacramento Pœnitentiæ, ubi sufficit secundùm omnes: *Ego te absolvo à peccatis tuis*. Quare ergo similiter non sufficeret in hoc Sacramento: *Signo*, aut, *confirmo te*? Quippe etiam in omni Ecclesia invocatur Trinitas in forma absolutionis. 133.

Licèt communiter sic sentiant DD.

Solùm obstare videtur communis sensus DD. at sicut ille fallit in explicita invocatione SS. Trinitatis per nomina *Patris & Filij, & Spiritûs sancti*, ita etiam non est infallibilis in expressione causæ principalis. Quid ergo? Non video quo argumento efficaciter possit evinci invaliditas hujus formæ: *Confirmo te*.

Imò qui diceret hanc vocem Confirmo sufficere.

Quid si dicam, valere hanc solam Vocem: *Confirmo*? Sanè liber iste, qui inscribitur Ordo Romanus, vel nihil probat, utpotè apocryphus & mutilus, ut aliqui respondent; utique non consonans usui Romanæ Ecclesiæ, & communi sensui DD. vel si authenticus & integer (ut probabiliùs est) secundùm usum illius temporis, clarè demonstrat ly *Confirmo* sufficere. 134.

Non convincentur.

Elige quod placet; sed utere semper formâ ordinariâ, ne notabiliter eam immutando, graviter pecces contra receptam consuetudinem Ecclesiæ, in qua Sacramentum administras.

Hîc finis esset primæ sectionis, nisi curiosus quispiam Theologus à me quæreret; num etiam Apostoli in primitiva Ecclesia usi

usi fuerint materiâ & formâ jam explicatis, an verò nudâ manuum impositione? Cui curiositati volens satisfacere, nolens tamen haberi aut videri curiosus, coronidis loco sit hæc

CONCLUSIO VII.

Nec ratio nec auctoritas convincit Apostolos aliquando confirmasse per nudam manuum impositionem.

135. Apostolos confirmasse per solam manuum impositionem non ostenditur Quæ enim esset ista ratio? An fortasse paupertas Apostolorum, quæ prohibuit emptionem balsami, utpotè, quia rarum, carum? Sed hæc ratio nullius est considerationis. Nam, præterquam quòd Christus in ultima cœna consecraverit Chrisma, & Apostolis modum conficiendi illud ex oleo & balsamo tradiderit, ut supra diximus ex Fabiano Epistolâ 2.

Ex paupertate Apostolica, Act. 4. Certum est ex Act. 4. cap. primos Christianos omnes suas facultates vendidisse, & posuisse ante pedes Apostolorum. Quid enim dicit Scriptura v. 34.? *Neque enim, quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Sequitur: *Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.*

Dividebatur, inquam, sed à quibus? Indubiè ab Apostolis. Et existimabimus eos tam parùm sollicitos fuisse, aut facultates fidelium tam tenues, ut non ante omnia ex illis sibi providerent de necessarijs ad Sacramentorum administrationem, v. g. modicâ quantitate balsami? Nefas sit hoc cogitare, supposito quòd chrisma pro illo tempore fuerit materia necessaria.

S. Hiero. Accedit abundantia balsami in Palæstina, quam testatam reliquit D. Hier. ad c. 27. Ezech. his verbis: *Dicitur autem quibus terra Iudea, quæ nunc appellatur Palæstina, abundet copijs, frumento, balsamo &c.* Et Greg. Magnus in c. 1. Cant. in Vineis Engaddi dicit balsamum extitisse. *In Engaddi*, inquit, *gignitur balsamum* &c. Unde ergo tanta caritas in terra, ubi nascebatur? Et quæ tanta paupertas Apostolorum, aut ex quo tam modicæ illis pecuniæ, ut non sufficerent modicæ quantitati balsami in ipsa Palæstina? Greg. Magnus.

136. Neque ex illorum dignitate. Nec majoris ponderis est secunda ratio: Conveniebat, inquiunt, dignitati Apostolorum, ut faciliori & excellentiori modo conferrent Spiritum sanctum: præsertim cùm esset ingens multitudo eorum, qui convertebantur.

Sed numquid etiam congruum erat ut faciliori & excellentiori modo conferrent remissionem peccatorum? Quis propterea docet Apostolos vel baptizasse, vel absolvisse absque materia & forma à Christo determinatis? Et siquidem aliquando batizaverint ex privilegio in nomine solius Christi, nisi Scripturâ expresse attestante, nemo id assereret: quin & Scripturam, alioquin satis claram, multi ita interpretantur, ut doceant Apostolos semper baptizasse in aqua cum explicita invocatione SS. Trinitatis, cùm tamen non esset minor multitudo baptizandorum, quàm confirmandorum. Ne inde inferatur quòd absolverint, Quòd baptizarint,

De Ordinatione autem quid? Non legitur Apostolos umquam ordinasse sine signo sensibili reali & vocali, non quidem traditione libri Euangeliorum, utpote qui nondùm conscriptus erat, sed aliâ ceremoniâ ab Ecclesia pro tunc determinatâ ad significandam potestatem, quæ per Ordinem hunc vel illum conferebatur. Quo ergo fundamento conceditur Apostolis privilegium Confirmationis extraordinariæ sine materia & forma, jam tunc à Christo determinatis? Quòd ordinarint sine materia & forma à Christo determinata. Quare ergo confirmarint sine forma & materia?

Dices, & est primum argumentum ab auctoritate, quia in Script. Act. 8. & 19. ubi legitur Apostolos dedisse Spiritum sanctum per manûs impositionem, nulla fit mentio chrismationis, aut formæ verbalis. 137.

Innoc. III. Accedat auctoritas Innoc. III. c. unico de sacra unctione §. finali, ubi dicit: *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur.* Eugenij quoque in Concilio Florent. ubi in decreto suo de hoc Sacramento, postquam adduxisset locum ex c. 8. Act. in quo Apostoli per manûs impositionem dederunt Spiritum sanctum, statim subjungit: *Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Ergo (inquit Pontius parte 2. c. 6. n. 9.) illa manuum impositio, quâ Apostoli utebantur, non fuit chrismatio, neque Confirmatio. Quia Scriptura illarum non meminit. Floren. Pontius.

Respondeo; hoc argumentum ab auctoritate solius Scripturæ, fatetur ille Auctor nullius esse momenti; tum quia ab auctoritate negativa; tum quia S. Lucas nomine *Impositionis manuum* potuit ibi intellexisse ipsam unctionem; quippe hâc voce Sacramentum Confirmationis, quod hodie Ecclesia administrat, sæpe ab antiquis Patribus & Concilijs significatum fuit, ut patet ex dictis, & patebit ex infra dicendis: ac alioquin Sed est argumentum nullius momenti utpote ab auctoritate negativa

alioquin nequit confirmans frontem alterius tangere aut ungere, quin manus moraliter loquendo aliquo modo imponat supra confirmatum.

138. Quæris, quare ergo Scriptura non expressè meminerit Unctionis & formæ, sicuti meminit materiæ & formæ Baptismi, Eucharistiæ & Pœnitentiæ?

Maximè cùm potuerit esse ratio subticendi. S. August.

Respondeo citò: Quis Consiliarius Dei fuit? *Consilium Dei velle nosse*, inquit D. Aug. lib. 2. oper. imperf. c. 142. *multorum est: nosse autem vel paucissimorum hominum, vel omnino nullorum.* Fortassis ne omnia mysteria fidei nostræ, maximè non necessaria ad salutem, infidelibus proderentur, ac risui exponerentur: tum etiam quia voluit Deus exercere humilitatem & fidem nostram, per quam Ecclesiæ nos submitteremus.

Exercitium videlicet humilitatis & fidei nostræ. Idem.

Eleganter D. Aug. lib. 1. de Consensu Euang. cap. ultimo: *Quidquid enim ille* (Christus) *de suis factis & dictis nos legere voluit* (adde de factis & dictis Apostolorum) *hoc scribendum illis* (Apostolis & Euangelistis) *tamquam suis manibus imperavit.* Alia non legi in divinis litteris, sed ab Ecclesia accipi voluit: quæ tamen etiam suo modo in sacra Scriptura continentur; non quidem in particulari, sed in universali, quatenùs Euangelium nos monet, ut in rebus dubijs Ecclesiam consulamus, ac audiamus.

139. Supersedeo Scripturæ valdè familiare esse, res multas conjungi solitas per compendium perstringere. Sic Act. 8. & 19. dicit Lucas Apostolos baptizasse in nomine Christi, relinquens nobis, secundùm multorum sententiam, alias personas subintelligendas.

Vel multas res per compendium perstringendi.

Idem.

Similiter Act. 8. *Spado ille* (D. Augustinum auditis lib. de fide & operibus c. 9.) *quem Philippus baptizavit, nihil plus dixit quàm,* Credo filium Dei esse Jesum Christum, *& in hac professione continuò baptizatus est. Num ergo placet ut hoc solùm homines respondeant, & continuò baptizentur: nihil de Spiritu sancto, nihil de sancta Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum; postremò de ipso Iesu Christo nihil, nisi quia Filius Dei est, non de incarnatione eius ex Virgine, de passione &c. aliquid dicendum est catechizanti, ac profitendum credenti?*

Ut alibi facit.

Sed quid ad hæc Aug. *Si*, inquit, *Scriptura tacuit, atque intelligenda admisit cætera; quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo quod ait:* Baptizavit eum Philippus, *intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt taceantur in Scripturis gratiâ brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda: pari modo etiam in eo quod scriptum est, euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresq; pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum.*

Teste S. Augustino.

Quidni igitur sub manuum impositione, quam solam brevitatis gratiâ Lucas expressit, intelligamus cætera, unctionem scilicet Chrismatis, & certam verborum formam; adeòque Sacramentum Confirmationis, quod hodiè in Ecclesia ministratur, & in ultima cœna præsentibus Apostolis à Christo fuerat institutum?

Quidni ergo sub manuum impositione reliqua comprehendat?

Respondes obstare auctoritatem Ecclesiæ superiùs adductam; sic quippe Confirmatio non esset distincta ab illa manuum impositione, contrarium asserentibus Innoc. III. & Eug. IV. Atque hoc argumentum efficacissimum est, inquit Pontius supra n. 10. Intellige negativè, quia nullum efficacius; sed neque hoc ipsum efficax esse ostendo hâc solutione.

Obstat, inquies, Ecclesiæ auctoritas superiùs adducta.

Suppono Pontifices præmemoratos nihil definire circa præsentem controversiam, 140.
sed tantùm obiter ea dicere ad rem explicandam. Et quam quæso rem? Ceremoniam arbitror seu signum sensibile, quo confertur in Ecclesia Christi Spiritus sanctus ad augumentum & robur.

Hoc obstaculum solvit auctor.

Et quidem unctionem Chrismatis, omnibus manifestam, Pontifices non poterant ignorare; manuum autem impositionem de qua loquitur Scriptura Act. 8. & 19. & quâ fuerant Apostoli usi ad conferendum Spiritum sanctum; cùm multiplex esse possit, neque Euangelista Lucas exprimat, quæ aut qualis fuerit, ne fortè aliquis existimaret ritum distinctum à moderno Sacramento Confirmationis, *Per frontis* (inquit Innoc.) *chrismationem manûs impositio designatur*; hoc est, frontis chrismatio est illa ceremonia, quam Spiritus Sanctus per Euangelistam voluit nobis significare per *Manuum impositionem.*

Unde continuò Subdit: *Quæ alio nomine dicitur Confirmatio*; quasi diceret: Illa frontis chrismatio, quæ in Actibus Apostolorum Appellatur manuum impositio, nunc communi vocabulo dicitur Confirmatio, ab effectu scilicet, *Quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur*, ut ibidem Pontifex loquitur.

An hæc ridicula solutio, ut eam appellat 141.
Pontius supra? Sed quare? quia inter signans (inquit) & signatum diversitas intercedat necesse est; frontis chrismatio designat manûs impositionem: ergo non est manûs impositio. Neque Innoc. intelligi potest loqui de nominibus tantùm, quia unum nomen istorum non significat aliud nomen: loquitur ergo de rebus ipsis.

Quæ solutio non est ridicula dicenda.

Quis

Ut fusius prosequitur auctor. Quis dubitat? sed non de rebus tantùm, quin potiùs de nominibus ut rerum significativis: non eo sensu, quem falsò sibi imaginatur Pontius, quasi ly *Frontis chrismatio*, significaret vocem, *Manûs impositio*, aut, *Confirmatio*; sed hoc intellectu, quòd vox *Frontis chrismatio* eamdem significet rem, quam olim significabat ly *Manûs impositio*, & nunc repræsentat ly *Confirmatio*. Ex quo patet diversitas inter signum & significatum, quam Pontius, insulsè ridendo, ipse magis dignus risu, non satis animadvertit.

142. Ostendendo frontis Chrismationem rectè repræsentare manûs impositionem. Quamvis nec ipsæ res illis nominibus significatæ planè eædem sint; quippe *Manûs impositio* in principio Ecclesiæ significabat unctionem Chrismatis cum visibili descensu Spiritûs sancti per donum prophetiæ & linguarum; nunc autem *frontis chrismatio*, aut, *Confirmatio* solùm repræsentat unctionem Chrismatis cum certa verborum forma, & effectu invisibili Spiritûs sancti per gratiam internam justificantem.

Quæ diversitas, partim nominis, partim rei significatæ; abundè sufficit, ut *Frontis chrismatio* rectè dicatur designare, seu repræsentare *Manûs impositionem*: sicuti Episcopatus designat seu repræsentat Apostolatum, quamvis Apostolatus fuerit verus Episcopatus, cum aliqua tamen speciali prærogativa universalitatis jurisdictionis.

Et sicuti Episcopi à Florentino supra dicuntur tenere vicem Apostolorum, licèt Apostoli fuerint veri Episcopi, ita sine omni improprietate verborum affirmare potuit Eugenius: *Locò manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio*; veluti si diceret: *Loco Apostolorum dantur in Ecclesia Episcopi*, nemo dubitaret, quin hæc locutio esset propria & vera, & tamen quis indè legitimè inferret; Ergo Apostoli non fuerunt veri Episcopi? Ergo similiter ex hoc antecedente: *Loco manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio*, inconsequenter deducitur. *Ergo manûs impositio non fuit verum Sacramentum Confirmationis.*

143. Transeat, inquis, saltem valet hæc consequentia: Per frontis chrismationem manûs impositio designatur, ergo manûs impositio non fuit verum Sacramentum Confirmationis. Antecedens probatur ex Innoc.

Innoc. IV. IV. in Epist. ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cypri, ibi: *Soli Episcopi consignent Chrismate &c. quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manûs impositionem (quam Confirmatio, & frontis chrismatio repræsentat) Spiritum sanctum tribuisse leguntur.* Ergo Confirmatio repræsentat manûs impositionem, non vox vocem, sed res rem, quia videlicet illa fuit symbolum Confirmationis habens similem effectum & finem. Ita quidam Auctor.

Sed dicere debuisset; habens omnem effectum Confirmationis, & eumdem finem, & aliquid ampliùs: ratione cujus amplitudinis (ut sic loquar) optimè dicitur non vox dumtaxat vocem, sed & res rem repræsentare, & manuum impositionem fuisse symbolum Confirmationis, eodem modo sicuti loquimur de Episcopo & Apostolo, Episcopatu & Apostolatu. Non quòd vox vocem, sed res rem repræsentet.

Ex quo etiam patet responsio ad simile argumentum ejusdem Auctoris, fundatum in verbis Florentini. Non dicit (inquit) vocatur Confirmatio, sed datur. Adeòque non solùm nomen nomini, sed res rei successit, tamquam aliquod aliud symbolum externum. Fateor, sed non aliud omnimodâ alietate (ut sic loquar) verùm partiali tantùm diversitate effectûs.

Pergit Auctor: Deinde vult quòd in Ecclesia detur Confirmatio, non solùm hoc ævo, sed etiam ævis superioribus post tempora Apostolorum, quorum factum opponit facto Ecclesiæ; adeòque etiam verum est, quòd tempore D. Aug. v. g. loco illius manûs impositionis dabatur in Ecclesia Confirmatio; atqui tunc non successerat nomen nomini (cùm, ut nunc frequenter, tunc ordinariè adhuc vocaretur manûs impositio) ergo sensus est quòd successerit res rei. 144.

Transeat totum. Ergo aliquando Apostoli sine Chrismate per solam manûs impositionem contulerunt effectum hujus Sacramenti: Nego consequentiam; quippe nunc probavimus ad illam successionem sufficere diversitatem effectûs. Quam, & non aliam, agnovit D. Aug. lib. 3. de Baptismo c. 16. ubi Sacramentum Confirmationis appellat manuum impositionem dicens: *Spiritus autem sanctus, quia in sola Catholica per manûs impositionem dari dicitur* &c. Ex quo non sequitur quòd per solâ manuum impositionem contulerint effectum hujus Sacramenti. S. August.

Et infra assignans distinctionem inter modernam manuum impositionem, & illam, quæ viguit tempore Apostolorum inquit: *Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manûs impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut anteà dabatur* &c.

Ex quo sic arguo contra præfatum Auctorem: D. Aug. (& plures alij Patres, ut ipse fatetur) nominat Sacramentum, quod hodie in Ecclesia administratur cum unctione Chrismatis, manûs impositionem. Similiter Concilium Arelatense I. can. 8. ibi: *Et si perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu sancto* 145. Arelat. I.

sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum. Imò & nunc frequenter ita loquimur.

PP. & Concilia censuerunt eamdem esse rem, quæ significatur per *Confirmationem* & manûs impositionem.

Ergo censuerunt illi Patres & Concilia eamdem esse rem, quæ significatur nunc per *Confirmationem*, & tunc significabatur per *Manûs impositionem*, alioquin malè usi fuissent hâc voce ad significandum hodiernum Sacramentum, cùm verè illud non significaret; sed rem seu ritum omnino distinctum.

Respondet, parum curandum de vocabulo, quando sensus est in tuto. Contra, disputatur, quis sit sensus PP: ergo non est in tuto.

Respondet Secundò, & meliùs, nomen istud ejusdem esse effectûs significativum, & (ut infra dicam) fortè idem fuisse formale signum manûs impositio & frontis chrismatio, quamvis materialiter diversum. Sicut (inquit Pontius supra n. 18.) Baptismus appellatur Circumcisio à Paulo ad Coloss. 1. & ad Rom. 6. Credo voluisse dicere: ad Coloss. 2. & ad Rom. 15. nam ad Coloss. 1. & ad Rom. 6. nihil tale reperio.

146. Interim argumentor Secundò; juxta Pontium (quem sequitur ille Auctor) Apostoli non semper usi fuerunt nudâ manuum

S. Dionys. impositione, ut constat ex Dionysio Areopagita, qui vixit temporibus Apostolorum, & unguenti seu chrismatis meminit, ut supra vidimus: prout etiam ex Fabiano Epistolâ 2. ubi ait: *Ista* (usum videlicet chrismatis, & ejus quotannis renovationem) *à sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, vobisq; tenenda mandamus.* (Fabianus.)

Imò non scitur an Apostoli non priùs usi fuerint Chrismatione quàm nudâ manuum impositione.

Ergo res non successit rei; quoniam non succeditur propriè nisi præcedenti, simul autem fuerunt in Ecclesia Dei & nuda manuum impositio, & chrismatio. Et quis scit an Apostoli non priùs usi fuerint chrismatione, quàm nudâ manuum impositione? Nam quòd aliqui dicunt Scripturam non facere mentionem unctionis, ad hoc jam responsum est.

147. Si opponas: ergo Scriptura tacuit quod præcipuum erat, & illud tantùm expressit, quod ad collationem Spiritûs sancti nullo modo concurrebat, sed commoditatis gratiâ comitabatur, cùm suffecisset digito frontem tangere.

Imò nullibi revelatum Apostolos non unxisse frontem tactu pollicis. Mar. 7.

Respondeo; suffecisset planè. An fortè alicui revelatum fuit, Apostolos integras manus capitibus fidelium imposuisse; & non potiùs rogati ut manus imponerent, levi tactu pollicis frontem unxisse? Enimvero Christus Marc. 7. vers. 32. rogatus ut manum imponeret surdo, & muto: *Misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius* v. 33.

Non igitur tacuit Scriptura, quod præcipuum erat; sed expressit manuum impositionem, quæ tunc temporis, quando Lucas scripsit Acta Apostolorum erat in usu, quam non dubito fuisse unctionem frontis cum chrismate. Non enim verisimile est usque ad ea tempora, saltem non constat, tam diu mansisse donum linguarum, quô cessante docet Pontius & alij Apostolos confirmasse cum Chrismate.

Optima, inquis, responsio; ex qua tamen manifestè sequitur primum locum in Ecclesia obtinuisse nudam manuum impositionem; deinde successisse chrismationem frontis; juxta illud Innoc. III. supra: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum; cujus adventus per unctionis ministerium designatur.* 148.

Neque ex Innoc. III. colligitur primum locum in Ecclesia obtinuisse manûs impositio.

Respondeo Pontificem loqui de adventu Spiritûs sancti per internum augmentum gratiæ sanctificantis & robur auxiliorum actualium ad resistendum tentationibus fidei; nam donum prophetiæ & linguarum hodie fidelibus per hoc Sacramentum non conceditur: ergo etiam non significatur sive designatur, quippe Sacramentum est signum efficax.

Sanè visibilis descensus Spiritûs sancti super confirmatos, & donum linguarum non tam signum, quàm signatum fuerunt, hoc est, effectus Sacramenti; quem proinde bene dixit Pontifex designari per Unctionis ministerium, hoc est, Sacramentum Confirmationis, scilicet pro illo tempore, quô talis effectus mansit. Quis enim hodie ex visione unctionis chrismatis in fronte, vel leviter suspicare potest visibilem descensum Spiritûs sancti per donum prophetiæ & linguarum? Vel quis audeat dicere Unctionem istam ad hunc descensum perpetuò significandum à Christo esse institutam? Siquidem quod Sacramenta significant, id efficiunt, ut dictum est.

Pontifex ergo illis verbis non aliud intendit, quàm *Unctionis ministerium* designare, sive nobis repræsentare illum ritum, quô olim Apostoli significabant, & conferebant, non solùm invisibiliter, sed etiam visibiliter Spiritum sanctum, sive ille ritus fuerit idem, sive diversus, de quo ibi Innoc. non disputat.

Quin magis inclinari videtur in identitatem substantiæ, ubi dicit: *Hanc* (frontis chrismationem) *non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre.* Rationem subdit: *Quia de solis Apostolis legitur* (*quorum Vicarij sunt Episcopi*) *quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant.* 149.

Imò potiùs oppositum.

Sancti auctoritate Eugenij IV. Eisdem ferè verbis utitur Eugen. IV. in Concil. Florent. *Et cùm cæteras*, inquit, *unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere*, *hanc* (Confirmatoriam) *non nisi Episcopus debet conferre : quia de solis Apostolis legitur* (*quorum vicem tenent Episcopi*) *quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant.*

Sed quæ consequentia ; soli Apostoli per manûs impositionem dabant Spiritum sanctum ; ergo soli Episcopi debent conferre frontis chrismationem, si manûs impositio, & frontis chrismatio sint ritus à parte rei distincti ?

Respondent Adversarij, collectionem fieri ex identate finis, & effectûs, medij extraordinarij & ordinarij : quasi dicerent Pontifices : utraque actio ordinabatur ad eumdem effectum, scilicet ad robur Spiritûs sancti : quare si soli Apostoli eum conferebant per speciale privilegium sine Unctione, etiam soli Episcopi debent esse ministri Unctionis ordinariæ : sicuti, si Apostoli ex privilegio ordinassent Episcopos sine materia & forma ordinaria ; adhuc rectè inferretur, solos Episcopos esse ordinarios ministros Ordinationis ; quia soli Apostoli contulerunt Ordinationem, etsi per speciale privilegium contulissent sine ordinaria materia & forma. Ita præfatus Auctor, & Pontius supra c. 6. n. 16.

150. Quæ non bene explicatur de identitate finis & effectûs, medij extraordinarij & ordinarij. Inquiro ab illis : rectène sequitur; Christus concessit privilegium solis Apostolis baptizandi in nomine solius Christi ; ergo non nisi Episcopus potest baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti ? Item : Christus, ponamus, voluit Apostolos validè baptizare in aqua rosacea, aut remittere peccata sine prævia confessione; ergo solus Episcopus potest baptizare in aqua naturali, & absolvere à peccatis legitimè confessis ?

Profectò, secundùm probabilem multorum sententiam, Christus ipse per extraordinariam potestatem absolvit paraliticum à peccatis suis Matth. 9. v. 3 per hæc verba: *Remittuntur tibi peccata tua* ; ergo solus Pontifex, qui est Vicarius Christi, potest ministrare ordinarium Sacramentum Pœnitentiæ. Quis sic argumentatur ? (Matth. 9.)

Cùm sit dignius ministerium conferre gratiam medio extraordinario, quàm communi. Revera ipsa ratio naturalis videtur requirere majorem potestatem, sive ministrum altioris dignitatis ad conferendam gratiam medio extraordinario, quàm communi, sine Sacramento, quàm cum Sacramento. Quomodo ergo bene concluditur: soli Apostoli sine Sacramento (ut Pontio placet, quamvis alijs, & meritò, displiceat) aut certè per ritum extraordinarium & non communem contulerunt Spiritum sanctum; ergo soli Episcopi, qui sunt eorum Vicarij, possunt illum conferre medio Sacramento ordinario, ad hoc à Christo instituto ?

Si respondeant, non legitur ullum alium præter Apostolos dedisse Spiritum Sanctum. Interrogo, ubi legitur Apostolos dedisse Spiritum sanctum per manuum impositionem, nisi in Actibus Apostolorum? Unde constat alios discipulos non dedisse per chrismationem sine descensu visibili Spiritûs sancti? Scriptura, inquies, non meminit. Sed teste Pontio supra n. 7. argumentum à Scriptura negativè, non est efficax. Sacra namque Scriptura non est sola fidei regula, neque omnia litteraliter continentur in ea, quæ ad fidem spectant.

Taceo identitatem effectûs, quæ falsò allegatur ; licèt enim principalis effectus fuerit unus, secundarius tamen diversus sive alius, scilicet visibilis descensus Spiritûs sancti per donum prophetiæ, & linguarum. Porrò ex identitate partialis effectûs non rectè colligitur identitas ministri : quippe omnes passim in veteri lege erant ordinarij ministri Circumcisionis, cùm tamen solus Sacerdos sit minister ordinarius Baptismi. Adde omnium Sacramentorum principalem effectum esse gratiam sanctificantem, non tamen ideò omnium unus & idem minister. 151. (Ex identitate partialis effectûs non rectè colligitur identitas ministri.)

Vides quàm sit inefficax hæc consequentia : Manuum impositio & frontis chrismatio (signa materialiter secundùm Adversarios prorsus distincta) habent eumdem effectum principalem ; ergo eumdem ministrum ? Quin imò, etiam in nostra sententia, id est, suppositâ identitate signi materialis, non omnino convincitur unitas ministri; potuit enim Christus requirere majorem dignitatem in ministro Confirmationis per visibilem descensum Spiritûs sancti miraculosum ac extraordinarium, quàm in ministro Confirmationis per meram internam gratiam. (Imò nequidem ex identitate effectûs principalis.)

Imò sic factum videtur ; quoniam non legitur ullus Episcopus tempore Apostolorum ita confirmasse, quemadmodum leguntur Apostoli, qui omnes erant Episcopi universales (esto quasi extraordinarij, & delegati, solo Petro excepto) dedisse Spiritum Sanctum in Actibus Apostolorum. Quare ? quia Christus hoc speciale privilegium reservavit dignitati Apostolicæ.

Arguo tertiò contra Pontium : Sancti Patres & Pontifices colligunt Confirmationem esse Sacramentum, quia olim per manûs impositionem conferebatur Spiritus sanctus; sed quæ collectio, si ambo non sint à parte rei idem, & quod plus est, 152.

est, si secundùm Pontium manûs impositio non erat Sacramentum?

Num rectè colligitur ex facto Christi, remittentis peccata paralytico, in Ecclesia dari Sacramentum Pœnitentiæ? Ubi umquam apud Patres aut Pontifices legitur talis consequentia?

Respondet Pontius constare ex illis locis Actorum, Spiritum sanctum datùm ab Apostolis ad specialem effectum, idque ex infallibili promissione Christi: ergo institutum est à Christo speciale Sacramentum; quia ad speciales effectus gratiæ sunt instituta à Christo specialia Sacramenta.

153. Infero: ergo etiam datur hodiè aliquod Sacramentum per quod visibiliter confertur Spiritus sanctus; quia ex illis locis Scripturæ constat Spiritum sanctum visibiliter datum ad specialem effectum; neque ex facto isto Apostolorum magìs convincitur infallibilis promissio invisibilis quàm visibilis descensûs Spiritûs sancti.

Impositionem manuum fuisse Sacramentum colligimus ex infallibili promissione gratiæ.

Deinde si illa manuum impositio non fuit verum Sacramentum, ubi invenitur illa infallibilis promissio gratiæ sanctificantis? Nonne Christus potuit pro isto tempore velle fidelibus, adhuc parùm in fide roboratis & exercitatis, conferre speciale robur, sive gratias actuales internas ad fortiter propugnandam fidem Catholicam, quæ nondum erat propagata, & tamen robur illud negare fidelibus, fide jam sufficienter firmatâ, & per totum mundum diffusâ? Quis dubitat?

S. August. Nam, ut bene notat D. August lib. 3. de Baptismo contra Donatist. cap. 16. temporibus Apostolorum dabatur visibiliter Spiritus sanctus *Ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda.* Quidni potuisset tunc dari etiam invisibilis gratia, & temporibus sequentibus negari?

S. Gregor. *Numquid fratres mei* (interrogat D. Gregor. Homiliâ 29. in Euang.) *quia ista signa* (miracula) *non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda.*

Cùm ergo de facto in Ecclesia cesset visibilis descensus Spiritûs sancti, si Manuum impositio non fuit stabiliter à Christo instituta ad speciale robur internum conferendum, quomodo efficaciter ex facto Apostolorum concluditur nostrum Sacramentum Confirmationis; maximè cùm non sit necessarium, ut infra patebit, sed per alia media possit ejus effectus obtineri?

154. Idcirco alij dicunt, & meliùs, impositionem istam manuum fuisse Sacramentum, prout illam expressè nominat D. August supra, ibi: *Cum ergo sit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit* &c.

Illamque sic nominat Augustinus sup. Eusebius.

Et Eusebius Epist. 3. prope finem: *Manûs*, inquit, *impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse.* Nihil autem cogit nomen *Sacramentum* hîc latè sumere pro quocumque signo rei occultæ & mysticæ, & non potiùs strictè pro signo efficaci gratiæ sanctificantis.

Neque absolutè est necessarium omne Sacramentum constare formâ & materiâ.

Nam, quod dicit Pontius, Sacramentum novæ legis debere constare determinatâ materiâ & formâ, unde probatur? Nonne definitur Sacramentum in stricta significatione; sensibile signum efficax gratiæ. An manuum impositio, etiam in sententia Pontij, non fuit signum sensibile? Nec fortè defuit forma; quæ, aut qualis Scriptura voluit latere.

Imò quidni fuerit Sacramentum Confirmationis; etsi symbolum quodammodo diversum, quod est quid materiale? Propriè quippe accipiendo Sacramentum, præcisè in ratione signi significantis rem sacram sanctificantem, non distinguebatur: nam significabat eamdem omnino rem, scilicet gratiam, quæ datur ad roborandum homines contra tentationes fidei.

Sic inter Nos & Græcos in collatione Ordinum cernitur quædam diversitas materialis, & tamen censetur idem Sacramentum Ordinis. Quare idem Sacramentum esset, etsi solis Apostolis licuisset ordinare more Græcorum. Similiter etsi ipsi baptizaverint in nomine Jesu; equidem actio ista erat Sacramentum, & quidem Baptismi.

Atque, ut propius accedamus, Græci in Sacramento Confirmationis, juxta superiùs dicta, non tantùm liniunt frontem, sed etiam alias partes, & tamen non ideo est diversum Sacramentum, etiam dato, quòd omnes actiones essent sacramentales. Sic igitur licèt manuum impositio fuisset signum aliquod distinctum materialiter ab unctione frontis, tamen potuit esse idem Sacramentum.

Unde manuum impositio tantùm fuisset signum materialiter diversum.

Et hâc viâ efficaciùs ex Scriptura colligitur Sacramentum Confirmationis; item quòd minister ejus sit solus Episcopus, sicut soli Apostoli erant ministri manûs impositionis, quæ formaliter coincidit cum Confirmatione. Denique ostenditur congrua locutio Patrum, & Pontificum, nec non Conciliorum, quâ subinde hoc

Sacramentum appellant manuum impositionem, interdùm frontis chrismationem, rursum Confirmationem, Unctionem &c. nomina quidem distincta, sed ejusdem formalis significati, scilicet sensibilis signi efficacis specialis gratiæ ad fortiter pugnandum pro fide Catholica.

155. Ex his satis perspicio Christum sic potuisse facere; porrò ita fecisse, dico iterum, nec ex ratione, nec ex auctoritate efficaciter ac evidenter convincitur. Unde solam potentiam asserit Doctor Subtilis 4. dist. 7. num. 3. ibi: *Ad primum istorum dicendum quòd Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, & ideo ipse sive in terris, sive post ascensionem in cælo existens potuit confirmare Apostolos sine tali materia, & tali forma. Cum Apostolis etiam in primitiva Ecclesia potuit dispensare.*

Scotus.

Potuit, inquam; ergo dispensavit? Ab hoc Scotus præscindit, quia ad solutionem objectionis satis erat ostendisse potentiam.

Arguis, in Reportatis Lugduni impressis dicit: *Ipse dispensavit cum Apostolis ut non uterentur istis signis necessariò, ut Chrismate sanctificato, & istis verbis propter signa alia, quæ tunc apparebant in collatione hujus Sacramenti per impositionem manuum.*

Respondeo, in Reportatis Coloniæ impressis nihil simile reperitur; adeoque auctoritas manet dubia. Factum itaque sit, an non, elige, & non errabis in fide, aut bonis moribus.

SECTIO SECUNDA.

De Effectu & Ministro Confirmationis.

1. Gratia sanctificans est effectus communis omnium Sacramentorum.

NOn disputo hîc de effectu gratiæ sanctificantis, qui communis est omnibus Sacramentis novæ Legis; jam enim Sectione præcedenti conclusione 1. ostendimus Confirmationem esse unum ex septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis, adeoque efficere ex opere operato gratiam justificantem, aut ejus augmentum.

Ubi character aliquorum.

Prætereo quoque characterem, quem fidei est imprimere, ut constat ex dictis disput. 1. sect. 4. conclus. 5. An autem character confirmatorius specie distinguatur à baptismali, an verò ipsum præexistentem intendat, sicut gratia sanctificans, quæ hîc infunditur, intensivè auget gratiam infusam in Baptismo; aut certè extendat, si conjecturæ locus sit, sine longiori examine, quia res non meretur.

Distinguitur specie character confirmatorius à baptismali.

Dico, esse diversæ speciei; tum quia Sacramentum specie diversum; tum quia significat diversum statum, in quo homo ponitur; tum denique quia character Baptismi est capacitas quædam moralis ad reliqua Sacramenta legitimè suscipienda; Confirmationis autem, quædam potentia ad fidem fortiter propugnandam. Aliud est de gratia habituali, cùm idem semper sit principalis ejus finis, ex quacumque causa proveniat, & idem effectus formalis, scilicet constituere filios Dei.

Non sic gratia sanctificans.

His ergo prætermissis pro speciali effectu Confirmationis, quem habet distinctum à cæteris omnibus Sacramentis, sit

CONCLUSIO I.

Confirmatio confert specialia auxilia gratiæ ad feliciter consummandum certamen fidei.

2. Confirmatio confert specialia auxilia gratiæ. Florent.

COlligitur ex Concilio Florentino in decreto Unionis ibi: *Effectus autem hujus Sacramenti* (Confirmationis) *est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen.*

Scotus.

Consimiliter Scotus 4. dist. 7. q. 1. n. 1. ibi: *Significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum constantia fidem Christi.*

Ad confitendum cum constantia fidem Christi.

In quo secutus est unanimem consensum Patrum, quorum testimonia vide apud Pontium parte 3. c. 3. num. 5. quæ quidem non faciunt expressam mentionem confessionis fidei Christi; ea tamen sic intellexit Concilium Florentinum supra, adferens pro exemplo, & simul probatione, Confirmationem extraordinariam Apostolorum in die Pentecostes, promissam his verbis Act. 1. v. 8. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*: utique, si opùs fuerit, pro meo nomine atque mea doctrina etiam sanguinem vestrum Actor. 1.

vestrum

vestrum effundendo. Quod ipso facto Apostoli comprobarunt.

3\. Quemadmodum ergo principalis effectus visibilis descensûs Spiritûs sancti in Apostolos, non fuit donum linguarum, aut prophetiæ, sed principaliores effectus fuerunt augmentum internæ gratiæ, & specialis fortitudo ad Christi nomen propagandum, & constanter profitendum coram Regibus & Præsidibus; pari quoque ratione principalis effectus Sacramenti Confirmationis non fuit donum linguarum, aut prophetiæ, in primitiva Ecclesia fidelibus extraordinariè collatum (constat enim de facto amplius non dari, potiusque fuisse ad utilitatem aliorum, quàm ipsorum Confirmandorum, ut non sit verisimile, propter hunc solum effectum Apostolos tantâ sollicitudine fideles confirmasse) sed præcipui effectus fuerunt augmentum internæ gratiæ sanctificantis, & speciale robur, id est, gratiæ actuales seu auxilia gratiæ, non ità ad superandas quotidianas diaboli tentationes sive interiores, sive exteriores; quàm bene ad protestandam fidem, eamque defendendam contra persecutores Ecclesiæ, & ejus impugnatores.

Quemadmodum Apostoli specialiter fuerunt roborati ad Christi nomen profitendum.

Sanè cùm tota vita hominis sit militia super terram, & diabolus quasi semper circumeat tamquam leo rugiens quærens quem devoret, necessarium planè fuit, ut, per quotidiana bona opera, possent fideles impetrare auxilia gratiæ continuò necessaria ad resistendum diabolicis suggestionibus. Quis enim firmiter credat Sacramentum Confirmationis, quod unicum est in singulis, conferre gratias actuales ad superandas tam multiplices tentationes, quibus vita hominis communiter exposita est?

D. Thom.

Sicut igitur (Verba sunt Doctoris Angelici 3. parte q. 72. a. 5. in responsione ad 2.) *baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum Sacramentorum: ita confirmatus accipit potestatem publicè fidem Christi verbis profitendi quasi ex officio.*

Sic confirmatus accipit potestatem publicè fidem Christi profitendi;

Ex quo patet quàm appositè SS. Patres ubique nominent Confirmationem perfectionem Baptismi, sive consummationem. Clemens Romanus lib. 3. Constit. Apostolicarum c. 17. *Vnguentum*, inquit, *est confirmatio professionis.* Et Epist. 4. ait: *Quum autem regeneratus fuerit* (homo) *per aquam, & postmodum septiformis Spiritûs gratiâ ab Episcopo confirmatus, quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos.*

Ob quam causam cōfirmatio nominatur baptismi perfectio: Clem. Rom.

Quippe parum est, ne dicam nihil, interiùs credere, & fidem in Baptismate profiteri coram Ecclesia, nisi & illam coram Tyranno ubi opùs fuerit audacter confiteamur. Ille autem perfectus sit Christianus, qui corde credit ad justitiam, & ore confitetur coram Deo, Angelis, & hominibus bonis & malis, etiam cum effusione sanguinis, ad æternam salutem.

Rogas: an ergo effectus Sacramenti Confirmationis sit perfectior effectu Baptismi? 4\.
Partem affirmativam videtur docere D. Thomas supra art. 11. sub his verbis: *Ad 3. dicendum quòd sicut Rabanus dicit in lib. de institutione Clericorum: Signatur baptizatus Chrismate in summitate capitis per Sacerdotem, per Pontificem verò in fronte: ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritûs sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque ut ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur. Non ergo propter digniorem partem* (id est frontem) *sed propter potiorem effectum, hæc unctio Episcopis reservatur.*

Quis perfectior effectus illius, quàm hujus secundùm D. Thomam;

Hunc potiorem effectum significant sancti Patres, quando, sicut statim dixi, appellant Confirmationem perfectionem & consummationem Baptismi: *Ipsa enim*, inquit Fabianus Epist. 2. *lavatio pedum nostrum Baptismum significat, quando sancti Chrismatis unctione perficitur atque confirmatur.*

Uti significare videntur SS. Patres.

Fabianus Epist. 2.

Et D. Ambr. lib. 3. de Sacramentis c. 2. *Post fontem superest ut perfectio fiat quando ad invocationem Sacerdotis* (id est, Episcopi) *Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilij atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris.*

Ambrosius,

Accedant testimonia Urbani & Melchiadis Pontificum. Primus Epistolâ 1. c. 7. (& refertur de Consecratione dist. 5. c. 1.) sic scribit: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur: quia, cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.*

Urbanus,

Et Melchiades,

Posterior verò Epistolâ ad omnes Hispaniæ Episcopos, rogatus, utrum majus esset Sacramentum manûs impositio Episcoporum, aut Baptismus: Respondet: *Scitote utrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut unum* (id est, Sacramentum Confirmationis) *à majoribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum & tenendum est.*

Et infra agens de effectu hujus Sacramenti, sic ait (refertur de Consecr. Dist. 5. c. 2.) *Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas*

Baptismi salutifero descendit illapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo (nota quæ sequuntur) *totâ ætate victuris inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.*

At si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat, mox in pace beati sæculi recipiendos. Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reservandos. Qui autem post Baptismum, cum acquisita innocentia, immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem. Hucusque Melchiades.

5. Dixi autem, *Nota quæ sequuntur*; quia in illis verbis videtur Pontifex docere, Sacramentum Confirmationis conferre auxilia gratiæ ad resistendum & superandum omnes tentationes hujus vitæ, tam visibiles, quàm invisibiles, cujus tamen contrarium insinuavimus paulò superiùs ex Pontio parte 2. c. 3. n. 6.

Qui videtur docere Confirmationem conferre auxilia ad superandas omnes tentationes;

At verò quemadmodum Baptismus, quamvis unicus in singulis, confert tamen gratias actuales ad observandam non solùm legem fidei, sed universam legem Christi, cujus hominem constituit debitorem pro toto tempore vitæ suæ; quidni etiam pari ratione Confirmatio tribuat auxilia gratiæ non solùm ad fortiter confitendam fidem, sed etiam ad constanter toto tempore vitæ præsentis profitendam ac observandam universam legem Christi? Non video quomodò efficaciter possit improbari.

Nihilominus sicuti Baptismus specialiùs dicitur professio fidei, quàm cæterorum mandatorum, & ideo fortassis confert plura & specialiora auxilia ad ejus observantiam, sic quoque non incongruè quispiam dixerit, Confirmationem tribuere quidem gratias actuales ad superandas quascumque tentationes; specialiora tamen & plura ad evincendas tentationes fidei, præsertim coram Tyranno, ubi vel moriendum est, vel fides exteriùs abneganda.

Specialiter ad evincendas tentationes fidei.

6. Redeo ad propositam quæstionem, & pro resolutione adverto ex Scoto 4. dist. 7. q. 3. *Quando aliquid includit, vel præsupponit aliud, illa possunt comparari, vel secundùm illud, quod præcisè pertinet ad utrumque, vel secundùm illud, quod secundum ponit præsupposito primo. Et quidem secunda comparatio non est per se, quia sic universaliter secundùm excedit primum, sicut duo bona excedunt alterum eorum. Sed prima est per se: quia est secundùm præcisas rationes comparatorum.* Hoc supposito,

Scotus.

Respondeo cum Scoto; secundùm primam comparationem, *Baptismus est simpliciter nobilius Sacramentum, loquendo de nobilitate Sacramenti penes finem principalem Sacramenti, qui est collatio gratiæ: nam ad maiorem gratiam & plures effectus simpliciter nobiles confertur Baptismus, quam Confirmatio:* Puta ad susceptionem aliorum Sacramentorum, & deletionem omnis culpæ & pœnæ; estque prima acceptatio hominis in gratiam & amicitiam Dei quam decet esse copiosioris gratiæ, quàm sint dona subsequentia.

Baptismus secundum Scotum est simpliciter nobilius Sacramentum

Ratione nobilioris effectus;

Quod non obscurè indicavit Paulus ad Heb. 10. v. 26. dicens: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis,* id est, post acceptam gratiam Baptismi, *iam non relinquitur pro peccatis hostia,* scilicet tam conciliativa gratiæ & amicitiæ Dei.

Hebr. 10.

Appositè D. Bonav. 4. dist. 7. a. 2. q. 3. ubi tenet nostram sententiam: *Vivificare,* inquit, *mortuum maior gratia est & potentia, quàm iam vivificatum sanare, vel fortificare præcisè loquendo.* Enimverò plus substantiæ acquiri generatione, cui assimulatur Baptismus, quàm unicâ accretione, cui comparatur Confirmatio, quis audeat negare?

D. Bonav.

7. *Loquendo tamen* (inquit Doctor Subtilis supra) *secundum aliam* (id est, secundam) *comparationem, Confirmatio multum addit Baptismo.* Multum, inquam, per omnem modum: quoniam *novissimè à Summo Sacerdote* (ut ex Rabano de instit. Cleric. lib. 1. c. 30. refertur de Consec. dist. 5. c. 5. *per impositionem manûs Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum alijs idem donum, quod ipse in Baptismate consecutus est per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate: per Pontificem verò in fronte, ut in priore unctione significetur Spiritûs sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque ut eiusdem Spiritûs sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur.*

Aliquo tamen sensu Confirmatio multum addit Baptismo juxta Scotum; Cap. 5. dist. 5. de Consec.

Explico; suppositâ gratiâ Spiritûs sancti, quam Baptismus contulit, si ad eam accedat gratia Confirmationis, jam existit quædam plenitudo gratiæ; quamvis hic posterior gradus in se sit imperfectior quàm ille: sicut si ad duos gradus caloris accedat tertius, erit perfectior calor totalis, qui ex illis tribus gradibus coalescit, quamvis tertius gradus in se & partialiter sumptus sit imperfectior priore calore ut duo, ut nunc ex veriori Philosophia suppono.

Quia gratia Confirmationis addita baptismali facit quamdam gratiæ plenitudinem.

Unde,

Unde, quod bene notandum est, sancti Patres non vocant Confirmationem, Sacramentum perfectius Baptismo, sed vocant, perfectionem Baptismi: perfectionem, inquam, accedentem perfectioni Baptismi; quo utique accessu censetur homo fieri plenus & perfectus Christianus; quamquam non sic, quin gratia & perfectio debeat semper usque in finem perfici & magis augeri tum per bona opera, tum per alia Sacramenta, signanter Eucharistiam.

Unde vocatur perfectio Baptismi,

8\. Dices; quorsum ergo specialiter dicitur in hoc Sacramento conferri Spiritus sanctus? Respondeo: quia antiquitùs dabatur cum visibili descensu Spiritûs sancti, & quia in eo datur plenitudo Spiritûs sancti secundùm jam dicta.

Et per illam dicitur dari Spiritus sanctus;

Interrogas rursum; quare igitur Melchiades Papa asserit hoc Sacramentum majori veneratione venerandum & tenendum esse? Respondeo continuò, non propter abundantiorem gratiam, sed quia *à maioribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest*, ut ibidem loquitur Pontifex: id est, propter digniorem ministrum; vel etiam propter digniorem materiam ab Episcopo consecratam.

Et majori dicitur veneratione tenenda

Propter digniorem ministrum,

Num ideo Confirmatio simpliciter nobilior? Negat Scotus supra, illico subjungens suæ resolutioni: *Potest etiam dici secundùm quid Confirmatio nobilior, ratione ministri* (addo ego & ratione materiæ) *quia à nobiliori ministro* (& in nobiliori materia) *confertur. Sed non est hoc simpliciter propter eius nobilitatem, sed propter Baptismi maiorem necessitatem.*

Scotus.

Non ideo Confirmatio nobilior simpliciter Baptismo;

Alioquin etiam esset nobilior Eucharistiâ, quod tamen à multis negatur. Immo, si sufficeret nobilior materia non tantùm Confirmatio, sed etiam Extrema Unctio, utpote quæ fit ex materia benedicta per Episcopum, videri posset simpliciter nobilior Eucharistiâ, quod hactenus nemo docuit.

9\. Itaque dignitas simpliciter Sacramenti videtur desumenda ex fine seu effectu Sacramentali, qui est gratia: cujus ratio est, quia formalis ratio Sacramenti in ratione signi practici consistit; signi verò practici dignitas desumitur ex signato, seu significato quod fit per tale signum.

Quia dignitas simpliciter ex effectu Sacramentali;

Sicut dignitas signi ex signato.

Interim, ut dixi disp. 1. sect. 4. Conclus. 3. major aut minor abundantia gratiæ in hoc vel illo Sacramento planè est incerta, cùm non nitatur nisi probabili conjecturâ. Certum autem est quod Scotus verbis ultimò citatis attexit: *Iste* (scilicet Baptismus) *pluribus ministris conceditur, ista* (scilicet Confirmatio) *non nisi specialibus*. Si autem à me quæritur, qui sint illi speciales ministri Sacramenti Confirmationis; Respondeo:

CONCLUSIO II.

Ordinarius minister Confirmationis est omnis, & solus Episcopus legitimè consecratus

Voco ministrum ordinarium, cui de jure divino, hoc est, institutione Christi primò & per se convenit validè ministrare, ita ut non egeat alterius consensu aut commissione. Hunc esse Episcopum nemo Catholicorum dubitat; utpote expresè definitum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino his verbis: *Ordinarius minister* (Sacramenti Confirmationis) *est Episcopus*; Cùmque non sit major ratio de uno, quàm de alio, *omnis*, ut habet Conclusio. 10.

Quis dicendus minister Ordinarius.

Confirmationis ordinarius minister

Est omnis Episcopus.

Quòd etiam *solus*, ibidem docet Concilium; extemplò subjungens: *Et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre.* 11.

Isque solus secundùm Florentinũ,

Quæris ubi scriptum sit? *Quia*, inquit Pontifex, *de solis Apostolis legitur* (*quorum vicem tenent Episcopi*) *quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant. Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.*

Eidem veritati subscribit Concilium Tridentinum sess. 7. de hoc Sacramento can. 3. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.*

Et Tridentinum,

Idemque ante Concil. Florentinum testatum reliquit Innoc. III. iisdem fere verbis c. unico extra de Sacra unctione §. *Per frontis chrismationem* ibi: *Unde cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc* (Confirmatoriam) *non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur* (*quorum vicarij sunt Episcopi*) *quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant: quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cùm audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui cùm venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum; nondùm enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Plura testimonia in progressu.

Et Innocentiũ III. cap. unico extra de Sacra unctione.

Act. 8. v. 14.

Ratio

12. *Ratio à priori est voluntas Christi.*

Ratio à priori est voluntas Christi. Congruentia, quia per hoc Sacramentum adscribuntur fideles militiæ Christi. Porrò Episcopi duces sunt, ad quos spectat militum conscriptio. Deinde, ut vidimus Conclusione præcedenti, hoc Sacramentum confert gratiæ perfectionem & plenitudinem Spiritûs sancti, & ideo conveniens fuit, ut à perfectioribus in Ecclesiastica Hiërarchia administraretur.

13. *Non solùm ad licitè cõfirmandum.*

Sed dicet aliquis, esto solus Episcopus sit minister licitus; unde convincitur simplicem Sacerdotem non posse sine licentia validè confirmare? Sic quippe solus Sacerdos est minister ordinarius Baptismi, tamen Diaconus, etiam contradicente Sacerdote, validè baptizat.

Pontius. Ferrar. Tapperus. Salmeron.

Unde hanc sententiam (ut refert Pontius parte 4. c. 2. n. 2.) docuit Ferrar. 4. contra gentes c. 60. quem sequitur Tapperus art. 12. contra Lutherum, Salmeron To. 12. (qui est in Acta Apostolorum) Tract. 26. vers. *Alia sententia, & quidem probabilis.* Refertur etiam Cajetanus pro hac sententia, quia in hoc articulo, & Act. 8. dicit, Episcopum esse necessarium ministrum necessitate præcepti, non Sacramenti. Hæc Ille.

Verùm si proprijs oculis Auctores, quos citat, legisset, scivisset utique, neminem ex illis, præter Salmeronem, hanc sententiam in terminis docere; immò Cajetanum & Tapperum potiùs oppositam.

Credo quòd etiam alienis oculis inspexerit Scotum, quem putat propendere in illam sententiam 4. dist. 7. q. 1. numerum aut paragraphum non assignat, nec ego invenio. Solùm ait n. 2. *Minister est Episcopus, vel alius, cui committi poterit.* Et n. 4. occasione facti D. Gregorij (de quo infra) concedentis Presbyteris facultatem confirmandi, quatuor ponit modos dicendi sive explicandi illam facultatem, nihil tamen resolvens.

14. *Sed etiam ad validè;*

Quidquid autem sit de mente Scoti, nostra & communis sententia est omnino certa ex antiqua & perpetua Ecclesiæ traditione, quæ absolutè in solis Episcopis agnoscit potestatem validè confirmandi, potestatem, inquam, ordinariam seu ab alio independentem.

Licèt enim hæc particula, *Non potest*, non semper sit expresse irritans, ut alibi ostendimus; attamen æquivalet, & censetur habere vim particulæ expresse irritantis sive invalidantis actum, cui apponitur, quando hic pendet ex potestate concessa à Principe, vel Republica, vel ab auctoritate juris; tales actus sunt sententia, electio, alienatio bonorum communium, vel Ecclesiasticorum, & quælibet administratio publica, vel quæ publicâ auctoritate fit, ut est officium tutoris, seu curatoris, & similia. Ita Suarez lib. 5. de Legibus c. 31. n. 14. *Suarez.*

Rationem dat; tùm quia videtur lex loqui de potestate, quam ipsa vel Princeps concedit; tùm etiam quia idem, qui dat potestatem, censetur tunc ponere formam, utique substantialem: argumento legis ult. Cod. de vendendis rebus civit. lib. 11. ibi: *Non aliter nisi imperiali auctoritate venduntur* &c. Ubi Barth. notat illam esse formam substantialem.

Quia dignitas Episcopalis est forma substantialis actûs Confirmationis.

Quis adhuc ambigat dignitatem Episcopalem esse formam substantialem actûs Sacramentalis Confirmationis? Planum siquidem est quòd valor Confirmationis pendeat ex potestate concessa à Principe, id est, Christo institutore Sacramentorum: certum Confirmationem esse administrationem publicam, seu quæ publicâ auctoritate fit: indubitatum ex Florent. Trident. & Innoc. III. mox allegatis, ac alijs testimonijs Patrum ac Pontificum quòd simplex Presbyter nec possit, nec debeat hoc Sacramentum administrare, nisi ex commissione Episcopi, vel Pontificis. Ergo hæc forma est substantialis, adeoque Confirmatio aliter facta invalida.

Adeoque Confirmatio aliter facta invalida;

15. Nonne Pontifices atque Concilia sunt os, per quod loquitur Spiritus sanctus revelans voluntatem Christi circa materiam, formam, ac ministrum essentialem Sacramentorum? Ex quo autem vel unico verbo colligere possumus Florentinum magis loqui de materia & forma substantiali, quàm de ministro substantiali? An fortè quia ad ministrum addit ly *Ordinarius*?

Nec refert quod in Florentino addatur ly Ordinarius.

Sed eamdem particulam adijcit ministro Sacramenti Ordinis dicens: *Ordinarius minister huius Sacramenti est Episcopus.* Quis indè interpretatur simplicem Sacerdotem validè conferre Ordines sine commissione Pontificis?

Per hoc enim significatur simplicem Sacerdotem id posse ex dispensatione.

Additur ergo ly *Ordinarius*, ad significandum ex dispensatione rationabili aliquando simplicem Sacerdotem hoc administrasse Sacramentum, & imposterum licitè, ac validè posse conferre. Hæc sunt verba Florentini: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Sic etiam legimus Abbatibus concessam aliquando potestatem conferendi suis subditis tonsuram, ac minores Ordines, quin & Subdiaconatum ac Diaconatum, de quo proprio loco: & tamen propterea nemo

nemo asserit Ordinationes secluso tali privilegio fore validas. Ergo similiter arguendum pro valore, ac invaliditate Confirmationis.

Citra illam circa functiones Ordinis & Confirmationis nihil facit juxta Trident. Quippe Concilium Tridentinum æqualem tribuit potestatem Episcopis confirmandi & ordinandi, ac utramque æqualiter negat simplicibus Sacerdotibus sess. 23. c. 4. ibi: *Ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos* (Episcopos) *posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Proculdubio haberent Presbyteri aliquam potestatem, si valerent eorum Ordinationes & Confirmationes; esto forent illicitæ.

16. Dices; saltem nullam haberent potestatem ordinandi aut confirmandi validè & licitè, quod sufficit ad intentum Concilij. Agit enim contra hæreticos, qui omnibus Sacerdotibus concedebant potestatem validè & licitè administrandi hæc Sacramenta.

Quod colligitur tam ex Tridentino. Unde can. 7. sic ait: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent* (scilicet validè ac licitè confirmandi & ordinandi) *illis esse cum Presbyteris communem &c. anathema sit.*

Quod non debet diminutè intelligi. Respondeo; inde ad summum sequi doctrinam communem non esse fidei: cæterùm nulla est ratio ita diminutè Concilium intelligendi.

Idem dicito de verbis Concilij Florentini supra relatis: quæ sic aliqui interpretantur: *Et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat* (id est, validè possit) *exercere, hanc non nisi Episcopus debet* (id est, validè potest) *conferre.*

Quàm ex Florentino. Hanc autem interpretationem probant; quia neque alias unctiones sine consensu Episcopi simplex Sacerdos valebat, id est, licitè poterat exercere. Siquidem in Concilio Toletano I. sub Leone I. c. 20. *Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non, nisi ab ipso fuerit præceptum.* Idem Leo Pontifex Epist. 88. sic ait: *Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in Baptisterium introire, nec præsente Episcopo infantem tingere aut signare.*

Tolet. I.

17. Respondent Adversarij: tempore Concilij Florent. ut simplex Sacerdos licitè baptizaret, aut baptizatum Chrismate ungeret in vertice, haud necessaria erat specialis dispensatio Pontificis vel Episcopi, qualis requirebatur, ut licitè conferret Sacramentum Confirmationis.

Probant ex his verbis Innocent. I. Epist. 1. cap. 3. *Nam Presbyteris, seu extra Episcopum* (id est, absente Episcopo) *seu præsente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare* (supple, licet) *quod solis debetur Episcopis cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Innoc. I.

Expendit præterea Pontius num. 18. quod subdit Eugenius; aliquando ex Sedis Apostolicæ dispensatione id concessum Presbyteris ex urgenti causa: at quod ex dispensatione fit, absque ea fieri non poterat. Non autem ex dispensatione quandoque factas.

Sed facilè respondetur: non poterat licitè; poterat tamen validè, argumento cap. ad Apostolicam 16. de Regul. ubi sic dicitur: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Porrò dispensatur in lege non solùm irritante, sed etiam simpliciter prohibente. Hæc enim non solùm legem irritantem, sed etiam prohibentem respicit.

18. Hæc ergo expensio, & illa interpretatio non convincunt; sicut nec plures aliæ expensiones, quas ibidem adfert ille Auctor ex verbis diversorum Pontificum, ac Conciliorum. Equidem unam & alteram exscribo, quæ inter cæteras videntur efficaciores.

Colligitur denique ex Concilio Elibertino. Concilium Elibertinum cap. 30. nequidem in necessitate concedit Presbytero confirmare, sed solùm baptizare. *Peregrè*, inquit, *peregrinantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit posse fidelem ...... baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem perfici possit.*

Et cap. 77. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si antea de sæculo recesserit, sub fide, quâ quis crediderit, poterit esse justus.*

19. Si respondeas; Confirmatio non est Sacramentum necessitatis. Contra facit, quòd sit magnæ utilitatis; non est autem verisimile Ecclesiam voluisse infirmum tam generaliter privare hâc utilitate, & Sacerdotem suâ potestate, sive exercitio suæ potestatis, quam æqualiter cum Episcopo, in sententia Adversariorum, habet ex vi suæ Ordinationis. Ubi enim, & quando emanavit tam universalis ordinatio Ecclesiastica, aut ubi legitur tam universale jus divinum prohibens tantùm, & non irritans? Quod aliàs non ita generaliter Sacerdotes suâ privasset potestate.

Profectò Pontifices non simpliciter prohibent, sed potiùs eos inhabiles ex jure divino supponunt. Ac inter cæteros clarissi-

Eusebius. clarissimè Eusebius Epist. 3. circa finem ibi: *Manus quoque impositionis Sacramentum, magnâ veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse: neque ab alijs (sicut iam dictum est) quàm ab illis, qui eorum locum tenent, umquam perfici potest, aut fieri debet*, id est, validè, aut licitè fieri potest.

Colligo ex probatione. *Nam*, inquit, *si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica umquam reputabitur Sacramenta.*

Neque Innoc. III. vocasset Confirmationem à Presbytero collatam inanem umbram, & non veritatem.

Et hinc Innocentius III. cap. *Quanto* extra de Consuetud. vocat Confirmationem à Presbytero collatam inanem umbram, & non veritatem, ibi: *Tutius tamen est ea* (Sacramenta, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis) *sine periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quàm ut ab his, quibus ea conferre non licet ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine gravi periculo inaniter conferantur: cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.*

20. Replica adversariorum.

Sed quid ad hæc Adversarij? Jura, inquiunt, similiter loquuntur de alijs Sacramentis, quæ tamen constat esse valida, & propterea non iteranda. 1. quæst. 1. cap. 2. ex Gregorio lib. 7. Epistol. 110. *Quicumque studet pretij datione sacrum Ordinem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit.* Et cap. 12. ex Gregorio Nazianzeno: *Quicumque sacros Ordines vendunt, aut emunt, Sacerdotes esse non possunt.*

Greg. Papa. Greg. Nazianz. Sixtus II.

Adde Sixtum II. Epist. 2. ibi: *Nullus Episcopus alterius Parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque eius voluntate, vel iudicare: quia sicut irrita eius erit Ordinatio, ita etiam dijudicatio.* Certum tamen est Ordinationes illas valere, & solùm dici irritas & inanes defectu gratiæ sacramentalis.

Cui satisfit ponendo diversitatem ex materia subjecta.

Respondeo; diversitas petenda est ex materia subjecta. Ab omnibus admittitur, nihil aliud requiri ad valorem Sacramenti, quàm materiam, formam & ministrum cum debita intentione, quæ omnia reperiuntur, etiam secundùm Adversarios, in Ordinatione simoniaca, aut non subditi. At verò disputatur quis sit minister validus Confirmationis; ergo quando Pontifex decernit Sacramentum irritum & vacuum, quod confertur à simplici Sacerdote, rectè intelligitur absolutè invalidum, & repetendum; quia à ministro incompetente collatum.

Qui plura testimonia Patrum & Pontificum voluerit, adeat Pontium loco citato, nobis hæc sufficiunt, tum ad probationem nostræ Conclusionis, tum ad solvendum objectiones in contrarium, quarum

Prima est: Ananias Actor. 9. vers. 17. imponens manus Paulo dicit: *Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videas & implearis Spiritu sancto.* Ananias tamen non erat Episcopus, imò fortè neque Sacerdos, sed aut Diaconus, aut laicus. 21.

Solvuntur objectiones in contrarium. Prima sumitur ex facto Ananiæ Act. 9. vers. 17.

Respondeo; gratìs admisso quòd non fuerit Episcopus; nam teste Suario disp. 36. sect. 1. id hactenùs non est satìs probatum, nec fortè probari potest; Respondeo, inquam, illam manuum impositionem non fuisse confirmatoriam, sed curatoriam; unde & facta est ante Baptismum, non ut ex tunc, sive per eam impleretur Spiritu sancto, sed ut visum reciperet, & postea per Baptismum gratiam Spiritûs sancti.

Ad quam respondetur illam manuum impositionem fuisse solùm curatoriam.

Sequitur quippe vers. 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.* Confirmatur ex vers. 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.*

Et verò, si visibiliter descendit Spiritus sanctus in Cornelium, aliosque fideles primitivæ Ecclesiæ, tam ex Gentilibus, quàm Judæis, quidni etiam descenderit in Apostolum Paulum, vel extraordinario modo sine Sacramento Confirmationis, vel per ipsum Sacramentum postea ab Apostolis collatum? 22.

Esto tamen Ananias ipsum confirmaverit: quid inde? Sacerdos erat teste D. August. lib. 2. qq. Euang. qu. 40. ibi: *Ad Ananiam tamen missus est (Paulus) ut illo Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color.*

Vel si Ananias Paulum confirmaverit, dic ipsum fuisse Sacerdotem teste S. August.

Si ergo Sacerdos ex dispensatione Pontificis, ut patet ex Florentino supra, validè & licitè potest confirmare, quantò magìs Ananias ex dispensatione Christi, à quo mittebatur; cujus enim est instituere ministrum, ejus quoque est mutare & ministrare extraordinariè hoc Sacramentum, etiam per laicum.

Adeoque ex dispensatione confirmavit.

Secunda objectio accipitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 4. vers. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophe-* 23.

Secunda objectio sumitur ex Apost. 1. ad Tim. 4. v. 14.

prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.

Respondeo textum vulgatum legere, *Presbyterij*, id est, chori Presbyterorum, ut proinde illis verbis Apostoli significetur Sacramentum Ordinis Episcopalis, ad quod requiruntur plures Episcopi.

Vel, si placeat prior lectio, quoniam additur, *Per prophetiam*, quæ olim erat specialis effectus Confirmationis seu manuum impositionis, dic nomine *Presbyteri*, Paulum ibi intelligere Episcopum, juxta illud Divi Hieronymi ad Rusticum Narbonensem (si est ejus Epistola, quod plures negant) & refertur dist. 95. cap. 6. *Quoniam & ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur secundùm quod scriptum est ad Episcopum: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri.*

Respondetur Paulum nomine presbyteri intelligere Episcopum.

S. Hieron.

Sic etiam olim, ut notat Pontius supra cap. 1. num. 6. nomen *Sacerdotis* specialiter accommodatum fuit Episcopis, ut passim videre est in multis Concilijs Toletanis. Et ad id probandum optimus locus est in S. Sidonio Apollinari lib. 9. Epist. 3. ad Faustum ibi: *Nihil ab Abbate mutatus per Sacerdotem*, id est, Episcopum. Loquebatur enim de Fausto in Episcopum assumpto ex Abbate Lyrinensi.

Sic olim nomen Sacerdotis accommodabatur Episcopis. Pontius.

S. Sidonius Apollinaris.

Ex quo dilucidè patet neque Ignatium Epistolâ 13. dum inter munera Sacerdotis recenset manûs impositionem, neque D. Ambros. lib. 3. de Sacramentis cap. 2. ubi ait: Spirituale signaculum & septiformem Spiritum sanctum dari ad invocationem Sacerdotis, in aliquo favere simplicibus Presbyteris.

S. Ignatius.

S. Ambrosius.

24\. Objicitur Tertiò; non solùm Episcopi, sed etiam inferiores Sacerdotes succedunt Apostolis, qui & ipsi Sacerdotes fuerunt.

Objectio tertia.

Responsio desumitur ex cap. 2. dist. 21. quod est Anacleti Papæ ad Episcopos Italiæ Epist. 2. *In novo*, inquit, *testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo &c. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; Principem eorum esse voluerunt, qui etiam iubente Domino in toto orbe dispersi Euangelium prædicaverunt. Ipsis quoque decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi &c.*

Responsio ex Anacleto Papa.

Et infra: *Indè ab eis* (Apostolis) *electi sunt 72. discipuli; quorum typum gerunt Presbyteri: atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia.* Non legitur autem aliquem discipulorum ordinariâ potestate confirmasse.

Sanè Sacerdotes non simpliciter succedere Apostolis inde concluditur, quia non habent omnem ordinariam potestatem, quam ipsi habuerunt, nisi etiam eos velis constituere ministros ordinarios Sacramenti Ordinis, quod nemo hactenùs fecit.

Dicendo Sacerdotes non simpliciter succedere Apostolis.

Nec obstat quòd perficiant baptizatum per Sacramentum Eucharistiæ: quippe unicuique mandatum est de proximo suo, ut nutriat & vivat; porrò ut designetur militiæ, Ducis est exercitûs, non cujusvis particularis. Sed prodeat in certamen D. Hieronymus, ex quo erit

Objectio quarta: hic Doctor scribens contra Luciferianos ita ait: *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus non nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum sanctum, quem omnes asserimus in vero Baptismate tribui? Disce hanc observantiam ex ea auctoritate descendere, quâ post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum reperitur ad honorem potiùs Sacerdotij, quàm ad legis necessitatem.* Verba sunt clara, quæ tamen, sicut plura alia, ab hæreticis in pravum sensum facilè detorquentur. 25.

Objectio quarta ex D. Hieronymo.

Quid quæso illa verba: *Non nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum sanctum*, aliud significant, quàm Catholicam veritatem? Quorsum ergo addit, inquis, *quem omnes asserimus in vero Baptismate tribui*? An non simplex Sacerdos est ordinarius minister Baptismi? Quomodo itaque non nisi per manus Episcopi accipitur Spiritus sanctus?

Respondeo, ad augmentum & robur, hoc est, plenitudo Spiritûs sancti, quam baptizatus non accipit per impositionem manuum Sacerdotis, sed solius Episcopi; licèt in vero Baptismate per quemcumque ministrum tribuatur Spiritus sanctus ad innocentiam, ut loquitur Melchiades Papa Conclusione præcedenti citatus, id est, ad veram justitiam seu sanctificationem.

Responsio prima.

Quomodo ergo (inquis) *idem factitatum reperitur ad honorem potiùs Sacerdotij, quàm ad legis necessitatem*? Respondeo Primò; quia ex concessione Pontificis fieri potest à simplici Sacerdote, & ideo præmittitur ly *Multis in locis*; quia in aliquibus ex dispensatione aliter fiebat. 26.

Respondeo Secundò, & meliùs; quia Confirmatio non est Sacramentum necessitatis absolutè & per se; sed magis consilij, utpote magnæ utilitatis, & per accidens aliquando necessarium, ut infra patebit; & idcirco additur ly *Potiùs*. Porrò

Responsio secunda & melior.

Episcopus, qui principalem locum tenet inter Sacerdotes, honoratur cùm illud Sacramentum confert baptizatis, veluti quidam dux militiæ Christianæ.

Hic sensus patet ex antecedentibus & consequentibus: ait enim Spiritum sanctum, id est, gratiam sanctificantem tribui in vero Baptismate, ex quo liquet Confirmationem non esse absolutè necessariam.

Et ad idem intentum subjungit verbis citatis: *Alioquin si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus* (id est, gratia sanctificans) *defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab Episcopis invisentur.*

Hæ sunt objectiones pro sententia Hæreticorum.

Et hæ quidem objectiones hæreticorum, qui constituunt omnem Sacerdotem validum, & licitum ministrum hujus Sacramenti, etiam seclusâ speciali commissione Episcopi, aut Pontificis. A quo errore valdè distat sententia, quam circa principium Conclusionis retuli, videlicet: Presbyterum vi suæ ordinationis validè semper confirmare, illicitè tamen ex jure divino, si id faciat nullo expectato consensu Episcoporum. Pro qua

17\. Proponuntur objectiones pro sententia Catholicorum.

Prima Desumitur ex multis canonibus Conciliorum,

Objicitur Primò; Sacerdos habet consecrationem sufficientem ad hoc ministerium: ergo semper valet. Consequentia patet, quia ideo valet Baptismus esto illicitè collatus à Sacerdote defectu jurisdictionis. Antecedens probatur ex multis Canonibus Conciliorum, & Pontificum decretis, nec non moribus Ecclesiarum, in quibus confirmarunt Presbyteri, vel absente Episcopo, vel urgente necessitate.

Concilij Arausicani primi.

Nam in primis Canon. 2. Concil. Arausicani I. sic lego: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placet.*

Secundus Canon desumitur ex Concil. Mart. Papæ, & refertur dist. 95. c. 11. *Presbyter præsente Episcopo non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum.*

Et Toletani primi.

Idem statuitur Can. 20. Tolet. I. ibi: *Statutum verò est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non nisi ab ipso fuerit præceptum.*

Nec verò alio modo loquuntur Canones de ministro Baptismi, quem primarium constituunt Episcopum, ex ejus consensu Presbyterum & Diaconum; & tamen disput. præced. sect. 5. conclus. 3. docuimus quemlibet Sacerdotem esse ministrum ordinarium, ita ut semper validè baptizet, etiam contradicente Episcopo, quamvis subinde illicitè.

S. Ambros.

Quid dicam de Ecclesijs, in quibus vel aliquando simplices Sacerdotes confirmarunt, vel de facto adhuc confirmant? D. Ambros. in cap. 4. ad Ephes. *Denique*, inquit, *apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.*

S. August.

Et D. August. (sive quis alius fuerit Auctor) lib. qq. veteris & novi Testamenti q. 101. *Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Consuetudinem Græcorum nemo negare potest; sed quomodo non obstet huic nostræ Conclusioni, edissero conclusione sequenti.

28\. Pro quorum canonum expositione tres sunt considerandæ diversæ unctiones

Modò pro expositione Canonum sedulò considera hodie in Ecclesia Catholica tres esse in usu diversissimas unctiones, prima ante Baptismum in pectore & humeris cum oleo catechumenorum. Secunda post Baptismum in vertice Baptizati cum chrismate, & Tertia in fronte, quæ est Confirmatio.

Secundam, quæ olim non erat cognita, quando Sacramentum Confirmationis unà semper cum Baptismo ministrabatur, instituit Sylvester Papa, eò quòd multi suo tempore statim post Baptismum immaturâ morte decederent, quibus absente Episcopo, aut alijs gravioribus causis distracto, Confirmatio dari non poterat, ut & illi in ultimo certamine aliquod præsidium acciperent contra tentationes dæmonis ex orationibus Ecclesiæ, quæ in ea unctione adhibentur.

Damasus.

Ita testatur Damasus in vita Sylvestri his verbis: *Hic & hoc instituit ut baptizatum liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.*

Ordo Roman.

Porrò hanc unctionem ab antiquis temporibus usitatam fuisse constat satis ex Ordine Romano libro vetustissimo in officio in Sabbato sancto ibi: *Ipse verò Presbyter facit de Chrismate crucem cum pollice in vertice eorum ita dicendo: Deus omnipotens &c.*

S. Gregor.

Ejusdem consuetudinis expressis verbis meminit D. Gregor. lib. de Sacramentis, ibi: *Ut autem surrexit à fonte ille, qui eum suscipit, offerat eum uni Presbytero, qui faciat signum crucis de Chrismate cum pollice in vertice eius.*

Intelliguntur autem de unctione secunda, quæ erat Presbyteris inhibita.

De hac ergo unctione, quæ Presbyteris erat prohibita in præsentia Episcopi sine expresso ejus consensu, intelligo Canones in objectione allegatos; in nullo quippe eorum exprimitur consignatio frontis, quæ tamen

tamen propria est Confirmationi; præsertim cùm alij Canones, quos supra citavimus, in periculo mortis solum Baptismum permittant Sacerdotibus.

29. Sed contra Primò; etiam Diaconus ex commissione potest Chrismate linire verticem post Baptismum, ut patet ex dictis disp. 2. sect. 5. conclus. 3. ergo de illa non rectè explicatur can. 20. Toletani I. utpote soli Sacerdoti permittens chrismationem absente Episcopo, vel præsente de ipsius consensu.

Non accedente Episcopi consensu.

Respondeo negando consequentiam; quippe Diacono prohibetur chrismare verticem, uti etiam solemniter baptizare, extra necessitatem: non ita Presbytero, cui regulariter ab Episcopo potest dari illa commissio.

30. Contra Secundò; Hæretici redeuntes ad gremium Ecclesiæ reconciliabantur per Sacramentum Confirmationis, utpote quod vel non susceperant, vel certè non validè: ergo de illa consignatione loquitur can. 2. Concilij Arausicani, non autem de chrismatione post Baptismum, cùm non solerent rebaptizari.

Respondent aliqui concedendo totum; siquidem, ut dicemus Conclusione sequenti, Presbyter ex dispensatione potest Confirmare.

Respondeo 2. negan. conseq. cùm enim in discrimine mortis absente Episcopo Confirmatio esset impossibilis, decrevere Patres Arausicani ut ea unctio, quam pro baptizatis de vita periclitantibus instituerat Silvester, quæque à Presbyteris ministrari poterat, exhiberetur, confidentes Deum precibus Ecclesiæ permotum, hæretico veniam poscenti præstò adfuturum, & vires præbiturum contra diabolum.

31. Et idcirco de eadem Chrismatione intelligit Pontius Innoc. I. Epist. 1. c. 6. ubi loquens de Energumeno inquit: *Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Vt autem fiat, Episcopi est imperare ut manus ei vel à Presbytero, vel à cæteris Clericis imponatur.*

De qua unctione intelligitur Innoc. I. à Pontio;

Quæ utique verba sic explicat Auctor citatus: Cùm Energumenus in extremis positus baptizandus esset, & statim cum Baptismo confirmandus, decernit Innoc. quòd si ad Episcopum, qui minister Confirmationis est, deferri non possit, Energumenus propter instans vitæ periculum à Presbytero consignetur, non confirmatorio Chrismate, sed illa ceremoniali unctione, quam Silvester introduxerat, quæque erat Confirmationis vicaria.

Sed credo Pontium textum Pontificis non inspexisse; alioquin non tam turpiter errasset. Quid enim illustrius quàm Innoc. ibi non loqui de Energumeno baptizando, sed baptizato? Sic quippe incipit caput citatum: *De his verò baptizatis, qui postea à dæmonio vitio aliquo aut peccato interveniente corripiuntur.* &c.

Sed errat:

Neque periculi mortis aut chrismationis ulla mentio, sed consignationis seu manuum impositionis; quam dicit committi posse Presbytero, aut cæteris Clericis. Quis umquam commisit cæteris Clericis chrismationem in vertice post Baptismum? Nullus quippe inferior Diacono solemniter baptizat.

Et vel ex hoc solo sufficienter probatur Innocentium non agere de consignatione confirmatoria, quæ ex communi omnium sententia Clericis Presbytero inferioribus delegari nequit. De qua ergo? Respondeo de nuda manuum impositione cum certis Ecclesiæ orationibus ad expellendum dæmonem; aut certè, quoniam hæc manuum impositio cuilibet Exorcistæ in sua ordinatione conceditur, de ceremoniali aliqua unctione seu chrismatione tunc temporis specialiter usitata à solis Episcopis, ac admodum utilis ad curationem Energumenorum.

Quia agit de manuum impositione ad expellendum dæmonem;

Similiter Canon Martini Papæ (vel ut alij, Episcopi Bracarensis) apertè loquitur de consignatione, quæ fit in Baptismo. Nam dist. 4. de Consecratione c. *Omni tempore.* 124. ubi eadem verba referuntur, illicò subjungitur; *Non liceat Presbytero prius Episcopo introire in baptisterium, sed cum Episcopo, ni si fortè aut absens fuerit, aut ægrotus.*

Et canon Martini de consignatione, quæ fit in Baptismo.

Quod spectat ad Ambr. & Aug. explicat illos Waldensis to. 1. de Sacramentis c. 114. de chrismatione baptismali; idque confirmat ibi relatis Ægyptiorum & Armenorum erroribus ostendit eos negasse Sacramentum Confirmationis. 32.

Ambro. & August. de Chrismatione Baptismalis;

Sed reverà, inquit Pontius parte 4. c. 2. n. 28. in eo erravit Waldensis, ut ex infra dicendis patebit: & meliùs dicitur, Sacerdotes Ægyptios & Alexandrinos Sacramentum Confirmationis administrasse juxta consuetudinem Græcorum.

Quamvis etiam responderi posset Aug. per *Presbyterum* ibi intelligere *Episcopum*: nam inquit: *Presbyterum autem intelligi Episcopum probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos* &c.

Vel dic Augustinum per Presbyterum intelligere Episcopum;

Et infra: *Multùm distare inter Diaconum & Sacerdotem liber approbat, quem dicimus*

Actu Apostolorum. Cùm enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti, Diacono ab Apostolis ordinato, miserunt, inquit, ad Petrum & Ioannem ut venirent, & his, qui crederent darent Spiritum sanctum per manûs impositionem.

Uti etiam loquitur Ambrosius.

Simili modo loquitur D. Ambr. supra dicens: *Nam & Timotheum Presbyterum à se creatum, Episcopum vocat, quia primùm Presbyteri Episcopi Appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet.*

33. Reliquum est ut respondeam ad Canones, qui similiter loquuntur de ministris Baptismi, & dico, ut supra ad simile argumentum dixi, diversitatem esse petendam ex subjecta materia. Ac imprimis Concil. Florent. expressis verbis statuit ministrum Baptismi in necessitate non solum Sacerdotem, sed etiam laicum, mulierem & hæreticum.

Quin ex alijs Canonibus, ac SS. Patrum testimonijs constat etiam hæreticum, & paganum validè baptizare extra necessitatem; Sacerdotem ex officio baptizare, & similia multa, quæ videri possunt disp. 2. sect. 5. Conclus. 3. ubi de ordinario ministro Baptismi.

34. Ex quibus omnibus infertur omnem & solum Episcopum esse validum hujus Sacramenti ministrum, si sit consecratus.

Itaque omnis & solus Episcopus est minister ordinarius & validus hujus Sacramenti. Addidi autem in Conclusione ly *Consecratus*, quo significarem Confirmationem esse actum Ordinis, & non jurisdictionis. Ex qua doctrina

Non sufficit electus.

Sequitur Primò; sicuti Episcopus electus tantùm, & non consecratus, neminem validè ordinat, ita etiam neminem validè confirmat. Ratio in promptu est; quia tam Ordinatio, quàm Confirmatio est actus Ordinis Episcopalis, quem talis Episcopus necdùm habet; etenim electio tantùm tribuit jurisdictionem, ut omnes fatentur.

Validè confirmat Episcopus Hæreticus &c. dummodo consecratus.

Sequitur Secundò, sicuti Episcopus consecratus hæreticus vel ab Ecclesia præcisus, aut degradatus seu prohibitus validè ordinat, etiam sibi non subditum, & in aliena diœcesi, ita quoque validè confirmat sive in propria diœcesi, sive in aliena, sive subditum, sive non subditum. Ratio itidem est, quia tam Ordinatio, quàm Confirmatio sunt actus Ordinis Episcopalis, qui Ordo inamissibiliter confertur per consecrationem, propter characterem indelebiliter animæ impressum.

35. Nec obstat, quòd quidam Patres significare videantur, Confirmationem ab hæreticis datam esse irritam, & ab illis confirmatos ad Ecclesiam redeuntes esse à Catholicis Episcopis confirmandos. Nam frequenter loquuntur de impositione manuum pœnitentiali sive reconciliativa, de qua supra egimus in præambulo sect. 1.

PP. oppositum significantes intelliguntur de impositione manuum reconciliativa.

Vel intelligunt Confirmationem esse irritam, uti etiam Ordinationem, quoad effectum gratiæ sanctificantis, aut etiam quoad usum Ordinum, dignitatem & privilegia clericalia. Vide disp. 1. Sect. 7. Conclus. 2.

Sed numquid ampliùs quidpiam requiritur ad licitè confirmandum, quam ad validè? Utique. Et quid quæso illud? Attendite.

CONCLUSIO III.

Ut quis non solùm validè, sed etiam licitè, Sacramentum Confirmationis administret, præter potestatem Ordinis Episcopalis, etiam requiritur potestas jurisdictionis. Unde Episcopus confirmans alienos subditos, absque licentia Ordinarij illorum, vel confirmans in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarij loci peccat mortaliter.

Est communis, & certa; tum ex generali principio quòd ad licitum ministerium Sacramentorum (Matrimonio excepto) requiratur potestas jurisdictionis, aut quasi, in eum, cui ministratur: tum ex speciali ratione Pontificalium, quæ prohibetur Episcopus exercere in illos, qui sibi subjecti non sunt, vel in loco alterius Episcopi, nisi alter concedat. 36.

Ad licitè confirmandum requiritur jurisdictio.

Ita statuitur cùm alijs juribus antiquis, tum expressiùs (quantùm præsertim ad locum pertinet) in Trident. sess. 6. de Refor. c. 5. ubi sic dicitur: *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegij prætextu Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi.* Circa quod decretum & doctrinam totius Conclusionis

Inhibetur Episcopis exercitium Pontificalium in aliena diœcesi absque expressa licentia.

Tridentinum.

37. Notandum Primò ad confirmandum in propria diœcesi subditos alienos, non requiri expressam licentiam Episcopi illorum, sed sufficere tacitam & præsumptam; quoniam in alijs materijs sufficit ad usurpandam alterius

Ad confirmandum alienos subditos in propria diœcesi sufficit licentia præsumpta;

alterius jurisdictionem, puta in Sacramento Baptismatis, Pœnitentiæ, & similibus actibus, ubi in jure contrarium non exprimitur; jam autem ad confirmandum alienos subditos neque jura antiqua requirunt expressam licentiam, neque Trident. locô citatô, quod non loquitur de hoc casu, sed de Confirmatione in aliena diœcesi.

Ad hanc licentiam putant aliqui sufficere quod omnes simul concurrent: Henriquez.

Cæterùm ad præsumendam facultatem alterius Episcopi, Henriquez lib. 3. de Confirmatione cap. ultimo n. 6. cum alijs ibidem citatis, putat sufficere, quòd alterius diœcesani subditi concurrant simul cum proprijs subditis confirmandis. Cùm enim jurisdictio non sit de necessitate hujus Sacramenti, faciliùs præsumi potest ratihabitio, quàm in Sacramento Pœnitentiæ, ubi requiritur jurisdictio de præsenti.

38. Oppositum tamen non est minùs probabile, videlicet hoc præcisè non sufficere sine alijs signis sensibilibus, ut sunt consuetudo patriæ, item si alter Episcopus id sciat factum aliàs, & non contradixerit, cùm aliàs facilè potuisset contradicere &c. Nam absque signis sensibilibus non sufficit præsumptio ad jurisdictionem alterius usurpandam, id est, non sufficit quòd alter Episcopus consentiret, si sciret, sed oportet quòd in aliquo actu expresso, juxta legalem vel rationabilem interpretationem, ejus consensus virtute contineatur: v. g. quando quis cum literis dimissorijs ordinandus venit, qui nondùm confirmatus est; tunc enim concessa facultate ordinandi, censetur etiam virtute concedi facultas confirmandi; cùm sine Confirmatione non possit convenienter ordinari juxta inferiùs dicenda.

Alij requirunt alia signa sensibilia.

Nota Secundò, ad confirmandum proprios vel alienos subditos in diœcesi aliena requiritur expressa facultas Ordinarij loci. Patet ex Trident. supra.

39. *Quanam nomine Pontificaliũ intelligantur?*

Notandum Tertiò, per Pontificalia, quæ generaliter prohibetur Episcopus exercere in aliena diœcesi, intelligi ea, quæ ad Ordinem Episcopalem specialiter pertinent, ut explicat Toletus lib. 1. c. 94. Hujusmodi sunt, Ordines conferre, Chrisma conficere, Clericos deponere, Virgines benedicere, Ecclesias, altaria & calices consecrare, atque etiam (ut declaravit Congregatio Cardinalium teste Henriquez supra in Com. lit. A.) confirmare.

Quæ ordinem Episcopalem respiciunt ut explicat Toletus.

Cætera verò quæ Ordinem Sacerdotij, solùm respiciunt, ut celebrare, absolvere in foro interno, & similia potest Episcopus in aliena diœcesi absque licentia Ordinarij loci; item ea, quæ licèt ut plurimùm fiant à solis Episcopis, tamen ad valorem actûs non requirunt peculiariter Ordinem Episcopatûs, & ideo etiam solent quandoque alijs committi; ut sunt dare primam Tonsuram benedicere solemniter populum, celebrare Missam in Pontificalibus, ut docet Covarruvias lib 3. Variarum c. 20. n. 9. cum alijs, quos allegat.

Non quæ Sacerdotalem.

Covarr.

Notandum Quartò, Episcopum in aliena diœcesi suos, vel alienos subditos confirmantem sine expressa licentia Ordinarij loci esse suspensum ipso factò ab exercitio Pontificalium. Verba Concilij sunt clara. Unde hæc pœna est latæ sententiæ; equidem solùm ab exercitio Pontificalium, non ab actibus aliorum Ordinum, neque ab actibus jurisdictionis. 40.

Episcopus in aliena diœcesi suos, vel alienos sine licentia cõfirmans ipso facto est suspensus.

Est etiam solùm imposita Episcopo in aliena diœcesi confirmanti, & ideo non incurritur, si in sua diœcesi alienos subditos confirmet; quia pœnæ non sunt extendendæ sed tamquam odiosæ communiter restringendæ: quare argumentum à paritate rationis in similibus non valet. Rursùm est suspensio indeterminati temporis & ideo non tollitur ante absolutionem: quia verò non est reservata, tollitur à Confessario Episcopi.

Notandum Quintò ex Toleto supra, quando Episcopus alienos subditos in aliena diœcesi ordinat de expressa licentia Ordinarij loci, tunc posse simul absque alia licentia ordinare subditos proprios simul accurrentes; Et eadem est ratio de Confirmatione. 41.

Toletus.

Nec obstat quòd Concilium dicat: *Et in personas eidem Ordinario subjectas tantùm:* nam illa exclusiva, *Tantùm*, excludit non proprios subditos, sed alios neque sibi neque Ordinario loci subjectos, sed alteri tertio.

Quæris, unde sciam, quòd Episcopus confirmans subditos alienos absque licentia Ordinarij illorum, vel confirmans in aliena diœcesi absque licentia Ordinarij loci peccet mortaliter? Respondeo, quia usurpat alienam jurisdictionem in materia gravi. Dubitas de gravitate materiæ? Ecce administratio Sacramenti, ecce pœna suspensionis. 42.

Et peccat mortaliter.

Et hactenùs quidem de ministro ordinario Confirmationis. Sed quid de extraordinario? Cùm enim nemo dubitet Confirmationem esse actum Ordinis Episcopalis, quî (inquis) fieri potest, ut validè ministretur ab eo, qui non habet illum Ordinem? An fortè ex commissione Episcopi? Ignoras scriptum cap. penult. extra de Consec. Eccl. *Quia licèt Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non* potest

Cap. penult. extra de Consec. Eccl.

potest inferioris gradûs Clericis demandare?

Scriptum scio: attamen confidenter pronuntio, & unanimiter cum cæteris Doctoribus Catholicis (paucis exceptis) assero:

CONCLUSIO IV.

Minister extraordinarius Confirmationis ex dispensatione Pontificis est simplex Sacerdos.

43. Extraordinarius Confirmationis minister est simplex Sacerdos. Sotus. Pontius. Trident.

DE hac conclusione sic loquitur Sotus 4. dist. 7. q. unicâ art. 11. Est ergo jam non solùm opinio verùm & Ecclesiæ sanctio. In quam sententiam valde propendet Pontius parte 4. c. 3. n. 11. propter definitionem Trident. sess. 7. de hoc Sacramento can. 3. *Si quis dixerit sancta Confirmationis ordinarium ministrum* &c. Et decretum Eugenij IV. in Concil. Florentino, ubi ille Pontifex eisdem utitur terminis dicens: *Ordinarius minister est Episcopus*: satis significans per illum modum loquendi, ministrum extraordinarium esse simplicem Sacerdotem.

Quod fit manifestum ex decreto Eugen. IV.

Atque, ut nulla prorsùs maneret ratio dubitandi de ejus mente, in fine illius §. addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causâ simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Quem putat Pontius locutum fuisse definiendo.

Putat autem Pontius Eugenium in suo decreto locutum fuisse definiendo. Quamvis enim tempore illius decreti (quod emanavit super unione Jacobinorum & Armeniorum) Græci non adfuerint Concilio; placuit tamen Græcis Jacobinos & Armenios à Latinis instrui; ideoque edita fuit illa constitutio nomine totius Concilij, quod unum censebatur (licèt jam aliqua pars deesset) ex continuatione, præsertim præsente ipso capite summo Pontifice.

Verba Pontificis ad præsens propositum confirmandum lubens hîc exscribo: *Quis non vehementer admiretur uno eodemq; tam brevi tempore, duo sic præclara, & tot sæculis desiderata operâ* (Græcorum scilicet & Armeniorum unio cum Romana Ecclesia) *in hoc sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata?*

Et post pauca concludendo inquit: *Multis itaque adhibitis disputationibus, collocutionibus & tractatibus, postq; non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus & Doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem, tandem expedire iudicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenios hæsitatio esse valeat; atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unioq; ipsa stabilis & perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio Orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis Oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus.* Hæc Eugenius.

In quibus verbis cum Pontio supra tria considero. Primum, instructionem illam datam esse Armenijs post longam disputationem Patrum. Secundum, dari compendium ortodoxæ fidei, quam in his rebus Romana tenet Ecclesia. Tertium, dari hujusmodi compendium sacro approbante Concilio Florentino, ipso Romano Pontifice præsente. Ex cujus verbis tria colligit.

Quidquid sit de veritate fidei, quam asseveranter nolo hîc tradere propter auctoritatem DD. Catholicorum, qui post Florentinum contrarium docuerunt: & quia responderi posset, Concilium Trident. licèt definiat ordinarium ministrum esse Episcopum, nihil tamen de extraordinario tradere: Florentinum verò esto loqueretur definitivè in materijs & formis Sacramentorum, aut etiam ministris; attamen obiter solùm attingere dispensationem illam Apostolicam, neque ullum habere verbum, quod definitionem indicet. Quia, inquam, sic responderi posset, ideo sufficiat nobis certitudo theologica. 44. Nihilominus post Florentinum aliqui contrarium docuerunt.

Antequam autem ostendo hanc certitudinem paucis significo, perperam Pontium supra n. 1. citare divum Bonav. pro opposita sententia. Etenim 4. dist. 7. circa litteram Magistri sic inquit Doctor Seraphicus: *Respondeo dicendum quòd quamvis Sacerdos non possit propriâ auctoritate; tamen pro causa necessaria summus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, potest alij, quàm Episcopo committere. Et ille non facit auctoritate suâ, sed auctoritate sibi commissâ: unde ille potiùs facit cuius auctoritate fit.* Quid manifestiùs dici poterat? Est equidem Theologicè certum. Quod & tenuit Seraphicus Bonaventura.

Quod ergo eâdem dist. a. 1. q. 3. dicit: *Illud Sacramentum nec potest, nec debet per alios* (quàm Episcopos) *dispensari. Et si alij præsumunt, nihil faciunt*: quis benignus lector non interpretabitur de dispensatione ordinaria & sua auctoritate? Porrò quæ fuerit mens Doctoris Subtilis, quem Pontius ibidem docet dubitasse, statim apparebit.

Ratio itaque Conclusionis nostræ est voluntas Christi, quæ constat ex facto Ecclesiæ. *Legitur*, inquit Florent. Sed ubi? 45. Fundaturque in voluntate Christi.

Non

Greg. Papa. Non dubito quin apud Gregorium Epist. 26. ad Januarium indict. 12. & refertur dist. 95. c. 1. sequentis tenoris: *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati* (Orig. baptizandi) *sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos* (Orig. baptizandos) *Chrismate tangere debeant, concedimus.*

46. Rogas, quæ causa mutandi verba Originalis? Responsio plana est, quia Ecclesia non solet ungere baptizandum Chrismate in fronte, sed oleo Catechumenorum in pectore & humeris; neque ad hanc unctionem opus erat dispensatione Pontificis; cùm id munus perpetuò Ecclesiæ usu Presbyteris fuerit commissum.

Accedit, hanc Epistolam esse revocatoriam prioris Epistolæ ad eumdem Januarium datæ (estque 9. ejusdem indictionis 12.) in qua prohibuerat Presbyteris confirmare, dicens: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant. Sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* Refertur de Consec. dist. 4. c. 120.

Et verò quis umquam audivit Ecclesiam ab antiquo solitam ungere seu chrismare parvulos in fronte extra Sacramentum Confirmationis? Confirmationem ergo secundùm veterem Ecclesiæ usum prohibitam Presbyteris simplicibus (nam his qui simul erant Episcopi semper fuit licita) non solùm permittit, sed propter scandalum exortum, etiam positivè concedit Gregorius Epist. 26. citatâ, non uni tantùm aut alteri personæ, sed toti provinciæ, id est, omnibus Sacerdotibus Sardiniæ in absentia Episcopi.

Et Gregorio Epistolâ 26.

47. Quem secuti sunt alij Pontifices. Nicol. IV. Joan. XXII. Urban. V. Eugenius IV.

Gregorium postmodùm secuti sunt Nicol. IV. Joan. XXII. Urbanus V. & Eugenius IV. aliique Pontifices Romani dispensantes (ut refert Leo X. in Bullario Rodr. Bulla 3.) cum nonnullis fratribus Ordinis nostri in terris infidelium existentibus, ut *in casu necessitatis* (verba sunt Leonis bullâ citatâ, in qua confirmat hujusmodi privilegium) *Episcopis in Provincia non existentibus, Confirmationis Sacramentum, & Ordinationes, usque ad minores Ordines fidelibus ministrare, capellas, & altaria, nec non calices, & paramenta Ecclesiastica benedicere &c. valeant, & possint.*

Pontius. Idem, teste Pontio supra c. 3. n. 6. concessit Adrianus VI. anno 1521 die 25. Aprilis petentibus Fratre Glapione, & Francisco de Angelis, pro Indijs, & regionibus, ubi non sunt Episcopi, ut Sacerdos Regularis ex Minoribus posset cum Chrismate ab Episcopo consecrato confirmare. Dicitur autem haberi hoc indultum authenticum Hispali in Monasterio S. Francisci. Ita Ille.

Sed fallitur: nam indultum concessum isto anno & die petentibus Glapione & Francisco de Angelis, est illud Leonis X. mox allegatum, ut patet ex Bulla apud Rodr. & verò quomodo esset Adriani VI. qui creatus fuit Pontifex anno 1522?

Quorum indulta Confirmavit Adrianus VI.

Cæteroquin hic Pontifex anno primo sui Pontificatûs die 10. Maij confirmavit indulta omnia à suis prædecessoribus concessa Fratribus Minoribus existentibus in Indijs Bullâ: *Exponi nobis fecisti.* 1. apud Rodriq. ibi: *Et quia, ut accepimus, per præfatos prædecessores nostros Romanos Pontifices aliqua indulta concessa fuerunt Fratribus existentibus, aut ire procurantibus in dictis, vel ad dictas Indiarum partes, nos omnia illa confirmando, ac (quatenùs opus est de novo concedendo) volumus ut præfati Prælati Fratrum pro tempore existentes, & quibus ipsi de suis Fratribus duxerint concedendum omnibus prædictis indultis in genere, vel in specie hactenùs concessis, & imposterum concedendis, uti, potiri & gaudere liberè & licitè possint & valeant, habentes omnia pro sufficienter expressis tamquam si de verbo ad verbum insererentur.*

48. Et Gregor. XIII. dispensavit cum Patribus Societatis.

Rursùs Greg. XIII. dispensavit cum Patribus Societatis in Indijs commorantibus: & audivimus eos, inquit Pontius supra, qui se ministrasse hoc Sacramentum ex ea dispensatione asseruere, & apud eos hujus authoritatis concessæ asservari Pontificium diploma. Fides sit penes Pontium.

Quibus consonat Concilium Senonense.

Accedat Concilium Senonense in decretis morum c. 38. ubi cùm dixisset, Abbates non habere potestatem confirmandi, addit: *Quòd si qui sint, qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quòd cùm primùm fuerint requisiti à suffraganeis nostris, de privilegio fidem facere teneantur.*

Et confirmantur omnia ex declaratione Cardinalium.

Hæc omnia confirmantur ex declaratione Cardinalium ad can. 3. sess. 7. Concil. Tridentini de hoc Sacramento, sub hac forma verborum: *Abbates ex privilegio Sedis Apostolicæ de consensu tamen Ordinariorum, hoc Sacramentum Confirmationis conferre possunt.*

Dicere hos omnes errasse temerarium.

Quis porrò dicere audeat, imò possit sine injuria, Gregorium Pontificem tam doctum & sanctum, aliosque jam enumeratos non minoris potestatis, in re tanti momenti errasse? Certè convincitur summæ temeritatis, qui absque solidissimo fundamento refragatur auctoritati tot summorum Pontificum ac Conciliorum.

49. Quod maturè, ut debuit, expendens Doct. Subtilis postquam 4. dist. 7. quæst. 1. num. 2. absolutè docuisset, ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, vel alium, cui committi poterit: num. 4. & sequentibus, (occasione facti D. Greg. de quo antea) ponit 4. modos dicendi, & duos primos rejicit, 3. & 4. relinquens judicio prudentis Lectoris.

De hac materia quatuor loquendi modos ponit Scotus.

Primus modus.

Est autem *Primus, quòd Papa consensit, quòd possent ungere in fronte oleo, sed non Chrismate: sed hoc*, inquit, *est contra textum litteræ, sicut patet ibidem. Item hoc concessit, eò quòd pro eius subtractione erant quidam scandalizati; & si concessisset illud fieri oleo solo, ostendens quasi fieret Chrismate, esset simulatio contra veritatem doctrinæ, sicut si concederetur panem benedictum pro Eucharistia dari.*

Secundus modus.

Secundus modus dicendi est, quòd propter scandalum vitandum concessit illud ad tempus, vel magis permisit. Sed istud nihil est: quia utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. *Extra de Reg. Iuris c. 3. Item in hac concessione peccasset Gregorius mortaliter, si concessisset de facto, quod non potuisset de iure: & præbuisset Sacerdotibus occasionem peccandi mortaliter, scilicet faciendi quod non licebat eis facere.*

50. His duobus modis rejectis, ut nihilominùs Pontifici sua maneat irrefragabilis auctoritas, ac rectitudo facti, inquit Doctor: *Alij possunt esse duo modi dicendi probabiles. Vnus quòd in primitiva Ecclesia non erat differentia inter Sacerdotes, & Episcopos.* Quem probat duplici auctoritate D. Hier. prima ponitur dist. 95. c. 5. & intitulatur: Hier. ad cap. 1. Epistolæ ad Titum: *Olim*, inquit, *idem erat Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis*, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur* &c.

Tertius modus, quem probat duplici auctoritate Hieron.

Prima.

Secunda.

Secunda refertur dist. 93. c. 24. ex Epistola ad Evagrium Presbyterum ibi: *Cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos.* Et infra: *Quid enim facit exceptâ Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non facit?* Quæ ultima verba Scoto dederunt occasionem recedendi seu improbandi hunc modum.

Respondeo, inquit n. 6. *si à principio fuit aliquis actus proprius Episcopo, sicut dicit Hier. Præter consecrationem, quid potest Episcopus quod non potest Presbyter? ..... sequitur quod à principio erat differentia Episcopi, & Presbyteri; & tamen illæ auctoritates non concludunt oppositum, sed sunt exponendæ sicut Glossa exponit, scilicet quòd fortè nomina erant synonyma, & administratio, id est, gubernatio Ecclesiæ communis fuit, sed tamen non dispensatio quæcumque Sacramentorum. Quod probatur dist. 21:* In novo: *In loco Apostolorum surrexerunt Episcopi; sed septuaginta duorum discipulorum vicem gerunt Presbyteri: ergo à Christo fuit distinctio Episcopi, & simplicis Presbyteri.* Ita Doctor. Sed nondum statim finis.

51. *Contra*, inquit, *nonne Philippus fuit de septuaginta duobus, & Stephanus, & cæteri Diaconi non Presbyteri? Item ad Titum c.* 1. Propter hoc te reliqui Cretæ, ut constitueres Presbyteros: *Ergo non Episcopus hoc non potuit.*

Hoc etiam probatur per cap. seq. 95. dist. quod super illud Pauli fundatur: Noli negligere gratiam quæ in te est &c. Quoniam (*ait*) Presbyteri Episcopi nuncupantur, secundùm quod scriptum est ad Episcopum: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi &c. Et alibi ad majores natu: Qui vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. *Hæc Hieronymus. Non distinguit ergo Episcopum à Presbytero, quia non dicit, quòd Confirmatio fuerit data per Episcopum tantùm, sed loquitur de Presbytero. Nec etiam legitur in Actibus distinctio Sacerdotum ab Apostolis, qui erant Episcopi.* Hucusque Scotus. Immediatè subjungens:

Et si istud est verum (non asserit esse verum) *tunc Sacerdoti ex officio potuit competere confirmare, sicut & Episcopo, quia ex prima institutione non erat alius gradus in Ecclesia. Tamen propter necessitatem postea multiplicati sunt Sacerdotes, & restricta est potestas ab eis quantùm ad aliqua, quæ reservata sunt solis Sacerdotibus maioribus, qui dicti sunt Episcopi. Et talis actus esset confirmare. Quod si verum est, Gregorius bene potuit Sacerdotes illos subiectos Ianuario Episcopo licentiare ad confirmandum: quia in hoc non concessit potestatem eis non convenientem, sed revocavit prohibitionem priùs eis factam.*

Prosequitur: *Sed si contra hoc obijcias: quia secundùm ista cùm in primitiva Ecclesia non legantur alij confirmasse quàm Apostoli, si tunc quicumque Sacerdotes erant Episcopi, vel æquales quantùm ad istum actum; ergo solis Episcopis debetur ex officio. Respondeo*, inquit, *quòd vel nulli alij ab Apostolis erant Sacerdotes, quia illi soli tunc potuerunt sufficere; vel si alij erant detulerunt Apostolis in isto actu propter manifestationem Spiritûs sancti evidentem, quæ fiebat in collatione istius Sacramenti, ut cum maiori reverentia & devotione susciperetur propter excellentiam ministrorum.* Hæc Scotus pro tertio modo.

52. Cæterùm cùm & ille modus minùs placeret Doctori Subtili, utpote non plenè satisfaciens argumentis in contrarium: apposuit quartum dicens: *Quartus modus dicendi est,*

Sed cùm etiam tertius modus minùs placeret, apposuit & quartum.

est, quòd si à principio non licuit Sacerdoti simplici; Papa tamen potuit quemlibet Sacerdotem illius regionis facere Episcopum, quantum ad istum actum, non tamen conferendo sibi simpliciter gradum Episcopalem, nec quantum ad alios actus: & tunc quilibet eorum vere confirmavit tanquam Episcopus quantum ad istum actum: & ratio conferendi istum gradum cuilibet Sacerdoti quantum ad istum actum poterat esse scandalum vitandum.

Hic tandem quiescit Doctor non dubitans (ut perperam illum intelligit Pontius cap. 3. num. 1) de concessione Pontificis, aut ejus sufficientia, (quam palam ubique supponit) sed post diligentem inquisitionem modi explicandi hujusmodi dispensationem, tacitè innuens hunc quartum, cui nihil omnino opponit, fore amplectendum. Quem & ego discipulus minimus inhærens vestigijs tanti mei Magistri cæteris præferendum judico; atque ita explico.

Quem tacite innuit amplectendum.

53. Pontifex potestatem confirmandi solis Episcopis propriam, jure scilicet ordinario ex divina institutione per se & primario ac independenter, illam, inquam, validè & licitè ex rationabili causa delegat simplici Sacerdoti, qui vi suæ Ordinationis proximè capax est hujusmodi commissionis, & remotè ac dependenter ipsius actûs Confirmationis. Facere ergo Sacerdotem Episcopum quoad istum actum, non est aliud, quàm potentiam ejus remotam, fundatam in Ordine & charactere Sacerdotali, per dispensationem sive delegationem reducere ad potentiam proximam.

Qui modus ab auctore explicatur.

Eodem fere modo, quo potestas remota ad absolvendum, quam quilibet Sacerdos accipit in sua Ordinatione, fit proxima per potestatē jurisdictionis ordinariam vel delegatam, postmodum ab Ecclesia collatam.

Et per simile declaratur.

Deinde ceu Parochus rectè negatur habere potestatem excommunicandi, scilicet ordinariam vi officij sui, licèt eam delegatam possit accipere à summo Pontifice, ita etiam verissimè dicitur, simplicem Sacerdotem non habere potestatem confirmandi, scilicet ordinariam vi characteris Presbyteralis, quamquam eam delegatam queat à Papa accipere.

Itaque potestas confirmandi tam Episcopo, quàm Presbytero, competit ratione Ordinis, ac consecrationis; Episcopo, quidem completè & proximè: Presbytero verò conditionatè, si accedat dispensatio Pontificis, quod est competere in potentia remota. Et ideò hæc potestas nullo modo pertinet ad potestatem jurisdictionis.

Pontius.

Nec hoc mirum alicui videri debet (inquit Pontius parte 4. cap. 6. n. 6.) Nam character non est aliqua potentia physica, quæ eodem modo semper operetur, sed est qualitas realis significativa ex voluntate divina. Sicuti ergo character sacerdotalis non significat absolutè & simpliciter potestatem absolvendi à peccatis, sed sub conditione, si accesserit jurisdictio, sic quoque non significat simpliciter & absolutè potestatem confirmandi, sed conditionatè, si advenerit commissio Pontificis, ut constat ex doctrina Ecclesiæ tradita in factis Pontificum, in praxi, & Conciliorum decretis, in quibus error tam perniciosus esse non potest.

Ex his non difficilis est responsio ad caput penultimum extra de Consec. Eccl. ubi Gregorius IX. scribit Astoricensi Episcopo in hæc verba: *Aquâ per Episcopum benedictâ Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes: non obstante consuetudine provinciæ Braccarensis (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare.* Ita Pontifex. 54.

Ex quibus facilis deducitur responsio ad quoddam cap. Juris Canonici.

Ubi dicitur, (inquit Pontius parte 4. c. 3. n. 10) ea, quæ consecrationis sunt, non consecrato committi non posse.

An textum inspexerit nescio. Credo sic verba Pontificis perstrinxisse, ut nullo negotio satisfaceret objectioni respondendo, prout ibidem respondet: In Presbytero esse consecrationem remotam, sufficientem, ut positâ conditione possit ministrare Sacramentum Confirmationis, sicut etiam in illo ratione Ordinis est sufficiens fundamentum, ut accedente jurisdictione (ut dici solet) possit absolvere à peccatis, à quibus sine ea invalidè absolvit. Et etiam ratione Ordinis est in Presbytero sufficiens fundamentum; ut possit illi committi ministerium Sacramenti Ordinis, quod sine ea commissione inaniter & invalidè conferret. Non ergo committitur exercitium Confirmationis non consecrato, sed consecrato. Hactenùs ille.

Quod non bene interpretatus est Pontius.

Responsio conformis lectioni, sed vitiosæ, & planè repugnanti verbis, & menti Pontificis, quod sic ostendo. Prohibet Papa Ecclesiam reconciliari per simplicem Sacerdotem etiam ex commissione Episcopi. Quare? quia hæc reconciliatio est Ordinis Episcopalis, quæ autem Ordinis Episcopalis sunt, nequit Episcopus demandâre Clericis inferioris gradûs. 55.

Ut ex verbis Pontificis ostenditur.

Rogo Pontium, qui sint isti Clerici inferioris

rioris gradûs; an fortè Diaconus, aut Subdiaconus? sed & isti consecrati sunt. An Clerici minorum Ordinum, aut primæ Tonsuræ? Ast & illi suo modo Deo oblati sunt.

Et esto solus Sacerdos propriè sit, & dicatur consecratus, reliqui autem inferioris gradûs Clerici non consecrati: quomodo tunc benè argumentatur Pontifex: Episcopus non potest demandare ea, quæ sunt sui Ordinis, Clericis inferioris gradûs, id est, Diaconis, Subdiaconis &c. ergo non potest committere reconciliationem Ecclesiæ simplici Sacerdoti? Num forsitan hæc consequentia bona sit apud Pontium: Episcopus non potest Diacono, aut alij Clerico inferioris Ordinis committere administrationem Sacramenti Confirmationis; ergo neque simplici Sacerdoti?

Qualiter ergo sit efficax Pontificis probatio demonstratur.

Ut ergo probatio Pontificis sit efficax, indubiè sub his verbis: *Inferioris gradûs Clericis* comprehendit simplices Sacerdotes. Ac proinde, uti hoc tempore vi istius prohibitionis Episcopus invalidè committeret simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ; sic pari jure & ratione invalidè committeret actum Confirmationis, Pontifice sibi illam commissionem reservante, sicuti reservat impedimenta Matrimonij, approbationem Religionum, dispensationem in quibusdam votis, & similia.

56. Rogas unde sciam reconciliationem Ecclesiæ consecratæ (de illa enim sola loquitur Pontifex) factam hodiè à simplici Sacerdote ex commissione Episcopi fore invalidam? Respondeo, primò ex his verbis Pontificis: *Licèt Episcopus committere valeat*, id est, validè possit, *quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest*, id est, non valet, *inferioris gradûs Clericis demandare*.

Episcopus invalidè committit simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.

Secundò ex verbis immediatè subsequentibus: *Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est hactenùs per eosdem, misericorditer toleramus*.

Obiss. Ubi Glossa verb. *Toleramus*. objicit, & solvit: *Sed videtur quòd ista sola tolerantia non sufficiat sibi, nisi iterùm reconcilietur per Episcopum: quia nulla fuit reconciliatio: ergo iterum debet reconciliari; sicut si aliquis ordinatur ab eo, qui ordinandi potestatem non habebat, iterùm debet ordinari* 68. *dist.* Presbyteri *& infra de Presbyt. non baptizato c.* 1. *&* 3. Ecce objectio.

Sequitur solutio. *Sed dic quòd per talem tolerantiam ratam habet talem reconciliationem, & incipit valere ex tunc, cùm prima nulla fuisset, & ita de nihilo facit aliquid. Sic* 3. *q.* 6. Hoc quippe: *& de Consec. dist.* 2. Revera. *quia potest Princeps mutare naturam rei. C. de rei uxo. actio. lege unica circa principium Bernardus.* Hactenùs Glossa. Si ante illam prohibitionem Gregorij erat hujusmodi reconciliatio invalida, quantò potiùs post illam, quando jam ampliùs ab Ecclesia non toleratur?

Cæterùm posse delegari reconciliationem Ecclesiarum simplicibus Sacerdotibus, nimis clarè probant privilegia mendicantium. Unum adfero ex Bulla Leonis X. *Religionis honestas* (6. apud Rodrig.) in qua sic Pontifex loquitur: *Ac vestri Ordinis Generalibus, Vicarijs, ac Provincialibus, & Custodibus, ac Guardianis præfatis pro tempore existentibus, ut omnia & singula eiusdem Ordinis & observantiæ Ecclesias, Cœmiteria ac capitula, & Oratoria ubicumque existentia receptas, & recepta, & recipiendas seu recipienda, solemni benedictione benedicere: ac illas, seu illa, & eorum quodlibet sanguinis seu seminis effusione, seu aliàs quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opùs fuerit, aquâ per vos, præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis, benedictâ, reconciliari liberè & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus & indulgemus.* 57.

Validè committit Pontifex.

Ut ostendunt Mendicantium privilegia.

Constat autem ex capite penultimo citato reconciliationem Ecclesiarum esse actum Episcopalis Ordinis, constat, inquam, & tamen, ut ex prædicto privilegio & alijs similibus luculenter patet, Pontifex pro tempore existens validè & licitè delegat potestatem reconciliandi; ergo consimiliter potestatem confirmandi poterit concedere, esto Confirmatio sit actus Ordinis Episcopalis. Ac proinde solis Episcopis censetur prohibita hujusmodi commissio, jure saltem humano, si non scripto, certè consuetudinario.

Non obstante quòd talis reconciliatio sit actus Ordinis Episcopalis

Adeoque committi poterit potestas Confirmandi.

Et idcirco dixi in conclusione; *Ex dispensatione Pontificis*; quæ dispensatio stante prohibitione Ecclesiæ, non tantùm requiritur ad ministerium licitum, sed etiam validum, sic quòd Confirmatio collata à simplici Sacerdote ex delegatione solius Episcopi pro invalida haberi debeat; prout etiam reconciliatio Ecclesiæ, ut superiùs ostendi, quæ fieret ex simili delegatione. Quid miramur? Nam & ipsa delegatio invalida est. 58.

Qua commissione seclusâ invalida erit Confirmatio.

Nonne dispensatio Episcopi in votis reservatis, approbatio Religionum, impedimenta Matrimonij & similia communiter censentur invalida? Prorsus ita est: non enim sunt actus Ordinis, sicuti v. g. est Consecratio, aut Ordinatio, sed potiùs actus jurisdictionis, quâ jurisdictione Papa Episcopos potest privare, utpote immediatè ab Ecclesia ipsis concessâ, ut suppono

ex

ex tract. de legibus, & alibi dictis, atque dicendis.

Cæterùm mihi videtur verius (inquit Pontius parte 4. c. 3. n. 4.) potestatem dispensandi in hac re, id est, potestatem constituendi extraordinarium ministrum Confirmationis, non solùm residere penes summum Pontificem, nisi reservata esset. Hanc sententiam tenet Ledesma in 4. dist. 7. q. 1. a. 11. Layman Tract. cit. c. 7. Alphonsus Salmeron To. 12. in Acta Apostolorum Tract. 16. Vers. *An verò Episcopi*. Hæc Ille.

Potestas committendi resideret penes Episcopos, nisi esset Pontifici reservata; ut aliqui volunt; *Pontius. Ledesma. Layman. Salmeron.*

59. Probat Primò; quia secundùm probabilem sententiam Episcopus potest in sua diœcesi quidquid Pontifex potest in tota Ecclesia, nisi specialiter ipsi reservetur, aut pertineat ad universalem Ecclesiæ statum seu regimen, ut definire res fidei, quod exigit specialem assistentiam Spiritûs sancti, quæ non est promissa singulis Episcopis.

Potest enim Episcopus in sua diœcesi quod Papa in tota Ecclesia;

Confirmatur: quia ante reservationem Pontificis poterat Episcopus cum suis dispensare in quocumque voto, approbare Religiones pro sua diœcesi, constituere impedimenta Matrimonij, & similia, quæ sunt actus jurisdictionis, ut mox dictum est: ergo similiter committere potestatem administrandi Confirmationem.

60. Probat Secundò ex consuetudine Græcorum, quorum Presbyteri à primis fere temporibus hoc Sacramentum confecerunt. Testes sunt D. Ambr. & D. Aug. Conclus. præcedenti citati, vel si qui alij sint auctores istorum librorum. Id autem non fuisse factum ex concessione Pontificis patet, quia peracto Concilio Florentino, & confectis litteris Unionis, Eugenius Pontifex undecim proposuit Græcis quæstiunculas (quarum 6. erat: *Cur Presbyteri non autem Pontifices*, id est, Episcopi, *sacrò Chrismate utuntur, cum soli Pontifices eò uti deberent?*) & statim additur: *Quas quidem quæstiunculas Præses Mitylenensis dissolvisse facilè visus est, ultimis duabus exceptis, videlicet*, Cur Matrimonia separent? Cur suum Patriarcham ibidem non eligant? *In quibus cum summo Pontifici neutiquam satisfecerit, summus Pontifex Imperatorem rogavit, ut doctiores de Pontificibus suis ad ipsum mitteret; quippe qui duas ipsas ambiguitates meliùs explicare scirent.* Ita legitur Tomo 4. Concil. circa finem Concil. Florentini.

Idque confirmat consuetudo Græcorum,

Ergo (infert Pontius parte 4. cap. 5. num. 10.) licita fuit & secundùm Canones ea consuetudo Græcorum. Sed non ex dispensatione Pontificis, eam enim non poterat ignorare Eugenius: ergo ex dispensatione solius Episcopi.

Respondeo: licèt Romanus Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censeatur habere; *tamen*, ut dicitur c. 1. de Const. in 6, *locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta (cùm sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare.* Potuit ergo Eugenius ignorasse dispensationem (utpote facti, & in facto particulari consistentem) à suis prædecessoribus vel immediatè, vel mediantibus Episcopis tamquam ejus delegatis, dispensationem, inquam, concessam Presbyteris Græcis administrandi hoc Sacramentum. 61.

Fundare in solius Episcopi dispensatione.

Dico, *vel mediantibus Episcopis tamquam eius delegatis*; quia quod Pontifex per se ipsum potest potestate ordinariâ jurisdictionis, videtur etiam posse per alium. Quidni posset? Siquidem *More majorum ita comparatum est, ut is demùm iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet*. Lege 5. ff. de Jurisdictione. Enimverò *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum*. Reg. 72. de Reg. Juris in 6. Igitur delegato Pontificis dispensante, est perinde ac si Pontifex dispensaret.

Quin imò plerumque magis expedit eam facultatem dispensandi alteri committere, qui visâ necessitate locorum sæpe valde distantium, cæterisque circumstantijs maturè expensis, rem certiùs informatus exequatur; sicut ideo Papa habet Nuntios in partibus.

Quamvis ergo Sacerdotes Græci multis sæculis validè confirmaverint, haud equidem ex sola commissione Episcoporum, sed vel ex tacita dispensatione, seu consensu virtuali ac præsumpto Pontificum, vel certè ex commissione olim data ab Apostolis, qui (exceptâ dignitate Capitis) jurisdictionem Papalem habuisse putantur. Sicuti in principio Ecclesiæ Religiones fuerunt approbatæ ab Episcopis sciente & tacente Pontifice: quo tacito consensu Ecclesia vice Dei sufficienter acceptabat vota, quæ in Religione sic approbata emittebantur. 62.

Respondetur equidem Græcos hoc non voluisse ex sola Episcoporum commissione,

Sed vel expresso, vel tacito Ecclesiæ consensu

Et sanè aliud nihil probant testimonia Ambros. & August. quàm Sacerdotes validè confirmasse absente Episcopo, an ex ipsius dispensatione, an verò Pontificis tacitâ vel expressâ, ibi non dicitur. Quin & Suarius hîc disp. 36. sect. 1. existimat Sanctos illos loqui de eo tempore, in quo Presbyteri simul ordinabantur Episcopi: quod valde displicet Pontio, sed immeritò, ut patet ex dictis Conclus. præcedenti. Res non meretur longiorem discussionem. Placet tamen breviter respondere ad ea, quibus aliqui

Quod solùm probant testimonia Ambros. & Augustini.

aliqui probare contendunt, numquam à Græcis Sacerdotibus validè fuisse administratum hoc Sacramentum.

63. Atque in primis, nemini mirum videri debet, quòd Bulgari à Presbyteris Photianis confirmati, ab Episcopis Latinis fuerint reconfirmati. Siquidem declarat Synodus VIII. can. 4. quæ collata sunt Photio, & ipse in alios contulit sacra ministeria nullius esse efficaciæ; Ergo nec Photius verus Episcopus; nec ab illo ordinati veri Sacerdotes.

Sed esto, fuerit Photius verus Episcopus: num etiam Bulgari veri ipsius subditi? Minimè. Ergo dispensatio Photij respectu Bulgarorum invalida; nam potestas remota, quam habet simplex Sacerdos, in ordine ad confirmandum compleri debet per jurisdictionem datam à Pontifice, vel saltem ab Episcopo. Jurisdictio autem essentialiter respicit subditum; ergo Confirmatio istorum Bulgarorum etiam ex hoc capite fuerat invalida.

Licèt quippe ipsa Confirmatio secundùm se non sit actus jurisdictionis, sed Ordinis, ut priùs diximus; adeòque Episcopus possit quemlibet, etiam non subditum, validè confirmare; secùs tamen dispensatio sive commissio facta Sacerdoti; quæ proinde non solùm respicit subditum, cui committitur potestas, sed necessariò quoque subditos, quibus Sacramentum ex tali potestate ministratur; sicuti delegatio jurisdictionis, per quam completur potestas ordinis ad absolvendum à peccatis non egreditur subditos delegantis.

Commissio facta Sacerdoti respicit subditum ministrum, & subditos quibus ministratur.

Eodem planè modo, quo Sacerdos habens potestatem delegatam conferendi Minores ordines, Subdiaconatum, aut Diaconatum, invalidè confert illos Ordines non subditis jurisdictioni delegantis, aut subditis, respectu quorum non habet privilegium; licèt Episcopus, qui habet potestatem ordinariam per se & primario vi suæ Ordinationis Episcopalis, quemlibet, etiam non subditum, & contradicente v.g. Pontifice, validè ordinet, ut proprio loco dicetur.

Confirmaturà simili.

64. Nec quempiam moveat, quod olim scripsit Innoc. III. Lucio Vicario suo apud Constantinopolim constituto (& refertur cap. quanto 4. de Consuetudine) *Pervenit ad audientiam nostram, quòd quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manùs impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis solam consuetudinem prætendentes.*

Et infra: *Discretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Presbyteris districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant, quæ licet non sint à fidelibus contemnenda: tutius tamen est, ea sine periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quàm ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine gravi periculo inaniter conferantur; cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.*

Scriptam Innoc. III. concernit solos latinos.

Hæc, inquam, neminem movere debent; quia ut notat Pontius parte 4. c. 5. n. 13. loquitur de solis Presbyteris Latinis, qui illo tempore dominabantur Constantinopoli, ut Historici tradidere, inquit Ille.

Pontius.

Probatur autem ista interpretatio, quia extat lib. 2. Epist. Innoc. quædam Epistola ad omnes Latinos tam Clericos quàm laicos apud Constantinopolim constitutos, ut legato Apostolico obtemperent.

Extat etiam simul alia ejusdem Innoc. Epist. ad Lucium Vicarium suum in illis partibus, ex qua Epistola textus ille desumptus videtur, ubi inter alia, sequentia lego: *Volentes igitur hæc & alia, quæ oculos Divinæ Maiestatis offendunt, de agro dominico extirpari, discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs omnibus Latinis Presbyteris, apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant* &c. Quid clarius?

Hanc interpretationem non patitur Innoc. IV. qui in litteris ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis legatum in Regno Cypri (quæ extat apud Cherubinum bulla 14. edita anno 1254. 2. Non. Martij Pontificatûs Innoc. anno 11.) §. 3. n. 4. sic statuit: *Soli Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi.* 65.

Hanc interpretationē non patitur Innoc. IV.

Soli, inquam, *Episcopi*, utique Græci in Regno Cypri commorantes, inter quos ex una parte, & Archiepiscopum Nicosiensem, & ejus Suffraganeos Latinos ex alia, exorta fuerat controversia de quibusdam certis articulis. Et patet manifestè ex n. 1. illius §. 3. qui sic incipit: *Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, ut Græci eiusdem Regni in unctionibus* &c.

Quid igitur? Non dubium quin in potestate Pontificis sit, consuetudinem illam prohibere, & prohibendo cassare & annullare, quod vi illius attentatum fuerit. Putat tamen Pontius, quandoquidem illæ litteræ solùm datæ fuerint pro regno Cypri, toto fere oriente contrarium observante, legatum Pontificis propter scandalum noluisse decretum

Unde etiam potestate Pontificis talem consuetudinem annulare.

decretum promulgare, neque executioni mandasse, eò quòd fieri commodè non posset.

Sed hæc mera conjectura est; promulgatum fuerit vel non, solùm inde sequitur à tempore promulgationis in illo Regno Presbyteros non potuisse validè confirmare, neutiquam autem consuetudinem antecedentem fuisse illegitimam.

66. Similiter respondetur ad Clementem VIII.

Consimiliter responderi posset ad Clementem VIII. qui in brevi quadam instructione super aliquibus ritibus Græcorum (habetur apud Cherubinum Bulla: *Sanctissimus Dominus noster* 34. edita 1595. die 31. mensis Augusti, Pontificatûs ipsius anno 4.) primò omnium decernit: *Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent.*

Cujus instructio directa fuit ad Episcopos Latinos apud quos Græci degebant.

Notandum autem illam instructionem directam fuisse ad Episcopos Latinos, in quorum Diœcesibus Græci, vel Albanenses Græco ritu viventes, degebant, & per consequens illam prohibitionem factam fuisse solis Presbyteris Græcis inter Latinos commorantibus. Probè enim sciebat Pontifex in Græcia valde difficile fore, ut ea constitutio acceptaretur à Græcis Presbyteris inter Græcos degentibus. Atque ut ad omnes omnino directa fuisset, ad summum sequitur ab illo tempore & deinceps confirmationem istorum Presbyterorum fuisse invalidam.

67. Nec obstat quod ibidem secundo loco statuit Pontifex dicens: *Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos, à Presbyteris Græcis de facto Chrismate in fronte consignatos, confirment*: quoniam loquitur de infantibus & alijs baptizatis subjectis Episcopis Latinis. Quis autem dederat Presbyteris Græcis commissionem confirmandi sibi non subditos?

Ibidem loquitur de subjectis baptizatis Episcopis Latinis.

Deinde Græcis aut omnibus, aut saltem aliquibus tota potestas confirmandi à Photiano tempore adempta fuerat. Quia tamen dubitari poterat an postea non fuisset restituta, propter ea, quæ habentur in fine Concil. Florent. de quibus supra, addidit Pontifex: *Tutiùs videtur ut cum cautela & sub conditione id faciant, videlicet.* N. si non es confirmatus, ego consigno te signô crucis, & confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti. *Præsertim verò cùm verisimiliter dubitari potest, quòd ab Episcopis Græcis fuerint baptizati*, per consequens validè confirmati, cùm illo tempore utrumque Sacramentum simul conferri soleret.

Prudenter itaque Clemens voluit repeti Sacramentum Confirmationis, saltem sub conditione; tum propter dubietatem commissionis sive à Pontifice, sive etiam ab Episcopis, quos ritè ordinatos vehementer ambigi poterat; tum etiam propter incertam materiam, cùm verum Chrisma apud ipsos rarissimum esset, sive ex defectu materiæ, sive ex defectu consecrationis à legitimo Episcopo.

Prudenterque voluit repeti Confirmationē saltem sub conditione.

Neque fortiùs urget quod adducitur ex Bulla Pij IV. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* apud Cherubinum 74. editâ Anno 1564. die 16. Febr. Pontificatûs anno 5. tum quia dirigitur ad Episcopos Latinos Regni Siciliæ, in quorum diœcesibus commorabantur Græci: tum quia intentum Pontificis solùm fuit subijcere Græcos jurisdictioni Ordinariorum circa ea, quæ Dei cultum & Sacramentorum administrationem animarumque salutem & hæresum extirpationem concernunt. 68.

68. Neque fortiùs urget bulla Pij IV.

Utpote directa ad Latinos regni Siciliæ.

Colligo ex verbis sequentibus: *Vt ipsi locorum Ordinarij quascumque Græcorum Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia pia loca, tam secularia quàm cuiusvis Ordinis regularis, eorumq; Prælatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, Ministros, & quasvis alias eiusdem nationis personas in suis civitatibus & diœcesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis ordinariam suam iurisdictionem, plenamq; & omnimodam superioritatem, in ijs quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem & animarum salutem, hæresumq; extirpationem concernunt, exercere & exequi liberè & licitè valeant.*

Cum intentione subijciendi Græcos jurisdictioni Ordinariorum.

Nota quòd attexitur: *Reliquis ipsorum Græcorum in divinis, alijsq; ritibus à Sede Apostolica approbatis, nec non privilegijs & gratijs Apostolicis intactis remanentibus.* Jam autem ritus confirmandi per manûs Presbyterorum apud Græcos videtur in Concilio Florent. per Eugenium approbatus.

Denique, ut finem imponam huic discursui, nullius momenti est, quod aliqui opponunt ex litteris Palæologi Imperatoris Græcorum missis ad Gregorium X. in Concil. Lugdunensi II. OEcumenico, ubi Imperator inter cætera sic ait: *Tenet etiam & docet eadem sancta Romana Ecclesia septem Ecclesiastica Sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra, aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt chrismando renatos.* Quam esse veram sanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem corde & ore profitetur. 69.

69. Multò minùs urgent litteræ Palæologi Græcorum Imperatoris.

Profitentis Sacramentum Confirmationis conferri per Episcopum.

Profitetur omnino, uti etiam Sacramentum Eucharistiæ in azimo confici, ibi: *Sacramentum Eucharistiæ ex azimo conficit Sancta Romana Ecclesia.* Num ideo in illo Concilio

Concilio abrogatus fuit mos Græcorum conficiendi Eucharistiam in fermentato? Minimè.

Quia loquitur de Ecclesia latina.

Profitetur ergo Imperator, Eucharistiam in aximo confici scilicet in Ecclesia Latina, & similiter in Ecclesia Latina conferri Sacramentum Confirmationis per manûs Episcoporum: Num propterea abrogata consuetudo Græcorum confirmandi per impositionem manuum Presbyterorum? Nequaquam.

Attendite verba, quibus Imperator concludit suam professionem: *Rogamus magnam Sanctitatem vestram, ut Ecclesia nostra Græcorum dicat sanctum Symbolum, sicut dicebat hoc ante schisma usque in hodiernum diem, ut permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma, qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra divina præcepta, nec contra doctrinam novi & veteris Testamenti, nec contra sanctum Concilium universalium istorum Patrum approbatorum, à sanctis spirituali dominatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ celebratis. Hoc igitur non grave est vestræ magnæ Sanctitati, nec inassuetum, & nobis nunc difficile, propter infinitam multitudinem populi.*

Unde exposcit conservationem veterum rituum.

Porrò in rescripto Pontificis ad eumdem Imperatorem, & alio ad ejus filium, nihil est, quod vel leviter indicet id, quod de ritibus conservandis exposcitur, fuisse denegatum: Immò fuisse indultum non parùm probatur ex confectione Eucharistiæ in fermentato.

Quæ non fuit negata à Pontifice, sed potius indulta, ut patet ex confectione Eucharistiæ in fermentato.

70. Hæc de commissione Episcopali apud Ecclesiam Græcam, & consuetudine confirmandi per manûs Presbyterorum; qui plura voluerit adeat Basilium Pontium loco supra memorato.

Redeo ad commissionem Pontificiam, & quæro Primò, an si non liceat, saltem valeat sine justa causa? Secundò, an expiret morte committentis? Et Tertiò, an alteri fieri possit quàm Sacerdoti? Ut autem ab illis, quæ faciliora sunt & magis certa incipiam: Respondeo ad 2. & 3.

CONCLUSIO V.

Commissio sive dispensatio Pontificia administrandi Sacramentum Confirmationis non expirat morte Pontificis. Nequit fieri alteri quàm Sacerdoti.

71. Posterioris partis ratio est; quia non legitur Papam aliquando illam potestatem concessisse Clerico inferioris gradûs, minùs laico. Quod argumentum negativum magis hîc obtinet, quàm in aliis materiis; quia ex praxi Ecclesiæ præcipuum sumitur argumentum asserendi, Pontificem validè hoc Sacramentum committere simplici Sacerdoti; ex illa quippe sola colligimus voluntatem Christi, quæ est ratio à priori.

Commissio Confirman-di nequit alteri fieri quàm sacerdoti.

Planè autem conveniebat, ut qui habet potestatem propinquam in corpus Christi verum, haberet saltem remotam in corpus Christi mysticum, etiam quoad ministerium hujus Sacramenti, quoniam licèt non necessarium per se, interdum tamen per accidens, & semper valde expediens utilitati fidelium.

Patet ex praxi negativa Ecclesiæ.

Si inferas: ergo etiam habet potestatem remotam ordinandi Sacerdotes, vel Diaconos. 72.

Resp. neg. conseq. quia nullibi legitur illis concessa talis potestas propinqua, saltem conferendi Ordinem sacrum Sacerdotii; nam de Ordine Diaconatûs, aliqui dubitant, & nos cum illis, ut proprio loco videbimus. Deinde par non habet potestatem in parem; & Diaconus cùm sit immediatus minister Episcopi, ab illo congruit eligi, & non ab inferiori.

Nec obstat quòd unus Episcopus ordinet alium, quoniam nullus datur ipsô superior; & ita fieri posse docet praxis Ecclesiæ.

Venio ad priorem partem, cujus ratio petitur ex cap. *Si super gratia* 11. de Offic. deleg. in 6. ubi generaliter statuitur gratiam (qualis est præsens commissio) non expirare morte concedentis ibi: *Ut sicut ipsa gratia (licèt nondùm sit in eius executione processum) morte non perimitur concedentis; sic nec etiam re integrâ perimatur executoribus data potestas, quam veluti gratiæ prædictæ accessoriam, naturam sequi congruit principalis.* Ubi cùm jus non distinguat, nec nos debemus distinguere, nisi ratio cogat. 73.

Commissio Confirmandi non expirat morte Pontificis.

Quia gratia non expirat morte concedentis cap. Si super gratia de offic. deleg. in 6.

Et quamvis jura videantur loqui in casibus particularibus, tamen non utuntur ratione aliquâ pertinente ad solos illos casus; sed magis formâ concessionis, quæ in omnibus est eadem. Quæ ergo ratio istius juris? *Ne gratiam eamdem vel reddi quandoque omnino inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cum illius dispendio cui facta extitit) differri contingat.* Ita Bonifac. VIII.

Cæterùm quòd aliqui dicunt, textum illum loqui in materia beneficiali, falsum esse probant verba textûs: *Si super gratia cuiquam ab Apostolica sede facta executores fuerint deputati, æquum esse censemus, ut sicut* &c. ut supra; 74.

Quod perperam aliqui restringunt ad materiam beneficialem.

71\. Commissio Confirman-

supra; in quibus patet nullam fieri mentionem beneficij: unde & Titulus illius capitis sic habet: *Executor super gratia facta datus à Papa* &c. non dicit; *super gratia beneficiali*; sed simpliciter, *super gratia*, scilicet quacumque.

Et ut sic esset, si gratia in materia ambitiosa, quæ ab omnibus reputatur odiosa, non expirat morte concedentis, quantò minùs in materia favorabili, qualis est administratio Sacramentorum?

Non potest ostendi ullum jus positivum, quod limitat concessionem absolutam privilegij ad vitam concedentis.

Profectò nullum jus positivum ostendi potest, quod in tali materia limitat concessionem absolutam privilegij ad vitam concedentis. Favetque ratio naturalis dictans Pontificem talem posse habere voluntatem.

Unde quando restringere vult gratiam privilegij, addit ly *Ad beneplacitum meum, Quamdiu voluero*, aut similem particulam, quæ expresè significet gratiam cum morte concedentis expirare. Quando ergo absolutè concedit (de qua concessione intelligo nostram responsionem) absque hujusmodi particulis, evidens signum est, quòd velit voluntatem suam valere, etiam post mortem, juxta Reg. juris 16. de Reg. Juris in 6. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.*

Regula Juris 16. in 6.

75. Hanc doctrinam aliqui limitant, nisi solùm datum esset mandatum, certas aliquas personas confirmandi; hoc enim morte concedentis expiraret, argumento cap. 36. de Præbendis in 6. ibi: *Secùs si super provisione certæ personæ facienda sit data potestas eidem non ob suam, sed eius cui provideri mandatur gratiam vel favorem: illa quidem expirat omnino, si concedens re integrâ moriatur.*

Excipiunt aliqui, si solùm esset mandatum aliquas personas Confirmandi argumento cap. 36. de Præben. in 6.

Sed hoc jus tantùm loquitur de materia beneficiali.

Respondeo materiam beneficialem (de qua sola agitur in illo textu, ut ex verbis patet) utpote ambitiosam, odiosam esse; adeòque stricti juris, ac proinde dispositionem in illa specialiter factam minimè extendi debere, aut communicari materiæ favorabili, qualis est administratio Sacramentorum; *Ne gratiam eamdem* (utor ratione Bonifacij supra allegata) *vel reddi quandoque omnino inutilem, vel ipsum effectum in tempus longius (cum illius dispendio cui facta extitit) differri contingat.*

76. Instantia.

Si dixeris: potestas illa confirmandi non est gratia, seu privilegium concessum, sed tantùm concedendum; etenim cùm non sit data in favorem confirmantis, respectu illius non habet rationem privilegij; non etiam respectu confirmandi; siquidem ille nullum adhuc jus acquisivit, sed tantummodo via parata est ad gratiam obtinendam.

Respondeo: quid si Pontifex committeret potestatem confirmandi nullâ personarum factâ expressione, equidem in favorem dumtaxat confirmandorum; num propterea talis delegatio non esset gratia concessa, sed solùm concedenda? Solutio.

Esset, inquis, gratia concessa; quia particularis intentio Principis nequit mutare naturam rei secundùm se. Jam autem potestas generalis confirmandi ex natura sua est verus favor simplicis Sacerdotis, cui committitur. 77.

Optima responsio. Sed interrogo rursùm: quidni etiam potestas restricta sit verus favor, quamvis non tam magnus? Siquidem sine illa invalidè confirmat, & habitâ liberè utitur. Aut si necessariò confirmat hanc particularem personam; quomodo jam non est gratia facta ipsi confirmando? Etenim ante effectum istius privilegij, acquisivit strictum jus ad illum obtinendum. Sed de hoc impræsentiarum satis, quia propria ejus tractatio spectat ad materiam de privilegijs.

Superest prima quæstio, an videlicet commissio administrandi Sacramentum Confirmationis facta simplici Sacerdoti si non liceat sine justa causa, saltem valeat? Communior responsio est

CONCLUSIO VI.

Pontifex graviter peccat delegando sine justa causa potestatem administrandi Sacramentum Confirmationis simplici Sacerdoti. An autem quod factum fuerit valeat, sub judice lis est.

PRima pars non indiget probatione: siquidem talis delegatio est abusus jurisdictionis, quæ data est à Christo Pontifici, non in destructionem, sed ædificationem; præsertim cùm cedat aliquo modo in præjudicium ministri Ordinarij. Itaque congruum regimen Ecclesiæ requirit justam causam, saltem ad licitam dispensationem. Unde appositè Concil. Florentinum: *Legitur*, inquit, *aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa* &c. 78.

Pontifex sine causa committens Confirmationem graviter peccat.

 Quòd

Equidem si factum fuerit, valet.

Quòd autem hæc causa non sit necessaria ad valorem probant communiter DD. quia illa delegatio non est propriè dispensatio, utpote quæ non ita fit contra legem, quàm secundùm legem & institutionem Christi, qui etiam simplices Sacerdotes, ut supra dictum est, instituit ministros ex commissione.

Sanè, inquis, tot ævis Græci Presbyteri indiscriminatim habuerunt talem commissionem; quod signum est non adeò requiri causam, saltem ad valorem; aut si requiratur, eam non posse moraliter seu practicè deesse. Speciosa verba.

Quid si ergo Pontifex hoc tempore committeret istam potestatem omnibus Sacerdotibus Belgij: an quia Græci tot ævis ex justa causa confirmarunt, puta, quia simul administrabant Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, an inquam, ideo non deesset justa causa in Belgio, ubi hæc consuetudo non viget, sed separatim administratur Baptismus cum unctione in vertice? Credat qui volet.

Cur hæc commissio vocetur dispensatio.

Interim vocatur hæc commissio à Florentino supra dispensatio, vel quia Concilium attendit factum Gregorij, qui antea expressè prohibuerat Confirmationem Sacerdotibus (quamvis & ista nova commissio fuerit abrogatio legis magis, quàm dispensatio) vel quia est quid simile dispensationi, eâ scilicet ratione, quâ Prælati tamquam dispensatores mysteriorum Dei & procuratores supremi, dispensant jurisdictiones, facultates & privilegia, etiam non contraria legibus. Sicuti nec dispensatio votorum est propriè dispensatio in lege, sed condonatio obligationis ortæ ex voto facta à Prælato nomine ipsius Dei.

79. *Dubium cur hæc dispensatio non sit invalida, si sit invalida dispensatio voti.*

Sed hinc oritur quæstio, cùm dispensatio in voto sine justa causa non solùm sit illicita, sed etiam invalida, ut communiter docent Theologi, cur non similiter erit invalida dispensatio sine justa causa in ministro Confirmationis? Nam ratio videtur eadem, puta quia alioquin Deus dedisset specialem potestatem ad id quod illicitum est, ut proinde meritò Deo peccatum istud imputaretur. Vel assignetur alia ratio quare dispensatio in voto sine causa sit invalida.

80.

Instantia.

Audio dicentem, & sic argumentantem: Superior qui dispensat in præcepto jejunij, censetur dispensare etiam in casu, quo dispensatus peccat, comedendo cibos sanitati noxios. Similiter Prælatus Regularis, qui dat subdito suo licentiam generalem, v. g. emendi, censetur etiam dare licentiam emendi res superfluas; nemo quippe judicat emptionem talium rerum esse invalidam, quamvis sit illicita. Ergo eodem modo in hoc Sacramento, commissio confirmandi facta sine justa causa à Pontifice, ex generali jurisdictione à Deo ipsi concessa, valida erit, quamquàm illicita.

Ad instantiam responsio prima.

Responderi posset Primò, negando assumptum; siquidem obstat Reg. 81. de Regul. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Non est autem verisimile Superiorem ea in specie fuisse concessurum.

81. *Responsio secunda, & assignatio disparitatis.*

Respondetur Secundò, negando consequentiam. Ast quæ ratio disparitatis? Fateor difficilis est. Interim hanc propono Doctioribus examinandam & corrigendam. Commissio illa sive delegatio potestatis administrandi Confirmationem præcisè illicita est, quatenùs procedit ex concessione divina; absque illa enim invalida esset, adeòque in nullo præjudicaret bono regimini Ecclesiæ, vel juri illorum, quorum per se est Confirmationem ministrare.

Quòd in casu conclusionis malitia oriatur ex concessione divina.

At verò in alijs casibus malitia, ut patet, oritur ex aliqua circumstantia, in qua nec potest, & per consequens, nec censetur Superior dispensare; & idcirco non cooperatur vel consentit peccato alterius, cùm solùm præstet concursum generalem & indifferentem.

In alijs autem casibus solùm ex aliqua circumstantia.

Sicuti Deus dans potestatem consecrandi Eucharistiam, esto Sacerdos existens in statu peccati mortalis validè consecret, non ideo tamen censetur cooperari illi actioni malæ; quia non intendit talem illicitum usum, licèt det potestatem universalem, & indifferentem ad usum bonum & malum. Ergo similiter Prælatus Religionis, quamvis nequeat determinatè concedere licentiam ad emptionem rerum superfluarum; quia hoc esset determinatè cooperari peccato subditi; tamen videtur posse in universum concedere potestatem, cedendo jure suo, ita ut ex illa parte non habeat talis emptio malitiam injustitiæ aut proprietatis.

Exemplificatur in potestate consecrandi Eucharistiam.

Veluti si quis peteret à te licentiam utendi pignore sibi mutuato, posses ipsi dare licentiam generalem, non excipiendo usum illicitum, etsi determinatè non posses concedere ad istum usum illicitum.

82.

Nec obstat dictis, quòd Pontifex concedens

dens Episcopo ut possit testari, non censeatur concedere potestatem testandi ad usus profanos; nam cùm possit utrumque, & aliunde dispensatio sit odiosa (nisi utrumque explicet) intelligitur una dispensatio, & non duplex, quando ablatio unius impedimenti non est necessaria ad auferendum aliud.

Jam autem in casu quo Superior dispensat in lege jejunij, aut concedit subdito licentiam aliquid emendi, vel recipiendi; cùm non possit intercedere nisi una dispensatio, aut licentia; quippe etsi velit, non potest comestionem cibi insalubris, vel usum rerum superfluum aut turpem reddere licitum; non est cur dispensatio, vel licentia ejus limitetur ad usum honestum, cùm ad ipsum non spectet auferre illud aliud impedimentum, nec oppositionem, nisi cum unica lege.

83. Et assignatur disparitas in dispensatione voti,

Applico ad propositum. Tametsi Deus sive Christus tribuens Vicario suo Pontifici Romano generalem jurisdictionem, non limitet eam ad usum undequaque honestum, quasi actus non valeat, si ex fine v. g. extrinseco sit illicitus; attamen nequit se extendere ad actum intrinsecè malum, quatenus præcisè procedit ex concessione divina: talis autem videtur esse dispensatio v. g. in voto sine justa causa, quæ secundùm D. Bernard. lib. 3. de Consideratione c. 4. *non planè dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Quæ sine justa causa est invalida secundùm D. Bernardum,

Secùs consecratio Eucharistiæ in malo statu; hæc enim ex objecto suo bona est & honesta, ab extrinseco tantummodo vitiata; dispensatio verò ex se est actus indifferens, & potiùs malus, quia causativus difformitatis inter membra reipublicæ, nisi accesserit justa & rationabilis causa. Hæc dicta sint disputationis ergô, non resolutionis.

84. Similiter secundùm aliquos dispensatio ministrandi Confirmationem. *Dicastillo.*

Cæterùm putant multi, & non improbabiliter (exemplo dispensationis voti) dispensationem in ministro Confirmationis sine justa causa, non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam. Ita novissimè Dicastillo hîc n. 113.

Ubi occurrens tacitè cuidam objectioni, inquit, non est autem simile de potestate Ordinis, aut characteris sacerdotalis, quâ potestate Sacerdos potest validè abuti; ea enim est habitualis quædam potestas collata in Ordine, & permanens. Hæc autem est potestas jurisdictionis longè dissimilis, & ad aliquid extraordinarium efficiendum, quod à Deo concedi, in tantùm videtur rationabile, in quantùm deservit ad bonum animarum. Hæc Ille.

Et continuò subjungit: Tutam nihilominùs puto sententiam Suarij & aliorum, qui hanc commissionem non appellant propriè dispensationem; sed quòd ex sua institutione habeat hoc Sacramentum utrumque ministrum, illum scilicet Episcopum, tamquam Ordinarium, hunc verò scilicet Sacerdotem, tamquam extraordinarium, & sub conditione, si à Papa committatur, sive ea commissio ex justa causa fiat, sive secùs.

Tuta nihilominus est opposita sententia Suarij & aliorum.

Illud ego verum puto, prosequitur dictus Auctor num. 116. talem Sacerdotem, si omnino ei constet injustam fuisse commissionem, ita ut nulla sit causa hîc & nunc sufficiens ministrandi, peccare: tum, quia res est dubia, an tunc ipse sit sufficiens minister essentialiter: tum, quia sicut jure naturali divino tenetur, qui concessit potestatem, illam non concedere, & concessam revocare, ita & qui admisit tenetur saltem illâ non uti, nisi fortè pro casibus, in quibus si occurrerent tempore concessionis facultatis & commissionis, justa esset commissio; tunc enim commissio illa secundùm probabilem opinionem validè concessa, ratione causæ sufficientis supervenientis transit in licitè concessam, quantùm est ex parte objecti, id est, ex parte facultatis concessæ, quam pro talibus, & cum talibus circumstantijs licitè poterat tunc Sacerdos ille petere, obtinere & retinere. Hactenùs Dicastillo.

An Sacerdos sine causa utens tali potestate peccet?

85. Probabile aliquibus videtur quod unus

Sed quid dicam? Mundus, &, si dicere liceat, Ecclesia regitur opinionibus, ubi deest clara definitio fidei. Hinc quod unus Doctor putat verum, alius existimat plus quàm falsum. Si ergo aliquis dixerit falsum, quod Dicastillo putat verum, noli mirari.

Quippè licèt defectu causæ præcognito, peccatum sit petere, aut dare dispensationem; oblatam tamen licet acceptare, & obtentâ uti si probabilis est sententia, eam valere. Ergo cùm probabilis sit opinio, teste ipso Dicastillone, valere talem commissionem, quamquam peccatum sit eam petere, vel dare; videtur tamen licitum oblatam acceptare, & obtentâ uti, nisi obstet lex justitiæ vel charitatis, aut speciale præceptum Ecclesiæ.

Siquidem (ut vult Vasquez) Sacramento nulla fit injuria, cùm probabiliter valeat. Neque ministro Ordinario, quia hoc ipso quòd mihi validè, quamvis illicitè, datur absoluta potestas confirmandi independenter à consensu cujuscumque, tollitur jus Episcoporum, quod ipsi soli habebant

Quia neque Sacramento fit injuria.

Neque ministro ordinario;

ad ministerium hujus Sacramenti; implicat siquidem me habere, & ipsos solos; sic quippe haberent soli, & non haberent soli.

86\. Pono casum: Pontifex illicitè, quamvis validè, deponit Petrum à suo Episcopatu, Joannes accipit provisionem Apostolicam, & consecratur? Num propterea confirmando peccabit? Alius casus sit: Papa delegat alicui sine justa causa jurisdictionem universalem absolvendi à peccatis, acceptat, absolvit pœnitentes. Quis eum audeat arguere de peccato? Quamvis enim delegatio seu privilegium, ut rationabiliter concedatur, requirat justam causam; supposito tamen quòd valeat, usus privilegij istius non videtur aliam causam requirere, quàm utilitatem, vel necessitatem Sacramenti.

Ut in quibusdam casibus exemplificatur.

Sicuti, ut Joannes licitè eximatur ab aliqua lege, requiritur quidem justa causa; equidem ex hypothesi quòd exemptio valeat, illa ipsa exemptio sufficiens ratio est, ut sine peccato possit legem non observare, Enimvero tametsi legislator peccet non revocando dispensationem, cùm possit illam revocare, & ex officio teneatur procurare uniformitatem membrorum in observantia istius legis; hinc tamen non rectè infertur: ergo etiam peccat subditus non renuntiando, & consequenter utendo.

Neque sequitur: legislator peccat non revocando dispensationem; ergo etiam subditus non renuntiando.

Ratio disparitatis est manifesta, quia vel non potest, cùm obligatio legis pendeat à sola voluntate Principis, vel etiamsi possit, attamen ex officio non tenetur, cùm ipsius non sit procurare uniformitatem in observantia legis, ubi ex hypothesi est difformitas in obligatione.

Ratio disparitatis datur,

Ergo à simili (non à pari) etiamsi Pontificis sit revocare commissionem simplici Sacerdoti factam sine causa, ut sit uniformis observantia legis divinæ prohibentis simplicibus Sacerdotibus confirmare; non tamen idcirco peccat simplex Sacerdos, cui commissio extraordinaria facta est; quia vel non potest ei renuntiare (maximè si semel acceptaverit) utpote quæ dependet à sola voluntate committentis, vel saltem non tenetur ex officio procurare illam uniformitatem, suppositâ difformitate in commissione.

Et casui conclusionis applicatur.

87\. Dices: peccat cooperando superiori ad illicitam dispensationem. Respondeo cum distinctione; inducendo, vel excitando per iniquam postulationem, concedo; acceptando, aut exequendo, nego. Et quidem executionem non esse cooperationem, nemo ambigit; quid enim manifestius, quàm totam malitiam indebitæ dispensationis perfectè & completè existere ante executionem?

Neque verum est quòd acceptando cooperetur iniquæ actioni superioris,

Quin & ipsa acceptatio, esto necessaria sit ad effectum, non tamen ut concausa, sed ut conditio, quam ponere solùm est permittere effectum, non facere; quod ex justa causa licet, qualem potest habere subditus acceptandi dispensationem, quamvis superior non habeat ad dispensandum; subditus siquidem, ut diximus, ex officio non obligatur procurare bonum commune, & magìs attendit bonum privatum, ubi commune non graviter, vel extremè periclitatur.

Sed solùm permittit,

Adde in sola voluntate superioris externo signo manifestatâ, intelligi totam malitiam gravem illius actionis, ita ut effectus consequens nullam superinducat difformitatem contra legem Dei aut Ecclesiæ. Sicuti quando beneficiarius donat de fructibus beneficij ad usus superfluos, quamvis ipse peccet donando; tamen qui acceptat in probabili sententia non peccat. Similiter multi docent (quamvis contrarium existimem verius) uxorem licitè reddere debitum viro, illicitè petenti propter votum castitatis.

Quia ante acceptationem censetur tota malitia completa;

Ratio; quia petitio & donatio, quæ tantùm sunt contra prohibitionem, præcedunt acceptationem & redditionem. Porrò acceptatio & redditio non sunt causa, quòd alter voluerit dare aut petere; sed quòd voluntas dandi & petendi consequantur suum effectum, qui ex se bonus est, acquisitio scilicet dominij, & copula conjugalis; ac in præsenti controversia potestas confirmandi, & ipsa Confirmatio. Plura alibi: hæc per transennam dicta occasionem dabunt sedulo lectori ulteriùs veritatem rei indagandi, quæ non modicas patitur difficultates, proprijs locis expediendas.

Et acceptatio solùm est causa quod voluntas dandi suum habeat effectum,

Solùm noto, sicuti dispensatio propriè dicta absolutè concessa, cui ab initio justa causa suberat, eâ cessante non desinit valere; ita non expirare commissionem confirmandi, quando videlicet à principio justa causa suberat, absolutè, & pro perpetuo tale privilegium concedendi. 88.

An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio?

An autem inde sequatur, cessante inopiâ Episcoporum in novo orbe, adhuc Presbyteros, quibus id antea concessum fuit, validè confirmare, valde dubito, si inopia Episcoporum fuerit causa adæquata; quippe quòd hoc die sit necessitas confirmandi in absentia Episcopi; non apparet causa sufficiens dispensandi pro toto tempore subsequenti, etiam in ejus præsentia.

Non cessat si causa ab initio fuerit proportionata,

Judico quidem effectum hujus commissionis absolvi unico actu, nec habere tractum

tractum successivum, ut vocant, veluti effectus dispensationis in jejunio quadragesimali ex causa sanitatis; hoc tamen non est satis, ut quælibet commissio censeatur perpetua, sive usque ad revocationem, quando aliundè constat causam esse improportionatam: unde tunc censeri debet, Pontificem noluisse dare suam delegationem ultra exigentiam causæ, adeoque cessante causâ cessare; præsumitur enim superior bonus, nisi probetur malus; peccaret autem si vellet pro causa unius anni, concedere potestatem pro perpetuo.

Secus si improportionata.

89. Nihilominùs facilè crediderim causam numquam, aut rarissimè ex toto cessare; semper quippe manet periculum invaliditatis Sacramenti, & innumeri scrupuli, quibus exponuntur hujusmodi extraordinarij ministri, dum dubitant de cessatione causæ, maximè cùm plerumque non constet, quæ fuerit adæquata causa concessionis, & sæpe fieri possit, ut partialis causa remanens, sola à principio suffecisset.

Justè ergo ita interpretamur mentem Pontificis, ut velit commissionem esse & manere validam (nisi aliud exprimat) donec expresè ab ipso, aut successore revocetur: & hâc viâ excusare possumus Sacerdotes in novo orbe confirmantes, etiam ubi ampliùs non est inopia Episcoporum, quamquam hæc fuerit saltem partialis causa primæ delegationis.

90. Quæ cùm ita sint, dico dispensationem, seu potiùs commissionem administrandi hoc Sacramentum datam sine causa simplici Sacerdoti, probabiliter valere, & etiam probabiliter non valere; equidem cùm in pari causa jura faveant valori actuum, & in dubio valorem præsumant, & nos cum illis, ac potiori parte DD. eum præsumamus; præsertim quando solùm dubitatur de sufficientia causæ, in quo dubio Pontifex non solùm validè, sed etiam licitè delegat, & subditus licitè exequitur Superioris mandatum.

91. Cæterùm cùm, ut dictum est, hæc delegatio sit actus jurisdictionis, sufficere debet Papam esse electum, etsi nondum confirmatus, neque Episcopus, neque Sacerdos. Quòd si sit tantùm Sacerdos, sicut alijs, sic & sibi ipsi potest hoc Sacramentum committere. Quidni posset, quemadmodum princeps sibi ipsi & alijs potest concedere privilegium, secum & cum alijs dispensare, ut communiter docetur in tractatu de legibus?

Papa delegans sufficit quòd sit electus;

Et posset sibi ipsi committere;

Et si quæratur ratio in promptu est; quoniam sunt actus jurisdictionis voluntariæ, qui non postulant distinctionem personalem inter eum, qui jurisdictionem exercet, & eum in quem exercetur jurisdictio: distinctionem, inquam, personalem, utique requisitam ad actus jurisdictionis contentiosæ, qui scilicet habent contradictorem & inter contendentes exercentur, adeoque redduntur in invitos, & exigunt coactionem vel propriam sententiam, per quam dicitur jus inter partes.

Cùm sit actus Jurisdictionis voluntariæ;

92. Dices; ad omnem jurisdictionem requiritur superioritas: atqui idem non potest esse superior & inferior se ipso; ergo &c. Respondeo distinguendo Minorem: idem non potest esse superior & inferior se ipso sub eadem ratione, concedo: sub diversa ratione morali, nego; quatenùs videlicet est pars, & caput corporis politici; quippe ad caput pertinet non solùm reliquas partes, sed etiam se ipsum regere.

Et idem possit esse superior & inferior sub diversa ratione morali.

93. An autem Sede Pontificis vacante possit hanc potestatem delegare Collegium Cardinalium, vel is, cui Ecclesiæ gubernatio pro illo tempore foret commendata, non est ita certum. Veriùs putarem non posse; quia, inquit Dicastillo n. 117. hoc extraordinarium est, & solùm constat concessum Pontifici, quod sine fundamento ad alios extenderetur. Maximè cùm omnibus notum sit, Collegium Cardinalium Sede vacante non succedere in ea, quæ sunt jurisdictionis Papalis:

Verius est sede vacante hanc potestatem delegare non posse Collegium Cardinalium; Dicast.

Unde nec leges ferre potest, nec dispensare, nec alium quemcumque actum (præter illum qui pertinet ad electionem sucessoris) auctoritate suâ, seu jurisdictione quasi Apostolicâ (quam constat jure divino immediatè soli Pontifici pro tempore existenti concessam) exercere: argumento c. 2. Clement. de Electione ibi: *Irritum nihilominùs & inane decernentes quidquid potestatis aut jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, nisi quatenùs in constitutione prædicta* (Greg. X. circa electionem Papæ) *permittitur, Cœtus ipse* (Cardinalium) *duxerit* (*eâdem Sede vacante*) *exercendum.* Jam autem neque in constitutione prædicta Gregorij, neque in aliquo alio jure permittitur Cœtui Cardinalium, ut Sede vacante possint committere administrationem hujus Sacramenti simplici Sacerdoti.

Sicuti nec alios actus jurisdictionis Papalis exercere. Clement. de Elect. cap. 2;

Præter illū, qui pertinet ad electionem successoris.

94. Ex quo patet diversitas inter Cœtum Cardinalium, & Capitulum Episcopale, cui utique Sede Episcopi vacante legitur in jure, & per jus concessa tota Episcopalis Ordinaria jurisdictio quoad omnia, in quibus non reperitur limitata; de Supplenda negl. Prœl. in 6. c. 3. ibi: Sed Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus, & temporalibus ministrare debebit.

Alia est ratio capituli Episcopalis sede vacante.

debebit. Et eodem Tit. c. 4. ibi: Nisi fortè Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligenter, aut perperam administret.

Cui à jure conceditur tota jurisdictio Episcopalis.

Cur autem Capitulo Sede vacante Episcopali potiùs concedatur à jure tota jurisdictio Episcopalis, & non Collegio Cardinalium Sede Pontificali vacante tota jurisdictio Papalis, fortè ideo, ut colligi potest ex præallegata Clementina, ne prætextu juris regendi Ecclesiam differrent diutiùs electionem Papæ, ex quo facilè plura mala possent oriri. Deinde, sicut dixi, jurisdictio Pontificia est immediatè juris divini, Episcopalis autem juris humani; hanc itaque Papa potuit communicare Capitulo, non illam Cœtui Cardinalium.

Interim existimo (salvo meliori) posse Pontificem suam facultatem, quam habet committendi Sacerdoti administrationem hujus Sacamenti, posse, inquam delegare Cœtui Cardinalium cum potestate subdelegandi. Quæ delegatio, cùm sit gratia, non expirat morte concedentis, ut mox ostendimus; adeoque eâ uti poterit Cœtus Cardinalium Sede vacante, non ut judex Ordinarius, sed delegatus ad particularem causam. 95.

Possit itaque Pontifex hanc potestatem Cardinalibus delegare cum potestate subdelegandi.

Hactenùs de Ministro tam Ordinario quàm extraordinario. Sed quæ utilitas in ministro, si non adsit qui possit & velit Sacramentum legitimè suscipere? Nulla prorsùs. Ea propter de suscipientibus instituo sequentem sectionem.

SECTIO TERTIA.

De Suscipientibus Confirmationem.

1\. Quædam supponuntur ex alibi dictis.

Suppono Primò ex disp. 1. sect. 8. conclus. 2. Ad validè suscipiendam Confirmationem requiritur in adulto aliquis consensus.

Suppono Secundò ex eadem disp. & sect. conclus. 3. Ad licitam acceptionem Confirmationis requiritur dispositio ad effectum gratiæ.

Atque hæc quidem omnibus Sacramentis sunt communia, ut locis jam citatis exposuimus. Cæterùm more Majorum sic comparatum est, ut à communibus ad singularia, ab universalibus ad particularia descendamus. Si ergo à me quæritur quænam in particulari sint necessaria ad validè & licitè suscipiendum hoc Scramentum. Respondeo citiùs & dico 1.

CONCLUSIO I.

Omnis, & solus baptizatus non confirmatus validè suscipit Sacramentum Confirmationis.

2\. Omnes baptizati non confirmati validè suscipiunt Cõfirmationẽ.

Quia omnes sunt capaces gratiæ

Est communis. Probatur prima pars; quia omnis baptizatus, parvulus sit vel adultus, sanæ mentis vel amens, bene valens vel infirmus, imò statim moriturus, omnes, inquam, illi sunt capaces gratiæ habitualis & characteris, ut patet, item specialis gratiæ Sacramentalis seu auxilij actualis, quod hoc Sacramentum confert ad fidem constanter profitendam.

& characteris.

Quamvis enim infantes tempore infantiæ, & amentes tempore amentiæ non sint proximè capaces auxilij actualis; sicut nec professionis fidei; sunt tamen remotè, puta, ex vi statûs viatoris; & ideo velut in actu primo, seu quantùm ad jus possunt obtinere illud auxilium ex virtute Sacramenti; quin in actu secundo habebunt tempore opportuno, si videlicet infantes ad adultam veniant ætatem, & amentes ad saniorem redeant mentem, & morituri supervivant, seque offerat occasio profitendi. Quòd si nihil horum actu eveniat, id est per accidens ad potentiam & capacitatem effectûs Sacramenti.

Et juris ad auxilia actualis debito tempore dandi.

Sicut etiam per Baptismum confertur quantùm est ex vi Sacramenti auxilium speciale ad præcepta Christianæ Religionis servanda; & sæpe tamen fit ut parvulus baptizatus numquam actu habeat illud auxilium, si videlicet numquam perveniat ad usum rationis, quô possit tali auxilio voluntariè cooperari.

Uti fit in Baptismo.

Cùm ergo homines baptizati cujuscumque conditionis fuerint, quantumvis etiam à dæmone possessi vel obsessi, quos Energumenos vocamus, sint capaces omnium effectuum Confirmationis; quidni etiam ipsius Sacramenti? nisi constet de contraria voluntate Christi.

Quod addo; quia mulier est capax omnium effectuum Ordinationis, & tamen incapax ipsius Sacramenti: homo bene valens est capax omnium effectuum Extremæ Unctionis,

Unctionis, & tamen incapax ipsius Sacramenti, defectu voluntatis instituentis, quæ sola est ratio à priori determinatæ materiæ ac formæ omnium Sacramentorum, similiter determinati ministri, ac suscipientis.

4 Neque reperitur Christum aliquem ab hoc Sacramento exclusisse *Act. 8. & 19.*

Equidem Christum ab hoc Sacramento exclusisse vel infantem, vel perpetuò amentem, vel moriturum, vel Energumenum nullâ ratione vel auctoritate ne leviter probatur. Quin imò oppositum haud obscurè colligitur ex Scriptura Act. 8. & 19. in quibus locis legitur Apostolos omnibus baptizatis nemine excepto manus imposuisse, ut reciperent Spiritum sanctum, exemplo utique ipsius Spiritûs sancti, qui Act. 2. in die Pentecostes visibiliter descendit, seditque non tantùm supra Apostolos, sed singulos eorum, qui pariter in eodem loco erant congregati, Apostolos, atque discipulos, viros atque mulieres, adultos & parvulos.

Imò Apostoli omnibus baptizatis manus imponebant. *Act. 2.*

Quomodo enim Spiritus sanctus non repleret omnis sexûs, statûs & ætatis homines, cùm pro omnibus Christus mortuus sit, & omnibus Spiritum sanctum promiserit? An non omnibus dictum est à Christo Matth. 10. v. 32. & 33. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est?* Cur igitur non omnes, qui in Christo debent regenerari, & possunt, in Christo quoque poterunt confortari, & accipere perfectionem & complementum regenerationis, per quod constanter, verbo aut facto fidem Christi, quam in Baptismo professi sunt coram hominibus confiteantur?

Matth. 10.

Et Urbanus Papa I. in Epist. decretali c. 7.

Præclarè admodùm ad propositum nostrum scripsit Urbanus Papa I. in Epistola decretali c. 7. & ponitur de Consec. dist. 5. c. 1. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent ut plene Christiani inveniantur; quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* Ubi nullum sexum, statum, vel ætatem excludit.

Nullum sexum, statum vel ætatem excludit;

5. Sanè quis ambigat inter baptizatos tempore Apostolorum fuisse parvulos? Et tamen omnibus indiscriminatim imponebant manus, ut acciperent Spiritum sanctum. Nec dubitari potest postea per multos annos infantibus simul cum Baptismo administratum fuisse Sacramentum Confirmationis.

Imò per multos annos etiam

Testis est Tertullianus lib. de Baptismo c. 7. & 8. Testis Innoc. I. in Epistola ad D. centium c. 3. ubi sic ait: *De consignandis infantibus, manifestum est non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere.*

Baptismo dabatur Parvulis Confirmatio. *Tertullianus. Inno. I D. Aug.*

Subscribit Auctor lib. unici de Ecclesiasticis dogmatibus (apud D. Aug. tô. 3.) c. 52. *Si verò parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt iuxta nomen* (aliàs morem) *baptizandi; & sic manûs impositione & Chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur.*

Et ipse D. Aug. tract. 6. in 1. canonicam Joannis dicens: *Quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrùm linguis loquerentur?*

Non gravabor hîc adjungere, quod lego in antiquo Ordine Romano tit. de Sabbatho sancto in die ibi: *Pontifex ergo egreditur à fonte* (in quo infantes fuerant baptizati) *in sacrarium habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesia ubi voluerit, & sedeat in ea, & cùm vestiti fuerint infantes* (recens baptizati) *confirmet eos.*

Uti legitur in antiquo Ordine Romano,

Et paulò post: *Pontifex verò veniens ad infantes tenente Archidiacono Chrisma involutis scapulis & brachiis ex panno & lineo, elevatâ & impositâ manu super capita omnium, det orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritûs Sancti.*

Sequitur Oratio: *Omnipotens* &c. *Oratione Expletâ interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo in nomine Patris* &c.

Et quidni daretur infantibus hoc Sacramentum, per quod in illis augetur gratia sanctificans; ex consequenti accepturi majorem gloriam, si in ea ætate ex hac vita decesserint?

Cæterùm cùm non sit Sacramentum necessitatis, ut infra videbimus, si consuetudo in aliqua diœcesi obtineat, ut hujusmodi non confirmentur, excusabitur Episcopus nolens eos confirmare, & per consequens parentes, tutores ac curatores, si eos non deferant ad confirmandum. 6.

Equidem de facto cessantibus persecutionibus, usus videtur præscripsisse, ut pueris ante septennium communiter non administretur Confirmatio.

Usus tamen obtinuit ut non administretur ante septennium,

Ita decernitur in Catechismo Romano parte 2. cap. 3. q. 14. ibi: *Illud etiam observandum est omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minùs tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur* (juxta Concil. Aurelianense c. 3. & ponitur de Consecratione dist. 5 c. 6. ibi: *Vt ieiuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis*, quæ est annus

Uti decernitur in Catechismo Romano,

annus 12. secundùm Glossam ibi verbo *Perfecta*) *usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.*

Rationem subjungit: *Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut eius virtute optimè instructi & parati inveniremur, cùm nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sanè pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos iudicarit.*

Idque convenit. Ubi cùm dicat, *Maximè convenit*, satìs excluditur stricta obligatio. Convenit autem, tum ut pueri cum majori reverentia & utilitate illud Sacramentum suscipiant, tum etiam ut recordentur se confirmatos, atque sic meliùs evitetur periculum iterationis; & quia tunc incipit tempus luctæ & agonis, in quo armis militiæ Christianæ indui debemus, & fidem per nos ipsos profiteri.

7. *Mediolan.* 5. Dixi signanter, *Communiter*; sic enim statuit Concilium Mediolanense V. parte 2. tit. de Confir. *Si Episcopus ob aliquam causam iustam, atque adeò necessariam parvulo & infanti, qui non modò eam ætatem* (septennij) *expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum.* Puta si malitia suppleat ætatem, vel consuetudo sit in contrarium, aut certè mors immineat, & est commoda occasio ministrandi.

Iustâ existente causâ posset ante fieri. Et quamvis Concilium Mediolanense 1. parte 2. tit. de Confir. strictè videatur prohibere, ne minori septennio hoc Sacramentum præbeatur; cùm sit Concilium dumtaxat Provinciale, non apparet in tanto rigore quoad hoc punctum receptum, ut satìs constat ex verbis Catechismi supra relatis, & expensis.

Nō obstante constitutione Concilij Mediolanensis 1. Quibus adjunge illa, quæ habentur in Pontificali Romano Titulo de confirmandis: *Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachijs dextris, Adulti verò seu alij maiores ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui*; & sine scrupulo affirma, in locis remotioribus, ad quæ rarò veniunt Episcopi, præstare usum rationis prævenire, quàm postea defectu occasionis debere diu differre, & aliquando omninò omittere, ut inquiunt Suarez hîc dis. 35. sect. 2. Regius ad art. 8. & alij. Quæ autem infantium, eadem est ratio perpetuò amentium.

Pontific. Rom.

Imò quandoque præstat rationis usum prævenire.

8. Perpetuò amens Confirmari non ordinari licitè potest. Pontius. Contra; si perpetuò amenti potest conferri Sacramentum Confirmationis; quidni etiam Sacramentum Ordinis? Respondet Pontius supra n. 11. quia in Sacramento Ordinis deputatur homo ad ministerium Ecclesiasticum, quod amens præstare non potest.

Sed numquid per Confirmationem deputatur ad militiam christianam, cujus æquè incapax est, atque ministerij Ecclesiastici? Si ergo dixero & infantes, & perpetuò amentes validè suscipere Ordines; Vellem audire, qui efficaciter improbaret; sunt etenim capaces gratiæ sanctificantis, auxiliorum actualium, nec non ministeriorum Ecclesiasticorum pro tempore opportuno; infantes quidem cùm pervenerint ad adultam ætatem; amentes verò, si naturaliter, aut certè miraculo redeant ad mentem.

Quòd si loquamur de licito, quemadmodum omni tempore prohibita fuit, saltem jure consuetudinario, Ordinatio infantis, imò & collatio primæ tonsuræ ante annos discretionis, ita magìs Ordinatio perpetui amentis. Ex dictis autem manifestum est aliquando licuisse Confirmationem ante septennium, neque hodie ita prohiberi, quin aliquando adhuc liceat. Cur ergo non possit, imò debeat ministrari perpetuò amenti? Non video quid obstet, nisi in aliquibus locis contraria consuetudo. Propter jus consuetudinarium in contrarium.

Quod non est respectu Confirmationis. 9.

Interrogas: ecquid magìs confirmantur, quàm ordinantur? Respondeo; quia Sacramentum Confirmationis est commune omni sexui, & omni statui hominum convenit, nullam secum adferens specialem obligationem; neque enim confirmatus negans fidem coram hominibus, aliâ specie peccati peccat, quàm si non esset confirmatus; Sacramentum autem Ordinationis nec omni sexui, nec omni statui hominum convenit; ergo nec debuit ministrari omni ætati, præsertim Sacramentum Ordinis sacri propter gravissimam obligationem continentiæ ex voto, aut saltem præcepto Ecclesiastico ipsi annexam: & quia inconveniens est Ecclesiam eligere in ministros, qui vel modò defectu minoris ætatis, vel numquam ob perpetuam amentiam poterunt ministrare, cùm tamen sæpiùs eorum ministerium posset esse necessarium.

Quia ex illa non tamen oritur obligatio sicuti ex ordinatione.

Adde non tantùm usum rationis, sed certam ætatem, pluresque alias conditiones ab Ecclesia exigi ad licitam susceptionem & ministrationem Sacrarum Ordinationum, cùm tamen passim omnes, postquam pervenerint ad adultam ætatem, hoc est, post septennium admittat ad Sacramentum Confirmationis.

Insuper ad hanc ex præcepto Ecclesiæ certa ætas requiritur.

Quid dicam de infirmis & energumenis? 10.
De istis sic statuit Concilium Parisiense 3. lib. 5. c. 33. ut refert Pontius supra n. 9. (fides sit penes ipsum) *Sicut duobus temporibus Pascha & Pentecostes ministratur Baptismus; ita etiam Spiritus sanctus per manuum impositionem fidelibus datur, exceptis infirmis & morte periclitantibus, quibus sicut Baptismatis gratia*

Conc. Parisiense 3. Infirmi & Energumeni validè confirmantur.

gratia data, ita incunctanter donum Spiritûs sancti est tradendum.

Quantumvis enim his non immineat periculum protestandi fidem coram persecutoribus & hostibus ejus; adeoque non immineat periculum mortis subeundæ propter fidem, ad quem finem effectus hujus Sacramenti ordinatur: attamen recipiendo augmentum gratiæ perficiuntur, & cum ea perfectione resurgent.

Recipiuntque augmentum gratiæ.

Teste Clemente Romano.

Hinc Clemens Romanus Epistolâ 4. *Omnibus*, inquit, *festinandum est sine mora renasci Deo, & demùm consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritûs sancti percipere, quia incertus est uniuscuiusq; exitus. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritûs gratiâ ab Episcopo confirmatus, quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit (ut à beato Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt) & demùm ex operibus bonis ostendat in se similitudinem eius, qui eum genuit, Patris.* Hæc Clemens. Quis autem ambigere potest, Christum, qui omnes voluit esse Christianos, etiam dedisse omnibus potestatem, ut essent perfecti Christiani, & sedem haberent inter perfectos?

11. Concilio Elibertino.

Sed audiamus Concilium Elibertinum c. 39. ubi agens de Gentilibus infirmis, solius meminit Confirmationis dicens: *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum aliqua ex parte honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.*

Et verò c. 37. Energumenis in fine mortis dari sacram Synaxim præcipit his verbis: *Eos qui à spiritibus immundis vexantur si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet* (subintellige, & confirmari; cùm illo tempore simul solerent illa Sacramenta administrari) *si verò fideles fuerint, dandam eis esse communionem.*

Et Arausicano I. c. 14.

Similiter de Energumenis loquitur Concilium Arausicanum I. can. 14. *Energumeni*, inquit, *iam baptizati, si de purgatione sua curent, & se sollicitudini Clericorum tradant, monitisq; obtemperent, omnimodè communicent, Sacramenti huius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum vita iam ostenditur purgatior.*

Plus dico: solet nunc Eucharistia ministrari Energumenis pro sola eorum devotione, seclusô periculô irreverentiæ. Quis ergo jure mirabitur, si videat ipsis dari etiam Sacramentum Confirmationis? Profectò non paucos legimus in susceptione ejus à dæmone fuisse liberatos. Hæc satis de prima parte conclusionis.

Secunda pars, scilicet solum baptizatum esse capacem hujus Sacramenti, æquè certa est, & ab omnibus recepta, & ultra rationem, quam Confirmatio habet communem cum alijs Sacramentis, de qua alibi tractavimus, hanc specialem pro ea allego congruentiam, quòd sit quædam Baptismi perfectio. Unde sicut nemo potest corporaliter crescere, nisi fuerit corporaliter genitus, ita nec per Confirmationem spiritualiter crescere in perfectum Christianum, nisi priùs fuerit in Christo spiritualiter genitus per Baptismum. 12.

Solum baptizatum esse hujus Sacramenti capacem, est certum;

Quia Confirmatio est quædam Baptismi perfectio.

Dices; Actor. 10. Spiritus sanctus datus fuit Cornelio, & socijs ejus antequam baptizarentur; sic enim dicitur vers. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Et vers. 47. *Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?* Sequitur vers. 48. *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi:* utique postquam accepissent Spiritum sanctum. 13.

Actor. 10.

Respondeo ex Doctore Subtili 4. dist. 7. quæst. 1. num. 3. *Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, & ideo sicut ipse sive in terris, sive post ascensionem in cælo existens potuit confirmare Apostolos*, & quoscumque voluit *sine tali materia, & tali forma*; quæ nunc in Ecclesia essentialiter requiruntur ad Sacramentum Confirmationis; ita potuit per extraordinariam potestatem, quos voluit, sive in terris, sive in cælis post ascensionem existens confirmare ante realem susceptionem Baptismi, etiam imprimendo characterem, quo redderentur incapaces ulterioris Confirmationis.

Scotus.

Equidem non baptizati, per extraordinariam potestatem poterant confirmari,

An autem sic confirmaverit Cornelium, & socios ejus, quis consiliarius Dei fuit? Equidem non legimus in Scriptura Cornelium vel socios ejus post Baptismum ampliùs fuisse confirmatos. Sed quid tum? Proculdubio enim & alia multa fecerunt Apostoli, quæ non sunt scripta in libro hoc.

Et fortè sic Confirmati fuerant Cornelius ejusque socij.

Interim communis doctrina est, vel ante prædicationem Petri, vel saltem Petro sermonem protrahente, & Cornelium & socios ejus per contritionem, aut dilectionem Dei super omnia antè visibilem adventum Spiritûs sancti effectum principalem Baptismi, id est, remissionem peccatorum per infusionem gratiæ sanctificantis obtinuisse: ut & hîc locum

Priùs tamen justificati per Baptismum flaminis.

Qqq habeat

habeat congruentia superiùs allegata: quia impossibile est augeri, vel roborari, quod nondùm est.

14. Ex quo solvitur aliud argumentum de Catechumenis, qui priùs suo sanguine, quàm aquâ baptizati fuerunt;

Ex quo facilè solvitur aliud argumentum desumptum ab exemplo multorum Catechumenorum, qui tantâ constantiâ coram Tyranno Christi fidem non erubuerunt, ut priùs suo sanguine, quàm aquâ baptizarentur.

Quibus extraordinariè auxilia actualia ad fortiter pugnandum fuerunt concessa.

Vel enim tales per actum amoris Dei super omnia, ex quo processit voluntas pro fide Christi moriendi, gratiam acceperunt regenerantem, & postmodùm effectum Confirmationis, scilicet robur ad protestandam eam fidem, ex gratuita Dei voluntate, qui pro se certantibus adest auxilijs actualibus necessarijs ad vincendum.

Aut certè ex speciali Dei benevolentia præventi fuerunt ejus gratiâ excitante, adjuvante, quin & roborante, ut qui adhuc per peccata à Deo aversi erant, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponerentur ad regenerantem seu justificantem gratiam accipiendam per ipsam mortem pro Christo illatam, & acceptatam, saltem ex motivo supernaturali virtutis spei.

Hoc certum, auxilia actualia, quibus homines confortantur & roborantur ad viriliter pro Christo pugnandum non ita alligata esse Confirmationi, per quam ex opere operato conferuntur, quin per alia opera bona, aut extraordinarium Dei favorem sæpiùs concedantur.

Itaque ad validè suscipiendam Confirmationem nihil aliud ex parte suscipientis requiritur, quàm ut sit baptizatus; nihil, inquam, positivum; nam negativum aliud. Quæris quid illud? Respondeo carentia prioris Confirmationis. Et ideo in Conclusione addidi illam particulam: *Non Confirmatus*; quam explico Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO II.

Sacramentum Confirmationis non iteratur.

15. De fide est Confirmationis Sacramentum non iterari. Trident.

HÆc Conclusio est fidei ex Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9. Vide disp. 1. sect. 4. conclus. 5. Eam asserit Doctor Subtilis 4. dist. 7. q. 4. ibi: *Respondeo iterari non debet* (Sacramentum Confirmationis) *ita quòd scienter, quia iterans peccat mortaliter: sed nec potest iterari sic quòd iteratum habeat propriam efficaciam. Ratio principalis est institutio divina, & congruentiâ: quia per istud Sacramentum instituitur aliquis in determinato gradu Ecclesiæ, scilicet in gradu bellatoris: & Sacramentum instituens in gradu determinato non iteratur, & iuxta hoc adducitur congruentia, quia imprimit effectum indelebilem, scilicet characterem.*

Consentit in idem Doctor Subtilis.

Si objicias, morbus contra quem est, iteratur: potest enim aliquis post Confirmationem iterùm fieri pusillanimus. Respondet Doctor supra: *Morbus ut contra ipsum est hæc medicina non iteratur, licèt aliter.* Etenim per hoc Sacramentum non tollitur pusillanimitas in radice, sed solùm tribuitur jus ad auxilia actualia, quibus homo possit, si velit, pro toto tempore vitæ suæ resistere motibus pusillanimitatis, qui occasione mortis, pro fide Christi imminentis, solent in ipso excitari. Non ergo datur Confirmatio ut homo non sentiat motus pusillanimitatis, sed ut eis non consentiat, quibus tamen consentire potest, si velit.

16. Probatur ab aliquibus hæc veritas ex Apostolo Hebr. 6. v. 1. & 2.

Probant aliqui hanc veritatem ex Apostolo Hebræorum 6. v. 1. & 2. ubi sic scriptum est: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum* &c. per quam Chrysost. Ansel. & alij intelligunt Sacramentum Confirmationis.

Subjungitur autem v. 4. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati* (per Sacramentum Baptismi) *gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti* (per Confirmationem) *gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam*, id est, recipere fructum pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum per gratiam sanctificantem, aut ejus augmentum, rursus suscipiendo Baptismum, aut Confirmationem. Ita exponunt Chrysost. Theophylactus, & alij Patres, quamvis non desint, ut alibi diximus, qui aliter explicent.

Accedente Expositione Sanctorum Patrum.

Confirmatur ex Concil. Tarraconensi c. 6. (& ponitur de Consec. dist. 5. c. 8.) ibi: *Unde visum est nobis eamdem Confirmationem, sicut nec Baptisma iterari minimè debere.* Hinc Gregor. III. Epist. 4. ad Bonifacium (& refertur eâdem dist. c. 9.) *De homine*, inquit, *qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est.*

Et confirmatur ex Concilio Tarraconensi, ac Greg. III.

17. Ratio congruentiæ assignatur à Pontio.

Rationem congruentiæ assignat Pontius p. 3. c. 1. n. 11. quia Sacramentum hoc datur per modum consecrationis, scilicet cum Chrismate consecrato; sicut olim Sacerdotes & Re-

& Reges ungebantur in lege: natura autem consecrationis reiterationem non admittit.

Hâc ratione utitur Mag. 4. dist. 7. ad probandam initerabilitatem Baptismi, & Ordinationis; quam desumpsit ex D Aug. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. ibi: *Vtrumque enim Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur; adeoq; in Catholica* (Ecclesia) *utrumque non licet iterari.* Subjungit Mag. Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est.

Per quam Magister ex August. probat initerabilitatem Baptismi.

Concinit Toletanum VIII. c. 7. *Nequaquam*, inquit, *aliquando poterit profanari, quod divinâ iussione, simulq; Apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse* (agit contra eos qui metu sacris initiati, pœnitentiâ suscepti statûs ducti, pristina pertentabant conjugia) *Verum sicut sanctum Chrisma collatum, & altaris honor propter consecrationem* (*quæ per Episcopos tantùm exercenda & conferenda sunt*) *evelli non queunt; ita quoque sacrum decus honorum, quod his compar habetur & socium, quâlibet fuerit occasione perceptum, manebit omnimodè inconvulsum.*

Concordat Concilium Toletan. VIII. cap. 7.

Profectò si Confirmatio ex sua institutione validè iteratur, non possum satis mirari Ecclesiam numquam illam iterasse. Quæ enim vel apparens ratio privandi fideles semel confirmatos novo fructu tanti Sacramenti, si illius verè capaces sunt? Certè nullam video.

Et praxis Ecclesiæ,

Quæ sine causa non fraudaret fideles isto effectu si forent capaces.

18. Hinc respondeo ad can. 7. Concilij generalis II. ubi præscribitur reconciliatio quorumdam hæreticorum per Sacramentum Confirmationis, sicut etiam fit in pluribus alijs Concilijs, quæ tamen prohibent iterationem hujus Sacramenti; Respondeo, inquam, Concilia illa loqui de hæreticis, qui vel nullo modo fuerant confirmati, puta quia simpliciter rejiciebant hoc Sacramentum, ut constat de Novatianis, quorum expresse meminit Concil. generale; vel Confirmationem acceperant invalidè defectu materiæ, aut formæ competentis: vel certè à ministro inidoneo, simplici videlicet Sacerdote contra expressam prohibitionem Ecclesiæ, quales erant Presbyteri Photiani; quibus Adrianus II. (ut ipsemet testatur in Epistola, quam scripsit ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, & habetur in Synodo VIII.) non solùm in Bulgarorum terris; sed ubique gentium sacris omnibus interdixerat.

Unde can. 7. Conci l. general. II. loquitur de Hæreticis invalidè Confirmatis,

19. Similis responsio adhibetur Rituali per totam Græciam recepto, in quo decernitur (ut apparet) reiteratio hujus Sacramenti in desertoribus Christianismi, si quando ad fidem Catholicam redire contingat. Quod intelligendum existimo de illis tantùm, qui ante hæresim, vel tempore ejus non fuerant confirmati.

Eodemque modo respondendum ad Rituale per totam Græciam receptum;

Aut si omnibus adhibetur unctio, equidem aliquibus non nisi Cæremonialis, de qua fortè loquitur Concil. Arauf. I. c. 2. ubi sic ait: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari placet.* Et Innoc. I. Epist. 1. c. 6. in quo, ut supra vidimus, statuit, Episcopum posse dare licentiam Presbyteris consignandi Energumenos, si facilè ad se deferri non possint.

Vel dicendum quòd agat de Unctione Cæremoniali, *Arauf. I.*

20. Hunc intellectum colligo ex ipsis verbis Euchologij; *Iste talis, qui se ad fidem convertit, precationes reconciliatrices septem diebus suscipiat, 8. die abluatur, & è balneo, linteo accinctus unguento ungatur, veluti qui baptizantur, & instar baptizatorum novas vestes induat.*

Ut colligitur ex ipsis Euchologij verbis.

Hoc autem non est iterare Baptismum, sed meminisse puritatis olim in Baptismo collatæ. Similiter ergo unctio illa non est repetitio Sacramenti Confirmationis; sed repræsentatio ejus, quod priùs gestum fuit, ut conversus recordetur se aliquando accepisse speciale robur Spiritûs sancti ad fortiter Christi fidem profitendam, magisque animetur ac confirmetur in proposito permanendi immobiliter usque ad tormenta, & mortem ipsam in ejusmodi fidei confessione.

Hæc autem Unctio non est repetitio, sed tantùm Confirmationis repræsentatio,

Id ipsum non obscurè constat ex precationibus: nam in 3. oratione ante Unctionem sic habetur: *Illustra Domine ipsius mentem virtute & efficacitate Spiritûs sancti tui, adeò ut in ipsius animo inclusum signaculum salutaris Baptismatis aurâ gratiæ in flammam spiritualem excitatus intelligibiliter accendatur, & quod impressum est ipsi signaculum* (scilicet per Baptismum, & Confirmationem) *expressius & manifestius appareat.*

Ut constat ex precationibus Unctioni præmitti solitis.

Quibus verbis Auctor illius precationis planè indicat, characterem antea impressum non esse deletum, ut proinde debeat Sacramentum iterari, per quod de novo imprimatur, sed obscuratum peccatis, hoc est, esse characterem nudum sine comite gratia, tam habituali, quàm actuali; quam idcirco rogat Deum velle concedere infideli jam converso, ut per constantem imposterum professionem fidei, exteriùs appareat verè ante apostasiam insignitú fuisse charactere baptismali, ac confirmatorio, usque modo indelebiliter quoad substantiam perseverantibus.

Quidquid sit de mente istius Auctoris (de quo aliqui dubitant an orthodoxus 21.

habeat congruentia superiùs allegata: quia impossibile est augeri, vel roborari, quod nondùm est.

14. Ex quo solvitur aliud argumentum de Catechumenis, qui priùs suo sanguine, quàm aquâ baptizati fuerunt;

Ex quo facilè solvitur aliud argumentum desumptum ab exemplo multorum Catechumenorum, qui tantâ constantiâ coram Tyranno Christi fidem non erubuerunt, ut priùs suo sanguine, quàm aquâ baptizarentur.

Quibus extraordinariè auxilia actualia ad fortiter pugnandum fuerunt concessa.

Vel enim tales per actum amoris Dei super omnia, ex quo processit voluntas pro fide Christi moriendi, gratiam acceperunt regenerantem, & postmodùm effectum Confirmationis, scilicet robur ad protestandam eam fidem, ex gratuita Dei voluntate, qui pro se certantibus adest auxilijs actualibus necessarijs ad vincendum.

Aut certè ex speciali Dei benevolentia præventi fuerunt ejus gratiâ excitante, adjuvante, quin & roborante, ut qui adhuc per peccata à Deo aversi erant, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponerentur ad regenerantem seu justificantem gratiam accipiendam per ipsam mortem pro Christo illatam, & acceptatam, saltem ex motivo supernaturali virtutis spei.

Hoc certum, auxilia actualia, quibus homines confortantur & roborantur ad viriliter pro Christo pugnandum non ita alligata esse Confirmationi, per quam ex opere operato conferuntur, quin per alia opera bona, aut extraordinarium Dei favorem sæpiùs concedantur.

Itaque ad validè suscipiendam Confirmationem nihil aliud ex parte suscipientis requiritur, quàm ut sit baptizatus; nihil, inquam, positivum; nam negativum aliud. Quæris quid illud? Respondeo carentia prioris Confirmationis. Et ideo in Conclusione addidi illam particulam: *Non Confirmatus*; quam explico Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO II.

Sacramentum Confirmationis non iteratur.

15. De fide est Confirmationis Sacramentum non iterari. Tridені.

HÆc Conclusio est fidei ex Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9. Vide disp. 1. sect. 4. conclus. 5. Eam asserit Doctor Subtilis 4. dist. 7. q. 4. ibi: *Respondeo iterari non debet* (Sacramentum Confirmationis) *ita quòd scienter, quia iterans peccat mortaliter: sed nec potest iterari sic quòd iteratum habeat propriam efficaciam. Ratio principalis est institutio divina, & congruentiâ: quia per istud Sacramentum instituitur aliquis in determinato gradu Ecclesiæ, scilicet in gradu bellatoris: & Sacramentum instituens in gradu determinato non iteratur, & juxta hoc adducitur congruentia, quia imprimit effectum indelebilem, scilicet characterem.* Consentit in idem Doctor Subtilis.

Si objicias, morbus contra quem est, iteratur: potest enim aliquis post Confirmationem iterùm fieri pusillanimus. Respondet Doctor supra: *Morbus ut contra ipsum est hac medicina non iteratur, licèt aliter.* Etenim per hoc Sacramentum non tollitur pusillanimitas in radice, sed solùm tribuitur jus ad auxilia actualia, quibus homo possit, si velit, pro toto tempore vitæ suæ resistere motibus pusillanimitatis, qui occasione mortis, pro fide Christi imminentis, solent in ipso excitari. Non ergo datur Confirmatio ut homo non sentiat motus pusillanimitatis, sed ut eis non consentiat, quibus tamen consentire potest, si velit.

Probant aliqui hanc veritatem ex Apostolo Hebræorum 6. v. 1. & 2. ubi sic scriptum est: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum* &c. per quam Chrysost. Ansel. & alij intelligunt Sacramentum Confirmationis. 16. Probatur ab aliquibus hæc veritas ex Apostolo Hebr. 6. v. 1. & 2.

Subjungitur autem v. 4. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati* (per Sacramentum Baptismi) *gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti* (per Confirmationem) *gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam*, id est, recipere fructum pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum per gratiam sanctificantem, aut ejus augmentum, rursus suscipiendo Baptismum, aut Confirmationem. Ita exponunt Chrysost. Theophylactus, & alij Patres, quamvis non desint, ut alibi diximus, qui aliter explicent. Accedente Expositione Sanctorum Patrum.

Confirmatur ex Concil. Tarraconensi c. 6. (& ponitur de Consec. dist. 5. c. 8.) ibi: *Unde visum est nobis eamdem Confirmationem, sicut nec Baptisma iterari minimè debere.* Hinc Gregor. III. Epist. 4. ad Bonifacium (& refertur eâdem dist. c. 9.) *De homine*, inquit, *qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est.* Et confirmatur ex Concilio Tarraconensi, ac Greg. III.

Rationem congruentiæ assignat Pontius p. 3. c. 1. n. 11. quia Sacramentum hoc datur per modum consecrationis, scilicet cum Chrismate consecrato; sicut olim Sacerdotes & Re- 17. Ratio congruentiæ assignatur à Pontio.

& Reges ungebantur in lege: natura autem consecrationis reiterationem non admittit.

Hâc ratione utitur Mag. 4. dist. 7. ad probandam initerabilitatem Baptismi, & Ordinationis; quam desumpsit ex D Aug. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. ibi: *Utrumque enim Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur; adeoq; in Catholica* (Ecclesia) *utrumque non licet iterari.* Subjungit Mag. Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est.

Per quam Magister ex August. probat initerabilitatem Baptismi.

Concinit Toletanum VIII. c. 7. *Nequaquam*, inquit, *aliquando poterit profanari, quod divinâ unctione, simulq; Apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse* (agit contra eos qui metu sacris initiati, pœnitentiâ suscepti statûs ducti, pristina pertentabant conjugia) *Verùm sicut sanctum Chrisma collatum, & altaris honor propter consecrationem* (*quæ per Episcopos tantùm exercenda & conferenda sunt*) *evelli non queunt; ita quoque sacrum decus honorum, quod his compar habetur & socium, quâlibet fuerit occasione perceptum, manebit omnimodè inconvulsum.*

Concordat Concilium Toletan. VIII. cap. 7.

Profectò si Confirmatio ex sua institutione validè iteratur, non possum satis mirari Ecclesiam numquam illam iterasse. Quæ enim vel apparens ratio privandi fideles semel confirmatos novo fructu tanti Sacramenti, si illius verè capaces sunt? Certè nullam video.

Et praxis Ecclesiæ,

Quæ sine causa non fraudaret fideles isto effectu si forent capaces.

18. Hinc respondeo ad can. 7. Concilij generalis II. ubi præscribitur reconciliatio quorumdam hæreticorum per Sacramentum Confirmationis, sicut etiam fit in pluribus alijs Concilijs, quæ tamen prohibent iterationem hujus Sacramenti; Respondeo, inquam, Concilia illa loqui de hæreticis, qui vel nullo modo fuerant confirmati, puta quia simpliciter rejiciebant hoc Sacramentum, ut constat de Novatianis, quorum expressè meminit Concil. generale; vel Confirmationem acceperant invalidè defectu materiæ, aut formæ competentis: vel certè à ministro inidoneo, simplici videlicet Sacerdote contra expressam prohibitionem Ecclesiæ, quales erant Presbyteri Photiani; quibus Adrianus II. (ut ipsemet testatur in Epistola, quam scripsit ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, & habetur in Synodo VIII.) non solùm in Bulgarorum terris; sed ubique gentium sacris omnibus interdixerat.

Unde can. 7. Concil. general. II. loquitur de Hæreticis invalidè Confirmatis.

19. Similis responsio adhibetur Rituali per totam Græciam recepto, in quo decernitur (ut apparet) reiteratio hujus Sacramenti in desertoribus Christianismi, si quando ad fidem Catholicam redire contingat. Quod intelligendum existimo de illis tantùm, qui ante hæresim, vel tempore ejus non fuerant confirmati.

Eodemque modo respondendum ad Rituale per totam Græciam receptum;

Aut si omnibus adhibetur unctio, equidem aliquibus non nisi Cæremonialis, de qua fortè loquitur Concil. Arauf. I. c. 2. ubi sic ait: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari placet.* Et Innoc. I. Epist. 1. c. 6. in quo, ut supra vidimus, statuit, Episcopum posse dare licentiam Presbyteris consignandi Energumenos, si facilè ad se deferri non possint.

Vel dicendum quod agat de Unctione Cæremoniali, Arauf. I.

Hunc intellectum colligo ex ipsis verbis Euchologij; *Iste talis, qui se ad fidem convertit, precationes reconciliatrices septem diebus suscipiat, 8. die abluatur, & è balneo, linteo accinctus unguento ungatur, veluti qui baptizantur, & instar baptizatorum novas vestes induat.* 20.

Ut colligitur ex ipsis Euchologij verbis.

Hoc autem non est iterare Baptismum, sed meminisse puritatis olim in Baptismo collatæ. Similiter ergo unctio illa non est repetitio Sacramenti Confirmationis; sed repræsentatio ejus, quod priùs gestum fuit, ut conversus recordetur se aliquando accepisse speciale robur Spiritûs sancti ad fortiter Christi fidem profitendam, magisque animetur ac confirmetur in proposito permanendi immobiliter usque ad tormenta, & mortem ipsam in ejusmodi fidei confessione.

Hæc autem Unctio non est repetitio, sed tantùm Confirmationis repræsentatio.

Id ipsum non obscurè constat ex precationibus: nam in 3. oratione ante Unctionem sic habetur: *Illustra Domine ipsius mentem virtute & efficacitate Spiritus sancti tui, adeò ut in ipsius animo inclusum signaculum salutaris Baptismatis aurâ gratiæ in flammam spiritualem excitatus intelligibiliter accendatur, & quod impressum est ipsi signaculum* (scilicet per Baptismum, & Confirmationem) *expressius & manifestius appareat.*

Ut constat ex precationibus Unctioni præmitti solitis.

Quibus verbis Auctor illius precationis planè indicat, characterem antea impressum non esse deletum, ut proinde debeat Sacramentum iterari, per quod de novo imprimatur, sed obscuratum peccatis, hoc est, esse characterem nudum sine comite gratia, tam habituali, quàm actuali; quam idcirco rogat Deum velle concedere infideli jam converso, ut per constantem imposterum professionem fidei, exteriùs appareat verè ante apostasiam insignitũ fuisse charactere baptismali, ac confirmatorio, usque modo indelebiliter quoad substantiam perseverantibus.

Quidquid sit de mente istius Auctoris (de quo aliqui dubitant an orthodoxus fuerit, 21.

fuerit, an verò schismaticus) crimen maximum sit eam præponere auctoritati Ecclesiæ Romanæ, quam hoc Elogio extollit præcipuus Pater, & optimus Doctor D. Aug. contra Epistolam fundamenti c.5. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Tantâ autem evidentiâ Ecclesia Romana, Catholica & Apostolica præsentem conclusionem contestatam reliquit, ut non nisi pervicacia possit adversùs illam nervos contentionis intendere.

S. August.

Deinde verisimile est illas Rubricas de ungendo, non esse authenticas.

Accedit valde verisimile esse Rubricas de ungendo, & abluendo cum additione formæ, à posterioribus Græcis antiquo rituali insertas, & in eo corruptum: quippe viri græci valde docti asserunt ea omnia, & appendicem formæ in manuscriptis Euchologijs minimè haberi. Ita Pontius supra num. 14.

22. Quæ sit pœna iterantium Confirmationem? Scotus.

Quæritur autem ulteriùs quæ sit pœna iterantium illud Sacramentum? *Dicunt Canonistæ* (verba sunt Scoti supra q. 5.) *sicut dictum est de iteratione Baptismi, quod probant per locum à simili, per illud cap. de Consec. dist.* 4. *Qui bis.* Sed hæc responsio non placet Doct. Subt. adeòque nec nobis placere potest.

Juristæ non faciunt jus.

Quapropter cum ipso supra dicimus, *Quòd universaliter nulla pœna Canonica, quæ non est inflicta à Papa condente ius, incurritur ipso iure. Nec propter argumenta exponentium Canones, sive à simili, sive à contrario sensu, est aliquis tali pœnâ adstrictus: quia possunt exponere ius conditum, non autem condere novum per suas expositiones. Vnde Innoc. qui tamen fuit Papa, cùm fecisset magnum opus, exponendo ius Canonicum, cùm fuisset requisitus ab alijs, quale robur vellet illum tractatum habere: dixit quòd nollet ipsum esse authenticum, sed tantummodo magistralem.*

Adeòque non incurrit pœnam irregularitatis,

Cùm ergo non inveniatur in iure Canonico expressè pœna irregularitatis inflicta pro iteratione Confirmationis: sequitur quòd non incurratur. Et hoc maximè patet, quia constitutiones pœnales sunt restringendæ, non ampliandæ: & si voluisset legislator pœnam talem inflixisse pro iteratione Confirmationis, sicut Baptismi, potuisset expreßisse hic, sicut ibi.

Utpote in jure non expressam,

Et confirmatur etiam per caput illud, de Consec. dist. 5. Dictum, *ubi nulla pœna infligitur Episcopo iterum Confirmanti: sed nec suscipienti, nisi quòd soli Deo sub habitu regulari, vel clericali ipsum religiosissimè famulari decretum est. Hic autem innuit non pœnam irregularitatis, sed magis oppositum, puta exercitium officij clericalis. Nam in executione Ordinum, & præcipuè in consecratione Eucharistiæ Clericus Deo suo religiosissimè famulatur.*

Neque Episcopus iterum Confirmans, neque suscipiens.

Hæc Scotus. Quibus nihil addendum judico, præter verba illius capitis *Dictum.* 8. de Consec. dist. 5.

Sunt autem hæc: *Dictum est nobis, quòd quidam de plebe bis vel ter vel eo ampliùs, Episcopis ignorantibus tamen ab eisdem Episcopis confirmentur. Vnde visum est nobis eamdem Confirmationem, sicut nec Baptismum; iterari minimè debere: quia bis vel ter, vel ampliùs baptizatos, aut confirmatos, non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulari decretum est.* Ita cum Burchardo & Ivone refert Gratianus ex Concil. Tarraconensi c. 6. quamquam ibi amplius non inveniantur, sed priora verba usque ad vers. *Quia bis*, habentur in Concil. Cabilonensi 2. c. 27.

Cap. 1. de Consecrat. dist. 5.

Notandum insuper Primò, Concil. Tarraconense, quoniam Provinciale, non obligare omnes, cùm minimè constet de universali receptione. 23.

Notandum Secundò, eamdem pœnam decerni à Concilio rebaptizatis, & reconfirmatis: adeòque quantùm est ex vi hujus statuti rebaptizatum haudquaquam subjacere pœnæ irregularitatis. Ex quo ergo? ex cap. 2. de Apostatis, quod est Alexandri III. Vide disp. 2. sect. 5. conclus. 10. Prosequor interim materiam inceptam, & dico:

CONCLUSIO III.

Ut quis licitè Confirmationem suscipiat requiritur, & sufficit status gratiæ.

HÆc conclusio nullam patitur difficultatem. Nam inprimis ad licitam susceptionem Confirmationis per se requiri statum gratiæ, nemo ignorat; quippe quæ ab omnibus agnoscitur & ponitur inter Sacramenta vivorum, sic dicta, quòd vitam animæ in subjecto præexigant. Dico, *per se*, quia per accidens potest conferre primam gratiam, ut de omnibus Sacramentis vivorum probavimus disp. 1. sect. 5. concl. 5.

24. Ut quis licitè Confirmetur debet esse in statu gratiæ per se loquendo.

Quòd autem nihil amplius requiratur, etiam in adultis (nam parvuli nullius alterius sunt capaces defectu usûs rationis) probatur à simili ex alijs Sacramentis vivorum, quæ ex natura rei nullam aliam dispositionem postulant, ut suscipienti conferant suum effectum. Lex autem positiva plus aliquid requirens ad effectum Sacramenti Confirmationis, ubi invenitur?

Amplius in adulto nihil requiritur.

Dices; in Concilio Aurelianensi c. 3. & refertur

25. Concil. Aurelian.

refertur de Consec. dist. 5. c. 6. *Ut jejuni*, inquit, *ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum sancti Spiritûs valeant accipere.*

Non confessio.

Respondeo Primò; non inveniuntur illa verba in Concilio Aurelianensi, & ideo sunt minoris auctoritatis. Respondeo Secundò, est Concilium Provinciale, quod Ecclesia universalis nondum recepit. Respondeo Tertiò, non præcipit confessionem, sed tantùm consulit, ut patet ex ly *Moneantur*.

Trident.

Quæ tamen consulitur, uti initiatis matrimonium.

Quemadmodùm Concilium Tridentinum sess. 24. de refor. Matr. c. 1. *Conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.*

Equidem non præcipit, juxta communem sententiam; sed æqui bonique consulit, tum ob majorem reverentiam Sacramenti, tum etiam ob majorem utilitatem, id est, ampliorem gratiam inde proventuram.

Et quis audeat negare hujusmodi dispositionem utilissimam fore, adeòque meritò consulendam etiam in hoc Sacramento? Cæteroquin sicuti ipsum Sacramentum Confirmationis, ut statim dicemus, non est per se necessitatis, sed utilitatis dumtaxat; sic optima dispositio ad illud fructuosè recipiendum non præcepti, sed consilij tantummodo esse oportuit.

26. Non requiritur ætas 12 annorum.

Sanè praxis Ecclesiæ modernæ ostendit perfectam ætatem, id est, (secundùm Glossam in c. citatum) duodecim annorum, minimè requiri, sicuti nec jejunium. Quis enim credat parvulos, imò & adultos perfectæ ætatis post tempus prandij quando tamen sæpe Episcopi hoc Sacramentum ministrant, esse jejunos?

Neque jejunium.

Confessio quidem ab aliquibus præmittitur, sed ad majorem puritatem & utilitatem, ut dixi, non quia obligat ex præcepto. Sic enim lego in Pontificali Romano Tit. de Confirmandis: *Adulti deberent priùs peccata confiteri, & postea confirmari, vel saltem peccata, quæ admiserunt, doleant.* Quid clarius?

Pontific. Rom.

Sed numquid ipsa Confirmatio obligat ex præcepto?

CONCLUSIO IV.

Per se loquendo nemo obligatur, saltem graviter, ad suscipiendam Confirmationem: bene per accidens ratione scandali, aut alterius circumstantiæ, v. g. instante certamine fidei.

Confirmationem non esse medium necessarium ad salutem, disertis verbis asserit Scotus supra q. 2. ibi: *Respondeo, non est simpliciter necessarium* (Sacramentum Confirmationis) *ad salutem, juxta illud Mar. ultimo*: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, *& de Consec. dist.* 5. Spiritus sanctus. *ubi habetur quod baptizatus per solum Baptismum salvatur.* 27.

Confirmatio non est medium necessarium ad salutem.

Scotus.

Refero verba textûs: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam..... Et quamvis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Ita Melchiades Papa in Epist. ad Episcopos Hisp. c. 2.

Estque communis sententia tam recentiorum, quàm antiquorum Theologorum, fundata in ipsa natura Sacramenti, quod institutum est non ad conferendam primam gratiam, sed ejus augmentum: notum autem est omnibus, ad salutem sufficere quemlibet gradum gratiæ sanctificantis.

Est communis sententia.

Et quamvis ego tacerem, praxis Ecclesiæ loqueretur, non administrantis communiter parvulis hoc Sacramentum ante septennium, etiam in periculo mortis.

Et Ecclesiæ praxis non administrantis parvulis ante septennium etiam in mortis periculo.

Accedit specialem effectum hujus Sacramenti, scilicet robur ad protestandam fidem coram Tyranno, alijs medijs ab adultis posse sperari & obtineri, puta per sacrificia, orationes, aliaque opera bona, utique meritoria vitæ æternæ; quantò magis auxiliorum actualium? Præterquam quod maximæ parti adultorum numquam se offerat aliqua occasio defensionis fidei.

Ex hoc discursu colligo nullum extare præceptum naturale per se graviter obligans ad susceptionem hujus Sacramenti. Quod enim illud esset, nisi præceptum propriæ charitatis, quod unumquemque obligat ad procuranda sibi media necessaria ad salutem? 28.

Adeòque nec est lex naturalis per se graviter obligans ad suscipiendam confirmationem.

Immo nec divinum connaturale gratiæ. Etenim cur magis obliget ex vi suæ institutionis Confirmatio, quàm Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium? Omnia namque causant ex opere operato augmentum gratiæ sanctificantis, & conferunt auxilia actualia necessaria ad specialem cujusque

Imò nec divinum connaturale gratiæ.

que Sacramenti finem obtinendum. Quòd autem finis Confirmationis aliquando obliget, quid inde? Per accidens est, & per alia media auxilia illa possunt impetrari.

Potuit superaddi præceptum positivum.

Libenter admitto potuisse Christum superaddere præceptum positivum, quale superaddidit institutioni Sacramenti Eucharistiæ; sed fecisse, quod potuit facere, unde constat? Verba legis expecto, & statim subscribo. Quærat aliquis diligenter, & cùm invenerit, gratissima erit renuntiatio.

Si superadditum esset, Ecclesia agnosceret.

Mirum sanè foret, si aliquod ejusmodi esset, Ecclesiam non cogere suos filios ad illius impletionem, sicut ad impletionem præcepti de Baptismo, Pœnitentiâ & Eucharistiâ: nec credendum quòd tam facilè permitteret aliquem mori sine Sacramento Confirmationis.

29. Nihilominus contra hanc doctrinam statim objicitur illud Urbani Papæ Epistolâ 1. c. 7. (& habetur de Consec. dist. 5. c. 1.) *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent.*

Non agnoscit Urbanus Papa.

Planè debent. Sed attende quod sequitur: *Vt pleni Christiani inveniantur.* Desideras hanc plenitudinem accipere ex opere operato? Debes accipere Spiritum sanctum per manûs impositionem Episcoporum.

Alioquin quæ necessitas operis operati, ubi nulla est necessitas effectûs, vel si aliqua est, ubi effectus potest obtineri ex opere operantis? Utilitatem video; adeòque consulitur Sacramentum, obligationem strictam, saltem sub mortali, in illis verbis non reperio.

Neque S. Cyprianus Epist. 70.

Neque in simili locutione D. Cypriani Epistolâ 70. *Vngi*, inquit, *necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Hoc est, ut habere possit augmentum gratiæ habitualis, ac virilem quamdam perfectionem seu robur actuale ex opere operato.

Neque Côcilium Aurelianense c. 3.

Eodem modo explico verba Concil. Aurelianensis c. 3. (ut illa refert ex Buchardo & Ivone Gratianus in suo decreto de Consec. dist 5. c. 6) *Et quia numquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.*

30. Quidni & ista Concilij Laodiceni can. 48. *Oportet baptizatos post Baptismum sacratissimum Chrisma percipere, & cælestis regni participes fieri. Oportet*, inquam, id est, multùm conveniens est per Baptismum in Christo regeneratos, per unctionem sacratissimi Chrismatis in Christo perfici & roborari.

Neque concilium Laodicenum can. 48.

Christi nomen derivatum est ab unctione Chrismatis. S. Aug.

Enimverò Christi nomen ab unctione Chrismatis derivatum esse, docet S. Aug. lib. 17. de civit. c. 16. ibi: *Quis enim tam rudis est in hac religione, vel tam surdus adversus eius famam longè latèq; diffusam, ut Christum à Chrismate, hoc est, ab unctione appellatum esse non noverit?*

Et lib. 20. c. 10. ad illa verba Apoc. 20. v. 6. *Sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis:* sic inquit: *Non utique de solis Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis.*

Nota: *Christianos dicimus*, id est unctos, 31.
propter mysticum Chrisma, id est, Sacramentum Confirmationis, cujus materia est unctio Chrismatis. Ad quam nominis ethymologiam forsitan alludere voluerunt Pontifices, Patres & Concilia, quando negant eos esse Christianos, vel plenè Christianos, qui non accepère hanc unctionem.

Secundùm quam ethymologiam nominis nô videntur perfecte Christiani, qui nô sunt confirmati.

Cæterùm quod ad rem ipsam attinet, id est, fidem in Christum, & externam ejus professionem, juxta illud Apostoli Rom. 10. v. 9. & 10. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*; plurimos sine unctione Chrismatis fuisse perfectissimos & plenissimos Christianos, argumento certissimo sunt omnes illi, qui ante realem susceptionem Baptismi, sanguine proprio pro Christi nomine baptizati, & confirmati fuerunt.

Rom. 10.

Secundùm rem autem multi fuerût perfectissimi Christiani.

Ex his festinè cognoscitur quomodo sint intelligenda verba Melchiadis Papæ in principio conclusionis citata: *At si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia; victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Non ait, necessaria est Confirmatio, sed *Confirmationis auxilia*, quæ aliunde haberi possunt, ut dictum est; quamvis valde congruum sit, & quodammodo necessarium ad melius esse, infallibiliter ea consequi per opus operatum à Christo ad hoc ordinatum.

32. *Explicantur verba Melchiadis Papæ.*

Primò.

Idcirco idem Pontifex in eadem Epistola præmittit: *Sed ita coniuncta sunt hæc duo Sacramenta* (Baptismus, & Confirmatio) *ut ab invicem, nisi morte praveniente, nullatenùs possint*, potentiâ condecentiæ, id est, nullatenus conveniat *segregari.*

Addit, *Et unum sine altero perfici non potest*: quia Confirmatio, nisi præcesserit Baptismus, non valet: Baptismus autem, nisi ad eum accesserit Confirmatio, caret suâ perfectione & complemento extrinseco.

Possent

Secundò.

Possent etiam priora verba Pontificis intelligi comparativè, ut tantùm velit Confirmationis auxilia magis esse necessaria victuris, quàm morituris. Equidem prior expositio magis placet.

33. Quia in hoc Sacramento ita abundanter subministrantur auxilia gratiæ.

Profectò quoniam hoc Sacramentum facillimum est & præstantissimum, infallibiliter subministrans arma ad pugnandum contra adversarios fidei, ipsa ratio naturalis dictat quammaximè conveniens esse, hujusmodi armis se induere, si non necessarijs ad vincendum pro hoc tempore, fortè pro futuro.

Videtur esse veniale peccatum, hoc Sacramentum sine causa negligere.

Hinc nolo difficilis esse in admittendo peccato aliquo veniali spiritualis cujusdam prodigalitatis, quando quis omnimodâ opportunitate oblatâ non vult suscipere hoc Sacramentum; quoniam sine ulla causa privat se ipsum magnis bonis spiritualibus.

Et ideo dixi in conclusione, *Saltem graviter*; quippe facilè intercedit venialis negligentia; sicuti quando ex mero tepore omittuntur alia remedia spiritualia v. g. Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, etiam tunc quum non sunt absolutè necessaria ad salutem ex præcepto divino. Similiter quando alia bona opera non præcepta, ex tædio aliquo rerum spiritualium, temporibus maximè opportunis, negliguntur.

34. Atque de hoc peccato fortè intelligi posset Scotus supra, quando dicit: *Est tamen necessarium* (Sacramentum Confirmationis) *adulto sic, quòd non contemnat, sicut dicitur extra de Sacra Unctione, ubi dicitur in Glossa, quod non est plenus Christianus, qui contemnit.* Sed hoc in ordinaria Glossa non invenio.

De quo peccato fortè intelligendus est Scotus,

Pergit Doctor, & respondet ad auctoritatem Urbani: *Quod loquitur de adulto, qui debet suscipere, id est, non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectu: indicaretur enim contemptus, si omnimodâ opportunitate oblatâ non susciperetur* Non contemptus formalis, qui semper est mortalis, etiam cùm actus, qui contemnitur, solùm est consilij; sed virtualis, id est, maxima negligentia in ijs, quæ ex speciali Dei ordinatione conducunt ad æternam animæ salutem.

Non de cõtemptu formali,

Cæterùm non semper hujusmodi negligentiam esse formalem contemptum, peccatum utique mortale, ostendit communis praxis timoratorum, qui non existimant se peccare mortaliter, tametsi ex mero tædio aut torpore negligant receptionem v. g. Eucharistiæ; idque meritò, quia contemptus formalis est actus, quô aliquis despicitur ac vilipenditur, vel quô aliquid fit aut omittitur, ut interna animi vilipensio ostendatur, aut similis apud alios gignatur.

Qui nõ habetur eo ipso quo est negligentia;

Putas autem quòd omnis negligentia Eucharistiæ, Confirmationis &c. sit vilipensio Dei? Noli putare, quia non est sapientis. Quid ergo? Charitas dictat, hæc ampliora remedia salutis non quidem sub gravi obligatione suscipienda; attamen sub veniali non esse omninò negligenda.

Non enim omnis negligentia est Dei vilipensio.

35. Modò quod attinet ad legem Ecclesiasticam, fuerit olim ea consuetudo, non inficior: & de ea intelligi possunt dicta Patrum, & antiquorum Conciliorum; at hodie eam abolitam esse contrariâ consuetudine, docet Layman de hoc Sacramento c. 5. q. 4. Hodie, inquit, cùm Episcopi Sacramentum istud alicubi ministrare volunt, admonetur populus, non tamen præcepto strictè imposito, ut qui confirmati non sunt, ad confirmandum accedant, vel adducantur.

Si fuerit obligatio suscipiendi ex consuetudine, illa est abolita. Layman.

Videri potest Catech. Rom. parte 2. de hoc Sacramento q. 13. ubi in fine sic ait: *Communis omnium mater Ecclesia Catholica vehementer optat, ut in ijs, quos per Baptismum regeneravit, Christiani hominis forma perfectè absolvatur: id autem quoniam mysticæ Unctionis Sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos fideles æquè pertinere.* In quibus verbis, ut patet, nulla fit mentio strictæ obligationis.

Neque Catechism. Rom. obligationis meminit.

Nihilominus Basilius Pontius parte 5. c. 3. tametsi n. 2. admittat aliquod præceptum Ecclesiasticum circa susceptionem Confirmationis olim extitisse, quod nunc contrariâ consuetudine cessavit; scilicet suscipiendi Confirmationem simul cum Baptismo; equidem n. 3. docet adhuc extare præceptum Ecclesiasticum de suscipienda Confirmatione, saltem post septennium. 36.

Eam admittit Pontius post septennium;

Quam restrictionem addit; quia, ut ait eodem numero, si semel demus divinum præceptum esse de suscipienda Confirmatione, nulla subest ratio ob quam dicamus, determinationem illam (scilicet ad septennium) non habere vim præcepti Ecclesiastici determinantis indeterminatum præceptum. Hæc Ille.

Quæ si vera sunt (quod non credo) quâ ratione excusabimus Episcopos, qui per multos annos in aliquibus locis non confirmant, ubi absque dubio plurimi sunt, qui septennium expleverint? Aut si Prælatos excusamus, quia subditorum est recurrere pro Sacramentis necessarijs, non autem ipsorum quærere subditos, ut Sacramenta ministrent: damnabimus ergo omnes illos peccati mortalis, qui post septennium non accedunt Diœcesanum in locis remotioribus commo-

commorantem, & ibidem solùm confirmantem? Absit. In inferno nulla est redemptio. Et ideo non sine magno fundamento statui debet mortalis obligatio.

37. Optimè, inquis, sed ubi Pontius illam statuit? Non legisti quod ait in fine illius numeri tertij: Hoc tamen (præceptum) credo non obligare sub mortali, sicut neque divinum obligare diximus, excepto articulo instantis occasionis professionis fidei coram Tyranno?

Sed tantùm sub veniali.

Legi omnino: sed quæso te, præceptum divinum potuit obligare sub mortali? Similiter præceptum Ecclesiasticum? Planè, inquis. Quis ergo revelavit Pontio, quòd obligent tantùm sub veniali?

Profectò si aliquid probaret Concil. Mediolanense 4. quod Pontius pro sua sententia allegat, non frustra videretur probare obligationem sub mortali. Do verba authentica: *Videant item* (Parochi) *ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud* (Sacramentum Confirmationis) *suscipere negligant.* Prosequitur: *Quare præmoneant, quod etiam Concilij Vormatiensis canone sancitum est* (quem diu quæsitum non potui invenire) *ut quicumque intrà Parochiæ suæ fines habitant; neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt quâ Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.* Ita præfatum Conc. Constit. part. 2. Tit. Quæ pertinent ad Sacramentum Confirmationis. §. 2.

Pro quo allegat Concil. Mediolanense 4. quod magis videtur probare obligationé mortalem;

Et ne aliquis existimaret esse tantùm verba admonitoria, & non præceptiva, illicò subjungitur: *Si quis verò neglexerit, canonicis subjaceat disciplinis.* Jam autem non solet lex Ecclesiastica (extra censuras) expressè pœnam decernere pro peccato dumtaxat veniali.

Cùm dicat subjacere pœnis Ecclesiasticis, qui neglexerit:

Utcumque ergo sit de mente istius Concilij, sive dixeris punire negligentiam mortalem, id est, formalem contemptum Sacramenti, sive imponere novum præceptum: omnes concedere debemus Concilium Provinciale, quale illud fuit, non obligare universalem Ecclesiam, nisi in quantum ab illa est receptum. Et verò unde constat receptio istius legis? Profectò consuetudo in multis locis declarat contrarium.

Sed illud statutum nõ est ab universali Ecclesia receptum,

38. Fateor, potuisset Ecclesia statuere, quòd omnis utriusque sexûs fidelis paulò post septimum ætatis annum susciperet Sacramentum Confirmationis (sicut statuit quòd semel in anno, ad minùs in Pascha, suscipiat reverenter Sacramentum Eucharistiæ) licèt enim non sit Sacramentum necessarium ex præcepto divino, est tamen valde utile, & non nimium difficile: verumtamen ita statuisse unde probatur?

Dices; quia præscribitur ut ante illud tempus Episcopus non confirmet. Esto: ergo præcipitur fidelibus ut eo tempore suscipiant, qualis consequentia? Quis, amabo, fidelium apprehendit se peccare si ulteriùs differat etiam ad multos annos? Episcopum ergo concernit hæc determinatio temporis ne debeat, vel possit sine justa causa ante illam ætatem Sacramentum ministrare.

Neque ex aliquo capite colligitur Ecclesiam aliquod præceptum cõdidisse.

Præterea tribuit jus omnibus fidelibus post illud tempus Sacramentum ab Episcopo exigendi; adeò ut Episcopus si notabiliter differat sine ratione, communi calculo, peccet mortaliter: quia cùm sit Pastor tenetur pascere oves, non solùm in his, quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem, sed etiam in his, quæ à Christo ad singularem subditorum utilitatem sunt instituta; quæ proinde justè ab omnibus exigi possunt, sicuti Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & alia, etiam tunc quando exigere non tenentur: præsertim cùm hoc Sacramentum semel tantùm in vita recipi possit. Perinde autem est sive Episcopus ministret, per se ipsum, sive per suum Suffraganeum; quippe eadem utilitas ovium. Atque hæc sufficiant de Prima parte conclusionis: enucleemus Secundam.

Omissionem hujus Sacramenti aliquando posse esse peccatum mortale ratione scandali quis Theologus potest ambigere? Erit autem dum alteri datur occasio vel formalis contemptus, vel similis omissionis in periculo proximo abnegationis fidei. 39.

Est præceptum suscipiendi ob scandalum secutum,

At numquid instante certamine fidei semper est periculum proximum deficiendi, ita ut homo sine Sacramento non censeatur sufficiens?

Respondeo conclusionem nostram hoc non asserere; posset quippe aliquis per revelationem divinam esse certus de constanti fidei professione per auxilia aliunde acquisita, sive per alia bona opera, sive per specialem Dei favorem. Quid igitur?

Vel ob instans certamen fidei,

Dico, quoniam certamen fidei forte est & insuetum, humana imbecillitas frequentissima, actualia auxilia plerumque incerta, meritò judicatur amare periculum (de quo prudenter dubitari potest, an non sit proximum) negandi veram fidem, qui non vult recipere Sacramentum (omnimodâ opportunitate oblatâ) quod infallibiliter confert robur & constantiam ad fidem profitendam. Quidni igitur pereat, id est, peccet mortaliter, juxta illud Eccli. 3. v. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit?*

Cujus negationis periculo se exponit non confirmatus;

Adeoque graviter peccat. Eccl. 3.

De hoc

40. De hoc casu loquitur D. Gregor. lib. 12. Epistolarum indictione 7. Epist. 31. dicens: *Quotiens tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptu, nec testibus ratio certa habetur, utrùm baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sunt, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur* ritè tenere debetis, *ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat*: tempore utique persecutionis, quando ob defectum Sacramenti Confirmationis, carent necessariâ fortitudine ad fidem propugnandam, & pro ea moriendum.

S. Gregor.

Tempore utique persecutionis.

Et fortassis de isto tempore exponi posset Doctor noster supra, inquiens: *Indicaretur enim contemptus*, id est, minor quàm par est æstimatio Sacramenti Confirmationis, *si omnimodâ opportunitate*, tempore persecutionis instante fidei certamine, *oblatâ, non susciperetur*.

De quo posset exponi Scotus.

Indicaretur, inquam, omissio illa externus contemptus, quamvis fortè omittens in animo non contemneret. Talis autem externus contemptus absque dubio est peccatum mortale, sicut patet in eo, qui ex mandato Tyranni comedit carnes in die jejunij, ut ostendat exteriùs se non curare legem Pontificiam, quamvis in animo suo optimè de ea sentiat.

41. Alioquin Confirmationem simpliciter non esse necessariam, docet præterea Scotus 4. dist. 17. q. 1. n. 11. ibi: *Quia Extrema Unctio est instituta à Christo & Confirmationis Sacramentum, ut dictum est supra, & tamen neutrum est simpliciter necessarium; nec est præceptum* (divinum aut naturale) *de isto vel illo recipiendo*.

Extra illud tempus non est præceptum naturale nec divinum,

Adde, nec Ecclesiasticum: etenim licèt passim omnes fideles curent sibi in periculo mortis administrari Sacramentum Extremæ Unctionis; similiter post tempus septennij solliciti sint suscipere Confirmationem; non tamen animo se obligandi (qui necessarius est ut consuetudo statuat legem) sed propter maximam istorum Sacramentorum utilitatem.

Adde, nec Ecclesiasticum nequidem consuetudine inductum.

Quæ etiam utilitas ratio est, quòd omissio seu recusatio receptionis, nullâ existente rationabili causâ, suspicionem generet in cordibus adstantium hæresis, vel formalis contemptûs, aut certè inducat videntes ad indignam æstimationem, adeóque formalem contemptum illorum Sacramentorum, quod non potest non esse grave scandali peccatum: potissimùm quando nolumus ea suscipere eô tempore, quô maximè necessaria sunt, sicuti tempore persecutionis Confirmatio, & in periculo mortis, præsertim hominis alioquin præteritæ malæ vitæ, Extrema Unctio.

Solet hîc ab aliquibus disputari, Primò, an peccet mortaliter qui initiatur Ordinibus sacris, priusquam susceperit Sacramentum Confirmationis? Secundò an peccet mortaliter Episcopus confirmans, vel ordinans cùm ipse confirmatus non sit? Responsio ad utramque quæstionem erit

CONCLUSIO V.

Qui accipit primam Tonsuram & cæteros Ordines sine Confirmatione non peccat saltem mortaliter. Neque Episcopus confirmans aut ordinans ipse non confirmatus.

Secunda pars conclusionis minorem patitur difficultatem. Congruit quidem institutioni Sacramenti, ut qui confirmat, ipse confirmatus sit; veluti & qui baptizat, convenit esse baptizatum, & qui ordinat, ordinatum: cæterùm strictam obligationem, maximè sub peccato mortali, quis hactenuus vel apparenter probavit? 42.

Episcopus non Confirmatus confirmans aut ordinans non peccat graviter;

Enimverò omnes consentiunt potestatem confirmandi nequaquam fundari in charactere confirmatorio, sed in solo Episcopali, ideoque Episcopum non confirmatum validè confirmare. Unde ergo obligatio gravis?

Cùm nullibi talis obligatio legatur.

Ex præcepto, inquies, humano. Sed ubi scripto? Credo foliô fractô, paginâ nullâ, ut communiter dicitur de his, quæ nusquam scripta reperiuntur.

Primæ parti conclusionis obstare videtur Concil. Trid. sess. 23. c. 4. ubi sic ait: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed ut Deo fidelē cultum præstent hoc vitæ genus elegisse*. 43.

Accipientes primam Tonsuram ante Confirmationem non peccant graviter: Trident.

Respondet Suarez disp. 38. sect. 1. in fine: ibi non imponitur censura, neque verbum quod rigorosum præceptum indicet: & ideo hujusmodi omissio non erit peccatum, saltem mortale.

Quia in Trident. non imponitur censura. Suarez.

Quòd non imponatur censura clarum est: quòd autem non contineatur aliquod verbum significans rigorosum præceptum haud facilè concesserim. Siquidem Clemens V. in Clement. *Exivi de paradiso*

An non adđatur verbum significans rigorosum præceptum dubitatur.

paradiso de verb. signif. enumerat inter præcepta Regulæ nostræ: *Quòd Clerici faciant divinum officium: Quòd fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit interdictum*; & alia similia, quæ solùm continent verbum imperativum, quale etiam est illud, quod hîc ponitur, scilicet: *Non initientur.* Quidni ergo & istud æquipolleat verbo præceptivo? Neque enim materia, usus, aut aliæ circumstantiæ contrarium declarant.

Verbum enim imperativum æquivalet præceptivo;

Confirmatur ex ipso Suario lib. 3. de legibus c. 15. n. 8. ibi: Concil. Trident. sess. 13. c. 7. de Sacerdote, qui urgente necessitate absque prævia confessione celebrat cum conscientia peccati mortalis solùm dicit: *Quam primum confiteatur*, per quæ sola verba legem obligantem constituit, juxta communem intelligentiam.

Quale est illud, quam primum confiteatur.

44. Detur ergo Adversarijs, qui pauci sunt, in eo loco Tridentini sess. 23. c. 4. rigorosum præceptum contineri: Dico non tam dirigi ad illos, qui primâ Tonsurâ initiantur, quàm ad Ministrum initiantem. Unde Episcopus solet de Confirmatione initiandi inquirere, hic autem de ea minimè est sollicitus.

Deinde verba Trident. potiùs diriguntur ad initiantem, quàm ad initiandum,

Atque ut etiam concerneret initiandum, sive Tonsurâ, sive etiam cæteris Ordinibus; Unde constat esse præceptum in gravi materia? Etenim character Ordinis, ut omnes supponunt, non dependet essentialiter ex charactere Confirmationis. Ex quo ergo tanta gravitas, ut omissio Confirmationis sit peccatum mortale? Ratio quidem dictat, priùs quempiam adscribendum militiæ, quàm eligendum in ducem; sed cur inversio illius Ordinis accidentalis, gravis, quando aliunde constat capacitas regendi exercitum?

Atque ut ad hunc dirigerentur nondum inferrent gravem obligationem,

Sive propter inversionem ordinis,

45. Dices: quia fraudat Ecclesiam in re gravi; sicut qui initiatur Tonsurâ, & minoribus Ordinibus cum animo retrocedendi ab illis hâc intentione ut gaudeat privilegijs Clericorum, quod Bannez 2. 2. q. 12. a. 1. in 2. diffic. conclus. ultimâ, Aragon, Petrus Ledesma & alij dicunt esse peccatum mortale. Unde simpliciter mihi videtur grave inquit Bas. Pontius parte 5. c. 3. in fine non confirmatum ad statum Clericalem ascendere: Ordinis enim defectus gravis est.

Sive propter injuriam Ecclesiæ,

Sed hoc est quod quæritur, & tantâ facilitate, imò majori probabilitate negatur, quàm asseritur. Respondeo ergo, ad æstimandam materiæ quantitatem attendi debet communis hominum instinctus, ac præsertim consensus Doctorum; tum finis legis & proportio materiæ ad eum finem; sæpe enim ratione finis vel aliarum circumstantiarum materia in se levis efficitur gravis, & è converso materia in se gravis efficitur levis. Jam autem plerique Doctores æstimant inversionem ordinis inter Sacramentum Confirmationis, & Sacramentum Ordinationis esse materiam levem, tametsi ipsa Sacramenta in se sint materia gravis.

Quia communiter æstimant DD. illam esse materiam levem.

46. Quamobrem conclusionem nostram Diana parte 2. tract. 2. Miscel. resol. 4. vocat veriorem, quam hoc nostro ævo communiter sequuntur. Ita Sotus, Victoria, Candelabrum aureum, Avila, Suarez, Valentia, Navarrus, Molfesius, Azor, Coninck, Dicastillo, & alij Recentiores.

Hinc Diana vocat conclusionem nostram veriorem. *Sotus. Victoria, & alij.*

An autem peccet mortaliter, qui initiatur Tonsurâ & minoribus Ordinibus cum animo retrocedendi ab illis: affirmat Bannez 2. 2. qu. 12. art. 1. in 2. diffic. conclus. ultimâ: negat Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 31. num. 17. quia, inquit, nec finis est mortalis, nec debiti finis perversio culpam mortalem inducit, maximè in his Ordinibus, quos non esse Sacramenta nec gratiam conferre est probabilissimum.

Bannez. Imò nequidem peccabit graviter initiatus Tonsurâ & minoribus Ordinibus habens animum retrocedendi. *Sanchez.*

47. Sanchium sequitur Regius de Sacramentis disp. 20. n. 105. tum quia sententia Bannez nullo jure aut fundamento innititur. Nam Tridentinum solùm ostendit, quid ipsa decentia, & illius statûs reverentia postulet, quidque fieri desideret, nullis enim utitur verbis præceptivis. Tum etiam quia ex parte Juri repugnat. Nam c. 1. de filijs Presbyterorum in 6. dicitur: *Is qui defectum patitur natalium ex dispensatione Episcopi licitè potest ad Ordines promoveri minores:* cùm tamen Episcopus sciat eum non posse promoveri ad majores.

Regius.

Ex quo patet eum nullo modo peccare, qui animo in ijs ministrandi, Ordines minores suscipit, cum animo numquam suscipiendi Majores, aut ducendi uxorem Virginem. Si tamen eos susciperet sine ullo animo inserviendi Ecclesiæ, sed solùm ut privilegijs clericalibus gauderet, esset aliquod peccatum; quia illa intentio esset inordinata, & contra mentem Ecclesiæ, quæ tali nollet eos ordines conferre, ut patet ex Tridentino.

Sicuti nec peccat graviter suscipiens minores cum animo numquam suscipiendi majores.

Imò sine ullo animo inserviendi Ecclesiæ.

Sed hæc inordinatio solùm esset venialis, cùm nec ulli damnosa sit, nec notabilem illi statui irreverentiam adferat; aliàs qui illis ordinibus initiatus, sine ulla justa causa statum Ecclesiasticum desereret omnino, v. g. ducendo viduam peccaret mortaliter: quod nemo dixerit.

Alia autem est ratio ingredientis Religionem cum animo non perseverandi: quia hic in re gravi decipit Religiosos: tum quia

Alia est ratio de ingrediente religionem cum animo non perseverandi.

quia malâ fide tam diu eorum sumptibus alitur: tum etiam quia interim explorat omnia, quæ in Religione fiunt, quæ sæpe non expedit cognosci ab ijs, qui religiosum animum non habent. Unde omnis Religio existimat sibi à talibus gravem injuriam fieri. Hactenus Regius.

48. Eamdem opinionem amplectitur Dicastillo, Eamdem opinionem amplectitur Dicastillo de Sacramento Ordinis disp. 1. n. 329. Cùm Tridentinum, inquit, nullum præceptum assignet, sed tantùm simplicem monitionem adhibeat, non existimo Episcopum peccare, saltem mortaliter, quamvis ordinet eum, quem prudenter timet habere intentionem ducendi uxorem; nec illum, qui sic tonsuratur, peccare mortaliter. Idemque judicium est de eo, qui initiatur, etiamsi de illo suspicio sit, quòd velit Clericus fieri ad declinandum judicium sæculare. Sic ille.

Asserens non esse præceptum in materia gravi; Intelligens utique per præceptum Tridentini, quod negat, præceptum in materia gravi; alioquin sibi ipsi contradiceret, nam in eodem Tomo Tract. 3. de Sacramento Confirmationis n. 100. admittit aliquod præceptum Tridentini non suscipiendi Tonsuram ante Confirmationem. Hæc sunt ejus verba: Quæ doctrina (scilicet nullum contineri præceptum in illo loco Tridentini) vera est, si loquantur de peccato gravi: si tamen velint nec venialiter peccare, omnino falsum dicunt; apparet enim non contemnenda inordinatio, non sequendo directionem Tridentini cùm id fieri possit. Ideo non rectè dicitur non esse præceptum id ita faciendi; sed non esse præceptum in materia gravi. Ita Dicastillo. (Admittens in levi.)

49. Equidem per ly *Præceptum* simpliciter positum non inconvenienter intelligitur præceptum in materia gravi juxta Doct. Subtilem 2. dist. 21. n. 3. ibi: *Sed in hoc distinguuntur* (peccatum mortale, & veniale) *quia peccatum mortale est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo; quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit; & ideo omnis deordinatio cadens sub præcepto, avertit à fine necessario. Sed alia est ordinatio, quæ potest esse respectu finis sequendi, quæ non est necessaria, sed utilis, quæ non est de præcepto; sed potiùs de consilio: & deordinatio opposita huic est peccatum veniale, nec facit cadere à fine necessario: sed facit, quòd actus non procedat meliori modo quo potest.* (Scotus.)

50. Imò esto talis peccaret graviter; Utcumque ergo sit de illo, qui initiatur Tonsurâ & minoribus Ordinibus cum animo retrocedendi ab illis, hâc intentione ut gaudeat privilegiis Clericorum; esto peccet, etiam mortaliter (quod non puto) ergo peccat mortaliter qui initiatur Tonsurâ, vel cæteris Ordinibus ante Confirmationem; nego consequentiam. (Haud equidem iste qui initiaretur ante Confirmationem;)

Quamquam enim in eodem loco Tridentini, & eisdem verbis utrumque prohibeatur, equidem juxta capacitatem materiæ: antea autem ostendimus ex communi judicio Doctorum, & fine legis, præposterum ordinem inter illa duo Sacramenta esse materiam levem; quæ non potest præcipi sub culpa mortali. At verò defectus intentionis status Ecclesiastici; ad quem ab Ecclesia ordinatur Tonsura, & à Christo minores Ordines, si sint vera Sacramenta, ut puto; quidni posset esse materia gravis? (Quia una est materia gravis, altera levis.)

Quod probè intelligens Petrus Ledesma, tametsi in Summa de Sacramento Ordinis post 3. conclusionem §. De la primora (ut refert Pontius supra) agnovisset peccatum mortale in susceptione primæ Tonsuræ animo fugiendi forum: nihilominùs in Theol. morali Tract. de eodem Sacramento c. 6. post 3. conclus. ad quæstionem, utrùm si quis priùs Ordinis, quàm Confirmationis Sacramentum susciperet, peccaret mortaliter? Dicit Primò; expedit quidem, & conveniens est, priùs Confirmationis; quàm Ordinis Sacramentum suscipere: attamen nulla ratio cogit ut credamus esse peccatum mortale hunc ordinem pervertere, nec ideo irregularitas incurritur. (Sic sentit Ledesma;)

Primam partem antea probaverat ex D. Thom. in supplemento q. 35. a. 4. quia per gratiam, & characterem Confirmationis fidelis magis idoneus redditur ad ministerium Ordinis exercendum. (Quamvis ex D. Thoma doceat esse conveniens quòd præmittatur Confirmatio;)

Secundam verò probat, quia nec ullo juris decreto, nec ex verbis Concilij ullum potest colligi præceptum, quod peccatum mortale arguat; &, si naturam horum duorum Sacramentorum diligenter ac seriò attendere velimus, non tantam inter ea dependentiam & conjunctionem deprehendemus, ut grave admodum peccatum incurratur, prius Ordinis, quàm Confirmationis Sacramentum suscipiendo. Hucusque Ledesma.

Hanc ergo sententiam, ne sine causa multiplicentur peccata mortalia, tamquam magis communem & probabiliorem amplectendam judico. 51. (Quod & amplectitur Auctor.)

Dico, *ne multiplicentur peccata mortalia*; nam peccatum veniale agnoscit præfatus Auctor §. *Dico* 2. & alij communiter. Quia, inquit Ille, ita statuitur in Concil. Trident. & præterea, quia nonnulla videtur esse ordinis perversitas, quando quis prius (Communis sententia agnoscit peccatum veniale.)

Sacramentum Ordinis recipit, quàm Confirmationis.

52. Profectò sola sollicitudo & diligentia Episcoporum, quam solent adhibere in hac causa, seriò inquirendo, num is, quem ordinare intendunt, Sacramento Confirmationis sit initiatus, non parvam nobis adfert suspicionem, saltem venialis obligationis, si non præcepti naturalis, saltem præcepti positivi Ecclesiæ. Proculdubiò Ecclesia ad id potuit Episcopos obligare, sicuti obligavit eos ad observantiam rituum, qui solent adhiberi in solemni administratione hujus, & aliorum Sacramentorum.

An autem obligaverit, quæstio est facti hucusque ut puto satis discussa.

Quantum ad obligationem rituum, Diana parte 7. Tract. 10. resolut. 31. cum alijs, quos citat, docet, Episcopum peccare mortaliter, si ministret Confirmationem sine Pluviali, Mitra, & Baculo Pastorali: aut si sacros Ordines conferat cum solis indumentis Missæ: facit enim contra reverentiam debitam Sacramentis in materia gravi; veluti si Sacerdos celebraret sine Manipulo, Stola, & Planeta: vel administraret Sacramentum Baptismi, aut Extremæ Unctionis extra necessitatem sine stola & superpellicio.

Diana docet Episcopum peccare mortaliter, si confirmet sine Pluviali, Mitra, & Baculo Pastorali.

53. Asserit quoque Nugnus, sed nimis rigidè, esse mortale, si Episcopus confirmet extra Ecclesiam. Communis sententia est, tametsi locus Confirmationis, quantùm commodè fieri potest, debeat esse Ecclesia; simpliciter tamen posse conferri quovis loco decenti; idque quamvis locus foret interdictus, c. *Responso.* 43. de sententia excom. ibi: *Præterea quæsivisti cum Ferrariensis civitas sit interdicto supposita, & ideo sint ibidem (præter Baptisma parvulorum, & pœnitentias morientium) universa Sacramenta Ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare? super quo respondemus, quòd sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad Confirmationem in frontibus à te possunt sacro Chrismate deliniri.* Immò quid obstat quò minùs ob multitudinem quandoque detur sub dio? Sanè nihil.

An etiam si confirmet extra Ecclesiam?

Communis sententia, asserit sufficere quemvis locum decentem, etsi foret interdictus.

Cap. 43. de Senten. excom.

Licet aliquando confirmare sub dio.

54. Prout etiam hodie quovis tempore, & die anni, ante & post prandium licitè ministratur, consuetudine sic declarante, tametsi olim tempus Paschæ, & Pentecostes esset determinatum.

Item quovis tempore & die anni, ante & post prandium.

Longum nimis esset cæteras omnes Ceremonias ordine suo prosequi. Videri possunt in Pontificali, & apud Suarium disp. 37. sect. 1. aliosque Auctores, qui latiùs illas pertractant. Præcipuam ego arbitror adhibitionem Patrini, de qua quæritur Primò, utrùm Patrinus Confirmationis, debeat esse distinctus à Patrino Baptismi? Secundò, an plures possint adhiberi? Tertiò, utrùm debeat esse confirmatus? Quartò, an possit esse Monachus vel Monialis?

CONCLUSIO VI.

Patrinus Confirmationis alius sit extra necessitatem à Patrino Baptismi; unus tantùm, isque confirmatus: Potest esse Monachus vel Monialis absque gravi peccato.

IN Sacramento Confirmationis adhibendum esse Patrinum, qui confirmatum teneat, nemo dubitat; & quamvis lex scripta non inveniretur (quæ tamen multiplex est, ut patebit ex dicendis) universalis consuetudo pro lege agnosci deberet, quæ etiam communi calculo obligat sub mortali. 55.

In Confirmatione est adhibendus Patrinus sub mortali.

Hujus consuetudinis meminit Iginus Papa, & refertur de Consec. dist. 4. c. 100. *In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione unus Patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana: sed per singulos singuli recipiunt.*

Iginus Papa.

Debet esse distinctus à Patrino Baptismi, sed non sub mortali.

Et hæc sit probatio primæ partis Conclusionis: secùs tamen faciens non peccaret mortaliter, ut respondet Bartholomæus ab Angelo in Exam. confess. dial. 5. §. 45. apud Dian. parte 3. Tract. 4. resol. 21. Imò putat Sylvester verbo *Confirmatio*, consuetudinem jam contrarium obtinere.

Quin abolitum id putat Sylvester per contrariam consuetudinem.

Secunda pars conclusionis colligitur ex decreto Leonis Papæ (& ponitur de Consec. dist. 4. c. 101.) *Non plures,* inquit, *ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant quàm unus, sive vir sive mulier. In Confirmatione quoque idipsum fiat.* 56.

Leo Papa.

Idem habetur cap. ultimo de cognat. spirit. in 6. ibi: *Quamvis non plures quàm unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem &c. De Confirmatione insuper quantùm ad hoc, idem iudicium est habendum.*

Cap. ult. de Cognat. spirit. in 6.

Licèt autem hæc decreta revocata sint

sint per Tridentinum sess. 24. can. 2. de refor. quantùm ad Baptismum, concedens ut unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; id tamen sine fundamento extenditur ad Sacramentum Confirmationis, quandoquidem de illo quantùm ad hoc nullam faciat mentionem; sicut facit dum restringit cognationem spiritualem ad susceptorem, susceptum, & parentes. Quare manet jus vetus, cujus correctio sine gravi fundamento non est admittenda. Ita docent Præpositus, Aversa, Barbosa & alij apud Dian. parte 10. tract. 16. Resol. 90.

Tridentinũ non revocavit decreta antiqua concernentia confirmationem.

Per consequens si plures de facto teneant confirmatum, omnes validè suscipiunt, & contrahunt cognationem, ut habetur c. ultimo citato ibi: *Si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur* &c. tametsi quoad Baptismum, specialiter ordinet Trident. supra, quòd non contrahant, qui ultra designatos tenent.

Unde si plures teneant, omnes validè suscipiant, contrahuntque cognationẽ.

57. Hæc tamen non ita certa sunt, quin opposita sententia sit probabilis, quam, cum alijs à se citatis docet Sanchez lib. 7. de Matr. disp. 57. n. 9. ubi sic ait: Existimo idem omnino voluisse Trident. quoad omnia statuere in Patrino Confirmationis; nempe posse adhiberi duos Patrinos diversi sexus: ac nullum alium tangentem, præter Patrinos designatos, hanc cognationem contrahere. Ducor, quòd clara mens Tridentini fuerit, eodem modo utramque cognationem restringere, ut constat ex proœmio, ubi declarat velle se impedimentum cognationis restringere. Constat etiam ex fine, ubi cognationem ortam ex Confirmatione ad easdem prorsùs personas restringit, ad quas restrinxerat cognationem ortam ex Baptismo. Hæc ille. Restringit omnino, idque his verbis: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur. Tenentem*, inquam, non, *Tenentes*, prout loquitur de Patrinis Baptismi, ibi: *Inter quos, ac baptizatum ipsum* &c.

Opposita sententia est probabilis. Sanchez.

58. Et verò quæ ista consequentia: Restringit ad easdem personas, ergo extendit ad easdem personas? Vel ex solo usu Ecclesiæ liquet non extendisse; quippe quæ non soleat umquam ad Confirmationem admittere unum & unam, sicuti tamen passim in Baptismo adhibentur, sed unum tantùm ad suscipiendum masculum; & unam ad tenendam fœminam, ut præscribitur in Pontificali Romano.

Equidem si fœmina susciperet virum, non credo fore peccatum, saltem mortale; fortè nullum; nam verba Pontificalis non indicant rigorosum præceptum; sed solùm indicant quid sit decentius fieri: sic enim loquitur: *Adulti verò seu alij majores ponant pedem suum supra pedem dextrum Patrini sui. Et ideo neque masculi fœminis Patrini, neque fœminæ masculis Matrinæ esse deberent.* Utique quia illa superpositio pedis magìs convenit adultis ejusdem sexus, quàm diversi.

Fœminá suscipiens virum, non committit peccatum mortale; Pontific. Rom.

Imò fortè nullum.

Ibidem præscribitur, ut nullus præsentet nisi unum, aut duos, non plures: sed usus docet contrarium.

Omnes fatentur non confirmatum, illicitè hoc munus obire. Quid enim aliud significant hæc verba desumpta ex Concil. Moguntino (& referuntur de Consec. dist. 4. c. 102.) *In Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus?*

59. Non confirmatus, illicitè subit hoc munus; Conc. Mogunt.

Quæ ab universali Ecclesia sunt recepta; ut patet ex Pontificali Romano ibi: *Nullus qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus.* Et ex concordi judicio Doctorum; qui etiam communiùs asserunt hujusmodi susceptionem esse invalidam, etsi enim verba textûs non sint clarè irritantia, ut ex alibi dictis constat, usu tamen potuerunt eo sensu recipi, & manere recepta.

Pontific. Rom.

Fortè etiam invalidè.

Sed an in tali casu, inquit Diana parte 3. Tract. 4. Resol. 21. susceptor non confirmatus, licèt non contrahat affinitatem, peccet mortaliter? Affirmativè respondent Nugnus, Suarez & Sylvius in 3. parte q. 72. art. 10. sed contrariam sententiam probabilem esse ex ipsis etiam deducitur, ut legenti patebit. Ita Diana.

60. An peccet mortaliter?

Affirmat Suarez cum alijs.

Legi Suarium, qui sic ait: D. Tho. hîc dicens non confirmatum non debere esse Confirmationis Patrinum, significat non esse grave seu mortale peccatum; probabile tamen est ex suo genere esse mortale, quia hæc Cæremonia est gravis, & recepta ab Ecclesia: unde sicut illam omnino omittere ex suo genere est grave peccatum, ita etiam eam irritam facere. Hæc Suarez.

Sed quomodo ex ipso deduci queat contrariam sententiam esse probabilem, non video. Fateor, D. Tho. dicit: Non debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus: sed numquid inde benè infertur; ergo non confirmatus invalidè tenens, peccat solùm venialiter? An fortè quia Doctor Angelicus non expressit malitiam mortalem, sed malitiam in

genere, ideo solùm committitur venialis? Quid si existimaverit hujusmodi susceptionem valere (quippe multa fieri non debent, quæ tamen facta tenent) & idcirco solùm peccari venialiter? Num inde probabiliter deducitur: ergo etiam solùm leviter peccatur, ex hypothesi, quòd susceptio sit invalida? Certè firmiorem deductionem desidero, antequam ausim judicare hanc sententiam esse probabilem.

61. Mendicantes possunt esse Patrini. Venio ad ultimam partem, quæ agit de Monachis, & Monialibus. Et quidem Mendicantes posse esse Patrinos ostendimus disp. præced. sect. 6. conclus. 4. & docet Diana supra, quod faciliùs, inquit Dicastillo hic n. 145. crediderim de Confirmatione, quia non est obligatio instruendi; prout notat Henriquez lib. 3. c. a. n. 3. quia id nullo jure invenitur statutum.

Pontific. Rom. Sed contrarium apparet ex Pontificali Rom. ubi Tit. de Confirmatione in fine sic lego: *Expeditâ itaque Confirmatione Pontifex sedens, acceptâ Mitrâ, Patrinis, & Matrinis annuntiat, quòd instruant filios suos bonis moribus, quòd fugiant mala, & faciant bona, & doceant eos: Credo in Deum, & Pater noster, & Ave Maria, quoniam ad hoc sunt obligati.*

Patrini obligantur ad instructionem; Ex eodem arbitror jure, ex quo ad illud obligantur Patrini, & Matrinæ Baptismi, quod usus extendit ad Patrinos & Matrinas Confirmationis. Attamen hæc obligatio rara est; etenim vel est adultus, qui confirmatur, & præsumitur in his utcumque instructus, vel est parvulus, & susceptor Baptismi tamquam primarius & principalis tenetur instruere. (Quæ tamen obligatio rara est.)

Ut ut sit de obligatione instruendi, si propter illam Mendicantes non excluduntur à munere susceptionis in Baptismo, quo jure rejicientur ab eodem munere in Confirmatione?

62. Quintanadvenas docet Monachos & Sanctimoniales posse esse patrinos in baptismo sine gravi peccato; Imò (teste Diana parte 9. tract. 6. resol. 32.) & Monachos & Sanctimoniales posse esse Patrinos in Baptismo, saltem sine gravi peccato, docet Quintanadveñas in Theol. morali Tomo. 1. Tract. 1. singular. ultim. per totum.

Probatur; quia si ob aliquam causam Religiosis non liceret hoc munus, esset propter prohibitiones relatas præcedenti disp. sect. 6. conclus. 4. sed hæ non obstant; ergo &c. Major est certa, cùm nullam malitiam, nec indecentiam intrinsecam afferat hic actus. Minor probatur; quia prohibitio in cap. *Non licet*, sicut & aliæ juri non insertæ, eam auctoritatem aut (Quia nullum jus inhibens,) vim præceptivam solùm habent in decreto canonico quam extra illud, ut de omnibus sapienter probat Joannes Antonius, Ecclesiæ Mediolanensis Præpositus procem. Decr. F. 1. pag. 1. Cùm igitur hæc habeatur ex Concil. Antisiodorensi, quod est Diœcesanum dumtaxat, nec à Papa approbatum, non potest omnes obligare.

Et licèt generalis Concilij esset, culpam gravem non induceret ex verbo, *Non licet*, cùm sæpiùs cum illo fine ea prohibitiones similes inveniamus. Sic in eodem Concilio can. 15. *Non licet mortuum super mortuum mitti* Et can. 18. *Non licet Presbytero, aut Diacono aut Subdiacono.... in Ecclesia dum Missæ dicuntur, stare.*

Præterquam quod, licet ex utroque capite graviter hæc prohibitio olim obligaret, modò autem non ita. Quia causa illius fuit, ut verbis Eman. Roderici to. 1. qq. Reg. q. 31. a. 1. utar, quam tangit quædam Glossa cap. *Monachi*. 104. de Consec. dist. 1. Verb. *Nec osculentur*, scilicet ne osculentur fœminas, in quibus tangitur, ut inquit Glossa, consuetudo aliquorum locorum, in quibus compatres osculabantur commatres. Propter quam consuetudinem decreverunt Concilium & Pontifices, ne Monachi compatres fierent, ne hâc occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum haberetur. 63. Et licèt fuisset, modo est abrogatum,

Et Seraphicus Pater noster Franciscus castitatis summæ amator, propter eamdem fortè aliquarum provinciarum consuetudinem, sicut in Reg. c. 11. prohibuit suis fratribus suspecta consortia virorum seu mulierum: ita etiam prohibuit eisdem fieri compatres virorum vel mulierum, cujus præcepti causam adducit, dicens, Ne fortè scilicet, inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur, alludens fortè ad consuetudinem osculandi commatres. Sic Ille.

Cùm ergo jam hæc consuetudo cessaverit, ob quam hæc lex prohibitiva emersit, lex etiam cessavit: nam legis ratione cessante, cessat quoque ejus dispositio.

Alias etiam rationes, inquit Diana supra, adducit Quintanadveñas, & tandem sic concludit. Igitur cùm ex dictis vel nullam, vel levissimam culpam committant Religiosi, etiam ex ordine Monachali de sacro fonte (eadem, & fortè major est ratio de sacro Chrismate) infantem suscipientes, etiam sine causa; si hæc adsit, à veniali etiam culpa liberantur; sicut 64.

(Imò nullum est peccatum si subsit causa.)

sicut qui ex causa officij divini tempus & horas anteponeret, vel postponeret: vel orationes ante Sacrificium, vel post illud, juxta Missalis Rubricas dicendas, omitteret, nullum committeret peccatum, licèt sine illa veniale foret.

Qualis est petitio, aut devotio baptizandi.

Causa autem sufficiens esset petitio, aut devotio baptizandi, ob virtutem ac egregiam Religiosi famam, patriæ usus, sumptuum excusatio, aliumvé non ita commodè invenire Patrinum prole dignum, aut ad id munus nolle alium infantis baptizandi parentes adstringere, vel quid simile nomini consonum, quamvis grave non videatur.

Facultas Ordinarij, licèt necessaria non sit, nec Prælati regularis, nisi in Religione, prohibitio vigeat: exposci tamen consulam, ne Parocho aliquod nocumentum emergat, cui in Rituali, ac sæpe ex suæ diœcesi Synodo indicitur, ne Religiosos ad hoc munus admittat; hancque liberaliter absque ullo scrupulo etiam levissima ex causa Ordinarij ac Prælati concedere possunt. Ita hic Auctor. Verè an falsò judicent prudentes.

65. Quod me attinet, quæ Baptismatis, eadem est ratio Confirmationis, & fortè major: Nam Can. Concilij Antisiodorensis non loquitur expresè nisi de Baptismo. Liber autem Capitulorum, ex quo desumitur cap. *Monachi*, quod videtur generaliter loqui, nescio cujus sit auctoritatis: hoc certum est non obligare universam Ecclesiam, nisi usu ita sit receptum; prout etiam recipi potuit Canon Concilij Antisiodorensis: sicut aliqua impedimenta Matrimonij universalia sunt, etsi primò in specialibus Concilijs statuta, Ecclesiâ acceptante per usum. Ex quo patet responsio ad primum fundamentum Quintanadveñas.

Ly *non licet*, quandoque gravē quandoque levē inducit obligationem.

66. Ad secundum dico; ly *Non licet*, aliquando gravem, aliquando levem inducere obligationem secundùm capacitatem materiæ, quæ prohibetur. Enimverò materia levis sub culpa mortali præcipi non potest: materia autem gravis licèt juxta communiorem sententiam possit præcipi sub culpa veniali, id tamen non præsumitur factum, nisi declaret legislator.

Colligitur ex jure positivo.

Nonne in Concilio præallegato can. 16. dicitur: *Non licet die dominico boves iungere, vel alia opera* servilia *exercere*? Et can. 19. *Non licet Presbytero....post acceptum cibum, vel poculum missas tractare*? Et plura similia solùm prohibentur per verbum, *Non licet*: quæ tamen propterea nemo dixerit solùm esse venialia.

Susceptio in Confirmatione si valida, non est graviter illicita.

Cùm rarò requirat instructionem.

Ipsa ergo susceptio consideranda est; & quidem si valida est (quod puto) non satis apparet ex quo graviter sit illicita, præsertim in Confirmatione, cùm illa rarissimè requirat instructionem, quæ tamen partialis causa fuit prohibitionis, teste Rod. supra ibi: Quia suscipiendo baptizatum virtualiter fide jubet (Susceptor) & promittit se habiturum curam salutis spiritualis illius. 67.

Atque hinc in citatis decretis cautum est ut hic susceptor idoneus sit atque expeditus ad exercendum munus, ad quod assumitur. Unde cùm hæc cura & sollicitudo non possit expediri à Monachis, ideo ultra rationem supradictam (scilicet, ne osculentur commatres) prohibita ipsis fuit talis susceptio. Hæc Rod.

Quæ si bene considerasset Quintanadveñas ex cessatione consuetudinis osculandi, non statim conclusisset cessationem legis: quippe partialis illa ratio sufficiens erat ad justitiam illius prohibitionis.

Et quia solitudo Monachorum jam regulariter non est tanta, hinc levior fieri potuit obligatio.

Quia tamen solitudo Monachorum jam regulariter non est tanta, ex hac parte saltem levior fieri potuit obligatio. Per consequens ubi illa solitaria vita omninò tollitur, veluti in Episcopis & Cardinalibus ex Monachis assumptis, etiam omninò extinguitur obligatio non suscipiendi.

Porrò quod spectat ad causas justas, quæ excusant totaliter à peccato, si veræ sint, quas assignat Quintanadveñas, vix reperio casum, in quo susceptio erit illicita. Interim judicium sit penes prudentem Lectorem, consideratis omnibus circumstantijs, ac præsertim universali consuetudine, quæ est optima legum interpres.

Et quoniam aliæ difficultates de hoc Sacramento non succurrunt pono calamum, ac finem impono primæ Parti, in qua si quid ritè & rectè dictum fuerit, soli Deo laus, honor & gloria, si quid perperàm imbecillati ac tenuitati ingenij mei tribuatur. Omnia verò iterùm subjicio correctioni Sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ.

Et sic proceditur ad tertium Sacramentum, ut renati ex aqua & Spiritu sancto, & corroborati per Spiritum in interiorem hominem, nutriantur divinâ Eucha-

Eucharistiæ alimoniâ; quod tunc fiet quando magnâ reverentiâ & sanctitate ad eam percipiendam accesserint. Sed quomodo accedent nisi sanctitatem & divinitatem cælestis hujus alimoniæ probè cognoverint? Quomodo autem agnoscent sine prædicante? Et verò quis dignè poterit prædicare? Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et ideo non meis meritis, sed gratiâ ejus, qui linguas infantium fecit disertas, universa quæcumque mandaverit Dominus, loquar. Incipiam & complebo.

AD MAJOREM DEI,
DEIPARÆ IMMACULATE CONCEPTÆ
AC SERAPHICI PATRIS NOSTRI
FRANCISCI
GLORIAM.

INDEX



INDEX RERUM PRÆCIPUARUM,

Quæ in hac prima Parte continentur.

Etiam

INDEX RERUM.

Contra-

BAPTISMI FORMA.

INDEX RERUM.

Quod

BAPTISMI SUBJECTUM.

BAPTIZANDI OBLIGATIO ET POTESTAS.

BAPTISMI NECESSITAS RESPECTU ADULTORUM.

Olim

BAPTISMI CEREMONIÆ.

Tamen

C

CALVINUS.

CANONISTÆ.

CAUSA.

CENSURA.

CEREMONIÆ.

CHARACTER.

CHARACTERIS ESSENTIA.

CHARACTERIS INDELEBILITAS.

CHARACTERIS PRÆDICAMENTUM.

CHARACTERIS PROPRIETAS.

CHARACTERIS SUBJECTUM.

CHARITAS.

CHRISMA. Vide CONFIRMATIONIS MATERIA.

CHRISTUS.

CIRCUMCISIO.

Quomodò

CLERICUS.

COMPOSITUM.

CONDITIO.

CONFESSIO. Vide *Pœnitentia.*

CONFIRMATIONIS ESSENTIA.

CONFIRMATIONIS INSTITUTIO.

CONFIRMATIONIS MATERIA.

NECESSITAS BENEDICTIONIS EPISCOPALIS.

CONFIRMATIONIS MATERIA PROXIMA.

Græci

CONFIRMATIONIS FORMA.

EFFECTUS CONFIRMATIONIS.

CONFIRMATIONIS MINISTER ORDINARIUS.

CONFIRMATIONIS MINISTER EXTRAORDINARIUS.

CONFIRMATIONIS SUBJECTUM.

CONFIRMATIONIS OBLIGATIO.

CONFIRMATIONIS CEREMONIÆ.

E

ECCLESIA.

EPISCOPATUS.

EPISCOPUS. Vide CONFIRMATIONIS MINISTER EXTRAORDINARIUS.

EUCHARISTIA.

EUCHARISTIÆ MATERIA.

EUCHARISTIÆ FORMA.

EUCHARISTIÆ EFFECTUS.

EUCHARISTIÆ SPECIES.

EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

EUCHARISTIÆ USUS.

EXTREMA UNCTIO.

F

FIDES.

G

GRATIA ACTUALIS.

GRATIA SANCTIFICANS.

H

HABITUS.

HÆRESIS. HÆRETICUS.

I

IGNORANTIA.

Vide BAPTISMI INITERABILITAS.

INNOCENTIÆ STATUS.

INTENTIO.

INTENTIO MINISTRI.

INTENTIO CONFERENDI EFFECTUM.

INTENTIO DIRECTA. INDIRECTA.

Negat

M

MAGISTER.

MALEFICUS.

MARTYR.

MARTYRIUM.

MARTYRII EFFECTUS.

MATRIMONIUM.

Contro-

An validè

SACRAMENTORUM NUMERUS.

SACRAMENTORUM EFFECTUS

SACRIFICIUM.

SAMPSON.

SCOTUS.

FINIS.

ERRATA.

Fol. 7. col. 1. lin. 10 à fine *Sacramentum.* lege *sacrum.* Fol. 40. col. 1. lin. 7. *Sed hæc speculativa pro clariori &c.* leg. *Sed hæc speculativa. Pro clariori* &c Fol. 41. col 1 lin 6 à fine *per.* leg *pro.* Fol. 80. col. 2. lin. 23 à fine *fors.* leg. *forte.* Fol. 212. col 2. in margine. *Distinctio consensus.* leg. *Distinctio non consensus.* Fol. 257. col. 1. lin. 16. *invalidam.* leg. *invalidam.* Fol. 262 col. 1. lin. 12. *Dubitare non possum:* sunt verba D. August. Fol. 272. lin. 25. à fine. *aliàs non.* sunt verba Auctoris. Fol. 371. col. 1 lin 7 à fine. *opposita* leg *apposita.* Fol. 387. col. 1. lin. 20. à fine. *Prosequitur Capitulum.* dele. Fol. 394. col 1 lin. 25. *destruatur.* leg. *destituatur.* Fol. 435. col. 1. lin. 34. *damdata,* leg. *damnata.* Fol. 444. col. 1. in margine. 89, leg. 98. Fol. 468. col. 1, in margine. 17. leg. 27.